21.

Soy de el Collegio de Sta Catha Ciudad de Osma: Dn Nicolas de Omeñaca y Sanz 1713.

hacen todas al mro pues con todo cuidado da luz su Autor para q el Juramen no sea como hai aqui [illegible]

R. P. Vicente Ramirez

Dn Juan Franco Parras natural de la Villa

Dn Nicolas

D. Nicolas de Omeñaca Collegial de Sta Catha Patronato Rl y fundazn

Para Pasantes

Dn Nicolas de Omeñaca Colegial de Sta Cathalina Patronato Real, y fundazn

Para Pasantes de Osma

R. PATRIS

VINCENTIJ RAMIREZ, DE SCIENTIA DEI.

Est 28
Anc 2a 5a
Vol B
Est 28
Fab 5a
no 1

R. PATRIS
VINCENTII
RAMIREZ,
DE
SCIENTIA DEI.

R. PATRIS

VINCENTIJ

RAMIREZ,

SOCIETATIS JESV

MATRITENSIS.

IN ACADEMIA COMPLVTENSI

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Primarij, Archiepiscopatus Toletani Synodalis Examinatoris, & in Collegio Imperiali Matritensi Maiorum Studiorum Regalium Præfecti; necnon eiusdem Collegij Rectoris.

TRACTATVS

DE SCIENTIA DEI.

TOMVS PRIMVS.

Del Colegio de S.ta Cath.a Univ.d de Osma

Anno 1708.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Apud Ioannem Garcia Infançon, Typographum Sanctæ Cruciatæ.

R. PATRIS

VINCENTII

RAMIREZ,

SOCIETATIS IESV

MATRITENSIS,

IN ACADEMIA COMPLVTENSI

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Primarij, Archie
piscopatus Toletani Synodalis Examinatoris,
& in Collegio Imperiali Matritensi Mario-
tum Studiorum Regalium Præfecti;
necnon eiusdem Collegij
Rectoris.

TRACTATVS

DE SCIENTIA DEI.

TOMVS PRIMVS.

Anno 1708.

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Apud Ioannem Garcia Infançon, Typographum
Sanctæ Crucis.

CENSVRA DOMINI DOCTORIS DON *Iuliani Dominguez & Toledo in Divi Ildephonsi Maiori Collegio clarissimi Togati, liberalium Artium iam olim in Complutensi Academia publici Professoris, nunc autem pro obtinendis Theologicis Cathedris Decertatoris.*

DVM D. Doctoris D. Emmanuelis Menchero & Rozas in Matritensi Curia Vicarij, &c. iussu facundi Parentis prolem alteram evolutam miror stupens, quidni probem? Deo Scientiarum grates persolvere cum Samuelis Matre, & decet, & libet 1. Reg. 2. *Quoniam Deus Scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Postquam enim non ita pridem Heliopolis, seu Solis vrbis (sic Complutensem Academiam nuncupasse fas sit) Primarius Sapientissimus doctissimas de *Divinæ Prædestinationis* arcanis elucubrationes miro exceptas plausu in lucem edidit, iam de Scientia Dei elaboratissimas dissertationes avidissimè expectatas in Sapientiæ alumnorum auxilium, in insciticæ depulsionem, in Magnæ Matris, nè iam Cybellem vetustissimum mendacium existimes; sed in Societatis Iesu gloriam perennaturam, decusque præstantissimum mundo dat, luci offert.

Redit ad te, Complutense Atenæum, ille tandiù tuus tibi non sine ingenti ablatus dolore Doctor, quem per tot annos veluti nova Arabia Phœnicem innutristi, in quo tuos olim Vazquios, Suarios, & alios omnium ore decantatissimos redivivos intuebaris. Invidit forsan tibi tantum virum reliquus orbis, cui toti illustrando parem profectò nihilo deceptus existimabat. Vicit, cui Soli cedere posset orbis, Aula Regia Matritensis, vbi in Meditulio constitutus cunctis prodesse paratus, Sol in medio Cœlo nulli non lucet. Redit iam, inquam, in clarissimo sui speculo, pretiosa in imagine sui, per quam fiet, vt (a) *non vltra avolet à te Doctor tuus.* In paucis sapientissimum se se præstat, (b) *qui eò plùs addit Scientiæ, quò minus occasionis offertur.* Capis, quò pergam? Recessit corpore. (c) *Nondum sua forma recessit.* Est sapientiæ perennis fons, scientiarumvè mirabile fluentum. (d) *Quò longius à propria scaturigine, eò latius.* Procera quidem, & fructuum feracissima arbor (mirum prorsus!) etiam dum ab aquarum decursu (Complutum intellige) distat, nullo in tempore fructus non elargitur vberrimos. Nam, Authore Gennadio. (e) *Tempus autem eius dandi est suscipientis oportunitas.*

(a) *Isai. 30. 20.*

(b) *Proverb. 9. 9.*

(c) *Æneid. 11.*

(d) *Eminētissimus Palavic. in lau. Maximil.*

(e) *In Cat. Græc. PP.*

Ne mens hæreat dubia, novus in bivio Mercurius Scientiam viarum offert, viam Scientiarum demonstrat. Illo duce media tutissimus ibis. (f) Viam Scientiarum eius iam diu exambij, nec hæsi, hęrebove instar Eliotropij fulgentioris huius Solis cursum insequi clarissimum *memor* (g) *salis* (Scientiæ apprimè luculentæ theseræ) quod comedi. Mirari non desinã, ne desinam proficere. (h) *Ingenuum* quippe, id cum Iuniore Plinio, fateri quis neget? Resumo lypsij verba, quæ promere ex animo non recuso. O (i) *institutionem vestram olim mihi vtilem.* (addiderim & modò) *Inhæret ea, atque inhæsit, & illa Pallas fuit, quæ inter tempestates, imò naufragia servabit hunc Vlyssem.* Tanto glorior Magistro, nec præsentis operis constitutus Censor decus istud meum oculi patiar, vt Cassiodori verbis vtar oportunissimis. *Palatinus* (k) *Iudex sum, sed tuus non desinam esse Discipulus.* Propterea Reverendissimi Patris Doctoris Vincentij Ramirez, de Scientia Dei opus iudicio, & acumine plenum, sedulâ, vt discerem, diligentia introspexi, & sic quod & cuncti censebunt, luce dignissimum. Salvo semper, &c. Censeo in hoc maiori D. Ildephonsi Collegio, die 24. Novembris, anni 1707.

Doct. D. Iulianus Dominguez & Toledo.

(f) *Iob. 21. 14.*

(g) *Esdræ 4.*

(h) *Plinius ep. 19.*

(i) *Centur. 3. ep. 34. ad P. Iacob Pontan.*

(k) *Lib. 12. ep. 2. ad Ioan. Pap.*

CEN-

CENSVRA RR. P. MAGISTRI D. ANTONII Mariæ Caſſani in Academia Complutenſi Doctoris Theologi, & Cathedræ Durandi Moderatoris, Archiepiſcopatus Toletani Synodalis Examinatoris, & ſui Div. Baſilij Magni Collegij ſemel, & iterum Abbatis digniſsimi.

REgij, Supremique Caſtellæ Senatus imperio ſerio opus me hercle aureum inſpexi, cui titulus *Tractatus de Scientia Dei* à Doctiſsimo, Reverendiſsimoque P. Doctore Vincentio Ramirez ex Societate Ieſu in Vniverſitate Complutenſi Primariæ Regiæ Cathedræ Anteceſſore digniſsimo, ſuavitate doctrinæ tanti allectus Authoris, vidi, perlegi, ponderavi, cognoveram ſanè iam diu ab vngue Leonem, cum ex eiuſdem manuſcriptis, quid ponderis, quid veritatis quid elegantiæ, quid eruditionis, quid ſoliditatis, ſubrilitatis, & novitatis, quid tandem modeſtiæ, & Religioſitatis tanti Patris ſcripta tenerent iam videram, iam laudaveram, iam ſupra reliquos (ſit ſine invidia dictum) extuleram; at nunc in iſtis duobus de divina Scientia libris (ſi alios duos de prædeſtinatione Sanctorum iam publicæ vtilitati deditos annumeres) & ſupra ipſummet: equidem in illis alios vincit, in iſtis ſeipſum. Mactè ſtudiosè labor, vbi adverſariorum tela, technæ nonnunquam, tàm fortiter disijciuntur, tam dextrè exarmantur, tàm argutè enervia moſtrantur, idque ipſum, cum eo lepòre qui & lectorem delectet, nec tamen extra oleas inſiliat moderationem viro Theologo, ac Religioſo debitam, vel minimum tranſgrediens. Cuncta demùm ingenij plena, ac vivido ſpiritu, nec vero incocta, aut levia, ſed nervoſa, ac matura: ſcripta ſcilicèt præpeti penna, at non præcipiti. *O Doctor* (1) *ingenio, exercitatione, doctrina, præcioſa divini dogmatis gemmas inſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem: intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod antea obſcurius redebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectum venerabatur. Ornaſti* (2) *noſtræ ætatis vltima tempora, & ſecuturis generationibus odorem nectareum propinaſti, vt à generatione in generationem noſtra ætas laudetur, & nomen tuum redoleat in vniverſis finibus terræ.* Reſplendent certè opera tua veluti lapis ille quem *Abeſton* vocant Græci de quo pulchre Poëta,

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeſton.
Ferreus huic color eſt, naturæ mira poteſtas:
Nam ſemel accenſus, conceptos detinet ignes,
Extinguique nequit, perlucens perpete flamma.

In his enim voluminibus volumen Cœli ſerenum perſpicio luminibus ſtellatum, nõ obductum nubibus. Cibus vbique veritatis porrigitur, iſque ſapore conditus elocutionis, terſus, ordinatus, vt facile quiſque guſtet miſtum vtile dulci. O Doctus ſcriba! tuus revera eſt theſaurus; non enim plagiarium arbitramur te ad apicem Magiſtrandi ſubiectum, qualiter Martialis affirmabat fidentinum, (3) Ramireſiumque quendam (4)

Commendo tibi Quintiane noſtros,
Nõſtros dicere, ſi tamen libellos,
Poſſum, quos recitat tuus Poeta;

(1) *Vincentius Lyrinenſis.*

(2) *Alvarus ad Eulogium, Archiep. Toletan. tom. 9. Bibliothec. SS. PP.*

(3) *Martialis Epigram. 45. ad Quintianũ.*

(4) *P. Mathæus Radero ſupr. Epigram. Mart. pag. 161. & 162. Epigram. 88.*

Si de ſervitio gravi queruntur,
Aſſertor venias, ſatiſque præſtes,
Et cum ſe Dominum vocabit ille,
Dicas eſſe meos, manuque miſſos.
Hoc ſi terque quaterque clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

De theſauro ergo tuo non ſolum veterana coloras, ſed nova cum honore diſcurris. De concinnitate vero tua quid dicam? Hæc vt Scriptori Religioſo *ſic vt animo ſcribas, non auribus.* (5) Hinc doctrinæ tuæ non effugiunt, ſed animo hærent: *Tendis vnice ad veram ſapientiæ metam, nec id ea via, qua hic phyloſophantium vulgus, qui in ſpinis argutiarum, aut laqueis quæſtionum male dediti, non aliud, quam ſubtili quodam diſceptationum filo texunt eas, & retexunt.* (6) *Abſit enim vt vmbram ſolum, & non eſcam pariant arbores tanti culturæ Patris*, (7) fructum in ficulnea, non folia tantum quæris. Es enim abſdubio ex eorum numero Doctorum, *qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.* (8) Nec mirandum; quia antequam ſcriberes virtus tibi pro ſtudio fuit iuxta illud. (9)

Ante tibi ſtudeas vt ſit pro coniuge virtus:
ex vxore tibi fiat vt illa ſoror.
Vxor erit virtus, lætis amplexibus illam,
ſi tanquam thalamo iunxeris ipſe tibi.
Cum tibi iuncta diu fuerit, pulchraque bearit
te ſobole, vxoris deſinet eſſe loco.
Facta ſororque alijs iam ſe dabit ipſa fruendam
non concluſa ſinu iam, velut ante tuo.

Hinc digniſsimum evadit opus iſtud vt typis mandetur; ſic enim ſcientiæ arbor, cum eius frondibus, floribus, ac fructibus æternitati donabitur, & omnibus divinitatem participatam inhiantibus, deguſtandus præbebitur, quin addendum quidquam, aut demendum putaverim; *neque enim* (vt Caſiodori verbis concludam) (10) *Fieri poterat, vt quem tantus Author, familia tanta produxerat, ſententia noſtra in eo corrigendum aliquid inveniret.* Sic ſentio, ſalvo ſemper, &c. In hoc Magni P.N. Baſilij Complutenſi Collegio, die 16. Menſis Auguſti, anni 1707.

Mag. D. Antonius Maria Caſiani.

(5) *Senec. Epiſt. 100.*

(6) *Lipſius de ſeipſo ad Lectorem, tom. 2.*

(7) *Cellenſis.*

(8) *D. Auguſt. ep. 7.*

(9) *Iacob. Billius.*

(10) *Caſiodor. epiſt. 22. lib. 9.*

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS El Doctor Don Manuel Menchero y Rozas, Dignidad de Arcipreſte de la Igleſia Magiſtral de la Ciudad de Alcalà de Henares, Inquiſidor Ordinario de Corte, y Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos Licencia, para que ſe puedan imprimir, é impriman dos Tomos, intitulados: *De Scientia Dei*, compueſtos por el Reverendiſsimo Padre Doctor Vicente Ramirez, de la Compañia de Iesvs, Cathedratico de Prima de la Vniverſidad de Alcalà de Henares, atento de nueſtro mandado ſe han viſto, y reconocido, y no ſe contiene en ellos coſa que contradiga à nueſtra Santa Madre Igleſia, y buenas coſtumbres, y Fè Catholica. Dada en la Villa de Madrid à catorze dias del mes de Julio de mil ſetecientos y ſiete años.

Doctor Menchero.

Por ſu mandado.

Manuel de San Martin.

AMVS

FACVLTAS

FACVLTAS ORDINIS.

ANtonius Portillo, Præpoſitus Provincialis Societatis Ieſu in Provincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre noſtro Michaele Angelo Tamburini, eiuſdem Societatis Præpoſito Generali, facultatem facio, vt *Tractatus de Scientia Dei* duobus tomis diſtinctus, Authore Patre Vincentio Ramirez, noſtræ Societatis Doctore Theologo, & eiuſdem Societatis gravium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum Fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſygillo noſtro munitas dedimus, in Collegio noſtro Placentino, die decima quarta Maij, anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptimo.

Antonius Portillo.

SVMA

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene Privilegio Real el P. Doct. Vicente Ramirez, de la Compañia de Jesvs, por tiempo de diez años, para imprimir el Libro intitulado: *Tractatus de Scientia Dei*; y para que ningun otro, sin su consentimiento, le pueda imprimir, como consta de su original, dado en Madrid à veinte y tres dias del mes de Julio de mil setecientos y tres años.

ERRATA VTRIVSQVE TOMI SIC CORRIGE.

PRIMI TOMI.

PAg. 35. n. 8. l. vlt. vniversalissima, lege *universalissimè ea*. P. 39. n. 43. l. 11. postquam aliquando, lege *postquam extiterit aliquando*. P. 91. n. 92. l. 6. æquivalenter, lege *æqualiter*. P. 94. n. 102. l. 9. in vno, lege *in quo*. P. 95. n. 106. l. 12. & 13. & tam virtualiter intelligat, quam non intelligit intellectus, lege *& tam realiter intelligat, quàm intelligit intellectus*. P. 144. n. 29. l. penult. cognitio, lege *memoria*. P. 149. n. 48. l. 14. vacuitas, lege *vaguitas*. Pag. 219. n. 136. l. 8. complexum, lege *completum*. P. 218. n. 61. l. 16. Deo proponeretur, lege *Deo non proponetur*. P. 282. n. 63. l. 8. suppositа, lege *etiam suppositа*. P. 284. n. 72. l. 35. determinative, lege *terminative*. P. 328. n. 54. l. 8. cum posibilibus, lege *cum contingentibus*. P. 336. n. 79. l. 13. si scientia deficeret. lege *si scientia deficeret, deficeret Deus*. P. 345. n. 106. l. 14. dependerent, lege *deperderent*. P. 390. n. 77. l. 12. signum prius, lege *signum extra signum prius*. P. 403. n. 126. l. 15. obiective, lege *subiectivè*. P. 428. n. 47. l. 6. persistentes absoluta, lege *pertinentes ad obiecta*. P. 440. n. 68. l. 31. consistit formaliter effectus, lege *consistit formaliter effectum esse futurum sutpote qui sic formaliter*. P. 491. n. 211. l. 2. quantum voces. lege *quantum debilitent voces*. Ibidem, n. 13. adhibuere debilitent, lege *adhibuere*. P. 509. n. 62. l. 7. & titulo tantum aliquid, lege *& titulo tantum propositionis vera de futuro aliquid*. P. 523. n. 110. l. vlt. determinationem, lege *denominationem*.

TOMI SECVNDI.

PPag. 48. n. 161. l. 13. taliter, lege *aliter*. P. 131. n. 47. l. vlt. destruere, lege *adstruere*. P. 151. n. 112. l. 15. existet, lege *non existet*. P. 218. n. 161. l. 3. inconiungilis, lege *coniungilis*. P. 347. n. 44. l. 22. veritates, lege *veritati*. P. 398. n. 48. l. 10. si. lege *sic*. P. 426. n. 133. l. 12. 17. & 21. collativum, lege *collectivum*. P. 469. n. 79. l. 11. divinam, lege *divisam*. P. 470. n. 80. l. vlt. ad summum, lege ad *vnum*.

Demptis his mendis, correspondent suo exemplari. Matriti, die 9. Mensis Augusti. Anni 1708.

Lic. Don Benito del Rio y Cordido.

Corrector General por su Magestad.

SVMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Consejo este Libro, intitulado: *Tractatus de Scientia Dei*, compuesto por el P. Doct. Vicente Ramirez, de la Compañia de Jesvs, à seis maravedis cada pliego en papel, como consta de su fecha. En Madrid à ocho dias de el mes de Agosto de mil setecientos y ocho años.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

DVM Hæc prælo disponerentur, pervenit ad manus Primus Tomus Philosophiæ Rationalis cuiusdam Sapientissimi Magistri ex præclaro Religioso ordine, in quo quidquid de identitate, & distinctione Discipulis ante plures annos publicè tradideram, & præcipuè, quæ ad distinctionem ex natura rei, & virtualem spectant, inveni transcripta ad verbum, duntaxat immutatis sectionibus. Excerpsit, & quidem tam exactè, vt etiam illa, quæ ad limam reducens mea scripta correxi, vt minus efficacia, non omisserit: placuerunt ei omnia, non tamen nomen Authoris Familiæ, & Scholæ, contentus aliquando dicere, *vt benè Recentiores*, quæ cum ita sint, iam se ostendit quantum debeam doctissimo isti Magistro, qui voluit habere in pretio ea, quæ nullius sunt æstimationis adiungens proprijs acutissimis istos meos discursus alioquin levissimos: in cuius beneficij gratitudinem, sicut in anathema oblivionis honoris tanti accepti libuit ad limen operis signum istud appendere.

P. VIN-

IHS

P. DOCTORIS VINCENTIJ RAMIREZ, MATRITENSIS SOCIETATIS IESV.

TRACTATVS DE SCIENTIA DEI.

TOMVS PRIMVS.

ATTRIBVTVM divinæ Sapientiæ explanandum ſuſcipimus, in quo rei gravitas ex ipſa propoſitione conſtat: nam, vt dixit Eruditiſsimus Ruiz: *Quemadmodum evidentius eſt nihil, quàm ſolem eximio fulgere lumine, ſic nihil eſt impoſsibilius hominibus, quam illum in ſe ipſo rectis, & intentis oculis contemplari. Non aliter eſt evidentiſsimum ſapientia pollere Deum: impoſsibile tamen eſt illius penetrare profunda plenum ad ea intuitum dirigentes.* Id circò *ſapere ad ſobrietatem* commendat Apoſtolus ad Rom. 12. id eſt cum ea diffidentia noſtræ debilis facultatis, quam agnovit, & profeſſus eſt Regius Pſaltes Pſalm. 138. dicens: *Mirabilis facta eſt Scientia tua, ex me confortata eſt, & non potero ad eam.* Siquidem diſtamus tantùm ab eius perfecta penetratione, vt vix aliquem ipſius ſplendorem rimari poſsimus, & hoc etiam confortati eiuſdem Scientiæ ſupernaturali radio, cuius ductu præſentem enodationem agredimur tentantes velut in ænigmate, & paſsim cæcutiendo ex parte cognoſcere. Methodus erit, quam alij obſervarunt, & rectus procedendi modus expoſcit: agemus enim prius de Scientia Dei, & eius obiecto in communi. Secundò de Scientia, qua Deus ſe cognoſcit. Tertiò de Scientia, qua Deus creaturas & alia extra ſe intuetur. Quartò de Scientia merè naturali, & neceſsaria. Quintò de Scientia Dei libera, & contingenti, quæ ad veritates abſolutas contingentes terminatur. Sextò de Scientia Dei conditionata, vbi præcipuè de Scientia Media inter naturalem, & liberam, quæ erga obiecta contingentia conditionatè procedit, & noſtræ Ieſuiticæ Scholę eſt teſera poſt plauſibiliſsimum, & nunquàm ſatis laudandum P. D. Ludovicum Molina Conchenſis vrbis decus, quem poſt quàm Theologi experti ſunt, anteſignanum Iuris Canonici, & Civilis periti inter ſuos primos numerarunt Duces. Agunt de Scientia Dei Magiſt. in 1. diſt. 35. D. Thom. ibi, & alijs in locis, nec non 1. p. à quæſt. 14. & eum ipſis eorum interpretes, in quibus non eſt omitendus Doctiſsimus Magiſter Frater Emmanuel à Conceptione, Trinitarius Excalceatus, in ſuo Aureo Tractatu

nuper edito. Concludo, monendo audientes ex Magno Dionysio cap. 7. de divinis Nominibus: *Hæc igitur divina non ingenio nostro intelligere debemus; sed ita, vt nos toti extra nos simus, & toti Dei fiamus præstat nos enim Dei esse, quàm nostros: Ita demùm divina nobis tradentur si cum Deo simus.*

DISPVTATIO I.

De essentia, & existentia divinæ Scientiæ in communi.

1 SCIENTIA Dei in communi sumpta idem est, quod *cognitio intellectualis obiecti perfectissima, seu expressio intellectualis obiecti perfectissima.* Dicitur: *cognitio, & expressio*, scilicet *in actu secundo*; non *in actu primo*: qua ratione cum divina potentia, aut intellectu confunditur: *intellectualis*: hoc est intellectui propria ob suam spiritualitatem, qua distinguitur à cognitione materiali Brutorum, & perceptione sensuum externorum, convenitque cum cognitione Angelica, & humana: *perfectissima*, id est continens quidquid perfectionis attinet ad suam lineam, vt iudica, certitudinem, evidentiam, & omnimodam claritatem, & excludens omnes imperfectiones, quæ intellectionibus creatis admiscentur, nempè qualitatis, habitus, & actus realiter producti, & discursus, per quod distinguitur ab omni non ipsa, & depuratur ab omni illo, quod limitationem & imperfectionem claudit, propterea que in Scientia, & cognitione finita, qualis est creata, invenitur.

2 Hoc vltimum explicuit D. Th. in presenti art. traddens regulam de modo tribuendi Deo perfectiones, quæ sunt in creatura: *Dicendum*, inquit, *quod quæ perfectiones procedentes à Deo in creaturas aliquomodo sunt in Deo, oportet quod quandocumque nomen sumptum à quacumque perfectione creaturæ Deo attribuitur, secludatur ab eius significatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ: vnde Scientia non est qualitas in Deo, vel habitus; sed substantia, & actus purus.* Propter eandem rationem prosequitur ad 2. *Ea, quæ sunt diuisim & multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter & vniè: homo autem secundùm diversa cognita habet diversas cognitiones: nam secundùm, quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam, Scientiam verò secundùm quod cognoscit conclusiones, Sapientiam secundùm quod cognoscit causam altissimam: consilium, vel prudentiam, secundùm quod cognoscit agibilia. Sed hæc omnia Deus vna simplici cognitione cognoscit: vnde simplex Dei cognitio omnibus illis modis nominari potest; ita tamen, quod ab vnoquoque eorum, secundùm quod in diuinam prædicationem venit, secludatur quidquid imperfectionis est, & retineatur quidquid perfectionis est.*

3 Inde lucem accipiunt verba quoad aspectum difficilia D. Dionysij in Mystica Theologia, cap. 5. de Deo sic loquentis: *Profitemur nec animum esse, nec mentem nec visionem, aut opinionem, vel rationem, vel mentis notitiam habere, nec rationem esse, nec mentis perceptionem.* Idem tenet cap. 7. de divinis nominibus, vbi Deum explicat *ex omnium detractione*, & iterum *sine omnibus*. Cui consonat Damascenus lib. 1. de Fide, c. 4. Per quæ videntur conceptum Scientiæ, & Sapientiæ à Deo removere. Sed intelligendi sunt non de exclusione absoluta; verùm de exclusione comparativa tum ad modum, quo similes conceptus inveniuntur in creaturis, tum ad modum imperfectum, quo eos pro hoc statu cognoscimus, qualitèr in Deo minimè inveniuntur, aut possunt inveniri, cum sic involverent imperfectiones, ab ente infinito, & perfectissimo alienas.

4 Rectam esse explicationem datam divinæ Scientiæ constat ex generali principio, quo probantur boni conceptus explicativi, & definitivi rerum: continet enim prædicata per quæ cum aliis convenit, & prædicata per quæ discernitur ab omni non ipsa, tam realiter quàm formaliter: excluditque quidquid divinæ Scientiæ repugnare potest, ipsam deprimendo ad esse ignobilius: sed conceptus explicativus rei, ita se habens, rectus est: ergo conceptus assignatus divinæ Scientiæ rectus est.

5 Nihilominus aliter adhuc potest explicari, & fortè strictius sub hoc conceptu: *Cognitio comprehensiva omnis scibilis.* Cum sic proponatur prædicatum commune, quo convenit cum aliis cognitionibus; & prædicatum differentiale non vtcumque, sed quod sit radix, cui debeantur cæteræ per-

perfectiones, quæ sunt in ipsa: siquidem comprehensioni debentur certitudo, claritas, simplicitas, & alia huiusmodi, sine quibus stare non potest esse comprehensivam omnis scibilis, seu adæquantem cognoscibilitatem passivam omnis scibilis, ita taliter, vt nullus sit gradus cognoscibilitatis tàm intensivæ, quàm extensivæ in quovis obiecto, ad quæ non se extendat divina Scientia iuxta conceptum proprium comprehensionis, de quo latè egimus Tract. de Visione. Explicationi datæ lucem præbent, ni fallor, Sacræ literæ. Sap. cap. 7. vbi divina Scientia, seu Deus sciens sic proponitur: *Omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus*, id est in se omnia repræsentativè præcontinens, talitèr, vt vel ipsam cognoscibilitatem rerum perfectiorum, & spirituum non subterfugiat, sed potius intra se capiat, & quodammodo cingat.

6 Hìc dubitari potest: an conceptus propositus Scientiæ sit de illa propriè, & strictè accepta; an verò impropriè, & latè? P. Vazq. d. 85. in 1. p. cap. 7. n. 48. respondet: Scientiam tribui Deo propriè prout opponitur *metaphoricè*; non propriè prout opponitur *Scientiæ communitèr dictæ*. Ratio est: quia Scientia propriè sumpta prout *propriè* opponitur *communitèr* essentialitèr includit discursum, & distinctionem conclusionis à cognitione principiorum, & præmissarum, quam vocant intellectum principiorum: sed in divino intellectu repugnat discursus: ergo nec datur Scientia strictè talis, prout contraponitur *cõmunitèr dictæ*, & comprehendenti quamcumque notitiam evidentem. Quod explicat exemplo *iustitiæ*, quæ solùm convenit Deo generaliter dicta, qua ratione comprehendit omnem virtutem sine metaphora acceptionis; ast sine proprietate virtutis specialis Iustitiæ, distinctæ ab alijs, & quæ duntaxat invenitur in creaturis. Scientiæ divinæ proprietatem in omni sensu defendit Illust. Godoy tom. 1. in 1. p. disp. 28. cum pluribus alijs dicens esse sententiam communem Theologorum.

7 Teneo hanc secundam sententiam, quam abs dubio sequitur Eximius D. P. Suarez iuxta ea, quæ docet in opusculis disp. de Iustitia Dei sect. 1. impugnans distinctionem traditam à P. Vazq. termini *propriè* prout opponitur *metaphoricè*, & prout opponitur *communi*. Idem sentire videtur D. Thom. in præsenti art. 1. ad 2. quod sic se habet. *Scientia cum sit conclusionum est quædam cognitio ab alio causata, scilicèt ex cognitione principiorum: sed nihil causatum est in Deo*: ergo *Scientia non est in Deo*. Cui argumento respondet. Verba suprà relata, scilicèt, quod *ea, quæ sunt divisim, & multipliciter in creaturis in Deo sunt simplicitèr, & vnitè*, quasi dicat, tunc cognitionem conclusionum causari ex cognitione principiorum, & præmissarum, quando vna cognitio ab altera distinguitur: vnde formatur ratio probativa quoad mentem S. Thom. Argumentum, quod sibi obijcit procedebat de Scientia strictè, & omni proprietatè accepta: sed hanc Scientiam D. Thom. non negat; imò planè concedit dari in Deo, docetque non esse de ratione omnis Scientiæ causari ab alia cognitione: ergo sentit D. Thom. Scientiam Dei quoad essentiam esse strictè, & omni proprietate talem. Prob. mai. Argumentum procedebat de Scientia conclusionum: sed Scientia conclusionum est conceptus specificus Scientiæ, & non communis: ergo Scientia, de qua procedebat argumentum, est Scientia strictè, & omni proprietate talis.

8 Probatur 1. Conceptus, qui ex Scriptura, & PP. nobis constat convenire Deo, sicut non metaphoricè dum potest; ita omni proprietate dum potest, est accipiendus: sed ex Scriptura, & PP. nobis constat conceptum Scientiæ Deo convenire: ergo omni proprietate dum potest, est accipiendus. Discursus est legitimus, & maior certa ex regulis intelligendi Scripturam, & PP. Minor autem constabit ex omnibus illis locis, quibus probabimus capite sequenti existentiam divinæ Scientiæ. Iam subsumo Conceptus Scientiæ potest omni proprietate accipi in Deo: ergo cum omni proprietate est ipsi tribuendus. Prob. min. subsumpt. Non obstat omnimodæ proprietati alicuius conceptus repugnantia ex parte subiecti, cui tribuitur, ad aliquam differentiam specificam, sub qua contrahi potest talis cõceptus: sed in Deo tantùm datur repugnantia ad differentiam specificam, per quam contrahitur conceptus Scientiæ: ergo in Deo nihil obstat, vt conceptus Scientiæ cum omni proprietate tribuatur. Maior constat in omni conceptu contrahibili per differentias essentialiter oppositas; v. g. *Ani-*

mal, quod propriſsimè tribuitur homini, quamvis ex parte huius detur repugnantia ad irrationalitatem. Probatur min. In Deo tantùm datur repugnantia talitati contractivæ Scientiæ, ad ſpeciem Scientiæ diſcurſivæ: ergo in Deo tantum datur repugnantia ad differentiam ſpecificam per quam contrahitur conceptus Scientiæ.

9 Confirmatur. Divino intellectui non negatur iudicium ſtrictè, & cum omni proprietate, quamvis in divino intellectu ſit repugnantia ad compoſitionem, quæ dum iudicat, invenitur in homine: ergo divino intellectui non debet negari Scientia ſtrictè, & cum omni proprietate, quamvis in ipſo ſit repugnantia ad diſcurſum. Antecedens eſt certum. Prob. conſequentia. Non minus contrahitur ratio *iudicij* per compoſitionem, quam ratio *Scientiæ* per diſcurſum: deindè non minus invenitur in iudicio humano compoſitio, quam in Scientia humana diſcurſus: ergo ſi divino intellectui non negatur iudicium ſtrictè, & cum omni proprietate acceptum, quamvis divinus intellectus repugnet compoſitioni, divino intellectui non debet negari Scientia ſtrictè, & cum omni proprietate, quamvis in ipſo ſit impotentia ad diſcurſum. Vrgetur. Non plus debet eſſe de conceptu Scientiæ ſtrictè, & omni proprietate acceptæ eſſe determinatè diſcurſivam, quàm eſſe determinatè practicam, aut determinatè ſpeculativam: ſed de conceptu Scientiæ ſtrictè, & omni proprietate acceptæ non eſt eſſe determinatè practicam, aut determinatè ſpeculativam: ergo neque eſſe determinatè dircurſivã.

10 Probatur 2. Quia *intelligere* ex ſuo conceptu non dicit imperfectionem, Deo convenit intelligere cum omni proprietate: ſed *ſcire* ex ſuo conceptu non dicit imperfectionem: ergo *ſcire* convenit Deo cum omni proprietate. Prob. min. Id, quod ex ſuo conceptu explicat præcisè perfectionem illius, quod ex ſe nullam dicit imperfectionem eſt id quod ex ſuo conceptu non dicit imperfectionem; ſed *ſcire* ex ſuo conceptu præciſſè explicat perfectionem illius, quod ex ſe nullam dicit imperfectionẽ: ergo *ſcire* ex ſuo conceptu nullam dicit Imperfectionem. Maior apparet certa. Prob. min. Id quod eſt ex ſuo conceptu *perfectè intelligere*, præciſſe explicat ex ſuo conceptu perfectionẽ huius quod eſt *intelligere* ex ſuo conceptu non dicentis imperfectionem: ſed *ſcire* ex ſuo conceptu præciſſe explicat perfectionem huius quod eſt *intelligere*, cum *ſcire* non ſit aliud formaliter quàm *perfectè intelligere*: ergo *ſcire* ex ſuo conceptu præciſsè explicat perfectionem illius quod ex ſe nullam dicit imperfectionem.

11 Reſpondebis: *ſcire* explicare perfectionem intelligendi ad mixtam imperfectioni diſcurſus: nam *ſcire* omni proprietate ſumptum abſquè diſcurſu non eſt: ac proinde ſub eadem conſideratione, & proprietate Deo convenire non poteſt. Sed contra. Quia *ſcire* ſecundùm proprium conceptum abſtractum tàm præſcindit ab imperfectione diſcurſus, quæ reſidet in conceptu *ſcire* ſpecificè ſumpto, quàm conceptus *intelligere* ab imperfectione intelligendi per ſpecies alienas abſtractivè, & ad modum alterius, quæ reſidet in conceptu *intelligere* ſpecificè accepto: ergo ſi *intelligere* ex proprio conceptu non explicat imperfectionem intelligendi abſtractivè; *ſcire*, quod explicat ex ſuo conceptu perfectionem intelligendi, non exprimet talem perfectionem admixtam imperfectioni diſcurſus.

12 Prob 3. contra P. Vazq. Aut convenire Deo Scientiam communiter, eſt convenire ſub conceptu generico, vel quaſi generico Deo, & creaturæ; aut cõceptu communi, & imbibito in alijs attributis, modo, quo apud ipſum dicitur de *Iuſtitia*, quæ non aliter reperitur in Deo, quàm imbibita in alijs attributis, *Fidelitatis*, *Libertatis*, *Miſericordiæ*, &c? Si primum: communitas illa non obſtat, vt Deo conveniat ratio Scientiæ, omni proprietate contracta tali ratione ad ipſum, per differentiam excludentem imperfectionem, quam provt contracta ad Creaturam includit: ſicut non obſtat in conceptu *ſubſtantiæ* communitas, quam in eo conceptu habet cum creatura. Si ſecundum eſt falſum: ſi quidem attributum *Scientiæ* eſt ex ſe formaliter diſtinctum ab omni alio attributo, quod non ſit formaliter pars ipſius: quomodo *Sanctitas* convenit Deo propriè, & ſpecificè, & ſi ſub ſe contineat in conſideratione formali duas quaſi partes, videlicet impeccabilitatem, & radicem virtutum totius operationis rectæ: ergo *Scientia* non tantùm convenit Deo *propriè* prout opponitur *metaphoricè*; verum prout opponitur *communiter*.

13 Præ-

13 Præterea distinctio hæc vsurpata ab hoc Authore termini *propriè* prout oppositi *metaphoricè*, & prout oppositi *communiter* difficultate non caret ex eo, quod proprietas excludens metaphoram in ratione communi est proprietas contrahibilis per differentiam specificam: sed proprietas rationis contrahibilis per differentiam specificam, est proprietas, quæ dùm sic contrahitur non modò opponitur *metaphoræ*; sed *communitati*: ergo *propriè* sumptum in aliqua ratione prout opponitur metaphoricè, impræscindibile est à *propriè* sumpto prout opponitur *communi*. Explicatur. Quia ratio *Animalis* communis homini, & Equo excludit metaphoram in ratione talis, & genericè acceptæ, contracta aut per differentiam *hinnibilitatis* ad Equum; aut per differentiam *rationalitatis* ad hominem, convenit homini, & equo, non modò *propriè* prout opponitur *metaphoricè*; sed *propriè* prout opponitur *communiter*: ergo si ratio Scientiæ in Deo *propriè* est proprietate opposita metaphoræ, contracta per differentiam specificam, vt necessariò debet contrahi, erit *propriè*, & in omni sensu proprietate excludente omnem improprietatem.

14 Obiic. 1. De ratione Scientiæ strictè, & propriè acceptæ est discursus: sed discursus in Deo repugnat: ergo Scientia strictè, & propriè sumpta Deo non potest convenire. Prob. mai. ex definitione Scientiæ strictæ, & propriè acceptæ, qua dicitur: Scientia est *habitus per demonstrationem acquisitus*: sed demonstratio includit discursum: tum quia includit syllogismum: tum quia includit conclusionem derivatam ex præmissis: ergo de ratione Scientiæ strictè, & *propriè* acceptæ est discursus. Huic argumento respondet Godoy: de ratione Scientiæ esse discursum formalem, vel virtualem; non verò determinatè formalem: vndè cum in Deo non repugnet discursus virtualis, nec repugnat Scientia strictè, & *propriè* sumpta. Cæterum non est necessarium coarctare solutionem ad specialem sententiam de discursu virtuali, qui sub lite est: an Deo possit convenire.

15 Respondeo. Obiectionem si aliquid probat, probare quidem: Scientiam nulla proprietate Deo convenire, tantumque metaphoricè de ipso prædicari: nàm, vt inquit Suarez vbi supra: ea, quæ ex suo conceptu formali dicunt imperfectionem, tantùm metaphoricè possunt tribui Deo, veluti pœnitentia, & alia huiusmodi: deindè nego maiorem: nàm de ratione Scientiæ strictè, & propriè talis tantum est, quod sit *cognitio certa & evidens*, pro quo non est opus discursus, licèt in aliqua specie Scientiæ strictæ valeat cum discursu coniungi. Ad mai. probat. disting. mai: Scientia strictè sumpta *in aliqua specie* definitur: *habitus per demonstrationem acquisitus* concedo mai. Scientia *genericè*, *aut in omni specie* neg. mai: & permissa minori, neg. conseq. Permissi minorem: quia in rigore, sicut de ratione Scientiæ non est discursus, ita de ratione demonstrationis discursus non est, sufficit enim pro demonstratione, quod sit *cognitio evidens rei, vel per principium, vel per effectum, vel per fundamentum connexionis cum ipsa*: qua ratione dividitur demonstratio in *apriori, posteriori, & commitanti*, quæ ex se non requirunt discursum; benè tamèn cum discursu possunt coniungi, vt coniunguntur in ea demonstratione, quæ subijcitur regulis Logicæ.

16 Obiic. 2. Si Scientia strictè sumpta esset præcisse ex suo conceptu formali cognitio evidens, omnis actus divini intellectus esset Scientia strictè sumpta: sed non omnis actus divini intellectus est strictè scientia: ergo quia Scientia strictè sumpta aliquid amplius includit, quod non potest aliud esse, quam discursus, vel formalis, vel saltèm virtualis. Prob. min. ex verbis D. Thom. iam citatis dicentis ad 2. *Cognitionem divinam secundùm, quod cognoscit principia dici intelligentiam: secundùm, quod cognoscit Deum, vt causam, esse Sapientiam, & secundùm, quod cognoscit conclusiones esse Scientiam*: ergo non omnis actus divini intellectus saltèm formaliter acceptus est strictè Scientia, aliàs sub omni hac triplici consideratione esset dicendus Scientia. Resp. Concess. mai. neg. min. Ad cuius probat. dicendum: rationem Scientiæ strictè sumptæ esse contrahibilem per differentias *Intelligentiæ*: *Sapientiæ*: & *Scientiæ*: vndè actus divinus formaliter sumptus in quantum cognoscit principia, dicitur *intelligentia*: in quantum cognoscit primam causam dicitur *Sapientia*, & in quantum cognoscit conclusiones dicitur *Scientia*, non per inclusionem rationis Scientiæ strictè acceptæ, in vno extremo, & per exclu-

ſionem eiuſdem rationis in alijs; ſed per contractionem rationis communis Scientiæ ſtrictè acceptæ per tres differentias illius deſumptas ex modo obiectorum, quæ ſine diſcurſu aliquo percipiuntur per id ſolum, quod divina Scientia repræſentet Deum, à quo omnia vel realitèr, vel formaliter diſtinguntur, quod addo propter attributa, quorum eſt radix formalis divina eſſentia: inſuper, quod repreſentet connexionem cuiuſvis cum alio, & demùm terminum connexionis ex vi cognoſcendi connexionis fundamentum.

17 Nec vim faciat, rationem Scientiæ applicari à D. Thom. cognitioni divinæ prout repræſentanti duntaxat concluſiones, ex quo videtur ſignificare, rationem Scientiæ potius eſſe differentiam contractivam alterius rationis communis *Sapientiæ*, *Intelligentiæ*, & *Scientiæ*, quàm ipſam rationem communem Scientiæ contractam ad hæc extrema, vt nos dicimus. Quia novum non eſt, per rationem aliquam communem, ſeu per expreſsionem illius explicare differentiale, quod eſt ſub tali ratione. Sic tertia Trinitatis Perſona explicatur per rationem communem *Spiritus Sancti*, quæ in alijs Perſonis invenitur, non vt confuſa cum Patre, & Filio; ſed prout diſtincta ab illis realitèr, & notabilitèr, differens: quomodo etiam nomen, & ratio Scientiæ ſtrictè, quæ ſunt communia cognitioni ſupremæ, & altiſsimæ cauſæ principiorum, & concluſionum tribuitur cognitioni divinæ, prout formaliter repræſentanti vnum in alio, & ex vi cognoſcendi aliud.

18 Hinc colliges 1. contra Durandum in 1. diſt. 35. q. 3. n. 15. & q. 4. n. 6. cognitionem divinam reſpectu cuiuſcumque obiecti, quod attingit, eſſe Scientiam *ſtrictè* ſumptam, cum ſit cognitio clara, & evidens cuiuſvis: quare diverſitas nominum, quibus explicatur, inventa eſt ad diſcernendas differentias, quas per reſpectus ad diverſa obiecta continet. Colliges 2. Aliter ſentiendum eſſe de ratione demonſtrationis, ac de ratione Scientiæ: nam licèt cognitio divina ſecundùm quemvis reſpectum expreſsivum obiecti ſit Scientia, non tamèn eſt formaliter demonſtratio: inſuper quamvis omnis demonſtratio formaliter ſumpta ſit Scientia; non ſic omnis Scientia formaliter ſumpta eſt demonſtratio. Ratio vtriuſque eſt: quia demonſtratio eſt cognitio oſtendens vnum per aliud, ſeù cognoſcens vnum in alio, ſivè à priori, ſivè à poſteriori, ſivè à comitanti, in quo imbibitur ratio Scientiæ ſtrictè ſumptæ; at non omnis reſpectus divinæ cognitionis etiam ſi ſcientificus, eſt reſpectus exprimens vnum propter aliud ſivè à priori, ſivè à poſteriori, ſivè à comitanti, in quo eſt ratio demonſtrationis: ergo licèt valeat: *Eſt demonſtratio*: ergo *cognitio, & Scientia*; ſecus: *eſt cognitio, & Scientia*: ergo *demonſtratio*. Loquendo in ſenſu formali.

CAPVT II.

De exiſtentia divinæ Scientiæ.

19 NOn defuerunt ignorantiſsimi aliqui, qui Deo Scientiam negarunt, quos ſupreſſo nomine refert D. Thom. de verit. quæſt. 2. art. 1. corp. & eorum error dupliciter proponitur: namque primò dixere nonnulli: per hoc, quod Deo Scientiam tribuimus, vel aliquid huiuſmodi, nihil in eo poni, ſed tantùm denotari eſſe cauſam creatę Scientiæ, talitèr, vt ea tantum ratione Deus ſcire dicatur, qua creaturis Scientiam infundit. Dixerunt alij ſecundò: Scientiam, & alias ſimiles perfectiones tribui Deo non alitèr, quàm per quandam ſimilitudinem, ſicut ei tribuitur ira, dolor, & pœnitentia, non quia in Deo ſint; ſed quia punit, quemadmodum homines irati puniunt: deſtruit opus, quod fecerat, ſicut accidit hominibus, quando eos pœnitet prioris facti, & conſilij: Deus itaque ſciens dicitur, quoniam artificioſiſsima, mirabilia, perfectiſsima, & ſuis principijs, ac finibus congruentiſsima opera facit, qualitèr ſolent homines ſcientes diſponere, & operari, vterque iſte modus explicandi divinam Scientiam facile ſe oſtendit erroneus, & falſiſsimus ex eo, quod iuxtà illos, Deus non propriè; ſed metaphoricè Scientiam, ſapientiam, ſivè intellectionem haberet: nec magis eſſet ſapiens, quàm eſt ignis, corpus, aut lapis, & reliqua omnia, quæ cauſat, aut metaphoricè de illo tantùm dicuntur, quod repugnat ſacris litteris, PP. & rationibus, vt iam oſtenditur.

20 Itaque Scientiam dari in Deo, eſt veritas fidei, quam tota Scriptura clamat, tum implicitò quoddammodo: quia

quia tota ipsa est verbum Dei docentis, imperantis, promittentis, aut comminantis: neque quispiam potest destitutus intellectuali cognitione loqui verbo, vel scripto, sicut nec docere, imperare, comminari, aut promittere. Insuper neque fides ei adhiberi posset tanquam infallibili, si loquutio esset non innitens cognitione certissima illius, qui omnia prout sunt in se intuetur, & testimonium menti infalsificabili non posset disconformare: tum expresè pluribus in locis, vt 1. Reg. cap. 2. *Deus Scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Sther cap. 14. *Domine qui habes omnium Scientiam.* Job cap. 9. *Sapiens corde est, fortis robore.* Psalm. 50. *Incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* 146. *Sapientiæ eius non est numerus.* 138. *Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua.* Proverb. cap. 3. *Dominus Sapientia fundavit terram, & stabilivit cœlos prudentia.* Ad Rom. cap. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Et cap. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei.* Ad Colosens. cap. 2. *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei.* Omissis aliis innumeris, quorum agmen claudit P. Ruiz. Vnum pro cunctis proponens ex Psalmo 72. vbi tanquam stultissima blasphemia notatur, quod impij dixerunt: *Quomodo scit Deus, & si est Scientia in excelso?*

21 Non latuit hæc veritas antiquos Philosophos, & Sapientes ex evidentia naturalis luminis censentes, Deitatem à Scientia esse inseparabilem, etiam quando Deitatem ex multiplicitate, & alijs capitibus deturpabant. Pro ea stant Plato, Hermes Trismegistus, & Aristoteles pluribus in locis, & vt apud Raynaudum refert Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. cap. 1. Pythagoras scripsit, solum Deum esse Sapientem, idque illi fuisse causam commutandi superbum *Sophi* nomen in *Philosophi* nomen, tenet Laertius lib. 1. qui ibidem scribit, non aliud motivum fuisse Soloni, vt tripodem aureum à Milesijs Piscatoribus iactu retis inventum, & adductum, Apollinisque oraculo *Sapienti adiudicatum, sibique tandem, vt sapienti tributum, Apollini ipsi remitteret.* Deum primum esse Sapientia asserens, & talem in cuius conspectu sapientis nomine omnis alius sit indignus. Socrates etiam in Apologia solum Deum esse sapientem præclarè confirmat, sequè idcircò Apollinis oraculo sapientissimum audisse ait, quod solus cognoverit, nec se, nec vllum mortalium, sed Deum solum esse sapientem.

22 Vtque altè insideret omnium animis divina Sapientia veluti præclarum Deitatis ornamentum ab ea nomen *Theos* Deo tribuerunt, quod à *Theaste*, id est, videre, vel à *Thei*, quod est disponere, deducitur: qua significatione impulsus D. Dyonis. de divinis nominibus, cap. 12. ait. *Divinitas est omnia contemplans providentia.* Et Damasc. lib. 1. Fidei, cap. 12. in medio. *Theos*, inquit: *vel à Thein id est currere, & disponere vniversa: vel ab Aithein, id est, vrere, Deus enim ignis est, omnem malitiam consumens: vel à Theaste, id est, intuendo omnia: nam nihil eum latere potest; imò omnium inspector est.* Etiam D. Athanas. Dialogo 1. contra Macedonium, inquit: *Vocabulum Deus naturam significat omnia contemplantem, aut providentem.* Sed quid mirum, politiores Philosophos ita sensisse, quando omnium gentium, sivè veri, sivè innanis & superstitiosi cultus cognitionem Numini, aut vnico, aut multiplici, quod venerabantur, semper detulerint. Alitèr frustrà, vel iratum placare sacrificijs, vel ab eo per preces impetrare beneficia studerent, si Deum cunctorum, quæ fiunt, ignorantem constituerent. Vndè concludit D. August. libr. 1. de Doctrina Christiana, cap. 8. *Nemo est enim tàm imprudenter insultus, qui dicat: vndè scis incommutabiliter, sapientem vitam commutabili esse præferendam? Idipsum, quod interrogat, vndè Scientiam omnibus ad cotemplandum communiter, & incommutabiliter præsto est, & hocque non videt, ita est quasi cæcus in Sole.*

23 Iam ratione naturali ostenditur à priori, & à posteriori. A priori quidem: quia ex communi omnium conceptione, Deus est ens, quo nihil melius, aut excellentius excogitari potest; docente August. lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 7. *Cum ille vnus cogitatur Deorum Deus ab his etiam, qui alios, & suspicantur, & vocant, & colunt Deos, sivè in Cœlo, sivè in terra, ità cogitatur, vt aliquid, quo nihil melius sit, atquè sublimius illa cogitatio conetur attingere.* Et aliquibus interiectis: *Omnes tamèn pro excellentia Dei certatim dimicant: nec quisquam inveniri potest, qui hoc credat esse quo melius aliquid est: itaquè hoc omnes consentiunt esse, quod cætevis omnibus anteponunt.* Et D. Anselm. in Monologio, cap. 14. *Deum esse quidquid tale est, vt ipsum omnino melius sit,*

quàm

quàm non ipſum. Sed Deus ſciens, & ſapiens melior eſt Deo non ſciente, & ignorante, vt per ſe patet, & conſtat ex Ariſtotele lib. 12. Metaph. cap. 9. text. 51. illis verbis: *Sive nihil intelligat; ſed ità ſe habeat, vt dormiens, quidnam præcellens erit?* Et poſt: *Se ipſum ergo intelligit, ſi eſt quidem quod optimum eſt*: Ergo Deus, qui neceſſariò exiſtit, vt optimus, neceſſario etiam eſt ſciens, ſapiens, & intelligens. Confirmatur: *Vniverſa*, ait Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 4. *Rerum natura proclamat, ſe habere præſtantiſsimum conditorem*: ſed non eſſet præſtantiſsimus conditor, ſi ei deficeret ſciendi, & cognoſcendi perfectio: ergo de facto in Deo perfectiſsimo Scientia exiſtit.

24 A poſteriori ex creaturis, quorum coordinatio, pulchritudo, & admirabile artificium adeò clarè manifeſtat Conditoris, & Gubernatoris ſupremi intelligentiam, vt iurè, eis attentis, dixerit D. Athanaſ. oratione contra Gentes in fine, *quod ſi quis dubius*, increduluſque inquirat: *Num omninò ſit aliqua ratio in Deo, is ipſe nulla ratione vti non iniuria cenſebitur.* Nec dicat aliquis hæc, provenire ex intrinſecis rerum inclinationibus, quibus feruntur in ſuos fines abſque vlla directione, & providentia Agentis ſuperioris. Nam ipſa temperatio inclinationum, vt conſiſtat vniverſus ex ipſa contrarietate, & diſpoſitionum æquilibrio, vndè proveniret, niſi eſſet aliquis ſciens ita diſponens raraque eſſet ſtultitia in creaturis, Scientiam, & directionem intellectualem ad proprios fines experiri, & eam ſupremo, & perfectiſsimo Artifici denegare, iuxta illud Pſalm. 93. *Intelligite inſipientes in populis, & ſtulti aliquando ſapite: qui plantavit aurem, non audiet, aut, qui finxit oculum, non conſiderat, qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem Scientiam?* Accedunt, quæ benè ponderavit, Durand. in 1. diſt. 35. quæſt. 1. ſcilicèt, ad perfectiſsimum cauſandi modum, qualis Primæ, & ſupremæ cauſæ debet concedi, pertinere operari per artem, per electionem, & ex præſtituto fine, quę ſine cognitione ſtare nequeunt. Vltimò, perfectum Dei dominium, perfectæque virtutes morales, quæ Deo conveniunt, vt meritorum retributio, delictorum punitio, beneficentia, liberalitas, & cætera huiuſmodi perfectam rerum cognitionem in Deo evidentiſsimè ſupponunt.

25 Ex quibus conſtat, clariſsimum eſſe rationis naturalis lumini, Deum perfectiſsimè intelligentem, & ſcientem exiſtere, nec minus evidenti rationi repugnare, negare Deum eſſe, quàm ſcire, vt cum Salviano concludam libr. 4. de Providentia ad illa Davidis verba. *Non videbit Dominus, nec intelligit Deus Iacob*, aiente: *ad quos vtiquè illud referri poteſt: dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: nàm qui nihil à Deo aſpici affirmant propè eſt, vt cui aſpectum adimunt, & ſubſtantiam tollant, & quaſi dicunt, omninò nihil cernere, omnino nihil eſſe.*

26 Tamen in contrarium objici poteſt. 1. Damaſc. qui lib. 1. Fidei cap. 15. propè medium, & iterùm poſt medium dicit: *Dicitur Deus intellectus, & ratio, & Spiritus, & ſapientia tanquam omnium horum cauſa*: ergo Deus non alitèr habet Scientiam, & Sapientiam, quàm quia eam in nobis cauſat. Reſpondeo. S. Damaſcenum in eodem libro 1. cap. 12. & cap. 19. clariſsimè docere, Deum perſpicaciſsimè videre omnia: quarè intelligendus eſt, Deum vtroque modo habere Scientiam, ſcilicèt, & formalitèr, & cauſativè, ſeu præcontentivè: formalitèr in quantum omnia clariſsimè intuetur: cauſativè, & præcontentivè, in quantum Scientiam creatam cauſat, & in ſua virtute præcontinet, quæ inter ſe non repugnant, vt conſtat ex mente D. Dyoniſij cap. 7. & 11. de divinis nominibus: nec contra concluſionem aliquid probant, dum non oſtendatur, dixiſſe S. Doctorem tantum eſſe in Deo Scientiam cauſalitèr, quod neque oſtenditur, neque oſtendi poteſt.

27 Obijci poſſunt 2. PP. multotiès exponentes illud Geneſ. cap. 22. *Nunc cognovi, quod timeas Deum*, id eſt, *nunc feci, vt cognoſcas.* Ita D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. 4. de Geneſ. ad litteram cap. 9. & lib. 1. quæſtionum ſuper Geneſim, quæſt. 57. Nec non lib. 16. de Civit. cap. 5. Gregorius lib. 21. Moralium cap. 5. & Hilarius libr. 9. de Trinitat. cum alijs pluribus, quos citat Ruiz diſput. 70. ſect. 6. ergo quia non alium modum ſciendi agnoverunt in Deo, quàm cauſare cognitionem, & Scientiam in creaturis. Reſpondeo 1. ſicut in præcedenti, nullum eſſe inconveniens in eo, quod PP. aliquandò explicent divinam Scientiam cauſativè, & per effectum Scientiæ creatæ, quem in ſe præcontinet, dummodò non dicant, hoc modò tantum Dei Scientiam eſſe intelligen

ligendam, quod non dicunt, imò toti sunt in persuadendo oppositum, vt passim videbit, qui Sanctorum PP. scripta consulat. Respond. 2. Quod cum in præsenti sacræ litteræ proponant divinam cognitionem, eam explicando more hominum, qui ex rei experientia novam cognitionem temporalitèr accipiunt: *nunc cognovi*, id est, *nunc re ipsa expertus sum: loquitur enim Deus hìc more hominum, qui cuius rei periculum fecerunt, id se perfectè putant novisse*, inquit P. Cornelius: Id circò PP. Scientiam, & cognitionem Dei per effectum explicarunt, ad denotandum mutabilitatem, & inceptionem, quam particula *nunc* videtur innuere esse affectiones proprias obiectorum, & Scientiæ creatæ, quæ cum limitatione existunt; non vero divinæ Scientiæ, quæ etiamsi contingens sit, semel ac existit, semper existit, quin de illa possit verificari: *Nunc non est, erit, aut nunc non est tamen fuit aliquando.*

28 Obijci potest 3. De ratione intelligentis saltem perfectissimè est producere verbum, sumpto verbo pro termino intellectionis: sed non est evidens naturali lumini, Deum producere verbum: ergo saltem non est evidens eidem lumini Deum esse intellectivum in actu secundo, & habere scientiam. Insto: de ratione primæ causæ est non cõnecti cum possibilibus, aut se applicare ad concurrendum cum creatura, ipsam prædeterminando: sed non est evidens naturali lumini non connecti cum possibilibus, aut prædeterminare: ergo neque est evidens naturali rationi existere primam causam: Respondeo inevidentiam Dei, vt productivi verbi, in tantum impedire posse evidentiam Dei vt scientis, & cognoscentis, in quantum evidens esset naturali lumini requiri ad cognoscendum, nam cui evidens non sit existere id quod evidenter requiritur ad aliud non potest esse evidens existere aliud: sed non est evidens requiri productionem verbi ad cognoscendum: ergo inevidentia productionis verbi non obstat evidentiæ divinæ cognitionis, & Scientiæ vt existentis: aliunde non repugnat evidentia vnius rei sub vno conceptu, & non sub alio, vt patet in præsentia, & duratione, quæ nobis constat evidenter existere; nec nobis constat evidenter in quo consistat, & sic in alijs: ergo rectè potest nobis esse evidens, Deum scire, & cognoscere, & si evidens nobis non sit, verbum producere.

29 Obijci potest 4. saltem non posse esse de fide dari in Deo Scientiam: quia cum Scientia sit vnum è constitutivis divinę authoritatis in dicendo, propterquam creduntur revelata, non poterit Scientia esse simul credibilis per fidem: alias Scientia esset ratio assentiendi revelationi de ipsa Scientia, quæ non aliter constaret, quam per ipsam revelationem: vnde committeretur circulus inexplicabilis, taliter vt Scientia crederetur, quia est revelata, & revelatio esset digna fide quia daretur Scientia, quæ aliundè non constat nisi per revelationem. Argumentum hoc commune est omni attributo divino, constituenti authoritatem infallibilem Dei. Respondetur negando assumptum, cuius probatio facilè eluditur in nostra sententia asserente, quodvis prædicatum divinum cognitum, vt tale, esse adequatum constitutivum divinæ authoritatis, ita vt nullum determinatè requiratur: hinc evitabitur absque vlla opera circulus propositus dicendo, assensum revelationis proponentis Scientiam non inniti authoritati constitutæ per ipsam Scientiam; sed per quodvis aliud Dei prædicatum, cum omnia sint opposita falsitati divinæ loquutionis. Verùm permisso cum communi, sciẽtiam debere esse determinatè requisitam pro constitutivo divinæ authoritatis, adhùc non vrget difficultas tacta, nequè ad circulum cogit: nam cum Scientia Dei non vnicè constet nobis per revelationem, sed per alia motiva, ipsa prout sic proposita, movet ad fidem revelationis sui, & creditur propter revelationem infallibilizatam per ipsam, non vt revelatam; sed vt propositam per alia motiva; quo vitatur intentus circulus. Sufficiant hæc pro re extranea huius tractatus, longius exponenda in propria sede, dum de Fide Theologica differamus.

30 In fine capitis notare placet addidisse Herice, quem sequutus est Magist. Albiz apud Ortega, esse de fide certum, lumine naturali cognosci posse dari in Deo Scientiam, quod probat ex Paulo ad Rom. cap. 1. ibi. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & divinitas.* Quæ verba sic explicat: *quod notum est Dei*: hoc est, quod in

Deo

Deo naturali lumine ſine ſupernaturali illuſtratione attingi poteſt, *Manifeſtum eſt in illis*, id eſt, & cognoſcitur iam, & cognoſci debuit per Creaturam Mundi intellectu conſpectam, non per Angelos, non per Prophetas, aut per Scripturam, itaque licèt omnia Dei, niſi ſupernaturali lumine cognoſci poſſint, quædam tamen, quæ Dei *nota* Paulus appellat, & cognoſci poſſunt, & Gentes illa cognoſcunt: hæc autem ſunt *inviſibilia Dei*, id eſt, divina attributa, vt eſſe *æternum, immenſum, omnipotentem, omniſcium, & maximum*, &c. Nec quovis gradu cognitionis, ſed ea certitudine, & claritate, vt concludat Apoſtolus, ita vt *ſint inexcuſabiles*: ergo revelatum eſt per Apoſtolum, Scientiam Dei poſſe naturali lumine cognoſci.

31 Totus eſt P. Ortega in probando contra Herice non eſſe revelatum, Scientiam Dei eſſe demonſtrabilem ratione naturali, vel quia non eſt revelatus diſcurſus naturalis, vt demonſtrativus, vel quia locus D. Pauli intelligi commodè poteſt de ſola morali certitudine, & probabiliſsimo diſcurſu, vel quia licèt concedatur, verba Apoſtoli demonſtrationem Phyſicam, & Metaphyſicam ſtrictam ſignificare, non quidem Scientiæ Dei; ſed exiſtentiæ Dei vnius, maieſtatis, & omnipotentiæ, vt verba ſonant. Ex his duo prima non ſunt contra Herice, qui nec verbum habet de naturali demonſtratione; ſed de naturali lumine, quod admittit latitudinem prætenſam in impugnatione vſquè ad certitudinem moralem, qua fierent inexcuſabiles. Tertium eſt apparentius: ſed reſponderi poteſt per ly *inviſibilia* explicaſſe Apoſtolum omnia attributa ſpiritualia, quorum vnum eſt *Sapientia*: & per ly *ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas* appoſuiſſe exemplum de omnipotentia, quaſi dicens: non loquor tantùm de divinitate; ſed de eius attributis. Si replicetur, id tantùm eſſe oſtendere probabilitèr revelationem, quod opponitur cum eo, quod ſit de fide, iuxta propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. quæ ordine eſt vigeſsima prima; dici poteſt, hic non accipi *eſſe de fide*, ſtrictè pro eo, quod poteſt, aut debet credi fide divina; ſed pro eo, quod eſt revelatum, quamvis revelatio non ſit pluſquam probabilitèr propoſita.

32 Vrgentius poteſt opponi ex Cornelio Alapide in præſenti idem Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 1. verſ. 21. vbi videtur docere oppoſitum, dicens: *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Cui obiectioni reſpondetur ex ipſo, Paulum loquutum fuiſſe de cognitione practica Dei coniuncta cum Dei amore, & cultu; non de cognitione ſpeculativa, de qua procedebat dictum Apoſtoli alio in loco.

CAPVT III.

Proponitur ratio D. Thomæ, qua probat, Deum eſſe ſummè cognoſcitivum, eiuſquè efficacia expenditur.

33 QVAMQVAM veritas exiſtentiæ divinæ Scientiæ non egeat novis motivis, vt omnibus ſit notiſsima, non eſt prætermittenda ratio, qua, vt efficaciſsima vſquè ad evidentiam vſus eſt D. Thom. pluribus in locis, vt in hac quæſt. 14. art. 1. contra Gentes 1. cap. 44. de verit. quæſt. 2. art. 2. & opuſc. 3. cap. 28. & 35. Tum proptèr reverentiam debitam Angelico Magiſtro, & Scholarum Principi. Tum quia non caret fructu eius ſedula indagatio: aſſumit ergo pro medio ad probandum cognoſcitivum *immateriale*, & penès exceſſum huius colligit exceſſum alterius: vnde concludit, quòd Deus, qui ob ſuam infinitam perfectionem eſt ſummè immaterialis: per conſequens debet eſſe ſummè, & infinitè cognoſcitivus. Probationis forma ſic ſe habet: Immaterialitas eſt ratio intellectualitatis, ſeu cognoſcibilitatis: ſed Deus eſt ſummè immaterialis: ergo habet ſummam, & perfectiſsimam intellectualitatem, & cognoſcibilitatem; ac per conſequens eſt infinitè cognoſcitivus. Conſequentia tenet; minorem ſupponit probatam, & maiorem in qua ſtat diſcurſus difficultas ſic variè probat.

34 Primo in hac quæſt. 14. art. 1. Cognoſcere eſt quædam illimitatio, & non coarctatio per quam cognoſcens diſtinguitur à non cognoſcente, cum non cognoſcentia nihil habeant, niſi

ſuam

suam formam tantum ; cognoscentia vero nata sint ad habendam formam, etiam rei alterius: nam species cogniti est in cognoscente, ideòque natura cognoscentium habent maiorem amplitudinem, & extensionem, dicente Philosopho 3. de Anima, *quod anima est quodammodo omnia*: Vndè manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata, & limitata: sed formæ illimitatio provenit ab immaterialitate, nam constituitur per oppositum illius, à quo provenit limitatio nempè à materia: ergo immaterialitas est ratio illimitationis, & extensionis ad formas aliorum, in qua formaliter est intellectualitas; ac per consequens ratio immaterialitatis est ratio intellectivi. Pergit: Sed iuxta gradum, & modum immaterialitatis, & illimitationis est gradus cognoscitivi: ergo Deus summè immaterialis est summè, & infinitè cognoscitivus.

35 Probat. 2. In eodem articulo ab inductione. Nam vt dicitur à Philosopho lib. 2. de Anima, text. 124. Plantæ non cognoscunt propter suam immaterialitatem; sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus specierum sine materia, & intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est à materia; & immixtus vt dicitur 3. de Anima à textu 4. vsquè ad 7. Vndè cum Deus sit in summo immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis. Probat. 3. libr. 1. contra Gent. cap. 44. intellectus dum actu intelligit, fit vnum cum re intellecta; sed fit res intellecta in actu per abstractionem à materia; cum fiat intellecta per speciem, quæ abstrahit à materia: ergo intellectus dum intelligit, fit vnus cum re immateriali, seu abstrahente à materia, ac per consequens fit immaterialis ea ipsa ratione, qua est intellectivus.

36 Hæc est ratio D. Thom. quam Caietanus vocat arduum, & difficile fundamentum. Inefficacem reputant apud Herrera Okam, Gabriel, Basolis, Ariminensis, Puente Hurtado in manuscriptis de Scientia, Arriaga in 1. part. disp. 45. sect. & sub sect. 1. & apud RR. Peñafiel cum aliis. Eam prætermittunt Franciscus de Lugo, Alarcon, & Izquierdo. Alij purè referunt, vt Granados. Efficacem iudicant communitèr tam PP. Dominicani, quàm nostri: sic Cayetanus, Bañez, Nazarius, Capreolus, Ferrara, Molina, Eximius, Suarez, Arrubal, Ruiz, Fasolus, & multi alij, quos citat, & sequitur Riyadeneyra, disp. 1. de Sciencia, cap. 2. quibus adhæret P. Herrera, quæst. 1. de Scientia, sect. 3. & frequentèr RR. Non contenti efficacia probabilis discursus RR. alij discipuli D. Thom. censent, esse demonstrationem, quod difficilè est ostendere, tum propter AA. divisionem, tum ob obscuras satis, & difficiles explicationes *immaterialitatis*, in quibus, cum vix sit aliquid non expositum controversiæ, nihil est aptum firmitati demonstrationis. Denique RR. nostri huius Vniversitatis olim dignissimi Primarij relatis, & impugnatis celebrioribus modis exponendi mentem D. Thom. fatentur ingenuè, se non capere rationis vim, licèt cum veneratione, vt par est, fundamentis, tradditis à D. Thom. accipiant: in quo sequuti sunt P. Ortega, qui controv. 2. de Scientia, disp. 2. q. 1. certamine 1. dicit, se potius ob authoritatem solam D. Thom. quàm propter principia, quæ non percipit, discursui D. Thom. consentire.

37 Difficultas huius rationis Angelici D. quæ non parùm torsit interpretum ingenia, oritur ex obscura intelligentia *materialitatis*. Eam sic proponit Quirós tom. 1. in 1. p. disp. 34. sect. 4. n. 4. Primo: quia dum dicit, coarctationem ad formam propriam provenire à materia, vel loquitur de coarctatione ad receptionem physicam, & sic quelibet res, quantumvis spiritualis, coarctatur ad esse proprium, & singulare; vel loquitur de receptione per assimilationem intentionalem, & ita cum tale recipere, sit formaliter cognoscere, erit manifesta petitio principij, probans idem per idē: secundo, hoc quæritur: cur potius materiale incapax sit receptionis intentionalis; quàm immateriale? præcipuè cum Bruta materialia sint capacia huius receptionis, seu cognoscitiva. Tertiò, cum immateriale neget materiam omnem, quomodo Deus est immaterialior Angelo, qui non constituitur ex materia, neque ex ordine ad illam? Quartò: immateriale salvatur per quamcumque negationem materiæ: negatio autem materiæ nihil iuvat ad cognitionem, vt patet in carentijs, quæ sine materia sunt, in vbicatione Angelica, charactere, & gratia habituali, quæ licèt spiritualia, & immaterialia, vim tamen cognoscendi non habent.

38 Vrgent RR. *Immaterialitas*, quam

quam assumit pro medio ad probandum cognoscitivum, non est *spiritualitas*, & independentia à materia: quia immaterialitas, de qua in argumento, communis est omni cognoscitivo; spiritualitas verò, & independentia à materia non est communis omni cognoscitivo: siquidem Brutorum animæ cognoscitivæ sunt, quin sint spirituales, & independentes à materia: neque accipitur pro sola capacitate recipiendi vtcumque species intentionales, quæ sunt formæ rerum cognoscibilium: quia multa, quæ cognoscitiva non sunt, recipiunt in se tales formas, vt aër, aqua, & speculum: nec consistit in capacitate recipiendi tales species vtilitèr ad percipiendum obiectum seu modo intentionali, & repræsentativo: nam sic argumentum supponeret probandum propterea quod capacitas ad recipiendas species modo vtili, & repræsentativo est capacitas recipiendi ad cognoscendum, in quo involvitur capacitas intelligendi, & cognoscendi, quæ probari debuerat. Deindè: quia S. Thom. non arguit ex hac capacitate virtutem cognoscendi, sed prius ex immaterialitate tamquàm ex radice, & ratione à priori, colligit amplitudinem, & capacitatem recipiendi formas, & species aliarum rerum. Quid ergo est ista *immaterialitas* asserta, & illa *materialitas* negata?

39 Addimus nos 1. Immaterialitas de qua procedit argumentum, habet infimum, quo deficiente, paritèr deficeret cognoscitivum; & habet summum extra quod progredi nequit cognoscitivum: iam rogo: cur infimum non participent Plantæ, cum participent Bruta. Et summum non inveniatur in Angelo, sicut invenitur in Deo? 2. Si immaterialitas est illimitatio & extensio ad formas, quid magis illimitatum, & extensum ad formas non in imagine; sed in se ipsis, quàm ipsa materia, quæ est subiectum transmutationis formarum, saltèm secundùm se, & prout præscindit à quantitate? Quomodo igitur limitatio, & inextensio provenit à materia? 3. Anima, iuxta Phylosophum, cognoscendo fit ea, quæ cognoscit: ergo materia recipiens formas Brutorum, aut informata animâ rationali extenditur ad id, quod est plurium forma: ergo non minus materia, quàm forma est illimitata, & cognoscitiva. 4. Nàm data vtilitate, & efficacia medij *immaterialitatis* ad probandum cognoscitivum: quid pro Scientia, & cognitione actuali, & per modum actus secundi, cuius existentiam in Deo probare nititur argumentum? Præcipuè, cum principium radicativum operationum non sit argumentum coniunctionis actualis cum operatione, vt plures discipuli D. Thom. & cum illis Illust. Godoy, concedunt in Cœlo Empyreo, quod est principium operandi radicalitèr; non verò proximè: ideoque absque vlla operatione existit, & in cognoscitivis ex se deficit aliunde non rarò exercitium cognoscendi: igitur argumentum est diminutum ad probandam in Deo actualitatem Scientiæ, & cognitionis.

40 His non obstantibus varij sunt modi excogitati apud DD. ostendendi efficaciam rationis propositæ, singulariſsimi inter omnes sunt Carmelitani Salmaticenſ. qui disp. 2. de Scientia, dub. 2. referentes pro se Capreolum, Cayetanum Ferrarienſem, & alios RR. dicunt, immaterialitatem, in qua fundatur ratio cognoscitivi, non esse quamcumque capacitatem ad recipiendas formas alienas: siquidem non cognoscitiva, vt aqua, & aër, habèt capacitatem recipiendi calorem, & species visibiles, quæ sunt formæ extraneæ; sed eam tantùm, quæ sit ad recipiendum per identitatem aliorum formas. Itaquè dicunt, intellectum, & quamuis aliam potentiam cognoscitivam identificari realiter, tum cum obiecto, tum cum specie illius, v.g. lapidis, non quidem in esse naturali, & entitativo; sed in esse intelligibili, quomodo non cognoscentia non recipiunt formas alienas: aqua enim non recipit calorem, sibi extraneum, identificando se sub vlla ratione cum calore, neque aër, recipiendo species intentionales visibiles, identificatur vllo modo, aut cum ipsis, aut cum obiecto proptèr incapacitatem, quam habet cognoscendi. Sic rigidè accipiunt dictum D. Th. sumptum ex Phylosopho: nempè: *Animam cognoscendo fieri ea quæ cognoscit.* Vlteriusque, sic benè explicari immaterialitatem & illimitationem, quæ sit medium inferendi cognoscitivum.

41 Expositio ista, vel ipsis iuratiſsimis Thomistis displicet, semperque iudicasse difficilem, nec antiquioribus discipulis D. Thom. conformem, inquit Godoy. Alij non esse intelligendam, vt verba sonant; sed in alio sensu impro-

pria,

prio, & latissimo identitatis, nolentes agnoscere, qui sic dicunt, & singularitatem discursus, & disparitatem cognoscentium, & non cognoscentium præintentam ab his perdoctis AA. funditus evertere. Vnum mihi certum est, quod si ratio D. Thom. pendet ab his principijs, vt sit demonstrativa; obscura satis est demonstratio. Sed quidquid de hoc sit, eam impugno. Primò: quia inexplicatum relinquunt, quisnam sit ille gradus immaterialitatis, à quo incipit capacitas recipiendi per identitatem formas alienas, qui invenitur in Brutis, & non invenitur in Plantis; aut quarè sint magis limitatæ Plantæ, quàm Bruta? Quod si dicant, ipsam capacitatem identificandi formas alienas esse gradum immaterialitatis, pro quo non est necessarius alius immaterialitatis gradus, in quo fundetur; sed ipsa natura agentium. Rursus rogo: vndè cognoscatur iste gradus immaterialitatis inesse Brutis, & non Plantis? Nisi quia Bruta cognoscunt; & *cognoscere* non potest stare sine capacitate ad iddentitatem cum re cognita in esse intelligibilis: quod si ita est, potius *cognoscitivum* esset medium ad probandam *immaterialitatem*; quàm *immaterialitas* ad probandum cognoscitivum, quod clarè patet ex eorum doctrina: dicunt enim Aerem non recipere species intentionales identicè, sicut recipiunt Bruta: quia Aer non est capax cognitionis: ergo prius debet cognosci capacitas ad cognoscendum; quàm cognoscatur immaterialitas, & illimitatio ad recipiendas formas per identitatem.

42 Secundò. Quia sicut dicitur, Animam recipere per identitatem formas obiectorum in esse repræsentativo, cur omnis effectus causæ vnivocæ qui est assimilatio causæ, non dicetur identificari cum sua causa in ratione assimilabilis? Vnde erit illimitata talitèr, vt sit cognoscitiva, & vnus ignis erit cognoscitivus alterius, à quo procedit. Nec video, cur ratio assimilabilis identificata cum causa realiter distincta, & separabilis ab effectu, sit minus identificabilis cum assimilato, quàm ratio intelligibilis, & cognoscibilis identificata cum obiecto, & realiter separabilis à cognoscente, est identificabilis cum cognoscente: utrumque enim continet similitudinem alterius. Si recurrant ad similitudinem intentionalem tantùm, & per species repræsentativas, reddit rursus paritas Aeris, aquæ, & speculi, quæ possunt recipere species repræsentativas, quam, vt fugiant, iterùm incident in capacitatem cognoscendi: quod est petitio principij, & supponere probandum, aut inverso modo probare immateriale per cognoscitivum.

43 Tertiò. Ex destructione immaterialitatis, quam explicare intendunt: etenim si cognoscens recipit formas obiectorum per identitatem, tum cum ipsis, tum cum speciebus repræsentativis illorum, *cognoscere* non est extendi extrà proprium *esse*, & propriam formam; sed potius coarctari intrà illam, cum nulla forma exeat extra se per identitatem, hoc est, per extensionem ad illud, quod identicè realitèr est suum esse: sed immaterialitas est illimitatio ad propriam formam, & proprium esse: ergo si cognoscens fit idem realitèr cum cognito, & specie illius; non ex immaterialitate, & non coarctatione probatur cognoscitivum; imò potius ex materialitate, & coarctatione. Explicatur: eo modo, quo vnum realitèr identificatur cum alio est realitèr suum *esse*: sed eo modo, quo est realitèr suum *esse*, extrà se non est: ergo eo modo, quo vnum identificatur cum alio extra se non est. Iam sic: cognoscens, per vos, eo modo, quo est obiectum proximè potens cognoscere, cum illo realitèr identificatur: sed eo modo, quo cum obiecto realitèr identificatur, extrà se non est: ergo cognoscens, eo modo, quo est proximè cognoscitivum extra se non est: ac per consequens eo modo, quo est cognoscitivum, non est illimitatum, & immateriale. Si respondeant: identitatem esse solùm cum obiecto, & specie in ratione *intelligibilis*, non evacuatur difficultas: namquè redit argumentum. Eo tantum modo, quo potentia identificatur cum obiecto, & specie in ratione *intelligibilis*, est cognoscitiva illius: sed eo modo, quo realitèr identificatur cum obiecto, & specie non est extra se: ergo eo modo, quo est cognoscitiva, non est extra se; sed limitata intra proprium *esse*.

44 Quartò ab abſurdo: inferretur enim, Deum ſummè immaterialem, & illimitatum identificari cum omnibus obiectis creatis, ſecundùm aliquod prædicatum verum, & reale ipſorum, quale eſt prædicatum *intelligibilis*. Deinde: Deum in ratione obiecti, & ſpeciei intelligibilis realiter identificari cum intellectu Beatorum: cum obiectum creatum, etiam in ratione *intelligibilis* infinitè diſtet à Deo per defectum, ſivè conſideretur Deus in ratione *entis*, ſivè in ratione *intelligibilis*, & Deus infinitè diſtet per exceſſum in ratione *intelligibilis* ab intellectu creato tàm in ratione *entis*, quàm in linea *intelligibilis*. Inferretur etiam: poſſe identificari ea, quæ ſeparantur, vt ſeparatur intellectus ab ſpecie, & ſpecies ab intellectu. Item id, quod recipitur in alio, poſſe identificari cum illo: nàm ſpecies recipitur in intellectu, & cum ipſo in ratione *intelligibilis* identificatur. Vltimo: non eſſe rectum hunc ſyllogiſmum: *Eſſe intelligibile ſpeciei realiter identificatur cum illius entitate: ſed entitas ſpeciei realiter diſtinguitur ab entitate intellectus: ergo eſſe intelligibile ſpeciei, realiter diſtinguitur ab entitate intellectus.* Vndè in creatis deficerent illa principia: *Quæ ſunt eadem vni tertiò, ſunt eadem inter ſe: & quæ repugnant vni tertiò, repugnant inter ſe.* Quod benè ponderat Godoy, tamèn immemor alterius ſyllogiſmi: *Materiale peccati realiter eſt formale ipſius: ſed materiale peccati realiter producitur, & prædeterminatur à Deo: ergo formale peccati realiter producitur, & prædeterminatur à Deo*: in quo patitur eaſdem difficultates, quas in Salmantic. non vult deglutire.

45 Pro his omnibus, quæ dura ſatis ſunt, & difficilia, ſe protegunt doctrinâ Phyloſophi, & axiomate ex illa formato: *intelligens in actu, eſſe intellectum in actu.* Vnde arguunt. Non poteſt verificari, animam eſſe quodammodo omnia, nec potentiam intelligentem eſſe quodammodo rem intellectam, niſi realis intercedat identitas: nàm quando forma non identificatur cum illo, cui vnitur, non poteſt dici illam fieri, vel eſſe: qua ratione materia vnita formæ non dicitur illam fieri, nec ignis calori vnitus, poteſt dici fieri, aut eſſe aliquomodo calorem: ergo dicendum eſt, iuxta Ariſtot. intellectum actu intelligentem, idem eſſe realiter cum ſpecie, in eſſe intelligibili, & cum obiecto intellecto. Confirmant ex Commentatore 3. de anima, vbi docet: ex intellectu, & re intellecta fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma: *Quia ex materia, & forma fit vnum tertium diſtinctum ab vtraque; ex intellectu verò, & intelligibili non fit vnum; ſed intellectus fit ipſum intelligibile*: ſed ſi intellectus non identificaretur cum intelligibili, ex vtroque non fieret magis vnum, quàm ex materia, & forma: ergo intellectus vere, & propriè, ſaltèm ſecundùm aliquam rationem, idētificatur cum re intellecta.

46 Sed hoc fundamentum leve eſt pro tanta mole, præcipuè quando ly *quodammodo* additum à Phyloſopho, ſit limitativum rigoris loquendi, qui per ſimiles particulas temperatur; vt conſtat ex frequenti hominum loquutione. Dicendum ergo eſt, ſenſum Phyloſophi non eſſe, quòd anima, aut intellectus ſpecificativè, identificentur realitèr cum obiecto, ſecūdùm aliquam formalitatem; ſed quod anima, & intellectus reduplicativè tàm prout potentes intelligere proximè, quàm prout intelligentes in actu ſecundo, identificantur cum obiecto reduplicativè, vt cognoſcibili proximè, & vt cognito in actu ſecundo, quoad formam denominationis: nàm eadem forma, id eſt, ſpecies, quæ conſtituit intellectum proximè potentem intelligere, conſtituit obiectum proximè intelligibile, & eadem expreſsio, quæ conſtituit intellectum cognoſcentem in actu ſecundo cōſtituit obiectum cognitum in actu ſecundo: non ſecùs, ac ſi duo ſubiecta eſſent alba per eādem albedinem, dicerentur vnum *album* identicè quoad formam; non ſecundùm ſe: & duæ naturæ terminatæ per eandem ſubſiſtentiam, dicerentur identificari ſuppoſitalitèr quoad formam, aut quaſi formam ſubſiſtentiæ.

47 Ad illud, quod addunt de Commentatore, ſat nobis eſt agere cum vno Ariſt. quin dicta Commentatoris diſcurſus Scholaſticos perturbent, ac tantam fidem faciant, quàm verba Principis: quarè non pauci Commentatorem in hac re deſerunt, cum quibus, ſi timidus nolis annumerari, dic cum Godoy, Commētatorem eſſe intelligendum non poſitivè; ſed permiſsivè; talitèr, vt in ratione cognoſcentis, & cogniti poſsit eſſe identitas, vt quandò intellectus, & anima reflectunt ſupra ſe: tunc enim res intellecta, & ſpecies intelli-

telligibilis sunt idem realiter cum cognoscente, non modo sub aliqua formalitate, vt dicunt Salmanticens. sed adæquatè, & in ratione entis, quamvis, vt detur cognoscens, & cognitum, ea identitas non requiratur. Sic ratio *entis* dicit imperfectionem permissivè, quia cum imperfectione potest coniungi, vt coniungitur in creaturis; non positivè: quia ratio *entis* potest dari absque vlla imperfectione, vt reperitur in Deo. Huic interpretationi præluxit D. Thom. in 1. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 3. in illis verbis: *Sciendum est ergo, quod in omni intellectu aliqualiter est idem intelligens, & intellectum, & inquibusdam etiam aliqualiter differt; in aliquibus verò sunt omninò idem.* Vel dic secundò cum eodem, loquutum fuisse de identitate quoad formam denominantem; non quoad subiecta denominationis intelligentis, & intellecti.

48 Herice 1. p. tract. 1. de Scientia disp. 1. cap. 3. cum Herbeo, Capreolo, Aureolo, & Cayetano, inquit, immaterialitatem formarum, & si nomine negativo declaretur, esse positivam quandam perfectionem in illis, qua superant formas inferiores magis materiales. Nam forma sensitiva rationalis, & substantia Angelica suapte natura sibi vendicant quandam perfectionem essentialem, qua aptæ sunt ad recipiendum species intentionales, sivè immediatè; & proximè in se, si potentiæ non distinguantur: nec sint facultates superadditæ, sivè mediatè, & remotè, si distinguantur à forma, vel substantia: vnde hi tres gradus creaturarum gaudent hoc conceptu communi eis, quo discernuntur ab alijs inferioribus. Addit: in his entitatibus cognoscitivis duplicem conceptum inadæquatum posse formari: priorem in quantum illa perfectio fundat negationem materialitatis; posteriorem in quantum fundat capacitatem se coniungendi cum speciebus intentionalibus, eas intra se recipiendo, veluti semen quoddam ad pariendam post cognitionem, & notitiam obiectorum: conceptus autem, quo fundatur negatio materialitatis, dicitur prior conceptu, quo fundatur capacitas recipiendi species: quia illa negatio materialitatis est quid prærrequisitum, veluti removens impedimentum capacitatis specierum; sicut è contra, in entitatibus materialibus non cognoscitivis, materialitas prior est incapacitate recipiendi species. Id ita esse, probat inductione facta à sensitivis, in quibus facultates, quo magis liberæ sunt à conditionibus materialibus, eò perspicaciores sunt: ideoque visus, & auditus cæteros sensus vivacitate excedunt. A rationalibus, in quibus forma, quia, in se fundat negationem omnis materialitatis: ideo etiam excedit in vi cognoscendi formas sensitivas. Et demum ab Angelis, qui ex innata sibi perfectione tàm perfectum sortiuntur immaterialitatis gradum, vt excludant compositionem materiæ, & formæ: ideoque superent alias creaturas inferiores in vi cognoscitiva.

49 Huc vsque lis erat tantùm de intelligentia *materialitatis*, & *immaterialitatis*: iàm per explicationem resultat duplex litigium: vnum: quænam sit illa materialitas, cuius negatio prærrequiritur ad cognoscitivum? alterum: quæ sit illa perfectio fundans in sensitivo hanc negationem; secus in Plantis, aut in alijs substantijs inferioribus? In contrarium est. 1. Assummi pro medio ad probandum cognoscitivum quid incognitum ex se, & quod aliundè constare non potest, quàm ex ipso cognoscitivo, quo apparente, superfluus omninò est recursus ad illam perfectionem radicativam, cum dici possit, ipsam vim cognoscitivam ex se præsupponere illud prærrequisitum negationis materialitatis, sicut quævis forma præsupponit suas dispositiones. Secundò: Quales sunt illæ conditiones materiales à quibus, dicit, liberos esse sensus, & quò liberiores, eò perspicatiores: necnon, quomodo distinguuntur à conditionibus formæ vegetativæ, & substantiarum inferiorum. Tertiò: Quare illi gradus inferiores ad formas sensitivas, & qui sunt supra materiam, habentque suam perfectionem, fundantem aliquam negationem materialitatis, non sint sufficientes ad fundandum cognoscitivum? In quo alia non potest esse disparitas, quàm quia in his datur incapacitas cognoscendi; non sic in alijs. Ex quo iam apparet, potius probari immaterialitatem per cognoscitivum, quàm è contra. Quartò: Quia licèt ab inductione probetur recessus maior, aut minor à materia,

ria, penès augmentum, aut decrementum cognoſcitivi, tamèn vndè probatur, potius maiorem, aut minorem immaterialitatem eſſe rationem maioris, aut minoris cognoſcitivi, quàm è contra; maiorem, aut minorem vim cognoſcitivam eſſe rationem maioris, aut minoris immaterialitatis? præcipuè, cum inter conceptus poſsit dari inſeparabilitas non mutua, ob quam vereficetur, principium cognoſcitivum non poſſe eſſe ſine immaterialitate: at materialitatem benè eſſe poſſe abſque cognoſcitivo.

50 P. Antonius Perez ſingularis in omnibus tom. 1. Theologiæ, diſp. 3. de Scientia cap. 1. intelligit pro *materialitate* homogeneitatem ſubſtantialem, vel homogeneitatem mixtam ætherogeneitati, & organizationi ſervienti ſoli vitæ vegetativæ: & per *immaterialitatem* receſſum ab hac materialitate: vnde ſic proponit rationem D. Thom. Vnicum impedimentum poſsibilitatis cognitionis in aliqua natura eſt nimia materialitas, id eſt, homogeneitas ſubſtantialis, vel homogeneitas mixta ætherogeneitati, & organizationi ſervienti ſoli vitæ vegetativæ; è contra, quò maior eſt immaterialitas, & receſſus à nimia materialitate, eò magis creſcit virtus cognoſcitiva: ſed Deus eſt ſummè immaterialis: ergo Deus poteſt cognoſcere. Addit: quia verò eſſe naturam immaterialem, & ſpiritualem in creatis ſe tenet ex parte cauſæ, & cognitio eſt operatio, & natura ſpiritualis, & prædicatum *intellectivum* ſunt convertibilia, patet, demonſtrationem D. Thom. eſſe optimam, & imitativam demonſtrationis potiſsimæ, quæ fit per cauſam convertibilem cum effectu.

51 Deficit hìc diſcurſus ingenioſs. Magiſtri in eo, quod concludit, videlicèt: *Ergo Deus poteſt cognoſcere*: cum deberet concludere ad intentum: *ergo Deus cognoſcit*: pro quo non eſt medium ſufficiens eſſe cognoſcitivum, vt iam præmiſimus. Deficit etiam in medio probativo, & explicatione *materialitatis, & immaterialitatis*, vel quia materialitatem explicat per homogeneitatem naturæ ſubſtantialis, qua ratione Angelus eſſet ſummè materialis: quia ſummè in natura ſubſtantiali homogeneus eſt, vt potè ſimplex, & omni organizatione, & diſtinctione partium carens: quod etiam inuenitur in anima rationali, & maximè in Deo, cuius operatio etiam eſt ſubſtantialis, & eiuſdem rationis cum ipſo: vel quia, vt proponat materialitatem, quæ impedimentum eſt cognoſcitivi, ipſam coniungit cum carentia cognoſcitivi, & prout ſic coniunctam, dicit, eſſe impedimentum cognoſcitivi, vt conſtat ex illo, *vel homogeneitas mixta ætherogeneitati, & organizationi ſervienti ſoli vitæ vegetativæ*, quod idem eſt, ac dicere, materialitatem, quæ non poteſt cognoſcere eſſe impeditivam cognoſcitivi, & per oppoſitum: immaterialitatem coniunctam cum principio cognoſcitivo, eſſe immaterialitatem arguitivam cognoſcitivi: in quo, neque explicatur materialitas nec immaterialitas, prout ſunt rationes cognoſcitivi & non cognoſcitivi, neque oſtenditur: cur materialitas Plantæ obſtet cognoſcitivo; & non materialitas animalis? Niſi quia animal cognoſcit, & Planta non cognoſcit: qua ratione, etiam poſſet dicere, quodvis aliud, quod invenitur in cognoſcentibus, & non invenitur in non cognoſcentibus, eſſe rationem cognoſcitivi.

52 Viam aliam aggreſſus eſt Rivadeneyra diſp. 1 de Scientia, cap. 2. poſt Oviedo controv. 5. de anima, punct. 6. num. 6 dicens: immateriale, quod eſt principium, & radix cognoſcitivi, idem eſſe ac recedens ab imperfecto. Nam cum materia ſtrictè ſumpta, ſit ſubiectum imperfectiſsimum, & inter entia infimum: indè per analogiam ad ipſam omne imperfectum dicitur materiale: & per conſequens, qnodvis eò magis recedit à materiali, quò magis recedit ab imperfecto: iuxta quam acceptionem, ens magis perfectum, eſt magis immateriale, & quod fuerit ſummè perfectum, vt Deus, erit in ſummo immaterialitatis gradu. Hoc modo intellecta immaterialitate, rectè procedit diſcurſus: nàm ex eo, quod Deus ſit ſummè perfectus, ſummèque recedens ab imperfecto, rectè colligitur ſummè intellectivus, & intelligens in actu ſecundo; aliàs per excluſionem cuiuſvis ex his, accederet ad imperfectum, & non eſſet ſummè perfectus: ſiquidèm perfectior eſſet ille, in quo ea prædicata reſiderent.

53 Co-

53 Cogitatio illa, quamvis benè probet, Deum esse cognoscitivum, & cognoscentem, quia summè, & infinitè perfectus est; non id assequitur ad mentem D. Thom. quam exponere conatur: patet: D. Thom. vsus est *immaterialitate* tanquam medio speciali ad probandum in Deo attributum *cognoscitivi*, potius quàm attributum *Immensi*, *Æterni*, & *Omnipotentis*: sed immaterialitas sumpta pro recessu ab imperfecto æquè est medium ad probandum in Deo quamcumque perfectionem, qua deficiente, non recederet ab imperfecto: ergo immaterialitas in hac acceptione non est de mente D. Thom. Hoc benè confirmatur à RR. ex eo, quod D. Thom. vtatur medio immaterialitatis tamquam distincto à medio perfectionis, probans per vtrumque, existere in Deo rationem cognoscitivi, & Scientiæ, vt videre est lib. 3. contra Gentes, cap. 44. & in 1. dist. 35. q. 1. art. 1. Hoc autem non feciſſet, si immaterialitatem, & perfectionem, idem esse formaliter, iudicasset. Præterea ex immaterialitate absolutè sumpta infertur apud D. Angelicum vis cognoscitiva, & ex maiore immaterialitate excessus vis cognoscitivæ: sed ex immaterialitate sumpta absolutè in sensu huius Authoris, non infertur cognoscitivum: aliàs quævis forma substantialis, vtpotè recedens ab imperfecto materiæ esset cognoscitiva: ergo hæc acceptio *immaterialitatis* non est conformis D. Thom. nec potest esse vtilis ad probandam vim cognoscitivam in ente finito. Explicatur amplius. Aliquis gradus recedendi ab imperfecto designari debet, vndè incipiat vis cognoscitiva in infimo gradu: vel ergo gradus ille est ratio cognoscitivi, quia est recessus à materia; vel quia est talis recessus? Si primum: ergo Plantæ erunt cognoscitivæ; si secundum: ergo recessui ab imperfecto aliquid addendum est, vt inferat cognoscitivum: hoc quid erit? Si dicas esse talitatem, huius explicatio desideratur, vt aliter quam per effectus possimus ex medio *immaterialitatis*, & recessus ab imperfecto arguere vim cognoscitivam.

54 Quirò disp. cit. sect. 3. duo asserit: primum: Immateriale *vt sic* non esse rationem intelligendi. Secundum: immateriale perfectionis, seu spirituale esse rationem intelligendi. Probat primum: quia ad immateriale *vt sic* sufficit inferre negationem divisibilitatis, perceptibilitatis per sensus, vel etiam dependentiam à materia quanta: sed hæc ratio negationem inferens, perfectione, quantumvis minima, contenta est: cum vel supra carentias, & entia rationis cadat: ergo immateriale, *vt sic* non est ratio intelligendi. Confirmat: quia, vt plures censent, non potest dari creatura omnium imperfectissima: ergo poterit Deus facere alium ordinem creaturarum inferiorem hoc materiali, qui de facto datur: ergo, qui materialis non sit: nam quidquid huic ordini materiæ affine non sit, non debet dici materiale: ergo neque intellectivum: cum omne intellectivum sit suprà ordinem materiæ. Probat secundum: quia spiritus, seu perfectio, quæ titulo excessus excludit materiam, & dependentiam ab illa, debet esse ex genere suo supra omnem rem materialem: sed res immaterialis, quæ est supra omnem rem materialem, necessariò est intellectiva: ergo immateriale titulo perfectionis est intellectivum. Probat maiorem: quia ex terminis implicat, quod titulo excessus in perfectione, res aliqua materiam excludat, si non dicit perfectionem maiorem, quàm res materialis. Deinde probat minorem: nam talis res debet, vt minimum pertinere ad agenus cognoscitivum, cum hoc sit sub gradu materiali in Brutis: sed cognoscitivum immateriale est intellectivum: ergo res immaterialis, quæ est supra omnem materialem, necessariò est intellectiva.

55 Probat 2. Quia immateriale perfectum, seu ordo spiritualis perfectior est ordine materiali, ita vt ex genere suo, & cæteris paribus res eò, quod sit spiritualis perfectior sit, quàm materialis: sed nisi immateriale istud afferat vim intelligendi, non est cur titulo immaterialis elevetur supra materiale: ergo immateriale perfectum est intellectivum. Probat minorem: quia præcisè esse sine materia solùm dicit excludere perfectionem illius, quod contingere potest per excessum, vel per defectum: ergo, vt excludat materiam, titulo excellentiæ, & perfectionis debet habere aliquem gradum excellentiæ superantem perfectionem materialis, qui alius non potest esse quàm gradus intellectivi. Ex his tria infert. Primò: Communem modum loquendi AA. nempè, intellectivum colligi ex immaterialitate,

procedere de immaterialitate, non negativè; ſed poſitivè accepta. Secundò: Non implicare ſubſtantiam, vt cumquè immaterialem, quæ intellectiva non ſit; implicare verò immaterialem ſtrictè, ſeu ſupra materialem, hoc eſt, ſpiritualem, quæ non ſit intellectiva. Tertiò: Ex immaterialitate rectè probari, Deum eſſe intellectivum: nam immaterialitas Dei eſt, titulo exceſſus, ſupra materialitatem, ut per ſe notum eſt: ideoquè id ſupponit S. Thom. ex eo, quod q. 7. art. 1. probaverit, Deum eſſe infinitum: item eo, quod q. 3. art. 2. probaverit eſſe purum actum nihil habentem de potentialitate: ergo immaterialitas Dei eſt, titulo exceſſus, & perfectionis: ergo etiam, cum Deus longiſsimè ſuperet materiam, ſicque ſit in ſummo gradu, & perfectione immaterialitatis, erit etiam in ſummo gradu intelligendi.

56 Diſplicet poſt prolixam explicationem: quia deviat à mente S. Thom. non minus, quàm præcedens: etenim S. Thom. de ea immaterialitate loquitur cum Ariſtot. quæ in infimo gradu infert cognoſcitivum in Brutis, & per exceſſum infert intellectuale in hominibus, Angelis, & Deo: ſed hæc immaterialitas non eſt immaterialitas perfectionis ſpiritus, cùm hæc in nullo gradu conveniat Brutis adæquatè materialibus: ergo immaterialitas, quam aſſummit pro medio, non eſt immaterialitas de qua loquutus eſt D. Thom. 2. Non declarat, quænam ſit illa ſumma perfectio ſpiritus, quæ reperitur in Deo; non verò in Angelis, vi cuius conſtituitur ſummè immaterialis: nam, vel loquitur de perfectione ſpiritus formaliter ſub conceptu talis: & ſic non explicat, quare Angelus ſit minus immaterialis, quàm Deus, præcipuè, cum in aliquibus Angelus formaliter non excedatur à Deo; v.g. *In carendo materia, & forma quoad eſſe*: in *penetratione cum re corporea*: in *carendo omni compoſitione quoad naturam*: vel de perfectione ſpiritus materialitèr ex alijs prædicatis adiunctis: qua ratione non immaterialitas; ſed aliæ perfectiones inferent ſummum intellectuale. Tertiò: Non probat immateriale perfectum, ſeu ordinem ſpiritualeme, x eo, quod excedat ordinem materialem, debere eſſe intellectivum, dum non probet, nullum aliud prædicatum eſſe aptum ad hunc exceſſum, quod non probabit, tum: quia gratia, & lumen gloriæ ſunt in ordine perfectionis, immaterialitatis, & ſpiritus, excedente ordinem materialem, & non ſunt intellectiva: tum quia pro exceſſu non eſt neceſſarium habere prædicatum, cui formalitèr tribuatur exceſſus adæquatè: ſufficit enim excedere per coniunctum prædicatorum, quale conſiderari poteſt ſpiritualitas, & incorruptibilitas, ſeu naturalis indefectibilitas. 4. Continetur intra limites probandi intellectivum, immemor probandi intellectionem actualem, cuius exiſtentia in Deo præbuit occaſionem D. Thom. vtendi ratione immaterialitatis.

57 Tandem Ruiz diſp. 1. de Scientia ſect. 3. Godoy quæſt. 14 de Scientia tract. 3. diſp. 22. §. 7. num. 121. & Herrera q. 1. de Scientia ſect. 3. qui idem ferè ſentiunt, aiunt: materiale illud eſſe, quod eſt, immerſum materia, & ab illa comprehenſum, & hanc immerſionem habere formam, quæ in ſuis operationibus non elevatur ſupra activitatem qualitatum, quæ ſunt diſpoſitiones materiæ. Hinc formæ, quæ aliquomodo elevantur in operando ſupra activitatem diſpoſitionum materialium, eo ipſo, recedunt à materia, & ſunt immateriales, plus, minuſvè pro exceſſu, aut decremento elevationis: vlteriuſquè formæ perfectius operantes, magis elevantur ſuprà activitatem prædictarum qualitatum, atque ab illis minùs dependent: cum ex terminis videatur notum ſapere minus conditiones materiæ formas, quæ perfectius operantur: Ex his deducunt: rationem D. Thom. & eius efficaciam eſſe ita proponendam: *Cognoſcere, eſt operari cum exceſſu perfectionis ad operationem formæ omninò immerſæ materiæ, & ab ea comprehenſæ: ſed ille exceſſus operationis non evenit abſque elevacione ſupra activitatem qualitatum, quæ ſunt diſpoſitiones materiæ: ergo cognoſcere non datur abſque immaterialitate: ſed ſumma immaterialitas importabit ſummam perfectionem in operando: ergo ſummum, & infinitum modum cognoſcendi: ac per conſequens Deus, qui ſummè immaterialis eſt, benè inde probatur ſummè, & infinitè cognoſcitivus.*

58 In contrarium occurrit 1. Angelum eſſe, ex data explicatione, tàm immaterialem, quam Deum: ac per conſequens tàm cognoſcitivum. Ratio eſt: nàm ſi immateriale idem eſt, ac excedens in operando activitatem qualitatum,

tum, quæ sunt dispositiones materiæ, quales sunt, vt dicunt, primæ qualitates, Angelus summè independens in operando ab his qualitatibus, erit summè immaterialis, cum tam non dependeat in operando à calore, frigore, humiditate, & siccitate, quàm Deus. Si respondeant: elevationem, in qua consistit immateriale, non esse pensandam ex non dependentia in operando ab illis qualitatibus; sed ex elevatione effectus supra effectus formarum, dependentium in operando ab illis qualitatibus: inferam: ergo cum æquali immaterialitate consistente in æquali independentia ab illis qualitatibus, stat excessus perfectionis in effectu, & præstantia in linea cognoscitivi: ideoquè immaterialitas non erit mensura cognoscitivi: inferam deinde: ergo ad arguendam immaterialitatem principij, prius exploranda est conditio effectus, qui cum cognitio sit, quæ præcisè sub tali conceptu arguit cognoscitivum, non màgis arguetur ratio cognoscitivi ex immaterialitate, quàm ex quocumque alio prædicato actus, qui est cognitio.

59 Secundò: quomodo sensitiva, & anima rationalis elevantur supra activitatem qualitatum materialium, quæ sunt dispositiones materiæ, quandò tam sensus, quàm anima rationalis, saltèm dum est in corpore, maximè indigeant temperamento harum qualitatum ad sua munera obeunda, & iàm penès excessum, iàm penès defectum huius, vel illius aptiores reddantur ad suas operationes, vt constat de memoria, de vi imaginationis, & de recta dispositione ad benè intelligendum. Tertiò, sicut sensitiva excedunt non sensitiva, sic infra sensitiva viventia excedunt non vivētia, & habent perfectiores operationes eis, quas habent substantiæ inferiores: ergo habent aliquem gradū immaterialitatis, ac per consequēs, aliquem gradum cognoscitivi: præcipuè, cum apud D. Thomam, immaterialitas secundum se arguat cognoscitivum, vt constat de illis verbis præsentis art. 1. *Patet igitur, quod immaterialitas alicuius rei est ratio, quod sit cognoscitiva*: sed non sunt cognoscitiva: ergo quia ille excessus non est immaterialitas, de qua loquitur D. Thom. & quæ est ratio cognoscitivi. Quarto, specialitèr contra P. Herrera ex modo arguendi, in quo, considerata perfectione operationis cognoscitivæ, indè deducit immaterialitatem, ex quo, venia tanti Magistri, redditur probatio invtilis: nàm qui cognoscat perfectionem huius, quod est, cognoscere, neque eget alio fundamento ad affirmandum, principium, à quo procedit, esse cognoscitivum, neque ad iudicandum tale principium habere cognitionem. Quinto, si cognoscitivum componitur in Bruris absque elevatione vlla à materia in essendo, quod quidem verè, & propriè est esse immersum materia, cur non componetur absque elevatione supra activitatem qualitatum, quæ sunt dispositiones materiæ, quando hæc qualitates minus materiales sunt, quam ipsa materia?

60 Propter hæc, quamvis non audeam dicere, rationem D. Thom. esse ineficacem, pro quo sufficit eius authoritas, & reverentia illi debita; tamèn non renuam fateri meam ignorantiam, ob quam me pēnitùs latet eius efficacia, nec mihi esset difficile acquiescere exterius alicui ex dictis interpretationibus; verùm, cum id non sentiam, malo suspendere omninò interpretationem, & vsum prædicti discursus, quàm illo absque intelligentia vti, aut præbere interpretationem nimis distantem à mente D. Thom. Hunc morem observarunt discipuli aliqui tanti Doctoris, in quo Magistrum non deseruerunt, manifestantes duntaxat, ipsum esse supra discipulos, quod potius veneratio est, quàm desertio. Itaquè dum tarditatem depello, & vis tanti discursus affulget, sequentia infero.

CAPVT IV.

Duæ illationes ex dictis proponuntur.

61 INfero 1. Non repugnare substantiam immaterialem non cognoscitivam, sumpto *immateriali* pro recessu à materia in tota sua latitudine. In hac propositione convenire debent omnes, qui efficaciam rationis ex immaterialitate dessumptæ propugnant. Constat primo. Substantia immaterialis per recessum à materia in tota sua latitudine est substantia quomodocumque excedens conditionem materiæ: sed substantia quodocumque excedens con-

di-

ditionem materiæ non est cognoscitiva, vt apparet ex eo, quod omnis forma substantialis excedat conditionem materiæ, quin ideò sit cognoscitiva: ergo non repugnat substantia immaterialis non cognoscitiva, sumpto *immateriali* pro recessu à materia in tota sua latitudine. Secundò. Immateriale sic sumptum in substantia, nequè est radix cognoscitivi, neque ab ipso inseparabile: sed immateriale, quod existens in substantia, neque est radix cognoscitivi, nequè ab ipso inseparabile, est immateriale, quod potest dari sine cognoscitivo: ergo immateriale sic sumptum, & in substantia existens, potest dari sine cognoscitivo. Probat. mai. Immateriale sic sumptum invenitur in substantijs tantum vegetativis, & informis inferioribus contentis sub illis: sed in his nequè est radix cognoscitivi, nequè ab ipso inseparabile, vt per se patet, cum substantiæ illæ non sint cognoscitivæ: ergo immateriale sic sumptum in substantia, nequè est radix cognoscitivi; nequè ab ipso inseparabile. Tertiò. Nam vt constat ex impugnatione explicationum rationis D. Thom. addendum semper aliquid est immateriali sic sumpto, quod contrahat rationem *immaterialis*, & fit, vel ipsum cognoscitivum formalitèr; vel aliquid arguens cognoscitivum, sine quo *immateriale* sic sumptum secundùm se potest existere: sed hoc est immateriale sub predicta latitudine posse existere sine cognoscitivo: ergo tale immateriale potest reperiri, vt prædicatum substantiæ absque cognoscitivo.

62 Infero 2. Non repugnare substantiam immaterialem non cognoscitivam, sumpto *immateriali* contractius pro ratione spiritus. In hac propositione vltra Okamum, Gabrielem, Basolium, Hurtado, & Arriaga consentit Oviedo controv. 5. de Anima, punct. 6. pro qua citatur etiam ab Izquierdo Hemelmam, tom. 1. tit. 1. disp. 3. cap. 3. num. 3. & 4. & tit. 4 disp. 7. cap. 22. num. 25. Constabit ex obiectionum solutione; & aliundè etiam probatur positivè. Primò. Non repugnat inter substantias materiales aliquas esse cognoscitivas; aliquas non: ergo neque repugnat inter spirituales aliquas esse cognoscitivas; aliquas non. Antecedens est certum. Probatur consequentia. Non minus coniungitur materialitas cum cognoscitivo in his substantijs materialibus, quæ de facto cognoscunt; quàm spiritualitas in his substantijs spiritualibus, quæ de facto cognoscunt, & tamen materialitas ex se permittit non cognoscitivum: ergo spiritualitas ex se permittit etiam non cognoscitivum. Confirmatur primo. Materialitas, prout opposita spiritualitati, non repugnat cognoscitivo: ergo spiritualitas, quæ per oppositum constituitur, non debet necessariò dicere ordinem ad cognoscitivum. Nec dicas: vndè probari, spiritum dicere repugnantiam ad cognoscitivum, si per opposita ad materiale debet constitui, & materiale non habet repugnantiam cum cognoscitivo. Nam oppositio tantùm debet esse, quoad prædicata specificativa materialis, qualis esset repugnantia ad cognoscitivum, si omne materiale repugnaret cognoscitivo; secus in non specificativis, vt est non repugnantia ad cognoscitivum, quæ iam cum cognoscitivo, iam sine illo potest existere. Nec insistas, eodem argumento probari defacto existere substantias spirituales non cognoscitivas, cum existant substantiæ materiales non cognoscitivæ: quia licèt ex conceptu rerum existentium benè arguatur ad conceptum possibilium; non sic ex existentibus ad convincendam aliorum existentiam: sicut ex existentia huius mundi, rectè colligitur possibilitas alterius similis, aut dissimilis; nec ideò licèt arguere existentiam illius.

63 Confirmatur 2. Si Deus non produxisset nisi substantias cognoscitivas, adhùc nō repugnarent plurimi gradus inferiores habentes aliquam immaterialitatem sine cognoscitivo: ergo & si Deus defacto non produxerit substantias spirituales non cognoscitivas, adhùc non repugnabunt gradus inferiores spiritualitatis sine cognoscitivo. Clarius, si Deus non produxisset, nisi immaterialia cognoscitiva infra spiritualia, se haberent immaterialia ad cognoscitivum, sicut modò se habent spiritualia ad cognoscitivum, & intellectivum: sed tunc non repugnarent immaterialia nō cognoscitiva, quæ modò non repugnant: ergo nequè sunt repugnantia alia spiritualia, quæ non sint cognoscitiva.

64 Secundò. Secluſa ratione formali, & radicali principij cognoscitivi, & absque omni connexione cum illis potest intelligi ratio substantiæ spiritualis: ergo non repugnat substantia spiri-

tua-

tualis non cognoscitiva. Probatur antecedens. Ratio substantiæ non dicit in se formaliter, neque illativè principium formale, aut radicale cognoscendi, aliàs nulla posset esse substantia non cognoscitiva: deindè ratio spiritualis, nec formaliter, nec arguitivè dicit tale principium formale, aut radicale modo apto, vt denominetur cognoscitiva, qualiter constare videtur in *Vbi* Angelico, creatione rei spiritualis, gratia habituali, & caractere: sed neque coniunctum: quia ad id non datur fundamentum: ergo substantia spiritualis, secluſa ratione formali, & radicali principij cognoscitivi, & absque omni connexione cum ipsis potest intelligi.

65 Respondebis. Accidentia illa spiritualia esse ordinativè, aut proprietativè cognoscitiva, in quantum semper ordinantur, aut sunt proprietates principij cognoscitivi. Sed contra: quia iam habemus: per istum recessum rationem spiritualitatis non exposcere principium cognoscivum, à quo denominetur, sed puram ordinationem ad aliud, quod cognoscat, quod non est spirituale esse cognoscitivum: ac per consequens benè agnoscitur, conceptum rei spiritualis componi ad modum prædicatorum, cum quibus defacto coniungitur, & non attendi secundum se, & formaliter consideratum. Contra deindè: quia si non repugnet compositum ex materia, & forma spiritualibus, iam erit possibile aliquid substantiale nō cognoscitivum, ordinatum tamèn ad illud. Si iterum respondeas: te loqui de substantia completa spirituali, quæ cum non possit esse purè ordinativè, & proprietativè cognoscitiva, debet esse formaliter, aut radicaliter talis; adhùc insurgam: ergo repugnantia substantiæ spiritualis non cognoscitivæ non tam provenit ex ponderata immaterialitate, & ratione spiritus, quàm ex ratione completionis. Vlterius: quamvis substantiæ completæ repugnet ordinatio ad aliam per informationem, & compositionem; non ideò probatur repugnans, attenta possibilitatis sphæra, substantia spiritualis completa, dicens ordinem ad cognoscitivum per dependentiam, quam hoc habeat ab illa in suis exercitijs, quomodo sublunaria dependent à motu Cœlorum, & influxu Planetarum.

66 Tertio. Substantia completa spiritualis non est essentialiter, & inseparabiliter intellectiva: ergo neq; substantia spiritualis, etiam cōpleta, est essentialiter, & inseparabiliter cognoscitiva. Cōsequentia tenet apud adversarios: nam substantia spiritualis, quæ non esset cognoscitiva intellectualiter, nullo modo esset cognoscitiva. Prob. anteced. Ideò substantia completa spiritualis esset essentialiter, & inseparabiliter intellectiva, quia in spiritualibus, quæ de facto existunt, crescit intellectivum ad mensuram gradus spiritualitatis; ita, vt homo, qui est substantia completa spiritualis; quamvis non spiritualis completè, sit cognoscitivus intellectualiter; sed minùs quàm Angelus, qui est substantia completa, & completè spiritualis, & Angelus sit minus, quàm Deus, qui est summè spiritualis per summum recessum à corpore: sed hæc ratio nulla est: ergo substantia completa spiritualis non est essentialiter, & inseparabiliter intellectiva. Prob. min. Eodem modo commensuratur intellectualitas cū incorruptibili, ac cum spirituali, vt constat in homine, qui non est completè naturaliter incorruptibilis, cum Angelus sit completè naturaliter incorruptibilis, & Deus sit essentialiter incorruptibilis, & tamèn incorruptibile, etiamsi sit substantia, & completè talis, potest non esse intellectivum, vt constat in Cœlis, qui iuxta SS. PP. & Philosophorum communissimam sententiam, sunt incorruptibiles: ergo illa ratio desumpta ex proportione intellectivi, & spiritus nulla est.

67 Confirmatur. Spirituale maximè conducere ad cognoscitivum, & intellectivum, & quò magis crescat spirituale, eò magis crescere intellectivum, & cognoscitivum, non probat, spirituale esse inseparabile ab intellectivo: ergo possibilis est substantia, sivè completa, sivè incompleta, spiritualis, quæ non sit cognoscitiva, aut intellectiva. Prob. antecedens. Densitas, & applicatio ad actionem maximè conducunt ad effectum, ita vt pro excessu earum intensior sit effectus; sed densitas, & approximatio non sunt connexæ, nec cum effectu, nec cum virtute activa illius, vt constat in omnibus illis, quæ quamvis densa, & applicata, nihil in passo producunt, vel saltèm illud, quod alia agentia cum simili applicatione, & densitate producunt: ergo, quod spirituale maximè conducat ad cognoscitivum, & intellectivum, & quò magis

cres-

creſcat ſpirituale ; eò magis augeatur cognoſcitivum, & intellectivum, non probat, ſpirituale eſſe inſeparabile ab intellectivo.

68 Quarto. Attributum ſpiritualitatis in Deo, ſicut, & quodvis aliud attributum non tranſcendens ob ſuam infinitatem, illimitationem, & perfectionem, debet eſſe participabile à creatura, cum independentia ab alio attributo, quando evidens fundamentum oppoſitum non convincit: ſed ſi ſpiritualitas non poſſet à ſubſtantia participari abſque ratione cognoſcitivi, aut intellectivi, attributum ſpiritualitatis in Deo, quoad ſui participationem eſſet dependens à participatione alterius attributi, quin evidens fundamentum hoc convincat: ergo attributum ſpiritualitatis in Deo debet eſſe participabile à creatura, etiam ſubſtantiali ſine dependentia ab intellectivo, & cognoſcitivo: ideoquè non repugnat ſubſtantia completa, & completè ſpiritualis non cognoſcitiva.

69 Quintò. Subſtantia ſpiritualis permittit ſuperari ab accidenti non cognoſcitivo: ergo potiori iure ex ſe permittet habere id præciſè, quod eſt neceſſarium ad ſuperandum accidens ſpirituale non cognoſcitivum. Antecedens conſtat in gratia habituali, & viſione Beatifica ſuperantibus in communi ſententia ſubſtantias rationales. Conſequentia probatur. Minùs congruit gradui excellenti, qualis eſt ſubſtantia ſpiritualis, vinci ab accidenti non cognoſcitivo; quam ſuperare accidens non cognoſcitivum intrà limitationem illius, quod eſt præciſè neceſſarium ad ſuperandum accidens ſpirituale non cognoſcitivum: ergo bona eſt conſequentia: procedo: Sed id, quod præciſè eſt neceſſarium, vt ſubſtantia ſpiritualis ſuperet accidens ſpirituale non cognoſcitivum, eſt eſſe ſubſtantiam ſpiritualem non cognoſcitivam: quia licèt in gradu ſpiritualitatis, & non cognoſcitivi conveniat; in gradu ſubſtantiæ ſuperat: ergo non pugnat cum conceptu ſubſtantiæ ſpiritualis defectus gradus cognoſcitivæ.

70 Contra hanc ſecundam illationem obijc. 1. argumentum, quo vſus eſt Exim. D. Suarez, diſp. 35. Metaph. ſect. 3. num. 20. Subſtantia ſpiritualis non intellectiva non eſt producta à Deo: ergo non eſt poſsibilis, & producibilis à Deo, adhùc de potentia abſoluta. Antecedens eſt certum: probatur conſequentia. Quia ſi eſſet poſsibilis, nulla eſſet ratio, quare non datus eſſet defacto hìc gradus entis: ergo ſi defacto non exiſtit ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiva: neque eſt poſsibilis. Communis ſolutio eſt negare conſequentiam, conceſſo antecedenti. Ad cuius probationem dicitur, eſſe rationem, vt non exiſtat, ſcilicèt, liberam Dei diſpoſitionem, & dominiũ, quo noluit producere multa alia, quæ poſſunt exiſtere, & non exiſtunt. Contra ſolutionem conſequentiam promovet P. Anton. Perez vbi ſuprà, num. 4. 5. & 6. dicens. Conſequentiam Suarij aliqui rident: *Quia multa Deus poteſt facere, quæ non fecit; mihi tamen videtur optima, & ingenioſa: eſt enim ingenioſum probare veritatem formæ argumentandi primo aſpectu invtili: habet namquè talis probatio admirabilitatem. Itaque declaro conſequentiæ vim.*

71 Si eſſet poſsibilis ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiva, eſſet deterior Anima rationali: eſt enim per ſe notum, naturam ſubſtantialem rationalem eſſe meliorem irrationali: nam qui de hoc dubitaret, poſſet etiam dubitare: vtrùm ipſe ſit melior Aſsino; & ſic haberet ſuæ dubitationis iuſtam pœnam: ſed Author naturæ incipiens à nihilo, ita res ordinat, vt ab infima natura ſubſtantiali vniverſi, vſquè ad ſupremam eiuſdem vniverſi producti, procedat continuò, & ſine interruptione per gradus eminentiæ, & ſubeminentiæ, ità, vt nullus graduum locus ſit vacuus, ſicut accidit in ordine loci corporalis, in quo natura ſemper fugit vacuum: ergo Author naturæ, vt talis, & vt ſervans naturæ ordinem, non poteſt relinquere vacuum, & ſine exiſtentia ſubſtantiæ ſpiritualis non cognoſcitivæ locum illum, qui correſpondet gradui eminentiæ, & ſubeminentiæ talis creaturæ.

72 Confirmatur, & explicatur: quia ſicut Cœli, qui ſunt ſuprema corpora debent eſſe contigui cum infimo, & medijs ſine interruptione; alioquin Deus fruſtra dediſſet Cœlis virtutem operativam, & diffuſivam actionis continuatæ, à ſupremo ad infimum, & procedentis vniformitèr difformitèr: ita gradus entium ſubſtantialium vniverſi exiſtentis debent eſſe non interrupti; aliter Deus fruſtra dediſſet ſingulis naturis eminentibus virtutem manifeſtandi

di ſuam eminentiam, & inclinationem ad illius oſtenſionem, & honorabilitatem, vt ita manifeſtēt integrè, quantum poſſunt Dei, eminentiam ſuper omnia: niſi dicatur, potuiſſe Deus, vt Author naturæ, non producere infimam naturam; quod eſt abſurdū: quia natura proxima infimæ poſsibili, & eminentior, ſi haberet intellectum, doleret de eo, quod facta ſit infima, & quaſi cauda mūdi, cum deberet habere honoratiorē locum, & magis decentem: ex quo colligitur, Deum, non producendo talem creaturam, ſi eſſet poſsibilis, proceſſurum contra ordinem naturæ, & miraculosè, violando, ſcilicèt, exigentias rerum, per interruptionem graduum entitatum, ſecundùm proportionem ſupremi, & infimi, inter ſe ſubordinatorum: ac per conſequens: iam oſtenditur efficacia conſequentiæ Suarij, redacta ad hanc formam. Si ſubſtantia illa ſpiritualis non cognoſcitiva eſſet poſsibilis, & non eſt factum miraculum in eius non productione, defactò exiſtit: ſed non eſt factum miraculum: quia non probatur, eſſe factum, & miraculum, quod non probatur, negari debet; aliter dici poſſet, aquam naturaliter eſſe calefactivam, verùm miraculo eſſe impeditam à calefaciendo, per productionem caloris: ergo illa natura, ſi eſt poſsibilis, defactò exiſtit: ſed non exiſtit, vt ſupponimus: ergo non eſt poſsibilis. Certè efficacitèr deducitur, ſaltèm non eſſe poſsibilem naturaliter: at natura ſubſtantialis, quæ non eſt poſsibilis naturaliter, eſt omnino impoſsibilis: cum omnis natura ſubſtantialis ſit ordinis naturalis, ex repugnantia naturæ ſubſtantialis ſupernaturalis: ergo efficacitèr probatur impoſsibilitas ſubſtantiæ ſpiritualis non cognoſcitivæ, ex eo, quod defactò non exiſtat.

73 Vide diſcurſum ingenioſ. Magiſt. in quo pro explicatione conſequentiæ difficilis, miſcentur plura difficiliora ipſa conſequentiâ, & quia nimis ſubtilia, parùm ſolida. Incipio ab vltimo, in quo ſiſtit ſpecialis iſta cogitatio, ſcilicèt, poſſibilitatem ſubſtantiæ ſpiritualis nō cognoſcitivæ, deducere vſquè ad poſsibilitatem creaturæ ſubſtantialis ſupernaturalis: quod ſi probetur, quid indè ad me, qui tract. de viſione fuſè diſputavi, & admiſi poſsibilitatem talis ſubſtantiæ? Deinde, quid magis diſtans ab impoſsibilitate, aut non repugnantia ſubſtantiæ ſpiritualis, non cognoſcitivæ, quàm poſſibilitas, aut repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis? Quod, vt conſtet, eadem forma poſſet probari: vel Deum non poſſe negare igni combuſtionem; vel ignem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem: ſiquidem ignis, vt non comburens non eſt naturaliter poſsibilis: ſubſtantia, quæ non eſt naturaliter poſsibilis, eſt ſubſtantia ſupernaturalis: ergo ignis, aut neceſſariò debet comburere, aut eſt ſubſtantia ſupernaturalis. Fallit hæc conſequentia, tum ex ſupernaturalitate Philoſophyca, quæ non eſt illa ſupernaturalitas Theologica, quæ intenditur abſurda in ſubſtantia; aliàs repugnaret, quòd canis produceretur ab homine ob ſupernaturalitatem, quam canis haberet reſpectivè ad talem productionem: & quidem inconſequenter ad doctrinam ipſius Suarij defendentis, quodvis poſſe elevari ad producendum quodvis; tum ex ſupernaturalitate reſpectiva, quæ non opponitur cum naturalitate abſoluta, ſicut poſsibilitas abſoluta hominis non opponitur cum impoſsibilitate reſpectiva eiuſdem, vt ſit lapis: tum ex ſupernaturalitate quoad modum, quæ optimè, & ſine vllo abſurdo componitur in ſubſtantijs cum naturalitate abſoluta, & intrinſeca, quibus omnibus modis deficit efficacia alterius conſequentiæ.

74 Haud magis efficacitèr procedit in probando miraculo, quod intercederet in non productione ſubſtantiæ ſpiritualis non cognoſcitivæ: nàm idem probaretur, ſi Deus non produxiſſet creaturam infimam, & creaturam maximam: àc per conſequens, nec per exceſſum, nec per defectum poterit Deus amplius producere, quàm produxit; dabiturque creatura omnium maxima, & omnium minima, non modo poſsibilis; verùm exiſtens; quod nullus, quem ſciam, hucuſquè dixit: nec iſtud ſolum, verùm ſine miraculo non poſſet Deus intra quemvis perfectionis gradum relinquere aliqua quoad extenſionem imducta: vndè omne, quod Deus non produxit, erit impoſsibile. Aſſumptum probo. Sicut natura non permittit, aliquod ſpatium capax corporis eſſe corpore vacuum: ſic natura non permittet eſſe aliquod ſpatium perfectionis capax, perfectione vacuum: ſed ſpatium perfectionis eſſentialis replebile per eſſentialem perfectionem, eſt *poſsibilitas*, ſicut iuxtà te, ſpatium replebile per ſubſtantiam ſpiritualem, non cognoſcitivam eſſet

ſet poſsibilitas ipſius: ergo omne, quod Deus penès exceſſum, & defectum poteſt producere ſine miraculo, non eſſet improductum. Deindè: ſicut vacuum inter corpora evitatur à natura omni modo, id eſt, non tantùm rectè; ſed tranſversè, & obliquè: ſic natura evitabit vacuum perfectionis intenſivæ, & extenſivæ: ergo omne, quod Deus extenſivè in quavis ſpecie poteſt producere cum miraculo, erit non productum. Item: natura, quæ realiſsima quidem eſt, & non habet oſtenſiones ſimulatas, ſicut agentia libera, nollet primatum tenere intèr ſubſtantiam eam, quæ in re prima ex poſsibilibus non eſt; nec infimū locum, quæ ex poſsibilibus in re infima omnium non eſt: ergo non magis non permittet interruptionē graduum perfectionis, quàm inceptionem, aut deſitionem perfectionis, quandò ab inferiori incipi poteſt, & in ſuperiori alio poteſt ſiſti: etiam ſicut dedecus eſt, inferioris eſſe caudam vniverſi, cum attenta rerum poſsibilitate, poſſet habere locum honoratiorem; ita ſimiliter eſt dedecus naturæ, non habere quantam perfectionem extenſivam, & intenſivam poteſt habere, manendo in loco inferiori ad aliud complexum, quod ex ipſa, & alijs creaturis perfectioribus intenſivè, & extenſivè poteſt exiſtere: ergo ſi illud dedecus redderet miraculoſam inceptionem à non infimo: hoc reddet miraculoſum, nō ornari naturam in quantum poſsit.

75 Paritas vacui craſiſsima eſt pro tanta ingenij ſubtilitate: aliàs ea ductus, dicat, ſubſtantias imperfectiores poſſe deſerere ſuum ſpatium perfectionis, & aſcendere ad perfectionem ſuperiorum; ſicut corpora ad evitandum vacuum ſæpè ſublevantur, contra propriam inclinationem, & connaturalitatem ſpatij, ad locum, & ſpatium ſuperius, & ſuæ gravitati violentum: vndè redarguam, & dicam: non exiſtente ſubſtantia ſpirituali non cognoſcitiva poſsibili, nullam dari interruptionem perfectionis, cum pro ea ſubſtituat ſubſtantia, ſibi proximè inferior, quaſi attracta à perfectione ſuperiori ad vitandum vacuum perfectionis, & ſatisfaciendum pulchritudini ſubordinationis: quæ ſi futilia, ne dicam, ridicula, cenſeri debent, quantum proſit paritas vacui, quantæque efficatiæ ſit, ad impugnandam poſsibilitatem ſubſtantiæ ſpiritualis, non cognoſcitivæ, iam ſe prodit.

76 Sed permittamus doctrinam iſtam de vacuo perfectionis, ſicut & exigentias illas mirabiles rerum ſubſtantialium, & honorabilitates prætenſas ſitquè natura compoſita, ad modum Academiæ Pariſienſis, aut Complutenſis, in quibus infima deſignatio Doctoratus horrorem incutit, & dedecus. Adhuc: quid pro conſequentia illa: *Non exiſtit: ergo non poteſt exiſtere*? Dici enim poteſt 1. Talem ſubſtantiam eſſe inferiorem anima rationali, quia non cognoſcitivam, & intellectivam; at eſſe æqualem cum ſubſtantia altera inferiori; v.g. cum *Viventi vegetativo*, quam excederet ratione ſpiritualitatis, & à qua excederetur æquè æſtimabilitèr, ratione vitæ: propterea què exiſterent, quaſi penetrabiliter, in eodem perfectionis gradu: quare ex defectu illius nullum daretur perfectionis vacuum: maneret namquè ſatis repletum ſpatium illud per ſubſtantias vegetativas. Dici etiam poteſt 2. Eam ſubſtantiam poſsibilem non pertinere ad ordinem huius vniverſi; ſed alterius, quem Deus, ratione ſuæ infinitæ potentiæ, poteſt producere: pro vacuo autem perfectionis in hoc ordine rerum non ſufficit quivis defectus perfectionis, quę, quoad quantitatem æſtimabilitatis, poſsit conſiderari intermedia, inter aliquos gradus perfectionum, exiſtentium; cum vltra ſit neceſſaria pertinentia ad talem ordinem, ex ſubordinatione ad vnas ſubſtantias, & ſuperioritate ad alias, iuxta propriam inclinationem. Standum ergo eſt communi ſolutioni argumentī Doct. Eximij; pro cuius veneratione ſufficit authoritas tanti Magiſtri.

77 Obijc. 1. Subſtantia ſpiritualis perfectior eſt ſubſtantia corporea: ſed ſi non eſſet cognoſcitiva, nequè eſſet illa perfectior, cum inter ſubſtantias corporeas dentur cognoſcitivæ, & omne cognoſcitivum excedat non cognoſcitivum: ergo omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt cognoſcitiva. Concedunt aliqui mai. apud Oviedo, & negant min. putantes ſubſtantiam aliquam non cognoſcitivam, nec viventem vita ſenſitiva eſſe perfectiorem viventibus imperfectis, vt probant in formis Cœlorum. Sed melius, quia vniverſaliùs reſpondetur cum ipſo per diſtinctionem mai. Subſtantia ſpiritualis perfectior eſt *abſolutè*, ſubſtantia corporea: nego maiorem: *Cæteris paribus*, & facta tantum compa-

ra-

ratione prædicati *spiritualis* cum prædicato *corporei*, concedo mai. & dist. min. si non esset cognoscitiva, non esset perfectior *absolutè* substantia corporea, concedo min. non esset perfectior *cæteris paribus*, & comparatione facta inter prædicatum *spiritualis*, & *corporei*, neg. min. & consequentiam. Itaque sicut accidens spirituale ex hoc prædicato excedit quamvis substantiam materialem, quin sit bona consequentia: *ergo accidens est perfectius absolutè quavis substantia materiali*: paritèr non est bona. *Substantia spiritualis excedit, ex hoc prædicato, substantiam materialem: ergo absolutè substantia spiritualis excedit quamcumque substantiam materialem, & corpoream.*

78 Contra hanc solutionem insistit Herrera. Omnem substantiam spiritualem, ex hoc solò capite, excedere absolutè omnem substantiam materialem, & corpoream: quod probat 1. ex D. August. tract. ad Psalm. 145. vbi ex spiritualitate non modò comparativè; verùm absolutè probat, animam rationalem excedere in perfectione omnes res corporeas: dicit enim loquens de nostra anima. *Natura animæ præstantior est, quàm natura corporis: excellit multum: res spiritualis est: res incorporea est: vicina est substantiæ Dei.* 2. ex D. Iren. lib. 2. c. 54. in quo refellens erroremGnosticorũ asserentium: Deum esse corporeum, cum tamèn Angelos, & seipsos spirituales existimarent, infert ex eorum doctrina, Angelos, & ipsos Gnosticos perfectiores esse Deo: ergo sentit: spirituale esse absolutè perfectius corporeo: aliter discursus vim non haberet, posset enim à Gnosticis eludi per distinctionem excessus comparativi, & absoluti, qua data, convinci non possent de inferioritate Dei ad Angelos, & seipsos: quam ex concessis intendebat deducere argumentum.

79 Respondeo negando assumptum. Ad cuius 1. ex August. probationem dicatur: verba ipsius proponi truncata, quæ si integrè, prout debent, referantur, potius nostrum, quàm adversariorum intentum confirmant: adiungit enim immediatè S. Doct. *Invisibile quoddam est, regit corpus, movet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines, & quis est tandèm, fratres charissimi, qui sufficiat in laudibus animæ.* Ecce quanta congerit August. ad concludendum excessum absolutum animæ supra corpus, & quantum distat à persuasione præstantiæ animæ rationalis, per solam comparationem ad prædicatum *spiritus*, & *immaterialis*. Non est efficacior 2. probatio ex Ireneo, pro cuius discursus vi, deducendo ad absurdum, nõ erat necessarium concludere excessum absolutè Angelorum, & Gnosticorum suprà Deum; sed excessum comparativum ex prædicato *immaterialitatis*, & *spiritus*, quod est perfectio melior ipsa, quàm non ipsa: ac per consequens si in Deo non esset, nequè esset ens infinitè, & summè perfectum, quo nihil melius excogitari possit: siquidem melius esset ens, in quo cum reliquis prædicatis loco corporis esset spiritus ratio,

80 Obiic. 3. Aliqua sunt prædicata, quæ absolutè inferunt in substantijs maiorem perfectionem: ergo prædicatum *spiritualis* infert in substantia absolutè maiorem perfectionem. Antecedens constat in prædicato *viventis*, *cognoscitivi*, & *intellectivi*, quæ sunt incommensurabilia, & inæquabilia per quæcumque alia prædicata. Consequentia prob. quia illud accidit ob excellentiam prædicatorum; cumque prædicatum *spiritus* sit nimis excellens, erit per consequens incommensurabile, & inæquabile per alia prædicata. Posset negari antecedens ob repetitam instantiam gratiæ, & visionis beatificæ, quæ non sunt cognoscitivæ, & tamèn excedunt cognoscitiva, & intellectualia: sed permisso antecedenti, negatur consequentia, quæ instari potest in prædicato *incorruptibilis* non inferenti ex se absolutè maiorem perfectionem, quamvis sit prædicatum excellens. Et ratio est: quia non quæcumque excellentia sufficit pro inæquabilitate ex alijs prædicatis, sed nimia, qualis est illa, quæ invenitur in prædicatis assignatis; secus in prædicato *spiritualis*, in quo talis gradus perfectionis non apprehenditur.

81 Replicabis. Spiritualitas est perfectio simplicitèr simplex, ideoquè melior ipsa, quàm non ipsa: Sed id, quod est melius ipsum, quàm non ipsum, est id, quod per sui defectum facit absolutè inferius ad seipsum: ergo spiritualitas est perfectio superans absolutè quodvis aliud, in quo ipsa non inveniatur. Respondetur: de ratione perfectionis simplicitèr simplicis tantum esse excludere imperfectionem *positivè* à suo conceptu, id est, quod ex suo conceptu non

dicat positivè imperfectionem, per determinationem ad illam, & quod sit melior ipsa, quàm non ipsa, tùm respectivè ad suum defectum, & prædicatum oppositum *positivè*, tùm absolutè, quando cætera sunt paria, quod quidem invenitur in spiritualitate, non dicente ex se positivè imperfectionem, & excedente respectivè suum defectum, & prædicatum oppositum *corporeitatis*, & *materialitatis*, facta comparatione inter ipsa sola, sicut & absolutè, quando cætera sunt paria, talitèr, vt comparatis inter se substantijs, quoad cætera paribus, & tantum, quoad prædicata *materialitatis*, & *spiritualitatis* discrepantibus, evadat simplicitèr, & absolutè perfectior spiritualis, quàm corporea: quomodò videre est in prædicato *incorruptibilis*, cuius perfectio est simplicitèr simplex per id præcisè, quod ea semper addita eisdem prædicatis, faciat absolutè melius, quàm esset sine ipsa. Ad formam concess. mai. disting. min. id, quod est melius ipsum, quàm non ipsum *respectivè tantùm*; *vel absolutè, comparatione facta inter eadem prædicata*, est id, quod per sui defectum facit absolutè inferius: neg. min. id, quod est melius ipsum, quàm non ipsum *absolutè cæteris imparibus*. est id, quod per sui defectum facit absolutè inferius: concedo min. & nego consequentiam.

82 Obijc. 4. Corporeitas impedit cognitionem: ergo vbi non est corporeitas, poterit esse cognitio: sed posse esse cognitionem est esse cognoscitivum: ergo vbi non est corporeitas, vt non est in substantia spirituali, est cognoscitivum. Negatur antecedens, tum loquendo de cognitione absolutè sumpta: quia bruta sunt materialia, & corporea, & sūt cognoscitiva: tum restrictè ad cognitionem intellectualem: quia homo, vt homo, est corporeus, & habet cognitionem intellectualem. Deindè permisso antecedenti, nego consequentiam: nam ablatio vnius impedimenti non est ablatio omnium: quarè ipso ablato possunt remanere alia, non secùs ac tua præsentia in loco *A* est mihi impedimentum, vt occupem illud spatium, & tamen deficiente tua præsentia à tali loco, possum remanere impeditus ad illud occupandum, per introductionem aliorum corporum.

83 Obijc. 5. Cuicumque substantiæ debentur operationes proportionatæ: ergo substantiæ spirituali debentur operationes spirituales: sed nullæ possunt esse operationes spirituales, nisi procedentes à principio cognoscitivo, nempè intellectiones & volitiones: ergo omni substantiæ spirituali debetur principium cognoscitivum, requisitum ad eas operationes. Respondeo: verum esse, cuilibet substantiæ deberi operationes proportionatas, & substantiæ spirituali esse proportionatas operationes spirituales; falsum tamen est, has non posse esse distinctas ab appetitione, & cognitione spiritualibus, cum posset talis substantia plures qualitates in se producere, tanquam passiones ipsi debitas, per operationes spirituales non vitales. Nec obstat, quod à nobis assignari non possint, vt admittantur non repugnantes, sicut admittimus, non repugnantem, alium mundum, summè diversum ab hoc, qui defacto existit; quin valeamus designare naturas, ex quibus componeretur, nec proprietates, quæ tales naturas consequerentur: præterquamquòd iam designat aliquas Arriaga, scilicèt, productionem motus localis in se, & in alio, & alicuius lucis spiritualis: modò, quo substantiæ materiales, non cognoscitivæ, possunt producere accidentia materialia, distincta à cognitione, & appetitione materialibus.

84 Obijc. 6. Substantiæ perfectiori debetur perfectior operatio: sed substantia spiritualis est perfectior substantia corporea: ergo debentur illi perfectiores operationes: at substantiæ corporeæ debentur operationes vitales: ergo substantiæ spirituali debentur operationes vitales, non vtcumquè; sed perfectiores in tali linea, quales sunt intellectio, & volitio. Respondetur: substantiæ perfectiori deberi operationes perfectiores pro modo, quo perfectior est: vndè si sit perfectior tantùm respectivè ad aliquod prædicatum, debebuntur illi operationes perfectiores respectivè ad tale prædicatum; si verò sit perfectior absolutè, & omnibus pensatis, debebuntur etiam operationes perfectiores absolutè, & omnibus pensatis: cum autem substantia spiritualis, vt iam dictum est, non sit absolutè perfectior substantia corporea, & materiali, sed respectivè duntaxat ad prædicatum *spiritualitatis*, debebuntur illi operationes perfectiores respectivè ad tale prædicatum: quòd componibile est cum eo, quòd substantia materialis, sicut aliundè superat in

esse,

esse, superet etiam in *operari* per exercitia cognoscendi, & appetendi, quibus caret substantia illa spiritualis.

85 Objic. 7. Intellectivum oritur ex aliquo prædicato: Sed non ex alio, quàm *spiritualitatis*: ergo *spiritualitas* est radix cognoscitivi, & intellectivi. Insto. Cognoscitivum oritur ex aliquo prædicato: sed non ex alio, quàm *immaterialitatis*: ergo *immaterialitas* est radix cognoscitivi: ac per consequens repugnabit substantia, cui competat conceptus *immaterialitatis* per recessum à materia, quæ non sit cognoscitiva: cognoscent ergo plantæ. Respondetur: quod si intellectivum formale distinguatur ab intellectivo radicali, intellectivum formale oritur ab intellectivo radicali, & intellectivum radicale est per se constitutivum speciei, absquè indigentia alterius radicis, sivè realis, sivè formalis; si verò non detur distinctio inter intellectivum formalè, & radicale, vtrumquè est speciei constitutivum, absquè alia ratione formali.

86 Instant. Ex prædicato *spiritualitatis*, & *immaterialitatis* oritur aliqua ratio formalis: non alia distincta à cognoscitivo intellectualitèr: ergo ex immaterialitate substantiæ spiritualis oritur cognoscitivum. Respondetur: instantiam esse ineptam ad probandum: intellectivum, & cognoscitivum oriri ex spiritualitate, tanquàm ex radice: quia prædicatum *rationalis* in homine, & Angelo tale est, ex quo oritur aliqua ratio formalis, nempè, posse intelligere, & tamèn posse intelligere non radicatur in rationali; sed est idem formalitèr cum ipso. Et ratio est: quia ly *oritur* applicatum formis metaphysicis, quoad suos effectus formales præcisè significat communicationem talis effectus, qui nèc formalitèr distinguitur à forma: ideoquè non manet locus radicationi. Dicendum absolutè: ex prædicato *spiritualis* oriri in substantia rationem formalem, constitutivam spiritus, scilicèt, *non spectare intrinsecè ad impenetrabile*: quæ ratio absquè cognoscitivo, & intellectivo potest existere.

87 Objic. 8. Intellectivum, & cognoscitivum formalitèr est immateriale: ergo immateriale non potest esse sine cognoscitivo. Antecedens constat, quia negari non potest: cognoscitivum, & intellectivum formalitèr, vt talia, maximè recedere à materia. Probatur consequentia. Nulla ratio formalis potest esse sine illo, cuius est ratio formalis metaphysica, aliàs definitio posset esse sine definito: ergo si cognoscitivum, & intellectivum est formalitèr immateriale, hoc nequit existere sine cognoscitivo. Posset similitèr infetri: immateriale non posse esse sine intellectivo, & cognoscitivum sine intellectivo, cum immaterialitas sit in cognoscitivo, & immaterialitas sit de conceptu intellectivi. Respondetur: immaterialitatem esse rationem formalem inadæquatam cognoscitivi, & intellectivi: id autem, quòd est de ratione formali inadæquata alicuius, potest existere sine illo, quin valeat mutuò consequentia ab vnius existentia ad existentiam alterius, vt constat in quavis ratione generica, quæ est de conceptu formali inadæquato speciei, & quamvis benè valeat ab specie ad genus, vt *est homo*: ergo *est animal*; secus à genere ad speciem, vt *est animal*: ergo *est homo*.

JHS.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE NONNVLLIS PRÆDICATIS, & perfectionibus Scientiæ divinæ in communi.

PROPOSITA Quidditate Scientiæ Dei in communi, eiusque existentia probata, restat examinare distinctè, & in particulari prædicata, & perfectiones eiusdem: nec non quid cuique repugnet: quid verò sit consonum. Cæterum, quia omnia prædicata, sub vna disputatione complecti, nimis longum esset, vsque ad fastidium legentium, relicta simplicitatis ad sequentem disputationem, in hac reliquas omnes diſperſecutiectione mus.

CAPVT I.

De Veritate, Certitudine, & Evidentia divinæ Scientiæ.

1 VERITAS Formalis Scientiæ est conformitas actus cum obiecto talis, vt obiectum eo modò se habeat in se, sicut per actum intellectus repræsentatur. Certitudo etiam formalis, & prout se tenet ex parte actus, est connexio, ex qua redditur infallibilis, propter inseparabilitatem ab obiecto, eo modò, quo per actum repræsentatur: vndè est determinatio ex parte actus, ad sui veritatem formalem, quæ si sit non tantum moralis; aut Physica, reddit actum omninò infalsificabilem, & infallibilem. Evidentia est claritas, & perspicuitas talis in repræsentando, vt si sit summa, id est, metaphysica, excludat omne dubium, aut formidinem intellectus, circà obiectum eo modò, quo per Scientiam proponitur.

2 Dei Scientiam esse verisimam, certissimam, & evidentissimam, constat ex fide in omnibus illis locis, quibus proponitur Scientia Dei, vt perfectissima, qualis non esset, si his perfectionibus non constaret: esset enim exposita falsitati, dubitationi, formidini, & hæsitationi, quæ imperfectiones sunt limitatè, & finitè cognoscentium, & quæ à prima veritate debent recedere, *neque ipsa sapientia*, vt inquit August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 8. *Fuit insipiens, neque esse vnquàm potest*, & quidem veritas, & certitudo divinæ Scientiæ clarè definitur. Proverb. cap. 24. *Inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* Perspicatia autem, & evidentia Ecclesiastici, cap. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circunspicientes omnes vias hominum.* Ad Hebræos, cap. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* 1. Ioan. cap. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.*

3 Constat insuper ex naturali ratione, ex qua evidentissimum est: sicut Deum esse summè perfectum, sic habere omnia illa, quæ sunt necessaria ad summam perfectionem: sed Deus sine Scientia verissima, certissima, & evidentissima non haberet ea, sine quibus summa perfectio non est; cum esset superior alius gradus perfectionis, in quo excellentiæ illæ reperirentur: ergo evidentissimum est, Scientiam divinam his perfectionibus gaudere. Ex evidentiæ perfectione colligitur: debere esse evidentiam determinatè intuitivam, & nō per species alienas, & qua cognoscatur obiectum ad modum alterius: sicut nos, per imperfectum modum nostrum intelligendi cognoscimus plura, quæ evidenter intelligimus.

No-

4 Notat Izquierdo. Omnes actus divinæ Scientiæ, qua ratione sint, aut concipi possint distincti, æquales esse quoad veritatem, certudinem, & evidentiam circà quæcumque obiecta versentur: quia istæ perfectiones, cum sint essentialitèr in summo respectu cuiuscumque actus divini, non possunt suscipere magis, & minùs. Nec obstat primò. Veritatem formalem actus divini respicientis obiectum extrà Deum esse denominationem semi-extrinsecam, & quæ ab obiecto desumitur: quia licèt obiecta in ratione entitatis, & perfectionis habeant inæqualitatem; v. g. *Angelus, & homo: homo, & lapis*; in ratione tamèn conformium actui, ex se determinato ad ea affirmanda, eo modò, quo sunt, non suscipiunt magis, & minus, sicut vlnaris quantitas ferri æqualis est vlnari quantitati auri, in ratione mensuræ; quamvis quoad estimabilitatem, vel alia munera sint inæqualia. Nec obstat 2. Veritates contingentes posse deficere; secus necessarias, in Deoquè dari vtramquè veritatem, contingentem, & necessariam, vt indè inferatur excessus vnius veritatis suprà aliam: nàm necessitas non auget veritatem, & perfectionem in tali linea; sed æqualem veritatem constituit indefectibilem, & permanentem; & dato, quod augeret, id esset tantùm comparativè ad actuss, qui ita sunt contingentis veritatis, vt possint esse falsi, aut, qui diverso modò possunt deficere; ac actus necessarij, nec cum illis realitèr identificantur; non sic respectu actus contingentis, qui ex vna parte est essentialitèr infalsificabilis, & ex alia parte, propter realem identitatem cum actu necessariò affirmat, quidquid hic affirmat, & est defectibilis in ratione veri, non alitèr ac actus necessarius est defectibilis, vt dicemus, loquentes de contingentia divinæ Scientiæ, & de constitutivo illius.

5 Hæc dixi propter notatum, & doctrinam communem; verùm inconveniens vllum non invenio in eo, quòd vnus actus divinus; v. g. actus necessariæ veritatis diceretur magis verus, quàm alius, scilicèt, contingentis veritatis, non per recessum à falsitate positiva, à qua omnes eodem modò distant, cum ei æqualitèr repugnent; sed per maiorem accessum ad veritatem positivam, in quantum actus necessarius semper debet existere verus; & actus contingens eo modò, quo potest deficere, potest similitèr verus non esse. Et ratio est quia sicut veritas est essentialis proprietas actuum intellectus divini, ità voluntarietas propria essentialitèr est actuum divinæ voluntatis: sed actibus divinæ voluntatis conceditur à Theologis inæqualitas voluntarietatis, dicentibus alijs, voluntarium liberum esse magis voluntarium voluntario necessariò; alijs verò è contra, voluntarium necessarium esse magis voluntarium voluntario libero, quin indè, nequè in Deo, neque in actibus suæ voluntatis aliqua imperfectio deducatur, sumpta imperfectione pro defectu æstimabilitatis; non pro defectu alicuius gradus pertinentis ad illam lineam, qua etiam doctrina vtuntur loquentes de actibus voluntatis Dei, non habentibus pro motivo formali bonum infinitum, vt tenet Sententia multorum, dicentium: Deum posse amare creaturas propter seipsas, in qua negari non potest aliquo verò sensu actum habentem motivum infinitum ex genere suo, dicere excessum ad actum habentem motivum finitum: cur ergo similitèr idem non poterit affirmari de actibus divini intellectus inter se comparatis?

6 Nec respondeas, ad illud esse fundamentum; secus ad hoc: si quidem certissimum apparet esse magis verum in linea veritatis determinativæ, & formalis actum, cui deficere nunquam potest vtraque veritas, quàm actum, cui vtraque deficere potest per non existentiam sui: sed actus necessarius est talis, cui nec veritas formalis, aut determinativa vnquam deficere potest; actus verò contingens talis est, cui veritas, tàm formalis, quàm determinativa deficere potest per non existentiam sui: ergo datur fundamentum, vt actus divinus necessarius sit magis verus, quàm actus divinus contingens.

7 Objcit Arriaga in Logica, disp. 14. sect. 3. rationem, quàm de more vocat evidentem. Ad quamcumque veritatem requiritur existentia sui obiecti, sicut per propositionem affirmatur: sed licèt vna existentia, sit alia perfectior, aut magis necessaria, nequit tamèn esse maior alia, vt ex ipsis terminis patet: ergo nequè vna veritas potest esse alia maior. Confirmat. Propositionem esse veram, dicit eius obiectum omninò esse, sicut per ipsam affirmatur: sed ne-

quit esse vnum obiectum magis omninò, sicut per propositionem affirmatur, quàm aliud: ergo nec veritas.

8 Insto formam arguendi. Ad quemcumque effectum formalem requiritur existentia suæ formæ, sicut est capacitas subiecti, seu pro modo capacitatis subiecti: sed licèt vna existentia formæ sit alia perfectior, aut magis necessaria, nequit tamèn esse maior alia, vt ex ipsis terminis constat: ergo nequè vnus effectus formalis potest esse maior alio. Ad argumentum concessa maiore, nego minorem, quæ non est tàm ex terminis vera, vt putat obijciens. Ad confirmationem, disting. mai. propositionem esse veram dicit, eius obiectum omninò esse, sicut per ipsam affirmatur ly *omninò excludente disconformitatem negativam*, nego mai. ly *omninò excludente disconformitatem positivam*, concedo mai. Et disting. min. nequit esse vnum obiectum magis omninò sicut per propositionem affirmatur, quàm aliud si ly *omninò excludat disconformitatem, tàm positivam, quàm negativam*, concedo min. *si excludat tantùm disconformitatem positivam*, nego min. & consequentiam. Est dicere: de ratione veritatis simplicitèr talis est, quod obiectum non habeat disconformitatem positivam ad actum, talitèr, vt actus ipsum repræsentet alitèr ac est; at non est de ratione veritatis simplicitèr talis, quod obiectum habeat omnem gradum cõformitatis possibilis, scilicèt, conformitatem, ità indefectibilem, vt nunquàm possit verificari de ipsis, non esse conformia.

9 Obijc. 2. Sicut maior duratio non auget rem in suo conceptu, ità omnimoda necessitas existendi, non debet augere rem in suo conceptu: *Quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis*: ergo omnimoda necessitas actus divini indefectibilis non auget veritatem illius, comparativè ad contingentiam. Omitto intelligentiam axiomatis malè adducti, cuius veritas, si aliqua est, debet intelligi *positivè*; non *negativè*: aliàs *quaternarium*, quod per binarium non constituitur, nec per binarium repetitum, aut multiplicatum constitueretur, & nego suppositum antecedentis: nàm duratio rei in aliquo conceptu auget multoties rem in ipso: sic ignorantia, quæ plus durat, cæteris paribus est maior ignorantia ea, quæ minus durat; sicut per oppositum Scientia permanentior est maior, & crescit in ratione talis, cum excessu ad Scientiam defectibiliorem: præcipuè quando maior perseverantia, & minor stabilitas non sunt accidentales; sed ex propria natura, & determinatione conceptus.

CAPVT II.

An cum his perfectionibus componatur simplex apprehensio alicuius veritatis in divino intellectu?

10 SIMPLEX apprehensio dicitur actus ille, quo intellectus simplici quodam modo in obiectum tendit, veluti illud aspiciendo, nihil tamèn circa ipsum determinando, ad eum ferè modum, quo oculi nostri obiectum propositum aspiciunt. Affirmat Izquierdo, possibilem, & existentem in Deo, disp. 23. de Scientia, quæst. 3. propositione 2. citans pro se Gabrielem in 1. dist. 39. quæst. vnica, art. 1. Corduvam lib. 1. quæst. 55. dub. 6. Gasparem Hurtado disp. 2. de Scientia, difficult. 3. & alios: nec refragari, inquit, Vazq. 1. part. disp. 75. cap. 4. num. 20. Et Exim. Suar. disput. 30. Metaph. sect. 15. num. 39. addens, se non agnoscere, saltèm in veritatibus conditionalibus, quomodò id possit negari: præcipuè cum in Deo non sit, aut ex imperfecto modò cognoscendi, aut ex non benè percepta veritate obiecti, quomodò in nobis invenitur, & imperfectionem dicit. Oppositum tenet Ruiz disp. 13. de Scientia, sect. 2. num. 8. adducens etiam pro se Suar. & Vazq. & alios RR. quos sequitur P. Herrera tract. de Scientia, quæst. 7. sect. 5. In hac controversia multum timeo de nomine, cum negari nequeat: omnem divinum actum realitèr secum identificare omnem modum affirmandi obiectum, quo istud affirmabile est.

11 Sequor hanc secundam sententiam, cum qua conclusio sit: *Repugnat in Deo simplex apprehensio alicuius veritatis, seu obiecti.* Prob. 1. authoritate Scripturæ, ex qua constat. Sther cap. 14. *Deum habere omnium Scientiam*: sed si

Deus

Deus cognoscerèt aliquid purè apprehensivè, non haberet omnium Scientiam: ergo nihil potest cognoscere purè apprehensivè. Discursus est legitimus & mai.certa:prob.min.Id,quod Deus cognoscerèt purè apprehẽsivè, est id de quo non esset suasio, aut dissuasio : sed id de quo non est suasio, aut dissuasio, non est Scientia, vtpotè, quæ includit firmum iudicium de obiecto: ergo si Deus aliquid cognoscerèt purè apprehensivè, non haberet omnium Scientiam.

12 Dices : ibi tantùm excludi apprehensionem, vt existentem; non, vt possibilem. Sed contra: quia ibi dicitur: Deum omnia scire, seu omnium habere Scientiam, quasi perfectionem essentialissimam Dei: sed perfectio essentialissima Dei,nec defactò,nec de possibili potest ei deficere: ergo defactò, & de possibili apprehensio simplex non potest in divino intellectu existere. Contra deindè: quia argumenta contraria si aliquid probant,hoc quidèm est,defactò Deum purè apprehendere: ergo si defactò non purè apprehendit, nec de possibili.

13 Probatur 2. à ratione. Deum cognôscere aliquod obiectum,modo simili ignorantiæ imperfectio est Deo repugnans:sed cognoscere purè apprehensivè, est cognoscere modo simili ignorantiæ:ergo cognoscerè purè apprehensivè,est cognoscere Deo repugnans.Maior est certa: Prob.min. cognoscere purè apprehensivè, est cognoscere taliter obiectum, vt nulla sit de eo persuasio, aut sententia, nec cognoscens possit respondere rogatus, quid sit, aut non sit obiectum? Existat nè, aut non existat? sed modus hìc cognoscendi est modus similimus ignorantiæ, in qua hæc inveniuntur : ergo cognoscere purè apprehensivè, est cognoscere modo simili ignorantiæ. Confirmatur 1. Cognoscere vndequaquè scientificè, est cognoscere perfectius, quàm cognoscere non vndequaquè scientificè: sed cognoscere Dei ex parte apprehensivè, est cognoscere Dei non vndequaquè scientificè : ergo cognoscere Dei, in quo sit simplex apprehẽsio,est cognoscere imperfectius, eo,in quo simplex apprehensio non permittitur: ac per consequens Deo repugnans. Confirmatur 2. Apprehensio simplex excludit iudicium de obiecto : sed cognitio perfectissima non excludit iudicium de obiecto, imò cum omni tendentia de eo, prout iudicabile, realiter identificatur : ergo cognitio Dei non esset perfectissima, si in ipsa simplex apprehensio posset existere.

14 Probatur 3. ab eversione fundamenti oppositi. Obiectum pro nullo signo est cognoscibile à Deo, pro quo non sit iudicabile ab ipso : ergo vel dicendum est:Deum pro aliquo signo non habere persuasionem de obiecto, quam hoc terminare potest : ac propterea, quòd Scientia Dei est imperfecta, eiusque intellectus non perspicax, vel negandum:posse dari in Deo apprehensionem simplicem. Probatur antecedens. Aut enim obiectum est in signo necessariorum, aut in signo contingentium? Si in signo necessariorum; aut erit necessarium quidditativè; aut existentialiter, quibus modis, potius est sic iudicabile, quàm per oppositum : nec non; aut est conveniens, aut disconveniens alijs, de quibus fundare potest persuasionem; si in signo contingentium, per aliquid potius pertinet, quàm non pertinet ad tale signum, convenitque cum contingentibus, discrepatque à necessarijs certò, & absque ambiguitate vlla in essendo, cui correspondet certitudo, & nulla ambiguitas in cognoscendo : ergo obiectum pro nullo signo est cognoscibile à Deo, pro quo non sit ab ipso iudicabile: restat ergo tantùm, vt benè notavit Ruiz:posse nos per nostros conceptus præscindere expressiones, seu formalitates divinæ Scientiæ taliter, vt in aliqua, prout sic præcisa, non appareat iudicij ratio, vt accidit quando inadæquata claritate cognoscimus iudicium aliquod creatum, prout est expressio subiecti, aut prædicati, quomodo nobis non appareret, vt ferens sententiam de obiecto.

15 Objc. 1. Deus inconnexus cum possibilitate possibilium, & impossibilium impossibilitate pro signo, pro quo se intelligit, pariter se cognoscit, vt ita inconnexum : sed pro signo, pro quo se videt inconnexum cum possibilitate possibilium, & impossibilium impossibilitate,cognoscit possibilia, & impossibilia, & non iudicando: an sint, vel non sin talia: ergo pro signo, pro quo Deus se videt,purè apprehendit possibilia, & impossibilia. Prob. min. Deum esse inconnexum cum possibilibus, & impossibilibus, est respectus transcendentalis ad possibilia, & impossibilia, qui cognosci non potest, incognito termino respectus;aliundè cum pro eo signo

no

no præscindatur ab eo, quod sint possibilia, & impossibilia, non potest Deus iudicare: an sint possibilia, & impossibilia? ergo pro signo, pro quo Deus se videt inconnexum cum possibilium possibilitate, & impossibilium impossibilitate, cognoscit possibilia, & impossibilia, & non iudicando: an sint, vel non sint talia?

16 Nullum est argumentum, vt vides, si Deus adstruatur connexus cum possibilitate, & impossibilitate: verùm quia nostra sententia est, Deum esse inconnexum; cogimur difficultati satisfacere. Respondet Herrera: in tali sententia pro signo, pro quo intelligitur Deus secundum se, non solùm non intelligi possibilitatem possibilium, aut impossibilium repugnantiam; sed neque vlla prædicata distincta à Deo esse apprehensibilia: quarè pro illo signo prædicata nullius rei, distinctæ à Deo, valent vllo modo cognosci, quod non opponitur conclusioni nostræ, ex qua non negamus esse aliquod signum, in quo aliquod obiectum non sit cognoscibile: sed nullum esse signum, in quo obiectum sit cognoscibile, in quo etiam non sit iudicabile. Ast hæc solutio difficultatem integram relinquit: suadeo sic: pro signo, quo intelligitur Deus, intelligitur cum suis prædicatis essentialibus; sed vnum ex his prædicatis est inconnexio cum possibilibus, & impossibilibus, quod cum dicat respectum transcendentalem ad possibilia, & impossibilia, non potest cognosci, quin cognoscantur possibilia, & impossibilia: ergo pro signo, quo intelligitur Deus, intelligi debent prædicata alicuius distincti à Deo: sed non iudicativè: ergo tantùm apprehensivè.

17 Resp. RR. quod & si pro illo signo non sit cognoscibilis possibilitas, & impossibilitas absolutè, per affirmationē absolutam illarum: attamèn esse cognoscibiles, & iudicabiles conditionatè, in quantum de homine; v.g. affirmatur, & cognoscitur, quod, si sit possibilis, erit terminus divinæ virtutis; si verò impossibilis, non erit terminus illius, saltèm absolutè: insuperquè, quod si sit possibilitas, aut impossibilitas, non erit terminus divinæ connexionis. Hæc solutio etiam est inefficax: quia licèt benè vitet esse in Deo cognitionem purè apprehensivam; non sic sententiam inconnexionis, in qua sicut Deus ex se præscindit ab omni possibili, & impossibili, ita quoquè præscindit ab eo, quod possibilia, & impossibilia sint quomodocumque cognoscibilia, permittitquè possibilitatem, & impossibilitatem ita in suo conceptu obiectivo extingui, vt nullo modo sint cognoscibilia. Et ratio est: quia hoc, quod est possibilia, aut impossibilia esse aliquomodo verè affirmabilia, aut est possibile, aut impossibile? Sed quomodocumque se habeat, Deus, ab illo secundum se præscindit: ergo similitèr ab omni affirmatione, quæ sine eo, quod sint affirmabilia, non potest dari.

18 Respondebit alius: tunc non cognosci possibilitatem, & impossibilitatem in signo, quo cognoscitur Deus, ex vi cognoscendi Deum, propter inconnexionem ipsius cum possibilitate, & impossibilitate; at cognosci possibilia, & impossibilia in se ipsis iudicativè: quia sunt conceptus necessarij, simpliciter verificativè in esse talium, & omnis veritas necessaria est in eodem signo. Sed contrà: quia in ea sententia Deus est prior in subsistendi consequentia, omni alio distincto à se, adhùc verificativè: valet enim: *Est possibile hoc, aut illud: ergo est Deus*: non è contra: *Est Deus: ergo est aliquid distinctum possibile*. Sed ea, quæ sunt priora, & posteriora in subsistendi consequentia, non se habent in eodem signo: ergo Deus, possibilitas, & impossibilitas non sunt concomitanter in eodem signo: nec quamvis essent, adhùc vitaretur difficultas, tum quia Deus ex se permittit, quod non sint in tali signo propter independentiam, quam à conceptu possibilitatis, & impossibilitatis habet: ergo per consequens, permitteret ex se apprehensionem possibilitatis, & impossibilitatis, à qua tantùm ab extrinseco impeditur, per veritatem obiectivam possibilitatis, & impossibilitatis: quod si pro illo casu, quo deficeret possibilitas, & impossibilitas; apprehendis Deum se cognosciturum secundum sua intrinseca, absque apprehensione possibilitatis, & impossibilitatis, ut quid recursus de præsenti, pro evitanda cognitione apprehensiva Dei, ad cognitionem possibilitatis, & impossibilitatis, in se ipsis? tum quia semper manet difficile, nisi amplius explicetur: quomodo Deus possit se cognoscere cum prædicato inconnexionis absque cognitione possibilitatis, & impossibilitatis, quæ ex vi cognoscendi se ipsum, non sit purè apprehensiva.

19 Ve-

19 Vera solutio est: quod, quamvis nos non possimus pro hoc statu concipere, aut explicare inconnexionem, & independentiam Dei, à quovis alio distincto, nisi permodum respectus transcendentalis ad ipsum; Deus tamèn secundùm se, & prout intellitur in signo necessariorum, ad se pertinentium, nullum dicit respectum transcendentalem ad possibilia, & impossibilia, nec cognoscit se, vt inconnexum eum possibilibus, & impossibilibus, neque vt omnipotentem modo relativo; sed modo absolutissimo, & independenti, adhuc in cognoscendo ab omni, quod non sit ipse, in quantum se cognoscit, vt infinitè perfectum, & sibi sufficientissimum, à qua intrinseca independentia, & perfectione determinatur, vt post, in signo possibilium, & impossibilium, denominetur relativè independens, & relativè potens: sicut pro signo existentium: tamen hæ denominationes, & relationes non sunt adæquatè intrinsecæ Deo; sed semi-extrinsecæ, partim provenientes à prædicatis absolutissimis Dei, & partim à conceptibus obiectivis possibilium, & impossibilium, existentium, & non existentium, non aliter, ac denominationes *coexistentis*: *similis*: *dissimilis*, & *inæqualis*.

20 Quod si nimis moveat contra nostram solutionem modus noster imperfectus cognoscendi, vt per eum, & ad modum ipsius, cognitio divina debeat commensurari, & regulari, ne videamur ad incognita fugere, & rem difficilem terminis tantùm eludere, occurrat in promptu futurorum cognitio, quam nisi per *erit*, & modo quodam variabili, nescimus explicare, quod idem accidit in præteritis per *fuit*: nec propterea talem modum cognoscendi Deo tribuimus, sed dicimus: Deum modo quodam mirabili, omnis variationis expertè, seu per simplicem intuitum futura cognoscere, iuxta sententiam D. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 21. inter principium, & finem dicentis: *Non enim more nostro Deus, vel quod futurum est, prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum est, respicit; sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè, latèque diverso.*

21 Obijc. 2. Deus habet hos actus: *Si existat determinatum auxilium A; v. g. erit consensus: Petrus decedens in gratia, salvabitur.* Et alios similes: sed hi actus apprehendunt tantùm existentiam auxilij, & decessus in gratia: ergo datur in Deo simplex apprehensio Mai. tam certa est, ac nobis est certum: cognoscere Deum futura conditionata. Prob. min. Verita illorum actuum est compatibilis, tum cum existentia absoluta, tum cum absoluto defectu auxilij, & decessus in gratia: siquidem veritas conditionalis non indiget purificatione conditionis, Deumque relinquit liberum ad purificandam, vel non purificandam hypotesim: ergo actus illi, nec sunt affirmatio, nec negatio existentiæ auxilij, & decessus in gratia: sed attingunt existentiam absolutam auxilij, & decessus in gratia: ergo attingunt existentiam absolutam auxilij, & decessus in gratia, nec afirmando, nec negando; quod est simpliciter apprehendere.

22 Hoc argumentum, quod vehementer movet cõtrarios in suam sententiam, videtur mihi probare apprehensionem simplicem Dei, etiam vbi illam non admitunt. Observo formam, qua vtuntur, & intentum persuadeo. Deus habet hos actus: *Si existat auxilium A, existet consensus: Petrus decedens in gratia, salvabitur*: sed ex parte conditionati attingit existentiam absolutam consensus, & gloriæ, & non eis adhærendo, aliàs expositus esset falsitati, quandò conditio non purificatur: ergo non modo ex parte hypothesis; verùm ex parte conditionati datur in Deo simplex apprehensio, quod negant. Si respondeant: non adhærere per tendentiam absolutam, aut adhærere per tendentiam conditionatam: idem respondebo de hypothesi, cui Deus adhæret per tendentiam conditionatam, affirmando coniunctionem illius cum consensu, & gloria; & hæc est solutio tenenda: nàm non est cognitio apprehensiva ea, quæ aliquomodo tendit iudicativè in obiectum, quod repræsentat, sivè illud dicendo de alio, sivè aliud de ipso enuntiando, nisi velis: in quovis iudicio Deum apprehendere subiectum, & iudicare duntaxàt prædicatum: quod non dices.

23 Aliam solutionem tradit Herrera dicendo, Deum attingentem hypotesim; v.g. auxilium per eandem cognitionem, qua cognoscit hypothesim, affirmarè eius possibilitatem, quidquid sit, an affirmet, vel non affirmet existentiam illius: quia Deus affirmare debet de illa hypotesi quidquid affirmabile est

pro

pro illo signò; sed pro signo existentiæ est affirmabilis possibilitas: namque attingitur hypothesis, vt vera entitas exclusiva sui contradictorij, quod formalissimè est attingi, vt possibilem. Cui non adhæreo, & ita impugno: signum contingentium est signum, in quo non existunt veritates necessariæ: sed signum in quo affirmatur conditionatum contingens, sub hypothesi cum illo non connexa, est signum veritatis contingentis: ergo in eo signo non intelligitur affirmatio possibilitatis hypothesis, quæ est veritas necessaria. Si propterea nihil aliud velit, quàm pro eo signo attingi possibilitatem per affirmationem contingentem, hoc non est affirmari possibilitatem pro eo signo; sed de possibilitate pro eo signo affirmari aliud contingens: hinc verum est, attingi hypothesim præ non hypothesi, quod est esse formalitèr possibilem pro suo signo, pro quo est cognoscibilis, & iudicabilis necessariò; non contingenter: quomodo nihil additur primæ solutioni.

24 Minus efficaciter adhùc obijc. 3. ex Izquierdo. Deus iudicat, non esse alium Deum præter se, iuxtà illud Deuteronomij cap. 32. *Videte, quod ego sim, solus, & non sit alius Deus præter me*: sed non iudicat, ei adhærendo: ergo simpliciter tantum apprehendendo: quod generalitèr est dicendum de quocumque alio impossibili. Respondetur: non omne, quod per intellectum iudicatur, est tale, quod intellectus, ei adhæreat: sufficit enim, vel quod intellectus ei adhæreat, vel quod ab ipso recedat. Et ratio est: quia intellectum iudicare, est attingere per suum actum obiectum, ferendo sententiam de illo: hoc quidèm duplicitèr potest evenire, vel per adhæsionem ad ea, quæ illi conveniunt, vel per recessum, & remotionem eorum, quæ in ipso non inveniuntur: modo, quo in foro externo iudiciali, iudex non tantum fert sententiam, & iudicat, quando adhæret delicto puniendo; sed quando recedit, absolvendo.

25 Obijc. 4. Quandò cognoscit Deus: me purè, & simplicitèr apprehendere cursum Petri; v. g. cognoscit cursum Petri; sed illum non cognoscit iudicativè: ergo purè simplicitèr apprehendendo. Prob. min. Deus ad talem cognitionem determinatur per expressionem meam apprehensivam, obiectivè se habentem: sed cognitio purè apprehensiva, obiectivè se habens, non determinat ad cognitionem certam de cursu Petri: cum ex se præscindat ab existentia & defectu illius: ergo Deus non cognoscit iudicativè, sed apprehensivè cursum Petri. Respondetur. Quod sicut Deus cognoscens nostram cognitionem præcisivam, non præscindit, neque in ipsa cognitione, quam ex parte obiecti attingit, nequè in obiecto illius: sic quamvis cognoscat nostram apprehensionem simplicem, non tendit in illam, nequè in obiectum illius apprehensivè. Ratio ea est: quod quamvis determinetur ab apprehensione cognita, non vnicè ab ipsa; verùm etiam à vi infinita sui intellectus perfectissimi, qua est determinatus ad cognoscendum perfectissimè, quidquid ei objicitur: ideò quamvis sola apprehensio, obiectivè attacta, non posset determinare ad cognoscendam existentiam Petri, illam affirmando, potius quàm negando; aut è contra: ex adiuncta perspicacia divini intellectus, constituit determinationem ad iudicandum obiectum, omni illo modo, quo est iudicabile: hoc explicari potest exemplo discipuli, qui proponendo suam ignorantiam Magistro, est illi occasio, vt exerceat suum intellectum, non ignorantèr; sed perspicacitèr, & scientificè circa illud, quod non benè penetrat, aut ignorat discipulus.

26 Obijc. 5. Cognoscere obiectum purè apprehensivè, vno modo est componibile per identitatem cum iudicio eiusdem obiecti sub alio modo: ergo, quod Deus semper, ac cognoscit obiectum, aliquid de ipso affirmet, non probat: esse impotentem purè simplicitèr apprehendere obiectum, aliquomodo. Consequentia est bona. Prob. antecedens. Non repugnat in nobis: cognitionem apprehensivam obiecti purè, esse per identitatem iudicium reflexum sui apprehendens, se purè apprehendere obiectum: sed tale iudicium affirmat de obiecto, esse purè apprehensum: nàm formalissimè idem est, cognitionem purè apprehendere obiectum, & obiectum esse purè apprehensum per cognitionem: ergo cognoscere obiectum purè apprehensivè vno modo, est componibile per identitatem cum iudicio eiusdem obiecti, sub alio modo. Prob. mai. reliquæ cognitiones possunt esse iudicium reflexum sui: ergo simplex apprehensio; cum nulla appareat disparitas.

27 Res-

27 Respondetur. De ratione simplicis aprehensionis strictè acceptæ esse nihil affirmare de obiecto: vndè si illa aprehensio obiecti sit iudicium reflexum sui, & obiecti, vt cogniti, vel erit repugnans in ratione apprehensionis simplicis, vel essentialiter falsa, in quantum de se ipsa affirmat, esse apprehensionem simplicem, cum sit iudicium: talem ergo apprehensionem simplicem *strictè sumptam* excludimus à Deo, eò, quod nulla sit in ipso cognitio, quæ non identificet secum affirmationem, aut negationem sui obiecti: loquendo verò de apprehensione simplici *latè accepta* secundùm aliquem modum obiecti, eam non excludimus à Deo præcisè quia tendat aliquomodo iudicativè in obiectum; sed quia talis modus cognoscendi est imperfectus: propterea que non in Deo, sicut in nobis potest inveniri.

CAPVT III.

De amplitudine, & vniversalitate.

28 AMplitudo, & vniversalitas Scientiæ potest considerari *intensivè*, & *extensivè*. *Intensivè* consideratur penès perfectionem, & penetrationem obiecti: *Extensivè* verò penès numerum scibilium. Vtraque amplitudo videri potest in frequenti comparatione literatorum: qua sæpè dicimus: *Petrus*; v.g. *plus scit, quàm Ioannes*; *sed non tàm benè*: vbi ly *plus scit* denotat extensionem ampliorem ex parte vnius; ly *non tàm benè*, ampliorem intensionem Scientiæ ex parte alterius. Iàm illa scientia erit omnibus modis amplissima, & vniversalissima, cui nihil deficiat de extensione scibilium, nec de modo perfectissimo, & vniversalissima cognoscendi.

29 Scientiam Dei amplissimam, & vniversalissimam esse in dicto sensu, veritas fidei est, quæ constat ex Sther, cap. 14. *Dominus qui habes omnium Scientiam* Ecclesiastici cap. 23. *Omnia videt oculus illius: Domino enim Deo antequàm crearentur, omnia sunt agnita: sic, & post perfectum respicit omnia.* Ad Hebræos, cap. 4. *Non est vlla creatura invisibilis in conspectu eius.* Iob. cap. 31. *Non nè ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* hæc pro extensione. Pro intensione autèm ex Psalm. 148. *Sapientiæ eius non est numerus* Ad Rom. cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius.* Ad Colosens. cap. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & Scientiæ Dei:* quæ omnia clarissimè proponunt Scientiam Dei, vt omnipodo interminabilem, ac infinitam; quod idem est, ac esse in summo amplissimam, & vniversalissimam intensivè, & extensivè.

30 Constat etiam ex consensu Patrum: ex innata existimatione hominum, quorum animis ita insidet, Deum omnia cognoscere distinctè penetrativè, & in particulari, sicut Deum esse: constat ex perfectione divinæ Scientiæ, ex munere causæ primæ concurrentis ad omnes effectus in particulari, sicut, & Gubernatoris perfectissimi, quæ exercere non posset absque cognitione clarissima, & distinctissima omnium.

31 Pro opposito errore, in quo fuerunt Aberroes, & Avicena, quorum primus dixit: Deum præter se ipsum nihil cognoscere: & secundus: cognoscere etiam creaturas; sed confusè, & indistinctè, non in particulari: Opponi possunt August. lib. 83. quæstionum. q. 46. asserens, dum de Deo loquitur: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur.* Et D. Hyeronim. in illud Abacuc cap. 1. *Mundi sunt oculi tui*: dicens: *Absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per singula momenta, quot nascantur Culices, quotve moriantur, quæ Cimicum & Pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent* Cæterum mens Aug. clara est: nam agens de ideis, ad cuius normam Deus cuncta fabricavit, dicit: *Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autèm rationes, vbi arbitrandum est, esse nisi in ipsa mente Creatoris: non enim quidquam extra se positum intuebatur, vt secundùm id constitueret, quæ constituebat: nam hæc opinari sacrilegum est*: igitur non negat August. Deum alia extra se cognoscere; sed non habere exemplaria extra se, ad quæ respiciat in mundi opificio.

32 Sensus D. Hieronymi adeò difficilis apparuit aliquibus, apud eximium Suarez lib. 1. de attributis cap. 3. vt non dubitaverint: Sanctum Doct sub errore materiali, comprehendere quos ipse reprehendit, & meritò: cum constet D. Hieronymum multis in locis clarissimè

mè Deo concedere Scientiam, & providentiam rerum minutiſsimarum, vt ad illud Matth. cap. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt?* & ad illud Epiſtolæ ad Epheſ. cap. 5. *Gratias agentes ſemper*: Et ad illud Hieremiæ cap. 32. *Numquid mihi difficile, &c.* Ex quibus exponendus eſt loco obiecto, quamvis durè loquatur, vt dixit Platel, non de excluſione abſoluta Scientiæ eorum, quæ ibi refert; ſed de excluſione comparativa, in quantum non habet Deus rerum obiectarum eam providentiam, & Scientiam practicam, quam habet erga homines: non aliter ac excluſit D. Paulus ad Corinth. cap. 9. in illis verbis: *Numquid de Bobus cura eſt Deo?* Innuens excluſionem reſpectivam; non abſolutam providentiæ erga bruta animalia.

33 Ad amplitudinem Scientiæ ſpectat eſſe comprehenſivam ſui obiecti. Ratio eſt: quia eo modo, quo non eſſet comprehenſiva ſui obiecti extenderetur ad plus cognoſcibilitas paſsiva obiecti, quàm notitia illius: ſed eo modo, quo cognoſcibilitas paſsiva obiecti ad plus ſe extendit, quàm notitia, hæc diminuta eſt, & non habet amplitudinem ſummam in attingendo obiecto: reſtat enim alius modus illud cognoſcendi, vel per detectionem, vel manifeſtationem novæ formalitatis, vel per clariorem expreſsionem eiuſdem: ergo ſi Scientia Dei ampliſsima eſt taliter, vt ſapientiæ eius non ſit numerus, aut limitatio, neceſſariò debet eſſe comprehenſiva ſui obiecti, id eſt, talis, vi cuius nihil obiecti lateat videntem, aut fines obiecti circumſpicere poſsit, vt dixit Auguſt. explicans comprehenſionis conceptum: pro quo videri poſſumus Tract. de viſione.

34 In contrarium non obſtat: Scientiam divinam attingere Deum tanquam primarium, & principale obiectum, quod videtur non poſſe comprehendere, dicente Aug. tom. 4. lib. quæſt. q. 14. *Quod id, quod comprehendit ſe finitum eſt ſibi*: Vnde Deus, qui omnibus modis infinitus eſt, apparet, non poſſe comprehendi per ſuam Scientiam, ne ex infinito finitus fiat. Nam reſpondet D. Thom. quod cum dicitur Deus finitus ſibi per comprehenſionem, *intelligendum eſt ſecundum quandam ſimilitudinem proportionis: quia ſic ſe habet in non excedendo intellectum ſuum, ſicut ſe habet aliquod finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem ſic dicitur Deus ſibi finitus, quod ipſe intelligat ſe eſſe aliquid finitum*: quod idem eſt, ac dicere: Deum finiri *negativè*, in quantum nihil eſt infinitæ ſuæ cognoſcibilitatis paſsivæ, ad quod non ſe extendat eius infinita cognitio; non verò *poſitivè*, in quantum contineat cognoſcibilitatem finitam, quæ perfinitam cognitionem adæquetur.

35 Spectat etiam eſſe reflexivam ſupra ſe, propter eandem rationem: nam cum Scientia Dei habeat ſuam veritatem obiectivam, conformabilem cum expreſsione intentionali omnium, quæ ipſi quidditativè, & eſſentialiter conveniunt, ſi hæc per divinam Scientiam non cognoſcerentur, plures veritates obiectivæ ipſam laterent, deficeretque ei ea amplitudo, qua nulla maior excogitari poteſt. Accedit Authoritas D. Pauli 1. ad Corinth. cap. 2. dicentis: *Quæ ſunt Dei, nemo novit niſi ſpiritus Dei*: ergo ſpiritus Dei ſine limitatione noſcit, quæ ſunt Dei: ſed Scientia eſt aliquid Dei: ergo Scientia cognoſcitur per ſpiritum Dei, ſeu per ſpiritualem actum ipſius.

36 Nec reputes inconveniens infinitatem reflexionum, quæ inde videntur germinare in eadem Scientia: quia cum hæc infinitas componatur cum ſumma ſimplicitate in eſſendo ex parte rei, vt iam conſtabit, non eſt aliena à Scientia infinita, imò congruentiſsima. Ita ſentiunt Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 4 & Granad. diſp. 4. de Scientia per totam tract. 1. quibus non repugnat D. Thom. art. 4. præſentis quæſt. 14. vbi ſibi proponens hoc argumentum infinitarum reflexionum, reſpondet ad 3. *Intelligere divinum, quod eſt in ſe ipſo ſubſiſtens, eſt ſui ipſius, & non alicuius alterius, vt ſic oporteat procedere in infinitum*: quia S. Doct. procedit de infinito reflexionum diſtinctarum realiter, vt conſtat ex illis verbis, *& non alicuius alterius*: & in eodem ſenſu negat infinitum, vt conſtat ex illis, *vt ſic oporteat procedere in infinitum*; non de formalitatibus per rationem tantum diſtinctis.

37 Rogabis 1. Quomodo cum hac Scientiæ divinæ amplitudine, & vniverſalitate componatur, Deum non cognoſcere multas veritates, quæ cognoſcibiles ſunt; v. g. exiſtentias eorum, quæ defactò non exiſtunt, & poſſunt exiſtere, & non exiſtentias, ſeu defectus eorum,

eorum, quæ defacto existunt, & possunt non existere? Respondeo. Optimè componi: quia illæ veritates non sunt verè affirmabiles pro sensu composito sui contradictorij; sed pro sensu diviso: vnde cum ad amplitudinem scientiæ non pertineàt, nec pertinere possit falsò cognoscere, vt sit vniversalissima sine limitatione, sufficit cognoscere quidquid cognoscibile, & verè affirmabile est, & esse determinatam ad cognoscendum ea, quæ modò falsa sunt pro casu, quo in sensu diviso sui contradictorij vera essent, & insuper cognoscere possibilitatem talium veritatum.

38 Rogabis 2. An verum aliquo modo sit, Deum posse cognoscere plura, aut pauciora, quàm defactò cognoscit, sicut potest facere plura, aut pauciora his, quæ de facto fecit? Respondeo, nullo modo, si scientia vsurpetur in tota sua amplitudine; nam vel procedit de scientia necessaria, vel de scientia contingenti? Si de scientia necessaria, hæc non potest susciпere magis, aut minus, cum obiecta, quæ respicit, hanc variationem nequeant admitere: aliàs quò plura possent esse, & nō sunt, aut pauciora, & non sunt, essent contingentia, & defectibilia; si de scientia contingenti: cum inter contradictoria non detur medium, & tantum detrahatur de veritatibus negativis, quantum additur de veritatibus positivis, & è contra, semper scientia manet intrà eandem extensionem scibilium. Dixi *si accipiatur scientia in tota sua latitudine*: siquidem si accipiatur restrictè scientia contingens, vel quoad veritates positivas, vel quoad veritates negativas, Deus potest cognoscere plures, aut pauciores, sicut potest facere plura, aut pauciora, quàm fecit. Si enim ex possibilibus non tot existerent pro divina libertate, ac quæ defactò existunt, cognosceret plura non existentia, quæ defacto existentia cognoscit: ac per consequens non tot existentia cognosceret, ac cognoscit; si vero plura existerent, quàm quæ defactò existunt, cognosceret, non tot deficere, ac de facto deficiunt: ac proindè non tot defectus cognosceret, ac defactò cognoscit. Cæterum nunquàm ista variatio esset in tempore, aut pro sensu composito eorum, quæ defacto cognoscit; sed in sensu diviso, & ab æterno; ita vt, quæ semel cognosceret, semper cognosceret.

39 Rogabis 3. Quomodo intelligendus sit D. Thom. in præsenti art. ad 3. negans, divinam Scientiam esse vniversalem, aut particularem, præcipuè cum ipse lib. 2. Sententiarum, dist. 3. quæst. 2. art. 2. dicat. *Scientia Dei est vniversalissima, quia vna similitudine, quæ est sua essentia omnia cognoscat.* Et in Dionysium de divinis nominibus cap. 7. lect. 3. cum eodem Dionysio: *Deum communiter generaliter, sive vniversaliter alia à se comprehendere?* Respondeo. Vniversalitatem, & particularitatem denegare divinæ Scientiæ eo modo, quo vniversalitas, & particularitas inveniuntur in scientijs creaturarum, & dicunt imperfectionem, propter ostensionem rationum vniversalium sine particularibus, aut particularium sine vniversalibus, intercedente præcisione, & inadæquata claritate in modo cognoscendi, quo modo non datur in Deo Scientia vniversalis, cum non proponat rationes vniversales confusè, & non expressis particularibus, nec particulares, inconsideratis rationibus vniversalibus; ast seclusis his imperfectionibus, vtraque denominatio potest attribui, & dici vniversalis per respectum ad obiectum, continens omne scibile, in tota sua latitudine, & vniversalitate, talitèr, vt cum vnus actus realitèr sit, se extendat ad plura inter se distincta; dici verò potest particularis, tum quia est vna numero, realem multiplicationem excludens: tum quia omnia attingit singulariter, distinctè, & in particulari: monet nihilominus Ruiz, simpliciter, & absque declaratione loquendo, nec dicendam esse vniversalem, nec particularem, ne sub tali modo loquendi appareat indiscreta ab imperfectionibus Scientiæ creatæ.

CAPVT IV.

De Æternitate, & immutabilitate.

40 ÆTernum quoad *esse* dicitur communitèr illud, quod in tempore non incepit; sed semper fuit. Immutabile quoad *esse* dicitur illud, quod non potest transire

de *non esse* ad *esse*, neque de *esse* ad *non esse*: vnde immutabilitas simpliciter talis idem est, quod æternitas à parte ante, & post, quin valeat: *Est æternum à parte ante: ergo est simpliciter immutabile: nam esse æternum à parte ante* permittit mutabilitatem de *esse* ad *non esse* per destructionem in tempore; neque: *est æternum à parte post: ergo est simpliciter immutabile.* Cum esse æternum à parte post, seu indestructibile, permitat mutabilitatem de *non esse* ad *esse* per inceptionem in tempore: similiter, si immutabilitas non accipiatur *simpliciter*, non benè valet ex immutabilitate de *non esse* ad *esse*, aut ex immutabilitate de *esse* ad *non esse* ad æternitatem simpliciter talem; at si æternitas, & immutabilitas accipiantur *simpliciter*, valent mutuò ad convertentiam, per consequentiam vnius ad aliud. Iàm per æternitatem, & immutabilitatem, quæ de divina Scientia affirmatur, intelligitur immutabilitas, & æternitas simpliciter talis: ideoque idem est dicere: *esse æternam*, ac *esse immutabilem*: & *esse immutabilem*, ac *esse æternam.* Vbi notandum est contra Aureolum apud Recupitum de Deo, quæst. 22. non esse confundendam immutabilitatem quoad *esse*, cum necessitate in essendo: quia id, quod nec potest transire de *non esse* ad *esse*, vel de *esse* ad *non esse*, ita vt, vel numquam, vel sempèr existat, potest non habere necessitatem aliquam in essendo, vt constat in Scientia Dei contingenti, quæ potest aliquomodo sempèr deficere: ergo non est idem immutabilitas quòad *esse*, & necessitas in essendo.

41 Scientiam Dei esse sic immutabilem, & æternam, reputatur certissimum secundùm fidem, vtpotè expressum in sacris literis: tum generalitèr, quatenùs Deus proponitur omninò invariabilis, & immutabilis, vt Malachiæ cap. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Iacobi cap. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Si enim Deus, vt sapiens, & sciens, esset mutabilis, neque absolutè, & sine restrictione non mutaretur, neque apud ipsum deesset aliqua vicissitudinis obumbratio: ideò Concilium Lateranense in cap. *Firmiter de summa Trinitate, & fide catholica* absolutè, & sine modificatione aliqua definivit: *Vnus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis.* Et Synodus Alexandrina in Epistola ad Nestorium, quæ habetur tom. 1. Actorum Concilij Ephesini cap. 14. ait: *Est enim Deus immutabilis, nullique alterationi obnoxius, semper idem, sibique similis, vt scriptum est, manens.* Eodem modo vniversali, & non restricto intellexerunt PP. Dei immutabilitatem, vt Nisenus lib. de oratione versus finem: *Qui ad omnem mutationem firmus, & immobilis est.* Augustin. Epist. 102. *Summæ, & ineffabilis Trinitatis invisibilem, incommutabilemque naturam ab omni convertibilitate sivè in melius, sivè in deterius, sivè in quodlibet aliud, atque aliud remotam, atque discretam sine vlla dubitatione credamus.* Et alij multi, qui videri possunt apud Izquierdo, disp. 7. de Deo quæst. 1.

42 Tum specialiter loquendo expressissimè de Sapientia, & Scientia Dei, Ecclesiastici cap. 1. Initio *omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit sempèr, & est ante Ævum.* Et cap. 23 *Domino enim Deo, antequàm crearentur omnia, sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.* Apost. 2. ad Timoth. cap. 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt eius.* Si enim variabilis, & mutabilis esset, nec cum Deo fuisset semper, nec semper ante Ævum esset, nec antè, & post creata existeret, & permaneret: Nec dici posset firmum fundamentum signaculum illud *cognovit Dominus.* Propterea D. Augustin. lib. 15. de Trinitat. cap. 13. in medio, inquit: *Nec aliter ea scivit creata, quàm creanda: non enim eius sapientiæ aliquid accessit ex eis.* Et lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. parum à principio: *Aliquid ergo temporalitèr accedit Scientiæ Dei, quod absurdissimum, & falsissimum est. Neque enim potest, quæ ventura prænoscit, nosse cum venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum iam sunt, ita fit, vt quod longè à veritate seclussum est, temporalitèr aliquid accedat Scientiæ Dei, cum temporaliter, quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent; sed tantummodo præsciebantur.* Cum Augustin. sunt Ambros. Fulgent. Hilarius, Nisenus, & alij multi

PP.

PP. videndi apud Ruiz disp. 37. de Scientia sect. 1.

43 Rationis probatio quoad Scientiam necessariam tam, quæ attingat veritates necessarias, pertinentes ad Deum, quàm ad conceptus quidditativos creaturarum, facilis est: quia obiecto semper invariato quoad veritatem, & semper apto ad eandem conformitatem cum actu, aliunde provenire non potest, quod in intellectu Scientia, & cognitio ipsius aliquandò non extiterit, aut post quam aliquandò deficiat, nisi quia intellectus non sit ex se determinatus ad cognoscendum quod cognoscibile est eo modo, quo cognoscibile est, sitque capax ignorantiæ, & oblivionis per non cognitionem illius, quod nunquàm cognovit; & per defectum cognitionis illius, quod semèl cognovit: sed intellectus divinus, vtpotè infinitus, & perfectissimus, est ex se determinatus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est omni illo modo, quo cognoscibile est, & incapax ignorantiæ, & oblivionis: ergo neque eius scientia necessaria potest esse variabilis de *non esse* ad *esse*: aut de *esse* ad *non esse*.

44 Difficilius invenitur fundamentum rationis pro Scientia contingenti, & libera, in qua pro variatione statuum obiectorum contingentium non est tàm patens inconveniens, neque ex parte Dei, neque ex parte scientiæ ex eo, quod variabilitatem aliquam per inceptionem, & desitionem in esse admitat. D. August. lib. 15. de Trinitat. cap. 13. apud Ruiz sect. 2. disp. cit. eam præbuit rationem, scilicèt quod scire Dei sivè necessarium, sivè contingens est eius esse; sed esse Dei est omninò immutabile, & invariabile: ergo omnis Scientia Dei est etiam immutabilis, & invariabilis.

45 Verùm hæc ratio nisi amplius explicetur, videri posset minùs vrgens ad probandùm intentum propter instantiam, quæ statim se offert: etenim sicut Deus est immutabilis, & invariabilis quoad *esse*, ita est indefectibilis quoad *esse*: sed cum hac indefectibilitate quoad *esse* componitur, quod scientia contingens, quæ est suum *esse* sit defectibilis: ergo licèt omnis Scientia sit *esse* Dei, componi poterit, quod *esse* Dei sit invariabile, & immutabile, & tamèn quod Scientia Dei sit mutabilis, & variabilis aliquomodo. Nec valet si dicas: ex defectibilitate illa non argui defectum Dei quoad *esse*; sed quoad *terminationem*; ex variabilitate verò Scientiæ inferri variabilitatem, & mutationem Dei quoad *esse*: quia maneret perfectibile per existentiam Scientiæ, quam aliquandò non habuit, & deterioribile per defectum Scientiæ, quam aliquandò habuit: quia illa terminatio est realitèr *esse* Dei: quomodo ergo defectus terminationis non arguit defectum Dei? Vlteriùs in hoc est difficultas: nempè in explicando, quomodo per variationem Scientiæ arguatur in Deo imperfectio *mutabilis*; & ex defectibilitate Scientiæ nòn arguatur impefectio *defectibilis*? Amplius igitur est necessarium, vt ratio teneat.

46 Alia ratio communis est, quam sub hac forma proponit Izquierdo: Deus ex infinita vi intelligendi, qua gaudet ex infinita sua Sapientia, & perfectione in omni linea, est determinatus, vt ab æterno cognoscat quidquid ab æterno est cognoscibile: sed nullum est omninò obiectum, quamvis contingens, quod non sit ab æterno verum, & cognoscibile; ergo nullum est obiectum, quamvis contingens, quod Deus non cognoscat ab æterno. Consequentia est legitima, & mai. certa, aliàs si, quod ab æterno est cognoscibile, Deus ab æterno non cognosceret, Deus esset ignarus. Min. prob. quia quidquid in tempore contingit, etiam contingentèr ab æterno futurum fuit, & sic per integram æternitatem retrocedendo, iam verum erat: *Me, dum hæc scribo, contingenter extiturum, & scripturum*: ergo nullum est obiectum, quantumvis contingens, quod non sit ab æterno verum, & cognoscibile. Per id habetur, Deum ab æterno cognoscere quidquid in tempore existit: ex quo facilè fluit: Deum similitèr in æternum cognoscere quidquid in tempore existit: nàm quemadmodum, quod accidit contingentèr in tempore, per totam æternitatem antecedentem fuit cognoscibile, vt futurum, ita per totam æternitatem consequentem erit cognoscibile, vt præteritum: quia sicut hactenùs fuit semper verum: *Me nunc contingentèr scripturum, & extiturum*; ita post semper erit verum: *Me*

extitiſſe, & ſcripſiſſe : quod ſi Deus in æternum, non cognoſceret aliquando, futurus eſſet ignorans : ergo quidquid ſemèl eſt cognoſcibile contingenter, ſempèr, & pro ſemper eſt cognoſcibile, cui cognoſcibilitati correſpondet in Deo Scientia contingens, quæ ſemèl exiſtens, non poteſt deficere.

47 Infert indè duo 1. Deum nihil poſſe denùo cognoſcere in tempore, quod non cognoverit ab æterno. 2. Nihil poſſe ſucceſſu temporis non cognoſcere, quod ante præſciverit: & conſequentèr ſempèr neceſſariò cognoſcere, quod ſemèl cognovit, & ſempèr neceſſariò non cognoſcere, quod ſemèl non cognovit, tametſi quod illud cognoverit ſemel, vel non cognoverit, contingenter evenerit: quod eſt, Scientiam Dei etiam contingentem, ſeu liberam, eſſe invariabilem, nec poſſe decurſu temporis augeri, vel minui: vndè concludit : hanc veritatem de invariabilitate Scientiæ in vniverſum, & prout contingentem Dei comprehendit, duobus niti principijs: nempè nullum obiectum eſſe, quantumvis contingens, quod non ſit ſemper cognoſcibile : & Deum non poſſe non cognoſcere quod ſempèr cognoſcibile eſt.

48 Oſtendit hìc ingenioſ. Magiſter in ipſa propoſitione rationis longa quidèm, & parum formali: quam frigidè inſederit animo efficacia illius: neque ſcrupulum ſuæ probationis continere potuit, donec in fine quæſtionis dixit : *Cæterum quanquàm omninò certum, atque etiam evidens ſit, quidquid aliquandò eſt exiſtens, ſemper eſſe verum veritate vel de futuro, vel de præſenti, vel de præterito: & conſequentèr Deum non poſſe in omni tempore non habere aliquam ſcientiam de illius exiſtentia, prout futura, vel prout præſenti, vel prout præterita : nàm aliàs Deus aliquandò alicuius veri eſſet ignarus, quod ei planè repugnat: multa tamèn ſunt, & gravia argumenta, quæ perſuadere videntur in eo, quod aliquando eſt exiſtens : eſſe futurum, eſſe præſens, & eſſe præteritum diverſas veritates eſſe obiectivas non alitèr ſcibiles verè, quàm ex temporibus, diverſis, atque adeò per ſcientiam ſucceſſu temporis variabilem.* Quod ſi ita eſt, ratiocinatio facta tantum probat, ſcientiam aliquam hanc, vel illam circa contingentia non defuiſſe ab æterno, nec defuturam eſſe in æternum, in quo quid pro invariabilitate ſcientiæ contingentis in individuo, & determinatè acceptæ, quæ in Deo exiſtit, & quomodo probabitur, ſemèl exiſtens, non poſſe deficere in poſterum, aut ſemel exiſtens non potuiſſe ſemper non exiſtere?

49 Et iure quidem diſcurſus propoſitus ei diſplicuit : nam ſicut quod Deo non poſsit deficere ab æterno ſcientia veritatum contingentium, non probat: ſcientiam hanc determinatam, ſcilicèt, de futuritione alterius mundi non ei ab æterno deficere, quamvis in eo potuerit ab æterno exiſtere; ſic quod ſcientia de contingentibus non poſsit ei deficere, aut incipere in tempore, non probat: aliquam ſcientiam determinatè acceptam, non poſſe ei deficere, aut incipere in tempore : non quia intellectui divino deficiat vis, & determinatio cognoſcendi ſempèr quidquid cognoſcibile eſt; ſed quia quod cognoſcibile eſt contingenter, non ſempèr eodem modo cognoſcibile eſt: propterèà quod ſtatus futuritionis duret tantùm cognoſcibilis vſquè ad præſentiam, & ſtatus præſentiæ ceſſet, dum incipit præteritio, & præteritio incipiat, quando ceſſet futuritio, & præſentia: vndè quamvis benè probetur : ſcientiam futurorum contingentium in Deo ab æterno extitiſſe, quia ſic ab æterno fuerunt vera, & cognoſcibilia: nec non præteritionis affirmationem non poſſe deficere in æternum: quia præteritionis veritas in æternum manet; at non probat : ſcientiam futurorum coniungi cum ſcientia præſentium, & præteritorum, & non deficere, quando hæc incipiunt, & ſcientiam præſentium, & præteritorum coniungi ab æterno cum ſcientia futurorum, & non incipere quando illa deſinit.

50 Igitur propoſitio ſic mihi efficacius probatur. *Eſſe* Dei reale, etiam attributale non eſt ponendum defectibile niſi illo modo, ſine quo, aut perfectio infinita Dei formalitèr, & completè ſumpta non poſſet exiſtere, aut perfectio creaturæ infinita foret: ſed gradus defectibilitatis divinæ Scientiæ ex ſuppoſitione, quod ſemèl exiſtat, eſt defectibilitas in eſſe reali attributali Dei, ſine quo perfectio infinita Dei formalitèr, & completè ſumpta poteſt exiſtere:

&

& perfectio creaturæ finita, & limitata manet : ergo gradus defectibiltatis Scientiæ divinæ, qua semèl existens, valeat ab æterno deficere, aut post in æternum non durare, non est Scientiæ divinę concedendus, vtpotè eius perfectioni repugnans. Consequentia est legitima, & mai. videtur certa : nàm defectibilitas ex se dicit imperfectionem, nisi sit atemperata infinitæ perfectioni, & ex debito illius, quatenus sine ipsa, summa pulchritudo entis perfectissimi vndequaque non subsisteret, vel quia infinitum finitum fieret, vel quia quod ex se est finitum ad infinitum ascenderet : neque enim ob aliam rationem actus in Deo contingentes à Theologis concedúntur, nisi quia seclusa tali contingentia, & defectibilitate, aut Deus esset frustrabilis in suis decretis, aut operans ad extra ex necessitate naturæ, aut falsificabilis in suis cognitionibus, aut creatura essentialiter existens, & non subiecta divino dominio. Prob. min. in primis Scientia divina, etiam contingens, est attributum indistinctum realiter ab ipsa substantia, & esse Dei, vt post probabimus agentes de eius simplicitate. Deinde defectibilitas illa, qua detur transitus in Scientia de *non esse* ad *esse* ; aut de *esse* ad *non esse*, nequè est necessaria pro infinita perfectione Dei, neque pro evitatione infinitatis creaturæ, vt constabit ex solutione argumentorum : ergo gradus defectibilitatis Scientiæ divinæ ex suppositione, quod semel existat, est defectibilitas in esse reali attributali Dei, sine qua perfectio infinita Dei formaliter, & completè sumpta; potest existere, & perfectio creaturæ finita & limitata manet.

51 Confirmatur. Vel deficere in Deo modum aliquem cognoscendi, qui semel existeret, contingeret cum imperfectione aliqua Dei, vel sine illa ? Si primum: quod probat, Deum non posse existere imperfectum, probat similiter: omnem modum cognoscendi, qui semel fuit, fuisse ab æterno, & etiam permansurum in æternum. Si secundum: hoc aliunde non potest provenire, nisi quia cognoscibilitas, & veritas, quam obiectum semel habet, non semper sit, & perseveret : vnde Deus imperfectus non manet, cum non sit imperfectio, non cognoscere obiectum eo modo, quo non est verè cognoscibile : sed cognoscibilitas, & veritas, quam obiectum contingens semel habet, semper est, & perseverat, eo modo, quo eam semel habuit : ergo deficere in Deo modum aliquem cognoscendi, quem semel habuit, non potest contingere sine imperfectione Dei. Prob min. Quodlibet etiam contingens ex suppositione, quod sit, eo modo quo semèl est, necesse est esse, quin vnquàm possit dari contradictorium illius, excludens ipsum à tali modo essendi ex suppositione, quod sit; alias ad præteritum daretur potentia pro sensu composito, & suppositione quod sit: ergo cognoscibilitas, & veritas, quam obiectum contingens semèl habet, semper est, & perseverat, eo modo, quo eam semèl habuit.

52 Nec dicas 1. Petrum, vt existentem heri, deficere hodiè: ergo falsum est, obiectum, quod semèl est, eo modo, quo semèl est, nunquàm deficere. Quia Petrus, vt existens heri, non deficit hodie, sed vt existens heri, hodie, vel vt existens hodie : quo modo, vel impossibile est existere; vel licèt impossibile non sit, at tamen nunquàm sic existit: quia sicut ex suppositione, quod sit existentia, necesse est esse; sic ex suppositione, quod sit aliquomodo defectus, necesse est esse eo modo, quod defectus potest existere, aut res nō existere. Nec dicas 2. Hoc esse præbere æternitatem simplicitèr talem rebus existentibus, in tempore, & in tempore deficientibus, vtpotè quod semel existens non potest nec antè, nec post deficere, est simplicitèr ęternū: quia ęternū simpliciter non est, quod semèl existens non potest nec ante, nec post deficere, *vt aliquando tantum existens*; sed, quod nec ante nec post potest deficere, *vt correspondens omni durationi*, seu, *vt semper existens*: quomodo tu debes dicere, non esse simplicitèr æternum id quod semèl existens secundùm aliquem statum sui, *vel futuri, vel præsentis, vel præteriti*, non potest ab æterno, neque in æternum deficere. Si autem roges: quid realitatis habeat significatum huius propositionis : *Quod aliquando est, semper est, vt aliquando existens*: aut *nunquàm, prout tale, potest deficere*? Subrogo prius: quid realitatis habeat significatum huius propositionis: *Futurum in tempore semper ab æterno est futurum* : *præteritum in tempore semper in æternum est præteritum* ? Si dicas: hanc esse æternitatem verificationis; non existentiæ : idem accipe. Deinde respondeo : realitatem illius significati

consistere in eo, quod ab omnibus debet concedi, scilicèt, duo contradictoria non posse vnquàm esse simùl vera, & debere esse vnum, vel alterum falsum: quod maiore explicatione non eget, nec clarioribus terminis potest explicari.

53 Obijc. 1. ex Scriptura Sapientiæ cap. 7. vbi de divina Sapientia à Deo indistincta, dicitur: *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia*: sed id, quod est mobilius reliquis simplicitèr mobilibus, & variabilibus, movile, & variabile simplicitèr est: ergo divina Sapientia mobilis, & variabilis simplicitèr est. Respondeo ex D. Thom. 1. p. q. 9. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod Sapientia dicitur mobilis esse similitudinariè secundùm, quod suam similitudinem diffundit vsque ad vltima rerum: nihil enim esse potest, quod non procedat à divina Sapientia per quandam imitationem, sicut à primo principio effectivo, & formali: prout etiam artificiata procedunt à Sapientia artificis. Sic igitur in quantum similitudo divinæ Sapientiæ gradatim procedit à supremis, quæ magis participant de eius similitudine vsquè ad infima rerum, quæ minus participant, dicitur esse quidam processus, & motus divinæ Sapientiæ in res: sicut si dicamus solem procedere vsquè ad terram, in quantum radius luminis eius vsque ad terram pertingit.* Confirmatque ex D. Dionysio cap. 1. Cœlest. Hierarch. dicente: *Quod omnis processus divinæ manifestationis venit ad nos à Patre luminum moto.* Suma solutionis est, & reducitur ad hos terminos: divina sapientia movilior est movilibus *effectivè*, & *manifestativè* in creaturis: concedo; *in se*, & *quoad proprium esse*, nego: quomodo immota luce in aula movilitèr illustrantur omnes, qui ingrediuntur.

54 Obijc. 2. Ex varietate temporali Scientiæ liberæ, & contingentis Dei non arguitur benè mutabilitas Dei, aut ipsius Scientiæ: ergo malè ex eo, quod Deus, & eius Scientia prædicetur immutabilis in sacris literis, infertur, scientiam eius liberam, & contingentem non posse in tempore variari. Consequentia est bona, prob. antecedens: Scientia libera, & contingens re vera potuit non esse in Deo ab æterno absque alicuius intrinsecæ perfectionis diminutione: atquè adeò quin Deus alitèr se haberet intrinsecè, quàm se habet modo: ergo & si eam Deus in tempore acquireret, vel in tempore deperderet, nihil perfectionis acquireret, aut amitteret; neque alitèr quàm antè se haberet intrinsecè: ac per consequens neque in Deo, neque in Scientia vlla esset mutatio. Huic difficultati iam occurrimus inter probandum, ideò neg. antecedens. Ad cuius probat. concess. antecedenti, neg. consequentiam. Ratio disparitatis est: quia illa defectibilitate non data, labefactarentur alia attributa Dei, nempè, libertas, dominium, & infrustrabilitas; at data defectibilitate temporanea, daretur defectus illius, quod realitèr est Deus absque vlla necessitate: vndè per oppositum æternitas eius, sicut, & sapientia mutilæ, & imperfectæ manerent, & resultaret in Deo, & eius Scientia mutatio, & variabilitas strictè talis per acquisitionem illius, quo perficerentur, & per defectum illius, quo deficiente, deteriores fierent.

55 Obijc. 3. Scientia contingens, & libera supra necessariam tantùm addit respectum rationis ad obiectum contingens, sivè denominationem ab illo provenientem: sed Deus respectus huiusmodi, & denominationes extrinsecas absque vlla variatione, & mutatione sui acquirit in tempore, vt patet in denominationē *creatoris*, & producentis in tempore: ergo etiam absque vlla variatione, & mutatione sui, potest in tempore acquirere, aut deperdere Scientiam liberam, & contingentem. Neg. mai: quia denominatio *scientis contingentèr*, & liberè, dicit in Deo respectum intrinsecum ad obiectum, & denominationem intrinsecam, vt dicemus disp. sequent. Addit deindè Izquierdo: permissa mai. distinguendam esse min. respectus *omnes* huiusmodi, & denominationes extrinsecas absque vlla mutatione sui acquirit in tempore, neg. min. *aliquos* concedo min. Et neg. consequentiam. Ratio diversitatis est: quia, cum obiectum in ratione veri semèl quod verum sit, non possit deficere, neque in tempore incipere: ideò quamvis per illud constituatur denominatio extrinseca *scientis*, in Deo talis denominatio non potest vnquàm in tempore incipere, aut desinere; non sic denominatio *Creatoris*, quæ ex creatione externa resultat: qua ratione in tempore incipit, quæ solutio habet solidum fundamentum in D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 15. & 16. apud Ruiz disp. 37. sect. 3. num. 11.

56 Obijc. 4. Scientia contingens, & libera eandem contingentiam sortitur,

tur, quam habet obiectum, atque ità non solùm ab æterno; sed etiam in singulis instantibus temporis libera, contingens, & defectibilis est: ergo sicut nunc est possibile, vt Petrus cras non peccet, sic, non obstante æterna præexistentia scientiæ de peccato Petri cras futuro, possibile est, vt talis scientia cras deficiat: propterèaque mutetur, & varietur de *esse* ad *non esse*. Respondeo consequenter ad dicta, scientiam contingentem, & liberam debere habere eandem contingentiam, quam habet obiectum, non vtcumque; sed in esse veri: quarè cum contingentia obiecti in esse veri tantùm sit, vt valeat esse, vel non esse verum; non autèm, vt postquàm sit semèl verum, non habuerit aliquando talem veritatem, aut non sit habiturum in posterum: sic contingentia scientiæ ipsi correspondentis est, vt sit, aut non sit scientia; secùs, vt non fuerit, semèl, quod sit; aut vt non sit extitura semèl, quod sit: ex quo patet, contingentiam illam, quam habet scientia ad non existendum in quovis instanti, non esse ad non existendum in sensu composito existendi in aliquo; sed in sensu divisò existendi, tam temporalitèr, quàm ab æterno.

57 Objc. 5. Deus scire non potest nisi, quod est verum: ergo nec potest invariabilitèr scire, nisi quod est invariabiliter verum: sed contingentia non sunt invariabilitèr vera: ergo nec sciuntur invariabilitèr à Deo; verùm variabilitèr, & mutabilitèr pro variabilitate, & mutabilitate veritatis contingentis. Instat Ruiz 1. consequentiam, vt fallacem, per similium fallacias: *Deus scire non potest nisi quod est verum: ergo nec potest spiritualitèr scire, nisi quod est spiritualitèr verum: sed materiale non est spiritualitèr verum: ergo vel Deus non scit obiectum materiale, vel illud scit materialitèr, seù per cognitionem materialem: Deus scire non potest, nisi quod est verum: ergo nec potest scire substantialitèr nisi quod est substantialiter verum: sed accidens non est substantialitèr verum: ergo vel Deus non cognoscit, & scit accidens; vel illud scit, & cognoscit accidentalitèr, seù per cognitionem quæ accidens sit.* Malæ huius consequentiæ rationem præbet ex eo, quod non omnis conditio cognitionis debeat esse in obiecto: ast quamvis instantiæ probent, consequentiam illam non esse bonam quasi ratione formæ, & ex principio generali, quod omnis modus se tenens ex parte cognitionis, debeat se tenere ex parte obiecti; verùm ratione materiæ, non probatur mala, cum semper vrgeat: veritatem esse variabilem, & cognitionem permanentem, non posse consistere sine eo, quod cognitio permanens, veritate variata, transeat de vera in falsam.

58 Solutio sit: concess. entimemate posito pro mai: negare min. namquè veritas contingens licèt sit defectibilis, sicut est scientia contingens; non tamen est variabilis, nec mutabilis. Ratio est: quia contingentia, & si absolutè possint non esse vera, quia possunt absolutè non esse eo modo, quo sunt; at ex suppositione, quod semèl pro aliqua duratione sint vera, non possunt pro omni duratione non esse vera, ex principijs iam tactis, & evidentissimis: nempè: *Quodlibet ex suppositione, quod sit, necessariò est esse: quodlibet semper est, vel non est: seù duo contradictoria nunquam possunt esse simùl vera.* Quæ quidèm clarissimè deficerent, si id, quod est verum in aliqua duratione, posset aliquandò deturbari à tali duratione per *non esse* illius in tali duratione, seu per verificationem contradictorij illius, prout existentis in tali duratione.

59 Objc. 6. Paritatem difficilem, & quæ multum vexavit ingeniosf. & graviss. Theologos, & sic instruitur. Deus absque mutatione stricta, aut variabilitate, quæ imperfectionem arguat, suscipit in tempore aliquos affectus, quos anteà non habebat, & deponit in tempore aliquos affectus, quos ante habuit: ergo similitèr, absque mutatione aliqua strictè sumpta, poterit habere aliquem actum intellectus, quem antè non habuit, aut deponere actum intellectus, quem antè habuit. Consequentia tenet ex paritate rationis, prob. antecedens. Deus nunc diligit amicabili affectu Sanctos, quos in statu suorum peccatorum non sic diligebat, imò inimicabili odio prosequebatur: nunc non diligit Iudam, Dœmones, aliosque damnatos, quos aliquandò in gratia constitutos, prosequutus est amicabiliter: ergo aliquos affectus suscipit in tempore, quos ante non habuit, & aliquos deponit, quos antè habuit, saltèm quoad aliquam denominationem: quidquid sit: an quoad entitatem perseverent: ex quo alia difficultas non levis exsurget.

60 Non multum abfuit, vt do-

ctis-

ctiſsimus lzquierdo paritate duceretur, quando perpenſis fundamentis pro variatione divinæ Scientiæ dixit num. 24. diſp. cit. remittens ſe ad Pharum diſp. 10. q. 3. propoſitione 4. & 5. *Quod viderem Patres, & Theologos vnanimiter pronuntiare, omnem Scientiam Dei eſſe immunem à temporali variatione, non auſus ſum, ſicut nec modo audeo, aut eis apertè contraire ob nova fundamenta detecta, aut ipſorum tàm abſoluto pronuntiato limitationem aliquam* (eſtò poſſem, & forsàm non incongruè) *adhibere.* Munieſa diſp. 14. de eſſentia, & attribut. ſect. 4. ſequutus Rivadeneyram metum depoſuit quoad affectus divinæ voluntatis, concedens inceptionem quandam virtualem, & deſitionem quoad modum denominandi, pro quo citat multos, & inter ipſos Exim. Suar. nimis diſtantem à ſuo intento: vndè concedit antecedens, & negat conſequentiam. Neſcio an conſequenter: nam ſemèl admiſſa variatione ex parte affectuum divinorum, quin contradicat authoritas prædicans Deum generalitèr, quoad omnia immutabilem, aut inferatur imperfectio aliqua in Deo: quid formidat in actibus intellectus, præcipuè cùm hoc modo expeditioni graviſsimarum difficultatum ſterneretur via? Si autèm intellectum ſuum cum Auguſt. reverentèr ſummittit, confugiens, vt ſalvet invariabilitatem divinæ Scientiæ ad modum ſublimem & ſupercomprehenſivum cognoſcendi ea, quæ in tempore contingunt quoad ſtatum *futuritionis, præſentiæ, & præteritionis*: cur ſimilitèr non recurrit, vt ſalva maneat invariabilitas divinæ voluntatis contingentis, & liberæ ad modum ſublimem, & eminentiſsimum amandi, & odio habendi ea, quæ pro tempore amantur, & odio habentur à Deo?

61 Communis, & vera ſolutio negat antecedens primum, ſicut & ſecundum continens probationem illius. Ratio ea eſt: nam Deus abſque variatione aliqua ſuorum affectuum ſemper amat amicabilitèr eum, quem ſemèl amicabilitèr dilexit; ſemperque odio habet eum, quem ſemel odio inimicabili proſequutus eſt, ſcilicèt reſpectivè ad ea tempora, pro quibus digni fuerunt odio inimicabili, & amore amicabili: quod videtur clarè inſinuare Scriptura ad Roman. capit. 9. ibi: *Cum non dum aliquid boni, aut mali egiſſent, &c. Iacob dilexi; Eſau autèm odio habui.* Quæ verba exponens Auguſt. tract. 110. in Ioan. inquit: *Incomprehenſibilis eſt dilectio, qua diligit, neque mutabilis, antè mundi conſtitutionem, dilexit.* Et poſt pauca: *Habebat itaquè ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitias adverſus eum exercentes, operabamur iniquitatem.* Iam ſic: non minùs requiritur ad amorem amicabilem exiſtentia amati, & ad odium inimicabile exiſtentia odio habiti, quàm ad amorem amicabilem exiſtentia gratiæ, & expulſio peccati, & ad odium inimicabile perſeverantia peccati, & expulſio gratiæ: nihilominùs ex Scriptura amor, & odium fuerunt in Deo antè exiſtentiam dilecti, & odio habiti: ergo etiam amor erit in Deo, dum gratia non exiſtit, & exiſtit, aut perſeverat peccatum; & odium, dum peccatum non exiſtit, aut perſeverat, & gratia exiſtit, aut perſeverat.

62 Confirmatur. Paritèr requiritur ad decretum, primo productivum Mundi prima exiſtentia mundi, quàm ad dilectionem, & odium exiſtentia gratiæ, & peccati: ſed ante primam exiſtentiam Mundi extitit decretum, primo productivum Mundi, & poſt primam exiſtentiam etiã in æternum perſeverat: ergo antè exiſtentiam gratiæ, & peccati fuit amor, & odium; & poſt exiſtentiam gratiç, & peccati etiam perſeverat. Vrgetur: ſi quoad hos affectus amoris & odij fine inconvenienti poſſet admiti variatio aliqua temporalis, nullum eſſet fundamentum, vt aliquod decretum Dei fuiſſet ab æterno: quia non ex indigentia termini: cum nihil in hac providentia fuerit contingentèr ab æterno: non ex æternitate denominationum intrinſecarum: quia per te denominatio diligentis, & odio habentis ſunt intrinſecæ, & valent in tempore incipere, & deficere: non ex imperfectione decernentis: quia *non prædecernere*, non proveniens aut ex impotentia, aut ex non penetratione finis, & mediorum imperfectionem non arguit decernendi: non ex authoritate Scripturæ ſignificantis æternitatem decretorum: quia novum non eſt in ſacris literis explicare nomine æternitatis ſivè anterioris, ſivè poſterioris nimis longam durationem temporalem, vt frequentiſsimè obſervare licet apud interpretes: ergo nullum eſſet fundamentum pro æternitate divinorum decretorum.

63 Diverſitatem iſtam denomi-

na-

nationum amandi,& non amandi: diligendi,& odio habendi simul cum æterna cohærentia earum in Deo benè exposuit Exim. Doct. Suar. disp. 30. Metaph. sect.9. num. 50. dicens: *Alio modò accidere potest varietas circa rem decretam pro diversis temporibus; vt* v.g. *si Deus hodiè diligat Petrum, cràs non diligat: & hæc varietas non infert mutationem in Deo: quia sine mutatione ex parte amantis, qui simul vtrumque decrevit, scilicèt, amare pro tali tempore, & pro tali non amare, & vtrumque ex sufficienti causa, & ratione*: quasi diceret: Deus in tantùm amat,& non amat, in tantum diligit, & amat, in quantum amor, qui sempèr datur, respicit vnam; non aliam durationem,& est sempèr amor non pro sempèr: & in quantum amor,& odium, quæ simul sempèr, & absquè vlla successione dantur, respiciunt successionem durationum, amando semper pro vna duratione,& odio habendo sempèr pro altera: non verò quia *non esse* amoris succedat amorem aut quia odium succedat amorem, velècontrà: vndè tota variatio se tenet extrinsecè ex parte obiecti, & effectuum provenientium ab amore, & odio; secùs intrinsecè ex parte affectuum, qui sempèr, eodem modo invariabili, sunt, & perseverant. Hinc miror satis Rivaden. disp. 20. de volunt. cap. 3. num. 18. & Muniess. vbi suprà adduxisse Suarium in suum favorem, quem pro ipsis non stare, haud potuerunt non cognoscere ex illis verbis: *Qui simul vtrumque decernit*: Nempè amorem,& odium: quod non dixisset, si odium post amorem insciperet, aut èconverso, vt ipsi volunt.

64 Instabis: Animum non quiescere in hac communi responsione, ex qua deducitur: eodem modo se habere Deum ex parte suę voluntatis erga *S. Petrum* nùnc, àc in tempore negationum: quippè tunc Petrum prosequebatur odio, pro illo tempore peccati: quod videtur certè dedecere Deum, non nisi ex animo sinceriss imo condonantem: sicut dedeceret, hominem sic remittere iniurias, vt nunquam deponeret, imò semper retineret idem omninò odium inimicabile, quod semèl conceperat contrà hostem, ob iniurias non dùm remissas pro tempore quo jàm sunt remissæ. Insupèr eodem prorsus modo esset nunc Deus inimicus D. Petri, & malè affectus erga ipsum, ac fuit in tempore negationum, scilicèt, *tunc*, & *nunc* pro eo tantum tempore: esset que nùnc verisimè quoad internum suum affectum, & ex parte suæ voluntatis inimicus omnium Beatorum, qui aliquando peccarunt, quinimò, & simul esset amicus, & inimicus, cum simul, & eodem modo retineat odium illud intrinsecum inimicabile in consortio amoris. Quæ omnia, nisi absurdissimè videntur non posse concedi: Sic difficultatem exagerat citatus Muniessa.

65 Ponderationibus ponderationes oppono, & fortè graviores, quippè quæ in Scriptura, & PP. fundantur. Dicunt enim Sacræ Litteræ Psalm. 32. *Consilium autèm Domini in æternum manet, & cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.* Proverb. cap. 19. *Voluntas autèm Domini in æternum manet.* Jacobi capit. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Tu dicis: *Consilium, & cogitationes cordis Dei* per quæ omnes eius affectus significantur: nec non *voluntatem Domini* deficere in tempore, & habere vicissitudinem de *esse ad non esse*; & de *non esse ad esse*, vel per defectum realem connotati, vt vult Rivadeneyra, vel per defectum virtualem, vt dicit Muniessa. Dicunt insupèr D. August. lib. 12. Confessionum cap. 5. *Nùnc dicetis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera æternitate creatoris: quod nunquam eius substantia per tempora varietur, nec eius voluntas extrà eius substantiam sit: Vndè non modò eum velle hoc, modò illud; sed semèl, & simul, & sempèr velle omnia, quæ vult; non iterum, & iterum, neque nùnc ista, nunc illa, nec velle postèà, quod nolebat, aut nole quod priùs volebat; quia talis voluntas mutabilis est; Deus autèm noster æternus est.* Damascen. in Dialog. contra Manich. ante medium. *Dei voluntas bona est immutabilis sempèr eodem modo se habens.* Et orat. 1. de Imaginibus pagin. 3. *Consilium æternum se habet sempèr eodem modo.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 12. *Illa sempiterna voluntas eius nunquàm mutabilitati subiacet, quia initium existendi non habet: quod autèm sempèr sic est, vt esse non cæperit, procul dubio sic est, vt id, quod est, non esse non possit.* Nyssenus lib. de Opificio homin. cap. 21. Ambros. in Psalm. 61. Gregor. lib. 12. Moral. cap. 17. Isidorus lib. 1. de Summo bono capit. 1. Ricardus Victorinus lib. 2. de Trinit. capit. 24. eadem inculcant, apud Izquierdo disp. 31. de Deo quæst. 6. propositi. 1. Tu verò dicis: Deum modò velle hoc modò velle illud: nec semèl, & simùl

sem-

ſempèr velle omnia, nùnc velle iſta; nunc velle illa: velle poſtea, quod antè nolebat, & nole nunc, quod antè volebat: non ſempèr Divinam voluntatem eodem modo ſe habere: & denùquè habere principium exiſtendi, ſicut & principium deficiendi: quæ omnia diſſonantiora ſunt, nifallor, & apertè videntur dictis SS.PP. & Scripturæ, provt ab ipſis intellectæ, contradicere.

66 Nec valet reſpondere Scripturam, & PP. tantùm procedere de mutatione, & viciſsitudine ſtrictè ſumpta, quæ conſiſtit in tranſitu ſubiecti ad melius, vèl ad deterius; non de viciſsitudine, & mutatione impropriè accepta, conſiſtenteque in eo, quod Deus nùnc denominetur, quomodo ante non denominabatur, aut nùnc deperdat denominationem, quam antè habebat, vt contingit in vnione hypoſtatica. Non inquàm valet: quia Scriptura, & PP. etſi loquantur de mutatione illa ſtricta, & rigoroſa, aſſummunt pro medio ad illam repellendam *æternitatem voluntatis*, & *ſcientiæ*, talem, vt excludat inceptionem, aut deſitionem Dei in eſſe *intelligentis*, & *volentis*; & ex oppoſita defectibilitate inferunt deffectum divinæ perfectionis per ſtrictam mutationem, quam admitteret, ſi illud in Deo poſſet evenire propter identitatem realem, quam ſcientia, & voluntas etiam actuales dicunt cum *eſſe*, & ſubſtantia ipſius.

67 Prætereà, ſi ex parte divinæ voluntatis diſſonet: ſe habere modò erga iuſtum, ac tempore peccati, & inimicitiæ, etiam diſſonum erit ex parte eiuſdem voluntatis, ſe habere nùnc erga Mundum exiſtentem, productum, & conſervatum, ac in tempore non exiſtentiæ, non productionis, & non conſervationis: & ex parte divini intellectus eodem modo ſe habere nùnc erga ea, quæ ſunt, aut fuerunt, àc in tempore futuritionis, quo non dùm fuerant, neque erant. Deindè non magis repugnat, ſi repugnet, eſſe Deum ſimul amicum, & inimicum, àc eſſe ſimul producentem, & non producentem, aut primò producentem, & conſervantem, aut ſimul iudicantem rem eſſe futuram, & non futuram; præſentem, & non præſentem; præteritam, & non præteritam: ergo vel hæc omnia removenda ſunt à Deo propter diſſonantiam, quàm includunt, vel ſi nullam continent, & à PP. & Theologis, abſque formidine, conceduntur, propter eminentiam divinæ perfectionis, immeritò illa, vt Deo indigna, reijciuntur, & ſpecie quadam pietatis extirpari deſiderantur. Vrgeo ſpecialitèr contra Munieſ. in cuius ſententia amicitia, aut inimicitia non incipiunt, aut deficiunt realitèr; ſed tantùm virtualitèr: vndè infero: ergo Deus realitèr eodem modo ſe habet erga iuſtum, & peccatorem: ergo realitèr eſt inimicus iuſti: ergo realitèr eſt ſimul amicus, & inimicus. Quod ſi hæc omnia animo paccato ſuſcipit, propter evaſionem virtualitatis; cur animum non ſedat, per reſpectum ad diverſa tempora, quo ſe muniunt AA. contrarij, aut ſaltèm cohibet ſeveritatem illam contra Arriaga?

68 Ob hæc neglectis territamentis, & verborum ſpectris ſuprà adhibitis, dicendum eſt: omnia illa eſſe concedenda abſque inconvenienti; adiuncta tamèn ſempèr explicatione, vt durities, ſi quæ eſt, in propoſitionibus abſolutis, temperetur. Vndè ad primum: verùm eſt Deum ex parte ſuæ voluntatis ſe habere eodem modo nunc erga D. Petrum, àc in tēpore negationis: cæterùm ſemper ſe habuit amans D. Petrum pro *nùnc*; & odio habens pro *tempore peccati*, talitèr, *vt nùnc*, & *duratio præſens*, licèt ſit nùnc ſubiectivum odij, non ſit nunc obiectivum ipſius; ſed amoris: & tempus negationis licèt fuerit tempus ſubiectivum amoris; non fuerit tempus obiectivum illius, ſed odij. Nec iſtud obſtat animo ſincèro condonandi iniuriam D. Petro: ſicut non obſtat animo ſerio ſe obligandi ex iuſtitia, aut ex fidelitate, quòd ſempèr Deus maneat expeditus, ad non conferendam rem obligatam, ſine violatione obligationis: nam animus ſerius condonandi non excludit odium pro alio tempore; ſed odium pro tempore remiſsionis: cum Deus non plus faciat in ordine ad inimicitiam gerendam cum D. Petro per odium perſeverans, àc faceret per odium non permanens, quòd quidèm ſemèl exiſtens in aliqua duratione, ſicut & peccatum nunquàm excluduntur à tali duratione. Ad 2. Deus ſempèr retinet odium, quòd ſemèl concepit; attamèn addendum: odium illud eſſe reſpectivum ad durationem, quæ præterijt; non abſolutum pro omni duratione: ſicut in oppoſita ſententia, ſempèr retineret odium in aliqua duratione, correſpondens durationi peccati in quantum odij, & pecca-

ti existentium in tali duratione, nunquàm datur exclusivum, ipsa ejiciens à tali duratione.

69 Ad 3. Esset nùnc Deus eodem prorsus modo inimicus iusti, v. g. D. Petri, & malè affectus erga ipsum, àc fuit in tempore negationis, & peccati: scilicèt, *tunc*, & *nunc* pro eodem tantùm tempore ly *eodem modo respiciens* duplex tempus obiectivum, quorum præsens est obiectivum amoris; non odij. Concedo: quorum præsens sit obiectivum amoris, & odij nego. Vel aliter: eodem prorsus modo, qui nunquam fuit inimicitiæ pro *nunc* concedo; qui aliquandò fuerit inimicitiæ pro *nunc* nego. Vel aliter 3. Eodem modo est inimicus iusti *specificativè sumpti* concedo; *reduplicativè* nego. Si inferas: Ergò Deus eodem modo habet ius puniendi iustum, àc peccatorem, vel negabo sequellam: quia Deus nunquàm habet ius puniendi iustum, vel distinguam: ius puniendi iustum *specificativè* concedo; *reduplicativè* nego. Si autèm rursus inferas: Ergò Deus est inimicus iusti, qui fuit peccator. Negabo etiam hanc propositionem absolutè sumptam: quia sonat: inimicitiam respicere tempus iustitiæ, quod est falsum.

70 Ad 4. Propositio illa: *Deus est inimicus Beatorum* si intelligatur respectivè ad tempus, quo fuerunt peccatores, est vera; ast si absolutè prolata, neganda est semper ex eo, quod denotet: inimicitiam esse respectivam ad tempus beatitudinis, obiectivè sumptum. Ad 5. Deus est simul inimicus, & amicus ly *simul* sumptum *subiectivè*; non *obiectivè*: idest, simul est amicus, & inimicus, sed non pro *simul*, sicut simul est producens, & non producens Mundum; sed non pro *simul*: & simul est potens ad duo contradictoria, & non pro sensu composito; sed pro sensu diviso.

71 Objc. 7. Gravem aliam difficultatem ortam ex diversis statibus rerum temporalium, videlicèt, *futuritionis, præsentiæ, & præteritionis*, cum quibus æternitas scientiæ, videtur non posse componi propter inceptionem, & desitionem in tempore, requisitas ad veram affirmationem, nàm antequàm Christus D. nasceretur, sciebat Deus: *Christum esse nasciturum*: modò autèm iam non scit, Christum esse nasciturum: aliàs sciret falsum: Ergò Deus aliquid non scit modo, quod antè scivit: Ergò scientia Dei variata est, variatione de *esse* ad *non esse*: pariter quoad alia tempora: nam pro tempore ortus Christi scivit: *Eum præsentem esse, & existentem*, quod antè non sciebat: & pro *nunc* scit: *natum esse*, quod antè existentiam Christi, non sciebat, ne vtraque propositio esset falsa, per disconformitatem ad suum obiectum: Ergò Deus aliquid scit, vel scivit, quod abæterno non scivit: àc perconsequens eius scientia est variabilis variatione, & mutabilitate de *non esse* ad *esse*. Pro solutione huius argumenti recurrunt multi ad præsentiam physicam creaturarum in æternitate, vel quia Deus ab æterno sit physicè præsens creaturis, præsentia sui ad illas, vt aliqui sentiunt; vel quia creaturæ, ex parte sui, coexistunt physicè ab æterno æternitati Dei, etsi non tanquàm mensuræ adæquatæ: putantque, sine aliqua ex his præsentijs salvari non posse immutabilitatem divinæ scientiæ. Vndè occasionem nobis præbent differendi solutionem, vsquè ad examen huiusmodi præsentiæ, & quæstionis gravissimæ de præsentia Dei ad creaturas, & creaturarum ad Deum, quam scilicèt, sicut & præsentem disputationem tria sequentia capita penitùs absolvent.

CAPVT V.

An pro immutabilitate scientiæ divinæ requiratur præsentia creaturarum in æternitate: vbi an talis præsentia detur?

72 PRæsentia vnius rei ad aliam est duplex: alia physica; alia intentionalis. Physica est, quæ fundatur in physica, & reali existentia, vi cuius vna entitas positivè existentialiter indistat ab alia, talitèr, vt reddat veram hanc propositionem: *A & B simpliciter coexistunt*. Præsentia intentionalis est illa, quæ in cognitione consistit, vi cuius res cognita fit præsens intellectui cognoscentis, præscindendo ab eo, quod de præsenti existat: sicut eclypsis futura, dum ab Astrologo, vt eventura cognoscitur, dicitur præsens intentionaliter intellectui Astrologi: quia etsi vt futura cognoscatur, tamèn de præsenti, vt talis repræsentatur.

Non

73 Non procedit quæſtio de præſentia intentionali, quæ in cognitione conſiſtit, qua præſentes obiectivè fiunt res cognitæ intellectui cognoſcentis: nàm extrà controverſiam eſt, & eadem certitudine certum creaturas eſſe ab æterno intentionalitèr, & obiectivè præſentes Deo, qua certum, & extrà controverſiam eſt intèr catholicos, Deum ab æterno cognoſcere veritates futurorum perfectiſsima intuitione: alitèr enim defectuoſa redderetur Dei Scientia, eiuſque intellectus perſpicacitas debilem mentis creatæ aciem imitaretur: igitur procedit quæſtio de præſentia phyſica in exiſtentia phyſica fundata, & vi cuius in vero, & rigoroſo ſenſu poſsit dici, vnum coexiſtere alteri: & in hoc ſenſu inquiritur: an creaturæ verè, & propriè ſint phyſicè præſentes Deo, ita vt ab æterno, & in æternum, ipſi verè, & propriè coexiſtant?

74 Nec præſentia iſta phyſica locum dat quæſtioni, niſi ſuppoſito, & ſtabilito dogmate fidei ſtatuente: *Creaturas non extitiſſe ab æterno correſpondentes omni motui ſucceſsivo, vel reali, vel imaginario; ſed incepiſſe in tempore determinato.* Quæ veritas conſtat ex Geneſ. cap. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram.* Ex Pſalm. 89. *Priuſquàm montes fierent, aut formaretur terra, & Orbis à ſæculo, & vſquè in ſæculum, tu es Deus.* Ex Proverb. cap. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequàm quidquam faceret à principio.* Ex definitione Concilij Lateran. in capite *Firmitèr de ſummâ Trinitate, & Fide Catholicâ*, & ex communi PP. conſenſu aſſerentium: *quidquid ab æterno eſt, vel Deum, vel nihil eſſe*, inter quos Auguſt. lib. 4. de Geneſ. ad lit. ait: *Res antequàm fierent, erant, & non erant: erant in Dei Scientia, & non erant in ſua natura.* In dubio tamèn eſt: an cum hac veritate ſtare poſsit in aliquo vero ſenſu creaturas ab æterno, & in æternum eſſe phyſicè præſentes æternitati Dei?

75 Ex quibus iàm ſe oſtendit: minimè diſputari: *An creaturæ ſint phyſicè præſentes ab æterno & in æternum æternitati Dei, prout coexiſtit omni motui ſucceſsivo, ſivè reali, ſivè imaginario*: ſeu, vt explicant Thomiſtæ: *An creaturæ ab æterno, & in æternum coexiſtant æternitati Dei, prout exiſtentes in propria, & adæquatâ menſurâ?* Nam ſi ſic exiſterent, non inciperent; *ſed an exiſtant phyſicè ab æterno, & in æternum in æternitate tanquàm in menſurâ aliena, & ſuperexcedente, continentequè non ſolùm illam durationem, per quam res durat; v. g. Petrus; ſed omnes alias durationes; an verò tùnc incipiant coexiſtere æternitati, quandò incipiunt exiſtere in propria duratione?*

76 Nec dubitari etiam poteſt, creaturas in tempore exiſtentes, quandò in tempore exiſtunt, coexiſtere æternitati intrinſecæ Dei toti, & adæquatæ: quia cum hæc ſit indiviſibilis, & tota ſimùl detur, Deoque realitèr identificetur, implicat rem exiſtere, & tali æternitati adæquatè ſumptæ, quæ ſempèr, & neceſſariò datur, non coexiſtere: propterea què vltra hanc indubitatam coexiſtentiam, quæ à nemine negari poteſt, & quæ in tempore datur, inquiritur: *An creaturæ habeant ab æterno, & in æternum aliam coexiſtentiam æternitati, & in æternitate*, in hac exiſtendo ſempèr tanquàm *in menſura aliena, & ſuperexcedente?*

77 In quo ſenſu duplex eſt extremè oppoſita ſententia. Prima affirmat, creaturas eſſe ſemper phyſicè præſentes æternitati Dei, ipſiquè coexiſtere non tanquàm menſuræ adæquatæ; verùm inadæquatę, & ſuperexcedenti. Sic communitèr Thomiſtæ, vt Ferrara, Cayet. Bañez, Zumel, Ripa, Nazarius, Nabarrete, Ledeſma, Albelda, Cornejo, & cum ipſis RR. vt Carmelitani, & Godoy in 1. p. quæſt. 14. de Scientia, tract. 4. diſp. 41. quibus aliqui ex noſtris conſentiunt, vt Fonſeca, Granados, & Gilius, quamvis de his alitèr ſentiat P. Ribadeneyra. Secunda ſententia negat creaturis præſentiam phyſicam in æternitate ab æterno, ſolumquè concedit præſentiam obiectivam. Ità Scotus, Alenſis, Bonaventura, Ægidius, Aureolus, Durandus, & cum ipſis communitèr AA. Societatis cum Eximio Suario lib. 1. de Scientia futurorum cap. 7. Vazq. diſp. 74. Valentia in præſenti, Arrubal, Beccanus, Herice, Alarcon, Meratius, Faſol. Rivas, Martinon, Amicus, Hurtado Complutenſ. & Izquierdo tom. 1. de Deo, diſp. 9. q. 11.

78 Reſtat alia ſententia inter has media (neſcio an tantùm in vocibus; ſed in re omninò primæ conveniens) quam defendit Quiros tom. 1. de Deo. diſp. 48. ſect. 4. aſſerens: creaturas omnes in quocumque ſtatu, ſivè præteritionis, ſivè futuritionis, eſſe præſentes phyſicè Deo ſempèr, non ptopria præſentia, & coexiſtentia; ſed præſentia, & coexiſten-

tiâ

tia Dei ad creaturas, in quantum æternitas Dei secundùm se considerata, & non prout reduplicat durationem, & tempus successivum, in quocumque instanti consideretur, se extendit ad omnes partes temporis præteritas, & futuras, taliter, vt quamvis inter se sint successivæ; relatè ad æternitatem simùl existant: sicut immensitas Dei existens Compluti, quamvis non prout *Compluti*, se extendat ad omnem vbicationem, & locum, simùl tamen omnia complectitur. Cui discursui accedit Ribadeneyra tract. de Scient. disp. 15. dùm ait: æternitatem intrinsecam Dei identificare secum omnes rationes formales, differentiasque durandi, & cum quavis duratione creata successivè labili, non alium ordinem constituere, quàm præsentis ad præsens, nihilquè respectu Dei esse præteritum, aut futurum: additque, quod cum coexistentia involvat in suo conceptu duplicem existentiam, nullumque ens creatum, ante tempus determinatum, in quo existit, habeat existentiam: ideò æternitas actu coexistens non est creaturis, donec accedat tempus in quo existunt: quarè tantùm potest dici, æternitatem Dei habere ab æterno, & semper indistantiam completæ sufficientiæ à creaturis; non verò coexistentiæ. Concludit dicens: nullo vero, & rigoroso sensu posse dici: creaturas esse physicè præsentes Deo ab æterno, quamvis Deus ab æternò, & in æternum ratione indistantiæ, quam habet, possit de præsenti affirmare quamcumque existentiam creaturæ, quæ respectu nostri præterita, aut futura sit.

79 Consentit cum Ribadeneyra quoad substantiam P. Herrera disp. 8. de Scientia, & R. P. Tyrsus in Selectis, tom. 1. disp. 4. qui asserit, attentè perpensis omnibus, quæ in hac quæstione ab AA. primæ notæ adducuntur, duo in ipsa contineri investiganda: vnum de re; alterum de modo loquendi. De re: an æternitas intrinseca Dei præcisè habeat ex se esse determinatam, vt cuicumque tempori, & durationi successivæ coexistat, taliter, vt prius vni motui, aut durationi, quàm alteri coexistat, facta successione in coexistentia: non secùs ac se habet Arbor ad ripam fluminis plantata, quæ successivè aquis fluentibus localiter coexistit: an potius æternitas intrinseca Dei ex se sit vltima, & formalis determinatio ad coexistendum, omnibus temporis differentijs, nullam respiciens vt præteritam, vel futuram; sed omnes simùl ambiens, ita vt quamvis inter se successionem constituant, relatè ad æternitatem simul existant. De modo loquendi: an supposito, æternitatem Dei omnia tempora, & durationes simùl amplecti, hoc sufficiat, vt res creatæ, & futura dicantur physicè præsentia ab æterno, & in æternum æternitati Dei, ipsique ab æterno aliquo rigoroso, & proprio sensu coexistere.

80 Ante resolutionem aliqua notare oportet 1. *Durare* dupliciter vsurpari posse: vel *radicaliter*; vel *formaliter*. Durare primò modo, est dari determinationem ad illam formam, & formalem rationem, in qua consistit duratio; sicut esse productum *radicaliter* nihil aliud est, quàm esse determinatum ad formalem actionem. Durare secundò modo, seu *formaliter*, est includere ipsam formalem durationem, & formalem rationem durandi: vnde entitas illa, quę per sua prędicata essentialia non tantùm habeat: esse determinatam ad rationem formalem durandi; sed esse ipsissimam rationem formalem durandi, per consequens non tantùm identificat secum durationem radicalem, verùm etiàm formalem.

81 Secundò *Durare* non esse precisè existere; sed existentię superaddere perseverantiam in esse: nec res in primo instanti, in quo est, durat; verùm in secundo, & reliquis: quia in esse accepto perseverat: ex quo deducitur: rem, quę per se, & ab intrinseco sit determinata ad non deficiendum per se, & ab intrinseco esse durationem sui, vtpotè quę per se, non tantùm est determinata ad existendum, sed ad perseverandum in *esse*: cum non posse deficere, & in esse perseverare, idem formaliter sit. Hinc similiter elucet: quarè in multis rebus, vt durent, requiratur coexistentia ad aliquid successivum: quia cum ex se non habeant determinationem ad non deficiendum, dum existunt, non aliter earum perseverantia in *esse* potest dignosci, quàm ex eo, quod motibus successivis coexistant, per quos motus earum maiorem, aut minorem durationem mensuramus.

82 Tertiò. Ex P. Suarez in Metaphys. tom. 2. disp. 50. contra Aureolum. Dari durationem increatam, & Deo intrinsecam, quę æternitas est, Deumque

æternum intrinsecè constituit, adhùc præscindendo à quacumque successione. Tum quia Deus essentialitèr, & intrinsecè est æternus: ergo æternitas ipsi non potest deficere: sed omne, quod non sit Deus, potest deficere: ergo æternitas Dei non constituitur per aliquid extrinsecum: tum quia Deus ex se, & essentialitèr est determinatus, vt non deficiat: ergo non tantum, vt habeat *esse* verùm, vt in *esse*, quod habet, perseveret: sed hoc est formalitèr durare: ergo Deus ex se, & ab intrinseco est formalitèr durans: tum etiam: nàm Deus ex se est determinatus, vt cuicumque motui successivo, etiàm infinito, coexistat: tùm demùm: quia si ab æterno cœlum fuisset motum, ab æterno realitèr durasset: sed Deus ex se habet tale *esse*, quod si existeret motus Cœli ab æterno, ipsi coexisteret: ergo ex se habet esse durans, duratione correspondente durationi æternæ, quàm haberet Cœlum.

83 Ex hac suppositione inferuntur duo: primò; quod cum hæc æternitas, & duratio intrinseca Dei sit indivisibilis, in ea nihil datur, quod successionem constituat: nec in ipsa inveniuntur differentiæ illæ, quæ in motibus successivis sunt perceptibiles, scilicèt, *nunc*, *antè*, *pòst*: sed tota simul, & adæquatè datur: nec melius hanc durationem intrinsecam Dei explicabis, quàm per essentialem indeficientiam; aut per metaphysicam necessitatem existendi, vi cuius Deus est determinatus, vt cuicumque rei existenti coexistat. Secundò: quod cum rem esse præsentem alicui durationi, nihil aliud sit, quam prout sic præsentem, commensurari cum tali duratione, & existere quandò ipsa existit, nulla res erit præsens huic durationi, & æternitati intrinsecæ Dei secundùm se sumptæ, nisi ea, quæ ab extrinseco habeat indeficientiam, aut necessitatem existendi, fundatam in decreto, absque limitatione constituente ipsam existentem. Ratio est: quia cum *quando* æternitatis, & durationis intrinsecæ Dei nihil aliud sit, quàm essentialis indeficientia, & metaphysica necessitas existendi, opus est, vt res à Deo distincta, tali *quando* commensuretur, quod habeat indeficientiam, & necessitatem existendi, quæ cum intrinseca non valeat esse, ob creaturæ imperfectionem; saltèm extrinseca, & in decreto absquè limitatione consistens, requiretur, quæ si deficiat, nulla res poterit comparari, vt præsens cum æternitate intrinseca Dei, secundùm se sumpta, sed erit necessarium, quod hæc modificetur, & limitetur per coexistentiam ad aliquam, vel aliquas durationes extrinsecas, & successivas, in quibus, & non in alijs res erit præsens æternitati intrinsecæ Dei, non secundùm se sumptæ; sed prout reduplicat extrinsecas, & successivas durationes.

84 Quartò. Vltra hanc æternitatem Deo intrinsecam, dari aliam in ipso, quæ constituit attributum semiextrinsecum: quippè quæ consistit in coexistentia ad tempus reale, & imaginarium, quæ quidèm æternitas resultat ex existentia necessaria Dei, & existentia temporis extrinseci, ex qua parte successionem includit, nec datur tota simul; sed partim nunc; partim postea: quarè definitio æternitatis tradita à Boetio lib. 6. de Consolatione: *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*: de prima æternitate, & attributo adæquatè intrinseco; non de secunda, & semiextrinseca debet intelligi.

85 Quintò. Sicut verum est in proprio, & rigoroso sensu, *Deum existere antequàm futura existant in tempore determinato.* Ità verum est: *Scientiam, quam habet Deus de creaturis, & futuris existere ab æterno, & tempore antecedere, futura*: Cum ab æterno Deus cognoscat creaturas, quæ in tempore existunt, & hæ prout sic existentes ab æterno non sint: ideò dum PP. Ecclesiæ asserunt in Deo non dari præscientiam futurorum, sed Scientiam, per hoc non intendunt excludere hanc veram scientiæ antecessionem; nec in hoc sensu particulam *præ* reijciunt: aliàs nec *prædefinitionem*, nec *prædestinationem* admitterent: sed solùm imperfectionem quandam Scientiæ similem ei, quæ datur in creaturis alitèr præsentientibus futura, quàm præsentia: nempè confusè, & indiscretè, & absque penetratione circunstantiarum: ideòque dicunt, in Deo futura esse præsentia, non quia aliam præsentiam, quàm obiectivam velint introducere; verùm quia talem habent præsentiam obiectivam ex qua clarissimè cognoscuntur pro suo tempore intuitivè, & penetrativè; non indiscretè, aut tantùm coniecturalitèr, vt accidit in humanis.

86 Sex-

86 Sextò. Id, quod ex P. Suar. advertit P. Izquierdo disp. cit. id est: duplicitèr posse obiectum aliquod esse obiectivè præsens intellectui cognoscentis: primò quatenùs actualitèr est in cognitione, actualiterquè ab intellectu repræsentatur, & ab ipso veluti trahitur, præsensque ponitur in potentia cognoscentis: secundò quatenùs obiectum antè cognitionem sui, talitèr est in se, & in sua existentia, vt nihil desideretur ex parte sui ad excitandum in potentia cognitionem veram, & claram: quod explicatur in obiecto visibili existenti intra spheram activitatis potentiæ visivæ, quod quidèm non tantùm est præsens potentiæ visivæ, quia per illam actu videtur; sed quia talitèr propositum est, & applicatum, vt ex se potentiam ad eliciendam visionem movere possit. Igitur vtroque modo res sunt præsentes Deo *obiectivè* ab æterno: tum quia Deus ab æterno ipsas cognovit, fueruntque in divina repræsentatione: tum quia ea existentia, quam in tempore habent, fuit ab æterno visibilis, & intuitivè cognoscibilis, potensque ex ea mensura, & determinato tempore, in quo existunt, movere extrinsecè, & determinare obiectivè divinum intellectum, vt eam cognoscat. Ex his duabus præsentijs: prima vocatur à P. Suar. obiectiva *in actu secundo*, cum in actuali repræsentatione, & cognitione consistat: secunda verò præsentia obiectiva *in actu primo*, quia in aptitudine, & proportione obiecti, vt cognitionem excitet, & terminet, fundatur.

87 Septimò, & vltimò: frequentem nimis apud Ecclesiæ PP. & DD. esse hanc causalem: *Quia Deus sua æternitate omnia tempora ambit, quin in se aliquam mutationem, aut variationem admittat, nihil apud ipsum est præteritum, aut futurum; sed cuncta sunt ei præsentia.* Ita D. Augustin. sæpissimè ad illa Iacobi verba, cap. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Gregor. Anselm. Ambros. Beda, & Boetius, quos citatos invenies apud Exim. Doct. Suarium in opusculis disp. iàm semèl, & iterum citata, cuius causalis sensus, si atentè verborum contextus attendatur, non alius est, quàm Deum quia æternum, & nullis temporis legibus subiectum quoad existendum, & deficiendum, non subijci legibus temporis quoad cognoscendum, neque expectare ad rem plenè, & perfectè intuendam, eius physicam præsentiam; sed omnia in eius oculis esse præsentia, quatenùs ex eo, quod existant, claritas divinę cognitioni non accrescit.

CAPVT VI.

Dubium per varias conclusiones deciditur.

88 SIT nostra prima conclusio: nullo proprio, & rigoroso sensu potest esse verum: *Futura contingentia esse ab æterno, & in æternum physicè præsentia æternitati; sed tantùm de ipsis potest verificari, esse præsentia obiectivè, quatenùs à Deo clarè ab æterno, & in æternum pro sua mensura, & determinato tempore, in quo physicè existunt, cognoscuntur.* Probatur primò authoritate PP. inter quos sit primus S. August. Serm. 11. de verbis Apost. vbi ait: *habet Deus electos apud se ipsum, non in natura sua; sed in præscientia sua*: ergo tantùm concedit obiectivam præsentiam; non physicam, quæ in propria natura, & existentia consistit. Deindè lib. 4. de Genes. ad liter. cap. 18. iàm citato: *Res antequàm fierent, erant, & non erant; erant in Dei Scientia, & non erant in sua natura.* Quid clarius pro nostra sententia? Nam cum Sanctus Doct. explicare intendat, omnem modum, quo res propriè erant, antequàm fierent, id est, ab æterno, præcisè asserit, fuisse *in cognitione Dei*; secus *in propria natura*: ergo ab æterno iuxtà August. mentem, non fuerunt physicè præsentes Deo. Tum quia hæc physica præsentia per existentiam constituitur: tum quia si aliam præsentiam præter obiectivam habere iudicasset, non vnicè, quandò vult explicare: quomodo res fuerint, ad ipsam recurrisset.

89 Idem tenet Ambros. lib. de fide ad Gratian. cap. 7. *Deo, quæ sunt futura, præsentia sunt.* Sed qua præsentia? Iàm subdit: *Et ei, cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt.* Ecce dum explicare vult præsentiam, quam habent futura respectu Dei, ad cognitionem reccurrit: vbi maximè notanda sunt pro nostro intentu illa ver-

ba: *pro factis ſunt*: non enim dixit: *Facta ſunt*: ſed *profactis ſunt*: quaſi diceret: quamvis præſentia phyſicè non ſint; in ordine tamèn ad cognitionem claram, & perfectiſsimam Dei, eodem modo ſe habent, ac ſi iàm facta, & phyſicè præſentia forent. Similitèr Hilarius lib. 12. de Trinit. *Nihil non ſemper cum Deo fuit quidquid in rebus eſt.* Sed quomodo fuit? Iàm explicat: *Quæ etſi ad creationem ſui cæpta ſunt; non ſunt tamèn à Dei præſcientia, vel poteſtate inchoata.* Conſonat Hieronym. in Comment. Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. ad illud: *Sicut elegit nos*: Sic inquiens: *Quod electos nos antè fabricam Mundi teſtatus eſt, ad præſcientiam Dei pertinet, cui omnia futura iàm facta ſunt, & antequàm fiant, vniverſa ſunt nota.* Conſidera ly *cui omnia futura iàm facta ſunt* admixtum ly *antequàm fiant.*

90 Pro noſtra concluſione ſtant etiam Gregor. Nyſenus Oratione Catech. 22. *Futuros eventus tanquàm res præſentes intuetur.* Petrus Damianus Ep. 4. de Omnipotentia cap. 7. *Omnia ſuis obiecta conſpectibus præſentialiter videt.* Damaſcen. dialog. contra Manich. *Quæ futura ſunt, velut iàm facta proſpicit, & iudicat.* Beda lib. variar. quæſt. q. 13. *Ab æterno ea, quæ ſunt futura nobis, in conſpectu ſuo præſentia habuit.* Nemeſius lib. de natura hominis cap. 44. §. 3. fine. *Deo futura tanquàm præſentia ſunt.* Proſper. lib. 2. de vocatione Gentium cap. 34. *Scientiam Dei, quæ, & præterita, & præſentia, & futura complectitur tempore non teneri, & tam in conſpectu eius ſtare ea, quæ gerenda ſunt, quàm illa, quæ aut geruntur, aut geſta ſunt.*

91 Veniamus iam ad Angelicum Præcept. qui, ni fallor, clarè noſtram concluſionem propugnat, vt conſtat ex 1. part. quæſt. 14. artic. 13. ibi: *Omnia, quæ ſunt in tempore ſunt Deo ab æterno præſentia*, attende cauſalem, *quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Ecce dum S. Thom. vult explicare; quomodo futura ſint Deo præſentia, non aliam præſentiam, quàm obiectivam eis concedit, conſiſtentem in eo, quod eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia. Ex art. 9. vbi ait: *Quia cum æternitate menſuretur, quæ ſine ſucceſsione exiſtens, totum tempus comprehendit, præſens intuitus Dei fertur ad omne tempus, & in omnia, quæ ſunt in quocumque tempore, ſicut in ſubiecta ſibi præſentialiter: in quo textu*, vt optimè notavit Suarez, non dixit D. Thom. Sicut *in coexiſtentia ſibi realiter*; ſed *ſicut in ſubiecta ſibi præſentialitèr: quia eius intuitus*, proſequitur, *habet hanc vim attingendi, & ſubijciendi ſibi omnia tempora.*

92 Ex quæſt. 16. art. 2. vbi inquirit: *An veritates creatæ ſint æternæ?* Et reſpondet: eſſe ſolùm æternas, prout ſunt obiectivè in mente divina: *Et ſi nullus*, inquit, *intellectus eſſet æternus, nulla veritas creata eſſet æterna.* Ex 1. contra Gentes cap. 66. *Quidquid igitur per totum decurſum temporis agitur, divinus intellectus in totâ ſua æternitate intuetur quaſi præſens; nec tamèn quod quadam parte temporis agitur, ſemper fuit exiſtens.* Quo loco advertendum eſt cum Ribadeneyram. D. Thom. ſine vlla reſtrictione *menſuræ propriæ, & alienæ* negare exiſtere creaturas ab æterno, & tamèn concedere, Deum ipſas, vt præſentes cognoſcere: ergo loquitur de præſentia obiectiva, omnemquè phyſicam præſentiam ab æterno excludit. Omitto brevitatis cauſa, quam plures alios textus S. Thom. quos, ſi videre placet, apud Suarium citatum invenies.

93 Probatur iam à ratione. Hæc propoſitio eſt vera in proprio, & rigoroſo ſenſu: *Aliquandò verè, & propriè non extiterunt creaturæ*: ergo hæc eſt falſa in verò, & rigoroſo ſenſu: *Creaturæ ſemper extiterunt.* Antecedens conſtat ex fide, & PP. Conſequentia eſt legitima: nam à veritate vnius contraditorij rectè arguitur ad alterius falſitatem. Procedo: ſed exiſtere ab æterno verè, & propriè, eſt ſemper extitiſſe: ergo eadem falſitate, qua falſum eſt, ſemper extitiſſe, falſum eſt exiſtere ab æterno: ſed in omni rigoroſo ſenſu eſt falſum extitiſſe ſemper: ergo in omni rigoroſo ſenſu eſt falſum exiſtere ab æterno. Explicatur ratio propoſita. Omnis rigoroſus ſenſus exiſtendi includit exiſtentiam veram: ergo omnis rigoroſus ſenſus exiſtendi ab æterno includit exiſtentiam veram ab æterno: ſed omnis rigoroſus ſenſus includens exiſtentiam veram ab æterno opponitur huic propoſitioni veræ in ſenſu ſtricto, & rigoroſo: *Creaturæ aliquandò non habuerunt exiſtentiam veram*: ergo

ergo omnis rigorosus sensus existendi creaturas ab æterno, est falsus.

94 Probatur 2. omnis sensus existendi creaturas ab æterno componibilis cum carentia, & vero defectu creaturarum ab æterno, implicat esse sensum rigorosum existendi creaturas ab æterno: sed omnis sensus existendi creaturas ab æterno est componibilis cum defectu vero reali, & rigoroso existendi creaturas ab æterno: ergo non est sensus rigorosos existendi creaturas ab æterno. Consequentia est legitima, minor certa: cũ certum sit, nihil à Deo distinctũ fuisse ab æterno. Mai. prob. Omnis sensus existendi ab æterno creaturas, componibilis cum vero defectu existendi creaturas ab æterno, est sensus tribuens existentiam creaturis ab æterno, compositam cum carentia ab æterno: sed omnis sensus existentiæ compositæ cum vera carentia, non potest esse sensus proprius, & rigorosus existentiæ: aliàs verè, & propriè coniungerentur duo cõtradictoria, vt contradictoria sunt, ab æterno: ergo omnis sensus existendi creaturas ab æterno, componibilis cum defectu creaturarum ab æterno, non est sensus proprius, & rigorosus existendi creaturas ab æterno.

95 Vrgentur, & premuntur dicta sub hac forma: ex terminis, & etiam ex fide est falsa hæc propositio: *tam verè existunt creaturæ ab æternò, quàm deficiunt ab æterno*: sed hæc falsitas arguit, creaturas nullo vero sensu rigoroso, & stricto existere ab æterno: ergo nullo vero, & rigoroso sensu existunt ab æterno. Prob. min. in qua stat difficultas: id quod quando existit, non tam verè existit, quàm deficit, quandò verè deficit, non verè, & propriè existit: sed creaturæ dum existunt ab æterno, non tam verè, & propriè existunt, quàm deficiunt, quandò verè, & propriè deficiunt ab æterno: ergo falsitas illius propositionis arguit, creaturas nullo vero, & rigoroso sensu existere ab æterno. Ptob. mai. huius syllogismi probaturus post min. Omnis vera existentia creaturæ est tàm vera in redendo existentem creaturam; quàm omnis verus defectus creaturæ in redendo verè deficientem creaturam: ergo id, quod quandò existit, non tàm verè existit, quàm deficit, quandò verè deficit, non verè, & propriè existit. Prob. iam min. illam. Si creaturæ, dum ab æterno existunt, modo, quo volunt adversarij, tàm verè, & propriè existerent, quàm dèficiunt, quandò verè deficiunt, propositio illa: *Tàm verè, & propriè existunt, quàm deficiunt ab æterno*, non esset falsa, sed vera: sed illa propositio falsa est: ergo creaturæ non tàm verè, & propriè existunt ab æterno; si ab æterno existunt, quàm deficiunt, quandò verè deficiunt ab æterno, vt modò accidit.

96 His omnibus vna, & communis ab adversarijs paratur solutio, licèt his, vel illis vocibus explicata, consistensque in eo, quod creaturæ non existunt *physicè* ab æterno in mensura propria: quia hæc tempus determinatum complectitur, in quo, & incipiunt, & deficiunt; neque hoc modo potest verificari, physicè existere ab æterno; existunt tamèn *physicè* ab æterno, & in æternum in æternitate tanquàm in aliena mensura communi, & superexcedenti; qui modus existendi est verus, & rigorosus modus existendi ab æterno, & coexistendi Deo semper, & hoc absque vllo inconvenienti à nobis ponderato: cum tantùm iuxta fidem, & PP. sit verum, creaturas non existere ab æterno *in mensura propria*. Hæc est solutio, quam, cum audio, in mentem venit id, quod dixit Suarez: *Se nescire quomodo in hoc puncto non omnes dicamus idem*. Sed cum voces disconvenientiam in iudicio sonent, necesse est ipsas enucleare, vt videamus: an idem sapiamus omnes. Ideò contra prædictam solutionem.

97 Insurgo 1. vel hoc, quod est: *Creaturas existere ab æterno in æternitate, tanquam in mensura superexcedente esse aliquẽ rigorosum sensum existẽdi ab æterno*, facit hunc sensum: *Creaturæ existentes ab æterno in æternitate tanquàm in mensura aliena, verè, & rigorosè existunt ab æterno*: vel hunc: *Creaturæ verè, & rigorosè existunt ab æterno in æternitate tanquàm in mensura aliena*? Si primum: ergo iuxta adversarios creaturæ per existentiam in æternitate verè, & rigorosè existunt ab æterno; quod salva fide dici non potest. Si secundum. Rogo: an sensus verus, & rigorosus existendi creaturas in æternitate sit simpliciter rigorosus sensus existendi ab æterno; vel tantùm rigorosus sensus existendi ab æterno; in æternitate tanquàm in mensura aliena? Si illud: recidunt in inconveniens ponderatum. Si hoc: nihil aliud dicunt, quàm creaturas in linea existendi impropriè, verè existe-

re: quod vel chymæra est: vel nimia veritas: non aliter ac si dicerent: *hominem esse mortuum verè, & rigorosè habere esse hominem mortuum*: quod, vt vides, nihil aliud est, quàm asserere, habere omnem veritatem existendi *impropriè*, & in eo, quod est *existere impropriè*, rigorosè existere.

98 Secundò. Vel creaturas existere ab æterno in æternitate tanquàm in mensura superexcedente, est creaturas habuisse aliquod esse intrinsecum ab æterno antequàm existerent in tempore; vel non? Si habuerunt aliquod esse intrinsecum: ergo antequàm verè, & simplicitèr existerent verè, & simplicitèr extiterunt: item quando tempore inceperunt, non primò productæ sunt; quod contra fidem est. Si non habuerunt: ecce impropriſsimam loquutionem non disimilem ei, qua quis diceret: creaturas extitisse ab æterno in Omnipotentia, tanquàm in virtute præcontentiva ipsarum, quod, vt ex se patet, indignum disputatione est, & alienum â tenacitate, & conatu, quo adversarij suam sententiam persuadere intendunt.

99 Tertiò: implicat esse rigorosus sensus existendi creaturas ab æterno ille, qui eodem modo verificatur, & cum eodem rigore de carentia creaturarum ab æterno; sed æquè verificatur de carentia creaturarum, existere ab æterno suo modo in æternitate, tanquàm in duratione super excedente: ergo non est rigorosus sensus existendi; sed improprius, & abusibus. Prob. mai. Implicat existentiam alicuius rei, vt verè existentia est, permittere existere eodem modo, quo ipsa est, defectum sui: ergo implicat esse rigorosus sensus existendi creaturas ab æterno ille, qui eodem modo verificatur de carentia rerum ab æterno.

100 Explicatur amplius hæc ratio. Existentia, quę eodem modo, quo est, permittit esse suum defectum, non potest esse stricta, & rigorosa existentia: sed existentia creaturarum in æternitate, tanquàm in mensura superexcedente, permittit esse suum defectum in æternitate, tanquàm in mensura superexcedente: ergo non est stricta, & rigorosa existentia. Mai. prætèrquam quòd ex terminis apparet, sic probatur. Omnis vera existentia eo modo, quo est, opponitur cum suo defectu: ergo nulla existentia componibilis eo modo, quo est, cum suo defectu, est vera existentia. Prob. iam min. ideò existentia creaturarum datur ab æterno in æternitate, tanquàm in mensura, & duratione superexcedente, quia dum existit in tempore, coexistit toti æternitati Dei, indivisibilitèr sumptæ: sed eiusdem rei quæ in tempore deficit, defectus dum suo modo existit, coexistit toti æternitati adæquatè, & indivisibilitèr sumptæ: ergo existit ab æterno, & sempèr in æternitate, tanquam in duratione superexcedente. Sed hoc est, existentiam rei ab æterno permittere eodem modo, quo est, existere defectum sui: ergo existentia, quam adversarij tribuunt creaturis ab æterno, permittit eodem modo, quo est, defectum sui.

101 Quartò. Creaturam existere ab æterno in æternitate modo dicto, aut est aliquid distinctum à complexo Dei æterni, & creaturę existentis in tempore, & determinata mensura, aut indistinctum? Si distinctum: assigna, cum non sit aliquid increatum, neque aliquid creatum; si indistinctum: ergo nullo proprio, & stricto sensu potest redere creaturas ab æterno existentes. Prob. conseq. hoc complexum, vt complexum est, essentialiter est potentia deficiendi verè, & realitèr propriè ab æterno: ergo essentialiter non est æternitas sui. Antecedens est certum: quia de facto hoc complexum verè, realitèr, & propriè defecit ab æterno: ergo potest deficere: cum ab actu ad potentiam benè valeat consequentia: deindè illatio est legitima, aliàs coniungeret in se prædicata opposita, capacitatem, scilicèt deficiendi verè, & realitèr, & necessitatem existendi. Progredior: sed si constitueret creaturas existentes ab æterno verè, & realiter, esset æternitas sui verè, & realiter: ergo creaturas existere ab æterno in æternitate modò dicto, vel non est modus existendi verus proprius, & realis; vel non potest consistere in tali complexo. Prob. min. tale complexum esset æternitas sui verè, & realiter qua parte includit Deum: deinde esset æternitas sui verè, propriè, & realitèr, qua parte dicit creaturas existentes ab æterno verè, propriè, & realitèr: ergo adæquatè esset æternitas sui.

102 Quintò. Quia vel creaturæ nullo

nullo modo existunt ab æterno, vel existunt in omni tempore: sed hoc per adversarios,& iuxta veritatem, est falsum: ergo & illud. Prob. mai. Ideò creaturæ existunt ab æterno, vel quia dum existunt physicè in propria mensura,coexistunt æternitati Dei,quæ æterna est: vel quia,vt ait Godoy,æternitas,vtpotè duratio infinita continet in se omnem durationem:sed non minus æternitas est in omni tempore,& continet in se omnem temporis motum: ergo creaturæ,vel nullo modo existunt ab æterno:vel existunt in omni tempore. Confirmatur primò. Duratio æterna, seu æternitas provt infinita,& continens omnem durationem creatam,coexistit,& correspondet omni tempori:sed provt est infinita, & continet durationem creatam, creaturæ existunt in ea æternè: ergò creaturę provt coexistunt ęternitati ęternè, coexistunt omni tempori.Confirmatur secundò.Id, quod existit in alio, provt sic existens, existit vbi, & quando existit aliud: sed creaturę ab ęterno existunt in ęternitate: ergo provt sic existentes, existunt quandò existit ęternitas: sed ęternitas existit in omni tempore: ergo creaturę provt in ęternitate existunt, existunt in omni tempore: ergo ęquè existunt in ęternitate ac in omni tempore: quod firmitèr, & negant,& debent negare AA.oppositę sententię.

103 Sextò. Quia stante hac doctrina,non tantùm dicendæ sunt creaturæ existere ab æterno in æternitate, tanquàm in mensura aliena; sed existere ab æterno in propria mensura, & duratione.Probatur.Non tantùm res,sed etiàm duratio rei coexistit toti æternitati:ergo non tantùm res; sed etiam duratio rei existit ab æterno in æternitate: quare res provt habet durationem, in qua durat tanquàm in propria mensura, existet ab æterno: ac per consequens durationę ęternitatis:neque quoad se,neque quoad durationem incipit in tempore.

104 Septimò.Nàm vt benè Rivadeneyra,non minus æternitas est æterna, quàm immensitas immensa: sed quia creaturæ coexistunt æternitati æternæ, existunt æternè: ergo quia coexistunt immensitati immensæ, existunt immense: hoc non concedunt adversarij: ergo neque illud. Nec tenet disparitas, quam etiam refert ex Albelda idem Author, consistens in eo, quod immensitas est purum extremum coexistentiæ creaturarum; non ratio continendi ipsas; ast æternitas est ratio continendi creaturas. Quia si verba secludas, sicut duratio infinita continet omnes durationes finitas: sic immensitas, seu præsentia infinita continet omnes vbicationes finitas:ergo non tantùm est extremum coexistentiæ; sed etiam continentiæ.

105 Vltimò: Vt benè percipias adversariorum loquutiones, earumque improprietatem,pone dari durationem indivisibilem Petri, v.g. quam multi possibilem admittunt,correspondentem tempori divisibili,scilicèt, instantibus *A. B. C. D.* pone etiam Paulum existere in instanti *D.* Iam sic: data adversariorum doctrina, necesse est dicere: Paulum existere in instanti *A B.C.D.* licèt non in propria duratione, & mensura; in duratione tamen Petri:quia dum existit Paulus in *D.* coexistit toti durationi indivißibili Petri,quæ continet durationem *D* in qua existit Paulus, & durationes *A B C* quæ ipsum præcedunt. Sed quæ existentia Pauli erit ista in duratione Petri,i voces obscuras, & inanes abigas? Nulla alia, quam durationem Petri se extendere ad durationem Pauli, & ad alias durationes, ipsasque virtualitèr, & æquivalentèr præcontinere. Sed quid hæc cum existentia Pauli? Nihil certè: applica igitur ad æternitatem, & iudicium forma.

106 Hinc deduces, quàm parum sit disputandum cum Mag. Ioan. à S. Thoma,qui 1.part. quæst.10. *§. nihilominus*, asserit:æternitatem Dei non mensurare immediatè creaturas provt in se productas, & existentes; sed provt existentes in decreto, à quo denominantur extrinsecè productæ, & existentes. Non inquàm est disputãdum: nam suppositò: creaturarum productionem consistere in decreto, indubitabile est, creaturas provt extrinsecè existentes in productione sui, à qua in tempore denominantur productæ, esse æternas, imò & omni tempori coexistere,sed quid inde? Cum hoc aliud non sit, nisi productionem creaturarum esse æternam, vtpotè cum æterna volitione identificatam.

107 Sit secunda conclusio: *Creaturæ,& futura contingentia non sunt ab æterno physicè præsentia Deo, præsentia Dei ad ipsa: quatenus æternitas Dei secundùm se considerata, sit præsens physicè omnibus, quæ successivè existunt.* Est cõtra P.Quiros Prob.sic. Vt vnum sit præsens alteri, sivè præsentia sui

ſui ad illud,ſivè præſentia alterius ad ſe, eſt indiſpenſabilitèr neceſſarium, vnum, & alterum exiſtere : ſed creaturæ nullo modo verè, & propriè ſemper exiſtunt: ergo neque creaturæ ſemper ſunt præſentes phyſicè æternitati, ſivè præſentia ſui ad ipſam, ſivè præſentia æternitatis ad ſe. Conſequentia eſt legitima : Mai. probatur. Vnum eſſe præſens phyſicè alteri,eſt vnum exiſtere, ſicut exiſtit alterum: ergo vt vnum ſit præſens alteri ſivè præſentia ſui ad illud,ſivè præſentia alterius ad ſe, eſt indiſpenſabilitèr neceſſarium vnum, & alterum exiſtere. Iam min. probatur : quia, vt ex fide conſtat, nulla res ab æterno ſenſu proprio,& ſtricto fuit : ergo neque ſemper extitit vllo proprio,& rigoroſo ſenſu.

108 Secundò. Creaturas eſſe ſemper phyſicè pręſentes Deo,pręſentia Dei ad ipſas, non eſt præcisè æternitas Dei: aliàs,nulla exiſtente vnquàm creatura in rebus, adhùc eſſent phyſicè præſentes Deo:ergo eſt coniunctum ex æternitate Dei,& creaturis:ergo ſi non detur ſemper hoc coniunctum, non dabitur ſemper: *creaturas eſſe phyſicè præſentes Deo, præſentia Dei ad ipſas*: cum denominatio *præſentis phyſicè* non ſit ex genere denominationum ſucceſsivarum,ſicut eſſe *priùs, poſteriùs &c.* Sed potius dicat coexiſtentiam : ſed hoc coniunctum non datur ſemper : ſiquidèm ex fide conſtat, non dari ſemper vnam partem huius coniuncti,ſcilicèt, *creaturas*: ergo neque ſemper datur : *Creaturas eſſe phyſicè præſentes Deo, præſentia Dei ad ſe.*

109 Quod, vt melius percipiatur,ponamus duo quoad ſe eſſentialitèr ſucceſsiva, v. g. *res, & carentia rei* : vel *motus temporalis A. & B.* quibus poſitis, ſic procedo. Res, & carentia rei, & motus ſucceſsivus *A. & B.* quàmvis exiſtant, non ſunt ſemper phyſicè præſentes Deo, adhùc præſentia æternitatis : ergo nulla entitas ſic eſt præſens. Conſequentia eſt legitima,cum in his militet eadem ratio ac in alijs, ſcilicèt, quòd quando exiſtunt, coexiſtant totĩ æternitati Dei, indiviſibilitèr ſumptę. Antecedens ſic probo. Rem, & carentiam rei eſſe phyſicè præſentes æternitati, præſentia æternitatis ad illas,nihil aliud eſt,quàm complexum æternitatis,& ipſarum: ſed complexum *æternitatis & carentiæ rei* incomponibile eſt cum complexo *æternitatis, & rei* : ergo præſentia carentiæ ad æternitatem incomponibilis eſt cum præſentia rei ad æternitatem: ergo non ſimùl ſunt præſentes res,& carentia, adhùc præſentia æternitatis ad ipſas : ſed in his, quæ ſemper ſunt,eo modo,quo ſemper ſunt, non datur vnum eſſe poſt aliud : ergo res,& carentia rei,ſemel exiſtentes, non ſunt phyſicè præſentes Deo ſemper præſentia æternitatis ad ipſas.

110 Nec valet reſpondere : rem, & defectum rei,quàmvis inter ſe ſucceſſionem conſtituant; relatè ad ęternitatem eſſe ſimul. Quia vel hęc ſimultas relatè ad ęternitatem eſt pręcisè ęternitas; vel ęternitas,& res creata. Non primum: Nam data ęternitate,quàmvis res nunquàm exiſteret, eſſet pręſens; quod neque concedit,neque concedere valet. Non ſecundum:Quia cum tale complexum non detur niſi ſucceſsivè ad complexum ęternitatis,& carentię rei,neceſſe etiam eſt,pręſentiam cum ipſo identificatam,dari ſucceſsivè ad aliam pręſentiam,cum altero complexo identificatam.

111 Tertiò. Quia vt conſtat ex tertio notabili : Rem aliquam eſſe pręſentem alij, ſivè pręſentia ſui ad illam, ſivè alterius ad ſe, nihil aliud eſt, quam menſurari,in quantum talitèr pręſentem per durationem alterius : ſed nulla res creata menſurari poteſt, provt in hac providentia datur,per durationem ęternitatis ſecundum ſe conſideratę,& provt pręſcindit à coexiſtentia alicuius motus ſucceſsivi : ergo nulla res creata, provt defacto exiſtit,poteſt reddi pręſens ęternitati ſemper, & ab ęterno, præſentia ęternitatis ad ipſam. Minoris, ſicut & maioris probatio conſtat ex eodem notabili : quia ęternitas,provt pręſcindit à coexiſtentia motus ſucceſsivi,nihil aliud eſt, quàm indefectibilitas, ſeu neceſsitas exiſtendi: ergo menſurari creaturam per talem durationem erit habere indefectibilitatem,& neceſsitatem exiſtendi abſque limitatione,ſi non intrinſecam; ſaltèm extrinſecam: ſed creatura,provt defacto, & in hac providentia datur, nullam habet indefectibilitatem: quia non *intrinſecam*: nam hęc in ſolo Deo invenitur; non *extrinſecam*, cum nullum ſit decretum, quod quidem ſit oppoſitum cum defectu ipſius, abſque limitatione: aliàs nulla res verè ab ęterno deficeret; ergo nulla res creata,provt defacto datur,poteſt menſurari per *nunc* ęternitatis ſecundum ſe ſumptę : ergo nec fieri pręſens Deo ſemper, & ab ęterno præſentia Dei ad ipſam. Con-

112 Contrà 4. ab eversione fundamenti huius Authoris, qui ideò concedit, facere Deum sibi præsentes res creatas, præsentia sui ad ipsas, quia æternitas Dei, secundum se considerata, extenditur ad omnes: ergo entitas Angeli, & Anima rationalis faciunt sibi præsentes in *nunc* suæ existentiæ, & entitatis omnes durationes successivas, quibus in decursu sui *esse* in æternum coexistunt. Si consequentiam neget, sic probatur. Ideò æternitas Dei facit sibi præsentes res creatas ab æterno, & in æternum, quia ipsa secundùm se sumpta, extenditur ad omnes creaturas: sed etiam Angelus, & Anima rationalis secundùm se indivisibiliter extenduntur ad omnes durationes, quibus in æternum coexistunt. ergo in ipsis existunt simul tales durationes, quamvis inter se successionem constituant. Si concedat: contentus ero, sciens præsentiam, quam Deus habet ad creaturas similem esse præsentiæ, quam habet Angelus motibus successivis, quæ nulla alia, quàm mera præcisio ex parte Angeli secundùm se sumpti, vi cuius nec distans positivè, nec positivè indistans est à quacumque duratione in particulari, quoad vsquè per aliquem motum successivum regulatur, à quo distantiam positivam aut positivam indistantiam accipit: sed an hæc sit præsentia simultanea Angeli ad omnes durationes, quibus coexistit? Tu videris.

113 Sit tertia conclusio: *Æternitas intrinseca Dei non identificat secum omnes differentias formales durandi, neque est indistans positivè à rebus præteritis, & futuris propter indistantiam completæ sufficientiæ.* Est contra Ribadeneyra. Duas partes continet conclusio. Probo primam. Æternitas intrinseca Dei est omnino indivisibilis, nullam in se successionem admittens; sed vt diximus in notabilibus, plenè consistens in indeficientia necessaria Dei: sed differentiæ durandi ex propria natura successionem exposcunt: ergo æternitas intrinseca Dei non continet differentias formales durandi. Prob. min. in qua stat difficultas: differentia durandi est illa, vi cuius vnum durare non est aliud, seu, quod idem est, ratio constituendi diversas durationes: sed in duratione, quæ indivisibilis omninò est, & eadem semper, non potest esse ratio constituens diversas durationes, aut diversificans vnum durare ab altero: ergo differentiæ durandi ex propria natura excludunt indivisibilitatem, & successionem exposcunt.

114 Probatur secundò. Si æternitas intrinseca Dei esset ratio formalis durandi *hodiè, crás, perendiè*, &c. entitas quælibet creata, quæ dum existit, coexistit toti æternitati, coexisteret omni rationi formali durandi: ergo esset præsens ab æterno, præsentia sui ad æternitatem. Probo consequentiam: ideo iuxta P. Ribadeneyra, æternitas est indistans semper à qualibet creatura in quacumque duratione existat, quia semper, & in *nunc* æternitatis habet sibi præsentem rationem illam formalem durandi, cui correspondet creatura: sed etiam creatura, quando existit, habet sibi præsentem in æternitate, cui coexistit, rationem formalem durandi *antè*, & *post*: ergo non tantùm durat, quando existit, sed antè, & post.

115 Confirmatur: non minùs facit præsentem durationem *A.* præsentia sui ad ipsam aliquid ex se determinatum, vt si existat duratio *A.* ipsi coexistat; quàm aliquid quando existit, coexistere durationi *A*: sed si æternitas quando existit, identificaret sibi omnem rationem formalem durandi, entitas creata quando existit, coexisteret omni rationi formali durandi: ergo faceret presentem omnem rationem formalem durandi, non tantùm præsentia æternitatis ad ipsam, vt vult Ribadeneyra, sed præsentia sui ad æternitatem.

116 Probatur tertiò. Si æternitas intrinseca Dei identificaret secum omnes rationes formales durandi, creatura etiam identificaret secum omnes rationes formales durandi: sed hoc est falsum: ergo, & illud. Consequentia est legitima, & min. certa; aliàs creatura ex suppositione, quod existeret, existeret semper ab æterno. Prob. mai. difficilis: ideò æternitas intrinseca Dei identificat secum omnes rationes formales durandi, quia ipsa, vt existens ex se, & ab intrinseco, est determinata, vt si existat duratio *hodierna*, *hesterna*, &c. ipsis coexistat: sed etiam creatura, vt existens ex se, est determinata, vt omni differentiæ formali durandi coexistat: ergo identificat secum omnem differentiam formalem durandi. Prob. min. Creatura, vt existens, est determinata, vt coexistat toti æternitati: sed tota æternitas, est omnis differentia formalis durandi: ergo crea-

creatura, vt existens, identificat secum omnem rationem formalem durandi. Neque potest esse disparitas: Æternitatem intrinsecam Dei non posse deficere. Quia hoc præcisè probat; non quod creatura non identificet secum omnem rationem formalem durandi; sed quod hæc identitas contingens est quoad existendum absolutè: sicut quàmvis verum sit: *Animal hominis* ex suppositione, quòd existat, identificari cum *Rationali*; contingens tamen est, quòd hæc identitas absolutè existat.

117 Probo secundam partem conclusionis: Deum esse semper physicè positivè indistantem durativè à creaturis, nihil aliud est, quàm esse semper positivè, & physicè præsentem creaturis: sed non est Deus physicè præsens rei, nisi quando existit: ergo neque est positivè indistans semper; sed tantùm quando res existit. Mai. apparet certa: cum nihil aliud sit positivè indistare durativè, quàm esse positivè approximatũ in *esse*. Min. prob. esse positivè præsens durativè alicui, est indistare in existendo ab illo: sed Deus respectu illius, quod non est physicè, & realiter, non potest indistare in existendo: indistantia enim in *esse* coexistentia est: ergo Deus non est positivè præsens rei quoad vsque res existat: ergo falsum est, semper, & ab æterno positivè indistare.

118 Probo secundò. Iuxta hunc Authorem Deus semper, & ab æterno non habet indistantiam coexistentiæ respectu creaturarum: ergo neque ratione indistantiæ *completæ sufficientiæ* est positivè præsens durativè. Antecedens est doctrina ab ipso stabilita. Consequentiam probo: ideò iuxta ipsum, primum est verum: quia id, quod semper non existit, non potest semper esse coexistens: sed non minus id, quod non existit non potest esse durativè indistans: ergo si ab æterno non habet Deus indistantiam *coexistentiæ*, neque per indistantiam *completæ sufficientiæ* ab æterno est positivè præsens, & indistans durativè. Prob. min. Indistare durativè vnum ab alio, est durare quando durat aliud: sed id, quod non existit, quando existit aliud, non durat quando durat aliud: ergo id, quod non existit, non potest esse durativè indistans.

119 Probo tertiò. Indistantia completæ sufficientiæ ab hoc Authore concessa, sufficiens est, vt ex ipso constat, vt Deus semper, vèrè, & propriè de præsenti affirmet *creaturas existere*, taliter, vt quidquid respectu nostri futurum, aut præteritum est, respectu Dei semper, & ab æterno sit præsens: ergo indistantia completæ sufficientiæ, vel est indistantia coexistentiæ; vel est insufficiens pro præsentia Dei ad creaturas, quam ipse intendit. Prob. conseq. Indistantia completæ sufficientiæ componibilis cum defectu coexistentiæ ab æterno, est pura aptitudo ex parte Dei ad coexistendum creaturis quando existant: sed pura aptitudo ad coexistendum, non potest esse fundamentum ad affirmandum de præsenti, existere creaturas: ergo vel hæc indistantia completæ sufficientiæ est indistantia coexistentiæ; vel invtilis ad intentum. Prob. min. Id, quod componibile est cum defectu rei ab æterno, & ab æterno cum illo de facto compositum, non potest esse fundamentum ad affirmandum de præsenti: *Rem existere ab æterno*: sed pura aptitudo ad coexistendum creaturis, quæ datur ex parte Dei, est componibilis, & de facto composita cum defectu rei ab æterno: ergo pura aptitudo ad coexistendum, non potest esse fundamentum, nec medium ad affirmandum, de præsentl ab æterno, & in æternum existere creaturas.

120 Hinc inferes: hunc Doct. sapientis. taliter suam sententiam disponere, vt cum ipso non sit agendum de principio, quod assumit ad suam sententiam probandam; sed de illationibus, quas ex illo deducit. Principium est: *Æternitatem intrinsecam Dei habere indistantiam completæ sufficientiæ à quacumque creatura*: quod verissimum est: cum Deus, eò quòd sit essentialiter indefectibilis, determinatus ex se sit ad coexistendum cuicumque existenti. Conclusiones, quas deducit, sunt: *Æternitatem intrinsecam Dei identificare secum omnes differentias, & rationes formales durandi*: Deinde: *Deum esse præsentem omnibus rebus præsentia sui ad illas*. Vltimò: *Deum ab æterno per verbum de præsenti posse affirmare creaturarum existentiam*: *necnon omnia successiva esse simul in æternitate*. Quæ quidem falsæ nobis sunt propter adductas rationes.

***

*** *** *** ***

CA-

CAPVT VII.

Solvuntur adversariorum obiecta.

121 OBijcies primò, contra primam conclusionem, ab authoritate: nam PP. quos citatos invenies, tum apud Ribadeneyram, tum apud Izquierdo, Deo negant futurorum præscientiam: concedentes solùm præsentium scientiam. Ex quo sic arguitur. Illam præsentiam concedunt PP. futuris, quæ divinam cognitionem extrahit à ratione præscientiæ,& constituit in ratione scientiæ præsentium: sed sola præsentia physica hoc facit: ergo hanc futuris concedunt. Prob. min. præsentia intentionalis, vtpotè præsentia futurorum in cognitione,& non in se, non impedit, quod divina cognitio verè, & propriè præcedat esse physicum futurorum: ac per consequens, quod sit scientia antecedens, seu præscientia: ergo sola præsentia physica est, quę divinam cognitionem arguit scientiam præsentium,& non futurorum præscientiam.

122 Nescio quomodo hoc argumentum non premat omnes: quia vt in notabilibus diximus, innegabile ab omnibus est, divinam scientiam de futuris, sicut ipsum Deum tempore præcedere futura. Nam quo sensu verum est iuxta fidem, creaturas non esse ab æterno; esse tamen Deum ab æterno, est etiam verum, creaturas non esse ab æterno, esse tamen scientiam Dei ab æterno: ergo propositio PP. qua Deo negant futurorum præscientiam ab omnibus interpretanda est. Ideò communis,& vera solutio, quam adducunc Suarez,& Vazquez est, in eo sensu negari à PP. præscientiam futurorum in Deo, quo significat notitiam obscuram, & imperfectam similem nostræ, vt fusiùs in notabilibus præmisimus; non verò in sensu, in quo denotat, scientiam divinam non antecedere creaturas.

123 Sed contra hanc solutionem insurgunt primò. Quia si titulo imperfectionum, quæ nostram præscientiam comitantur, negarent PP. præscientiam in Deo, similiter titulo imperfectionis, quæ in nostra scientia de præsentibus invenitur, negarent Deo præsentium scientiam: hoc non faciunt: ergo quia non negant præscientiam titulo imperfectionis; sed quia de se fert antecedentiam. Secundò. Nam ratio, quam adducit S. August. ad Simplician. libr. 2. probat, non intelligere Deum futura, tanquàm futura respectu sui. Tertiò. Quia mysteria supernaturalia simili obscuritate, ac futura cognoscimus: quare ergo non negatur Deo eorum scientia? Quartò. Quia negatur à PP. præscientia Deo, ex eo, quod modo, quo futura sunt posteriora nobis, sunt. Deo simultanea: non ergo sunt posteriora nobis, quia cognoscuntur obscurè; sed quia nostram durationem succedunt: ergo sunt præsentia Deo, non quia clarè cognita; sed quia sunt simul duratione cum ipso. Quintò. Nam securius esset, Deo præscientiam concedere, quia propriam rationem præscientiæ habet, quàm negare: quia non habet obscuritatem, quæ de ipsius ratione non est.

124 Verùm hæc non vrgent. Quia PP. ideò negabant præscientiam titulo imperfectionis; secus præsentium scientiam: quia præsenti difficultati occurrebant, in qua præscientia supponebatur pro cognitione imperfecta,& simili cognitioni nostræ: vrgebat enim dubium de cognitione futurorum, in quo non apparebat tàm facilè discernere cognitionem Dei, & modum cognoscendi perfectissimum à modo nostro cognoscendi imperfecto: nam ibi ex vna parte vrgebat immutabilitas Dei; ex alia libertas creata: insuper non existere creaturas ab æterno; sed in tempore: ex quibus quoad primum aspectum hæc se offerebat illatio: *Ergo si Deus ab æterno cognoscit futura, non aliter ea cognoscit quàm præscientia simili nostræ, qua sæpè nos futura præsentimus.* Negant igitur PP. illationem: ac per consequens Deo negant præscientiam, non absolutè; verùm eam, quam intendebat illatio.

125 Ad 2. Respondeo D. August. loco cit. vt ex eius verbis colligitur, non aliud intendere, quàm Deum non cognoscere futura modo tendendi de futuro: ne dicere cogamur, aliquid divinæ scientiæ in tempore accrescere, sed modo quodam ineffabili, & valdè dissimili modo nostro cognoscendi. Nec aliter S. Doct. potest intelligi, ne sibi repugnans videatur: cum in pluribus locis, non aliam præsentiam, quàm intentionalem, futuris respectu Dei concedat: quod

quod inter alia clariſsimè conſtat ex illo ſuper Pſalm. 45. vbi ait : *Et quare apud ipſum omnia? Quia & antequàm eſſent omnia, aut crearentur, ea nota erant omnia.* Ad 3. patet ſolutio ex 1. Ad 4. reſpondetur, cauſalem illam: *Deo negatur præſcientia, quia modo, quo futura ſunt nobis poſteriora, ipſi ſunt ſimultanea*, eſſe veram : ſi ly *modo quo* intelligatur *virtualiter*; non *formaliter*; id eſt, ſicut futura ſunt nobis poſteriora phyſicè, ſic Deo ſunt ſimultanea phyſicè virtualiter, quatenùs in ordine ad terminandam cognitionem clariſsimam ſui, eodem modo ſe habent, ac ſi præſentia phyſicè eſſent. Ad 5. negatur: fore ſatius concedere præſcientiam, quam negare : quia cum acciperent præſcientiam, non in ſua latitudine; ſed pro cognitione imperfecta futurorum, de cuius eſſentia eſſet obſcuritas, & indiſcretio, tutius fuit negare, quam concedere.

126 Obiic. 2. Iuxta PP. redditur pro ratione cognitionis divinæ futurorum ab æterno cum ratione ſcientiæ, & ſine præſcientiæ ratione eorum præſentia: ſed hæc præſentia nequit eſſe intentionalis: ergo phyſica. Prob. min. Si præſentia de qua loquuntur PP. eſſet præſentia intentionalis, dum probant, Deum cognoſcere ab æterno futura, probarent idem per idem, quo penitus inefficax redderetur eorum ratio: patet: probare Deum ab æterno cognoſcere futura, quia ſunt ei præſentia intentionaliter, eſt dicere, Deum cognoſcere ab æterno futura, quia ſunt ei præſentia ab æterno, in divina cognitione, quod idem eſt, ac ab æterno futura cognoſcere: ſed hoc eſt concluſionem pro ratione reddere: ergo ſi PP. de præſentia intentionali; non de phyſica loquerentur, probarent idem per idem, eorumque ratio non ſerius diſcurſus; ſed nugatorius appareret.

127 Hæc obiectio facilè ruit, revocata in memoriam doctrina in notabilibus data, vbi duplicem præſentiam obiectivam ex Patre Suario diſtinximus: vnam in actu primo; in actu ſecundo alteram: qua doctrina ſuppoſita, reſpondemus PP. quamvis reddant pro ratione divinæ cognitionis ab æterno exiſtentis, præſentiam futurorum intentionalem, non idem per idem explicant: quia non loquuntur de præſentia obiectiva in actu ſecundo, quæ in ipſa cognitione conſiſtit; ſed de præſentia obiectiva, & intentionali in actu primo, ſumpta pro aptitudine proxima obiecti, vt à potentia cognoſcatur: quare ſenſus probationis PP. eſt: Deum ab æterno cognoſcere futura: quia hæc in tempore exiſtentia, habent præſentiam obiectivam in actu primo; hoc eſt, aptitudinem, & vim determinativam intellectus divini, vt ſemper cognoſcantur: quod, vt conſtat, non eſt aſſerere, *Deum ab æterno cognoſcere, quia ab æterno cognoſcit*; ſed Deum ab æterno cognoſcere, quia ſuppoſita perſpicacitate divini intellectus, obiectum, provt in tempore exiſtens, vim habet determinativam divinæ cognitionis, vt ab ipſa ſemper, & pro ſemper repræſentetur.

128 Et, vt videant contrarij, quàm abs re ſit contra nos obiectio facta, potiuſque contra ipſos ſtare: probo, quod ſi ratio allegata PP. debeat intelligi de præſentia phyſica, omninò rederetur inefficax, & nullius momenti. Nam ſi modus arguendi eſſet: *Deum videre ab æterno futura: quia ipſi ab æterno ſunt phyſicè præſentia*, haberet contra ſe *Angelum à principio ſui eſſe, facere ſibi debitam cognitionem futurorum*, quia ab initio ſui eſſe, ſunt ipſi phyſicè præſentia, ratione coexiſtentiæ ad œvum indiviſibile, cui in ſua duratione futura coexiſtunt adæquatè; in quo non apparet facilis diſparitas: ergo modus intelligendi PP. ab adverſarijs traditus, potius quàm noſter, invtilem, & improportionatum redit diſcurſum, & probationem ipſorum.

129 Obiic. 3. A ratione. Æternitas eſt duratio infinita, & indiviſibilis: ergo nihil eſt in ipſa, quod tranſeat: ergo quidquid exiſtit, ita æternitati coexiſtit, vt nihil ſit æternitatis, cui non coexiſtat: ſed quidquid exiſtit talitèr, vt nihil ſit durationis æternæ, cui non coexiſtat, exiſtit phyſicè ab æterno: ergo omnia, quæ ſunt in tempore, phyſicè ab æterno ſunt æternitati præſentia. Confirmatur. Quod habet eſſe, & reſpectu alicuius durationis non eſt præteritum, neque futurum, eſt ipſi præſens: ſed omnia in tempore exiſtentia habent eſſe, & reſpectu æternitatis, vtpotè indiviſibilis; non ſunt præterita, neque futura: ergo ſemper, & ab æterno phyſicè præſentia.

130 Probat argumentum, ſi aliquid probat: futura non tantùm eſſe phyſicè præſentia æternitati *provt in æternitate*; *ſed provt in omni tempore*: ac

per

per consequens esse simpliciter æterna; quod salva fide dici nequit. Patet instantia: nam, quod sine interruptione coexistit alteri, coexistit omni, quod illi coexistit: sed futura sine interruptione coexistunt æternitati: ergo coexistunt omni tempori, quod coexistit æternitati. Deinde respondeo, concef. 1. entimemate, & illatione ex illo deducta; negata tamen min. subsumpta: quia quamvis creatura in tempore existens, toti æternitati coexistat; non tamen semper toti æternitati coexistit; quod erat necessarium, vt semper, & ab æterno existeret. Hoc probatur. Nam vel ly *semper*, est *semper æternitatis*; vel *semper temporis extrinseci*? Si *semper æternitatis*: futura non semper existunt, quamvis toti æternitati coexistant: quia, vt constat ex notabilibus, creatura æternitate mensurari non potest, nisi habeat plenam indeficientiam absque vlla limitatione, quæ est ratio adæquandi æternitatem. Si *semper temporis extrinseci*, non semper existunt: cum futurorum defectus incomponibilis cum existentia pluribus motibus successivis coexistat: ergo quamvis creaturæ æternitati indivisibili coexistant, nullo modo semper existunt.

131 Ad confirmationem, disting. mai. quod habet *esse*, & respectu alicuius durationis, *tam intrinsecè, quàm extrinsecè sumptæ*, non est præteritum, neque futurum, est præsens, concedo mai. tantùm *intrinsecè sumptæ*, subdisting. *si commensuretur cum tali duratione*, concedo mai. *si disparato modo se habeat*, nego mai. & disting. min. Habent *esse*, & respectu æternitatis *intrinsecè sumptæ*, non sunt præterita, neque futura transeat, min. *intrinsecè*, & *extrinsecè sumptæ*, nego min. & consequentiam. Itaque respectu æternitatis, secundùm se sumptæ, creaturæ, nec sunt positivè præsentes, nec præteritæ, nec futuræ: quia cum æternitas sic sumpta, non sit mensura ipsarum: quia dispari modo se habet; expectat aliquid extrinsecum, per quod coexistentia ad creaturas mensuretur, denominenturque, aut præsentes, aut præteritæ, aut futuræ.

132 Objicies 4. Perfectio divini intellectus exposcit, vt Deus ab æterno habeat perfectissimam intuitionem futurorum: sed hanc non haberet, si futura non essent ipsi physicè præsentia ab æterno: ergo futura taliter sunt ipsi præsentia. Prob. min. intuitio est rei physicè præsentis intuenti, vt physicè præsentis: ergo si futura ab æterno non sunt physicè præsentia, non dabitur ab æterno ipsorum intuitio in intellectu divino. Respondeo negando min. Nam de conceptu perfectissimæ intuitionis, & visionis præcisè est cognoscere rem, vt existentem in aliqua differentia temporis, quamvis intuenti, vt tali non coexistat, quod innuere videtur S. Thomas, 1. part. quæst. 14. art. 9. dum ait; *Quædam enim licèt non sint nunc actu; tamen, vel fuerunt, vel erunt, & omnia dicitur Deus scire scientia visionis.*

133 Objicies 5. Quod existit taliter, vt non habeat *nunc*, in quo existat, & *nunc* in quo non existat, existit semper: sed creaturæ in æternitate non habent *nunc* in quo existant, & *nunc* in quo non existant: ergo existunt semper in æternitate. Argumentum patitur instantiam in *immensitate*: si quidem in ipsa, creaturæ non habent *vbi*, in quo existant, & *vbi* in quo non existant: ergo existunt vbique in immensitate. Deinde respondeo: aliud esse existere in æternitate, aliud coexistere æternitati. Existere in æternitate, est mensurari æternitate: coexistere verò æternitati, non est mensurari æternitate; sed mensurari alia duratione, in qua tantùm res coexistit æternitati, dato rei defectu in alijs durationibus, etiam coexistente æternitati. Hinc, quamvis res in æternitate secundùm se considerata, non habeat *nunc*, cui coexistat; & *nunc*, cui non coexistat: cum verò in ipsa, non existat, neque per ipsam mensuretur, nullo modo inferri valet existere semper in æternitate; sed tantùm correspondere æternitati in illa duratione, in qua verè existit. Ex quo ad argumentum in forma concessa mai. disting. min. Creaturæ in æternitate non habent *nunc*, in quo existant, & *nunc*, in quo non existant, *& existunt in æternitate, ipsaque mensurantur*, nego min. & *coexistunt tantùm æternitati*, concedo min. & nego consequentiam.

134 Instabis: Coexistere diei hodierno, est existere in die hodierno, & commensurari cum hodierna duratione: ergo coexistere æternitati Dei, est existere in æternitate, & cum ipsa adæquari. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: quia cum

ratio formalis durationis hodiernæ consistat præcisè in *esse huius motus, talem successionem constituentis* : quid quid per suum esse illi coexistit, ipsam replet, & cum ipsa commensuratur; ast ratio formalis æternitatis non consistit præcisè in *esse* ; sed in *esse indeficienti* : quare cum res creatæ, quamvis ipsi coexistant, non coexistant *indeficienter*, ipsam per suum esse non replent, nec cum ipsa commensurantur durativè : ac per consequens, neque in ipsa, nequè æternè existunt.

135 Objicies 6. Futura ab eo instanti existunt, cui sunt præsentia : sed futura sunt præsentia instanti æternitatis : ergo existunt ab instanti æternitatis : sed existere ab instanti æternitatis, est existere æternè : ergo futura existunt æternè. Ad argumentum, disting. mai. Ab eo instanti existunt, *cui sunt præsentia, & cum quo commensurantur*, concedo mai. *Cui præcisè sunt præsentia*, nego mai. & distingo min. Futura sunt præsentia, *& commensurantur instanti æternitatis*, nego minorem. Sunt præsentia, *& non commensurantur*, concedo min. & nego consequentiam. Constat solutio ex dictis: ideoque non indiget vberiore explicatione.

136 Objicies 7. Creaturæ non aliter possunt coexistere æternitati, nisi provt æternitas essentialiter est : sed æternitas essentialiter est existens ab æterno, & in æternum : ergo creaturæ coexistunt æternitati, provt existenti ab æterno, & in æternum. Pergit : ergo creaturæ existunt ab æterno, & in æternum. Prob. hæc vltima consequentia difficilis. Implicat creaturas coexistere æternitati Dei provt existenti hodie, & quod non existant hodie : ergo implicat creaturas coexistere æternitati Dei, reduplicativè provt existenti ab æterno, & quod non existant ab æterno, & in æternum.

137 Concessa mai. argumenti vera, distingo min. Æternitas essentialiter est existens ab æterno, & in æternum ly *ab æterno, & in æternum denotantibus præcisè indeficientiam, & exclusionem sui contradictorij*, concedo min. ly *ab æterno; & in æternum denotantibus differentias durandi semper*, vel *coexistentiam ad seriem inexhauribilem successionum*, nego min. & disting. consequens. Creaturæ coexistunt æternitati provt existenti ab æterno, ly *ab æterno denotante indeficientiam*, & exclusionem contradictorij, concedo consequentiam : ly *ab æterno denotante differentias durandi, &c.* nego consequentiam, & sequellam ex ipsa deductam. Ad cuius probat. est disparitas iam in superioribus insinuata : etenim cum coexistere creaturam æternitati, essentialiter indeficienti, non sit ipsam esse indeficientem essentialiter, aut accidentaliter, quamvis creatura coexistat æternitati intrinsecæ Dei reduplicativè provt habenti suam essentiam, non inde infertur durare, sicut durat æternitas. Ast cum creaturam durare hodie, nihil aliud importet, quàm coexistere durationi hodiernæ, quia sic cum ipsa commensuratur, & implicet creaturam coexistere æternitati, reduplicativè provt existit hodie, quin hodie coexistat : per consequens implicat creaturam coexistere æternitati Dei provt duranti hodie, quin duret hodie, quàmvis inde non inferatur durare in æternum, & si modo explicato coexistat æternitati, reduplicativè provt ab æterno duranti.

138 Objicies 8. Quid quid coexistit integræ durationi, carenti principio, & fine, absque principio, & fine existit : sed creaturæ coexistentes æternitati, coexistunt integræ durationi, carenti principio, & fine : ergo absque principio, & fine existunt : ac proinde ab æterno, & in æternum sunt æternitati physicè præsentes. Prob. mai. Qui coexisteret integræ durationi Angeli, ab æterno producti, & in æternum duraturi, existeret ab æterno, & in æternum : ergo quid quid coexistit integræ durationi principio, & fine carenti, absque pricipio, & fine, id est ab æterno, & in æternum existit. Disting. mai. argumenti. Quid quid coexistit integræ durationi *indivisibili* carenti principio, & fine, absque principio, & fine existit, nego mai. durationi *divisibili*, concedo mai. & sub eisdem terminis distincta minori, nego consequentiam. Ad mai. probat. concesso antecedenti, nego consequentiam propter disparitatem, iam semel, & iterum explicatam : nec decidat à mente instantia immensitatis, quæ contra hoc, & ferè omnia adversariorum argumenta formari valet.

139 Objicies 9. Id, quod taliter existit, vt nulla duratio sit prior ipso, provt

provt taliter existenti, semper existit: sed creaturæ, & futura taliter aliquomodo existunt, vt nulla duratio sit prior ipsis, provt sic existentibus: ergo creaturæ, & futura aliquomodo semper existunt. Mai. est certa: si enim nulla duratio antecedit rem, provt existentem, res provt sic existens, omni durationi coexistit: ergo semper existit. Prob. min. Creaturas, provt existentes in æternitate, nulla duratio antecedit: quia cum in æternitate intrinseca Dei, quia indivisibili, non sit prius, & posterius; non est locus antecedentiæ: ergo creaturæ, & futura, provt existentia in æternitate, semper existunt. Concessa mai. nego min. Ad probat. nego suppositum antecedentis: nam, vt diximus, creaturæ non existunt in æternitate intrinseca Dei; sed coexistunt æternitati intrinsecæ Dei, quod quid longè diversum est, & argumento infensum, taliter, vt vim ipsius destruat.

140 Obijcies 10. contra secundam, & tertiam conclusionem. Id quod in proprio *nunc*, quod semper de præsenti habet, se extendit ad omnes creaturas, semper in proprio *nunc* est præsens creaturis: sed Deus in *nunc* æternitatis, quod semper de præsenti habet, se extendit ad creaturas: ergo semper est præsens creaturis, saltem præsentia sui ad ipsas. Prob. mai. Id, quod in proprio *nunc*, quod semper de præsenti habet, se extendit ad creaturas, per durationem sibi ab æterno præsentem, se extendit ad creaturas: sed id, quod per durationem de præsenti se extendit ad creaturas, habet semper physicè præsentes creaturas: ergo Deus semper habet physicè præsentes creaturas. Prob. min. Id, quod per durationem sibi præsentem se extendit ad creaturas, facit creaturas coexistentes durationi sibi præsenti: sed id, quod facit creaturas coexistentes durationi sibi præsenti, præsentes physicè sibi facit creaturas: ergo Deus semper facit sibi præsentes creaturas: ergo creaturæ sunt ab æterno, & in æternum physicè præsentes Deo, præsentia sui ad ipsas.

141 Pro æquivocatione huius argumenti detegenda, adverte: aliud esse Deum per *nunc*, quod semper habet, correspondere creaturis aliquando; aliud, & longè diversum, per *nunc*, quod semper habet, semper correspondere præsentialiter creaturis: primum verificatur; secundum falsissimum est: ideò ad formam argumenti, disting. mai. Id, quod in proprio *nunc*, quod semper habet, se extendit *semper* ad creaturas, semper est præsens creaturis: concedo mai. id, quod se extendit *aliquando*, nego mai. & disting. min. se extendit *semper*, nego min. *aliquando*, concedo min. & nego consequentiam. Ad prob. mai. concessa mai. disting. min. Id, quod per durationem de præsenti, *secundùm se sumptam*, se extendit ad creaturas, habet semper physicè præsentes creaturas, concedo, min. id, quod per durationem de præsenti *provt modificatam* per aliam extrinsecam durationem, habet semper physicè, &c. nego min. & consequentiam. Ad min. probat. disting. mai. Id quod per durationem sibi præsentem, *secundum se sumptam*, se extendit ad creaturas, facit creaturas coexistentes durationi sibi præsenti, concedo mai. Id, quod per durationem sibi præsentem modificatam per aliam extrinsecam facit, &c. subdisting. facit *aliquando*, concedo mai. semper: nego mai. & disting. min. id, quod facit *semper*: concedo min. id, quod facit *aliquando*; subdistingo: facit præsentes physicè *aliquando*, concedo min. *semper*, nego min. & consequentiam. Itaque tota solutio ad id devolvitur, quòd cum Deus per suam æternitatem, secundùm se sumptam, non faciat sibi correspondentem creaturam; sed per æternitatem, provt correspondentem alteri motui successivo extrinseco, non semper facit sibi præsentes creaturas; sed tantùm in illa duratione extrinseca, quæ est mensura correspondentiæ.

142 Sed insistes. Id, quod in *semper existere sui*, facit sibi præsens aliud, facit illud præsens non tantùm aliquando; sed semper: at Deus in *semper existere sui*, *facit* sibi præsentem creaturam: ergo illam constituit sibi præsentem non tantùm *aliquando*; verùm *semper*. Min. est certa: nam Deus in sua æternitate, quæ est *semper existere sui*, facit sibi præsentem creaturam, cum hæc, quando existit, toti æternitati coexistat. Prob. mai. in qua est difficultas. Id, quod *in semper existere sui* facit sibi præsens aliud, constituit illud durativè correspondens *semper existere sui*: sed id, quod durativè correspondet *semper existere alterius*, semper existit: ergo id, quod *in semper existere* sui facit sibi præsens aliud, redit illud præsens, non tantum *aliquando*; sed *sem-*

per. Reſpondeo breviter inſiſtens doctrinæ datæ : itaque eſſe præſens *A.* v. g. *ſemper exiſtere B.* non eſt ſufficiens, vt *A.* ſemper exiſtat, niſi caſu, quo *A.* correſpondeat *ſemper exiſtere B. ſecundùm ſe ſumpto* : quia ſic commenſuratur in *eſſe* cum æternitate adæquatè ſumpta, quod eſt ſemper exiſtere: quando verò correſpondet *ſemper exiſtere B.* non ſecundùm ſe ſumpto; ſed *provt involventi aliam durationem ſucceſſivam*: non inde infertur, ſemper exiſtere; ſed duntaxat exiſtere in duratione limitata : in ipſaque *eſſe illimitato alterius* coexiſtere; quod maximè ab illimitate exiſtere diſtat.

143 Objicies 11. Deus ratione ſuæ intrinſecæ *immenſitatis* actu præſentialiter, & phyſicè continet omnes differentias loci : ergo ratione ſuę intrinſecæ *æternitatis* continet omnes differentias temporis. Tranſmiſſo antecedenti, nego conſequentiam. Nam differentiæ loci ſunt permanentes : ideòque ſimul contineri valent; aſt temporis differentiæ ſunt eſſentialitèr ſucceſſivæ : implicatque ſimul continere, quæ ſimul eſſe non poſſunt. Vbi pro æquivocatione vitanda, advertendum eſt: propoſitionem illam : *Deus ratione ſuæ intrinſecæ immenſitatis actu præſentialiter continet omnes differentias loci*, eſſe veram non quatenùs immenſitas intrinſeca formalitèr ſecum identificet differentias formales exiſtendi in loco : nam in entitate indiviſibili non eſt *hic*, & *illic*, quæ diſtinctionem important; ſed quatenùs Deus, ratione ſuæ intrinſecæ immenſitatis, eſt determinatus, vt quemcumque locum repleat : cumque plura loca ſimul exiſtant, ſimul ipſa replet determinativè radicalitèr à ſe, formalitèr tamèn à præſentia ſui, & loci.

144 Objicies 12. Deus, coexiſtens Petro in inſtanti *A.* non eſt diſtans ab inſtanti *C.* in quo Paulus producendus eſt : ac per conſequens phyſicè præſens : ergo nihil eſt futurum reſpectu Dei. Conſequentia patet : quia ſi Deus coexiſtens inſtanti *A.* & dum in illo exiſtit, per ſuam durationem infinitam poſsidet actualiter inſtans *C.* in quo producendus eſt Anti-Chriſtus, vel quælibet alia entitas : ergo dum eſt in *A.* non reſpicit *C.* vt futurum reſpectu ſui : ac proinde nec Anti-Chriſtum. Prob. antecedens. Nam Deus in inſtanti *A.* habet totam ſuam æternitatem, & ab illa tota denominatur : ergo *nunc* eſt ſempiternus. Aſt eſſe ſempiternum, eſt ſemper exiſtere : ergo nunc convenit Deo *ſemper exiſtere* : ac per conſequens exiſtere in *C.* Sic arguit R. P. Tyrſus.

145 Sed argumentum nimis probat : nam ex eo infertur non tantùm *nihil eſſe futurum reſpectu Dei* ; verùm *omnia exiſtere in omni tempore.* Conſtat aſſumptum : quia id, quod coexiſtit alteri, provt exiſtenti in aliqua duratione, coexiſtit, & eſt in tali duratione : at Deus, provt eſt in inſtanti *A.* facit ſibi coexiſtentem Anti-Chriſtum exiſtentem in *C.* (aliàs non faceret ſibi præſentem phyſicè, & actualiter :) ergo Anti-Chriſtus exiſtens in *C.* exiſtit in *A.* & ſimiliter in omni tempore. Ad argumentum, diſting. antecedens. Deus coexiſtens Petro in *A.* non eſt diſtans à Paulo producendo in *C. reduplicativè* provt in inſtanti *A.* nego antecedens ; *ſpecificativè*, ſubdiſting. non eſt diſtans *poſsitivè*, nego antecedens ; non eſt diſtans *negativè*, quatenùs *non eſt indiſtans poſitivè*, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probat. antecedentis, conceſ. entimemate poſito pro maiore diſting. min. eſſe ſempiternum : eſt ſemper exiſtere, ſumpto ly *ſemper pro indeficientia*, & excluſione eſſentiali ſui contradictorij, concedo min. ſumpto pro *formali correſpondentia* ad omnem motum ſucceſsivum, nego min. & conſequentiam.

146 Solutio eſt : Deum provt in aliquo motu ſucceſsivo extrinſeco exiſtentem, non correſpondere alteri motui ſucceſsivo : aliàs quæ eſſentialiter ſucceſsiva ſunt, ſibi invicem correſponderent, quod implicat ; ſpecificativè autem ſumptum, neque eſſe poſitivè diſtantem ab vllo motu ſucceſsivo, nec poſitivè indiſtantem, ſed præſcindere : quia æternitas Dei ſecundùm ſe ſumpta, vt ſæpè diximus, non commenſuratur cum creaturis, niſi provt modificata alia duratione extrinſeca, à qua denominatur, aut præſens, aut præterita, aut futura in coexiſtendo creaturis : diciturque ſempiternus, quatenùs eſſentialitèr eſt *indeficiens*, quomodocumque conſideretur ; non quatenus in quocumque *nunc extrinſeco* habeat rationem formalem coexiſtendi reliquis.

Obiſ-

147 Obijc. 13. ex eodem. Sicut Deus est summa actualitas in ratione cognitionis, ita & in ratione durationis: Sed propter primum, est determinatus essentialitèr, vt ab æterno cognoscat existentiam Anti-Christi, eò ipsò, quod hęc in tempore detur: ergo propter secundum, erit essentialitèr determinatus, vt ex æternitate actualitèr coexistat Anti-Christo per hoc præcisè, quod hic in tempore detur. Disting. mai. Sicut Deus est summa actualitas in ratione cognitionis, ita & in ratione durationis *intrinsecæ*, concedo mai. *extrinsecæ*, nego mai. & conces. min. nego cõsequentiam. Ratio diversitatis præ oculis est: quia, vt cognitio detur ab æterno, sufficit, quod ab æterno possit suscipere denominationem *veræ*; ad quod non requiritur: obiectum existere ab æterno; sed pro tempore, quo ab æterno repræsentatur, existere: at denominatio *physicæ præsentis* requirit coexistentiam: vndè ab æterno non dabitur præsentia, nisi ab æterno detur coexistentia: nec Deus aliam actualitatem durationis exposcit, quàm determinationem, vt non deficiat, quæ cum non secum trahat existentiam creaturarum ab æterno, nec actualem possessionem ipsarum, ab æterno valet exigere.

148 Obijc. 14. Innegabile est Deum, quia essentialitèr indefectibilem, esse determinatum ex se, vt cuivis durationi, & motui successivo coexistat; sed hoc est formalitèr identificare secum omnes rationes formales durandi: ergo Deus identificat secum omnes rationes formales durandi. Prob. min. Ratio formalis durandi *hodie*, est determinatio, vt existente re, & tempore extrinseco hodierno sibi coexistant: sed Deus se cum identificat determinationem, vt ipso, & die hodierno existentibus, sibi coexistant, & sic de reliquis durationibus: ergo Deum identificare secum determinationem, vt cuivis durationi, & motui successivo coexistat, est identificare secum omnes rationes formales durandi. Confirmatur. Pone iuxta sententiam probabilem, esse possibilem durationem creatam indivisibilem, correspondentem spatio temporali divisibili, scilicèt, instanti *A. B. C. D.* hæc duratio identificaret secum rationem formalem durandi in *A. B. C. D.* sed id, quod accideret in hac duratione, respectu quatuor instantium, accidit in Deo respectu totius temporis extrinseci: ergo duratio Dei secum identificat omnes rationes formales durandi.

149 Respondeo. Deum ex se esse determinatum, vt cuivis motui successivo existenti coexistat *radicaliter*; non *formaliter*: quia determinatio formalis ad coexistentiam est ipsa coexistentia, quæ vtramque existentiam includit, quamque Deus secum non identificat adæquatè: ideòque nec identificat secum differentiam formalem durandi, neque ex se aliud habet, quàm esse indefectibilem, in quo nulla est differentia, aut diversitas. Confirmatiò non vrget: nam entitas illa indivisibilis, quæ esset determinatio, vt quatuor instantibus correspondaret, non esset formalis duratio *A. B. C. D.* sed determinatio ad durationem formalem *A. B. C. D.* quæ per coexistentiam ipsius, & instantium constituitur: implicatque esse indivisibilem durationem, & esse formalem durationem pro tempore divisibili, cum duratio indivisibilis tota simul possideatur; quod est contra rationem includendi, & identificandi differentias formales durandi.

150 Obijcies 15. Æternitatem intrinsecam Dei identificare secum omnes differentias formales durandi, est maior perfectio, quàm eas partim ab intrinseco; partim ab extrinseco habere: sed maior perfectio Deo debet concedi: ergo Deus identificat secum omnes differentias formales durandi. Deinde, quia durationes creatę ab intrinseco habent esse differentias formales durandi, cum vt tales sint, non dependeant à tempore reali extrinseco, sed per se constituunt tempus imaginarium: ergo potiori iure æternitas intrinseca, Dei hoc debet habere, cum sit duratio infinita, & illimitata. Ad primum, nego mai. nam non potest esse perfectio æternitatis *intrinsecæ* Dei id, quod ipsi est impossibile: impossibile autem est durationi indivisibili admittere successionem, indispensabiliter requisitam ad differentias durandi. Ad secundum, est clara disparitas: nam durationes creatæ independenter à tempore reali extrinseco, non dantur simul; sed vna post aliam: quid ergo mirum secum posse identificare differentias durandi *antè, nunc postea, &c.*

151 Obijcies 16. Deus scit hodie scientia visionis, & iudicio strictè de

præſenti, me *illi coexiſtere, ipſique eſſe phyſicè præſentem*: aliàs ignoraret aliquam veritatem: ergo hodie habet hoc iudicium: *Vincentius iam mihi eſt phyſicè præſens, & coexiſtens*: ergo ab æterno idem iudicium habuit: aliter in tempore mutaret ſcientiam, vel de novo adquireret, quod eſt contra mentem omnium PP. & Theologorum, & cui vehementer repugnat D. Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum, quæſt. 2. in principio: ſed vt Deus ab æterno habeat iudicium illud de præſenti, neceſſe eſt, me exiſtere phyſicè ab æterno, vt volunt Thomiſtæ, vel ſaltem ab æterno, Deum eſſe mihi phyſicè præſentem preſentia ſui ad me, vt intendunt Quiros, & Ribadeneyra: ergo de primo ad vltimum, neceſſarium eſt: concedere creaturas eſſe ab æterno aliquomodo preſentes phyſicè Deo; quod per noſtras concluſiones reiecimus. Ecce obiectionem illam ſupra tactam, de affirmationibus correſpondentibus diverſis ſtatibus obiectivis, ſcilicèt, *præteritionis, præſentiæ, & futuritionis*, cuius ſolutioni premiſimus inveſtigare: *quomodo futura ſe habeant comparativè ad æternitatem?*

152 Ea quidem gravis eſt. Cęterùm, vt benè advertunt Pater Izquierdo, & Tyrſus, licèt contra nos ſpecialiter ab adverſarijs proponatur, quaſi tantùm in noſtra ſententia locum obtineat; tamen contra omnes eſt, ipſamque ſolvere tenentur, tàm Thomiſtę, quàm Noſtri, qui aliquam preſentiam, exiſtentiamvè ab æterno futuris, & rebus contingentibus concedunt. Oſtenditur ſic: nam adhùc data preſentia futurorum in æternitate, non tantùm verum eſt, creaturas exiſtere in æternitate; ſed etiam in propria menſura: item creaturas reſpectu vnius menſurę creatę, eſſe futuras, reſpectu alterius præſentes, & relate ad aliam præteritas: quia innegabile eſt dari in rebus, & non eſſe quid fictum veritates de præſenti, de preterito, & de futuro. Nunc ſic: vel Deus cognoſcit has veritates; vel non cognoſcit? Si hoc ſecundum: ergo aliqua veritas latet divinum intellectum: ac per conſequens non erit infinitè ſapiens. Si primum: ergo ſemper, & ab æterno habuit Deus hæc iudicia: *Creatura erit: creatura eſt: creatura fuit*: pro quo erit neceſſarium dari Chymæram: nempè *creaturas eſſe ab æterno præſentes, & non eſſe præſentes, quia præteritas: & non eſſe præteritas, quia futuras.* Vel ſi hæc vitare tentas, incides in mutabilitatem, & augmentum divinæ ſcientiæ, quod abhorres.

153 Idem oſtenditur contra PP. Quiros, & Ribadeneyra: nam non tantum eſt Deus præſens creaturis, præſentia ſui ad ipſas; ſed etiam ipſæ creaturę aliquando ſunt præſentes Deo præſentia ſui ad illum, ſcilicèt, in menſura propria, & duratione, in qua exiſtunt. Iam, vel Deus aliquando ſic affirmat: *Creaturæ ſunt mihi præſentes præſentia ſui ad me*, vel non? Si hoc ſecundum: ergo Deus non cognoſcit talem veritatem. Si primum: ergo *ab æterno creaturæ ſunt præſentes Deo non tantùm præſentia Dei ad ipſas; ſed etiam præſentia ſui ad Deum*: quod negant: nec reſtat alia via, quàm ſcientiæ mutabilitas: ergo argumentum omnes premit: quod adeò difficilè eſt viſum Magno parenti Auguſt. vt quaſi oppreſus difficultate ad Myſterium recurrerit, videns pro vtraque parte inconvenientia non levia. Audi S. Doct. lib. & quæſt. iam citatis ad Simplician. *Quod ſi ita in Deo eſt, vt poſsit propriè dici intelligit, & intellexit: ſentit, & ſenſit, admittit tempus*, & ſubrrepit nihilominus *illa mutabilitas, quæ longè à Dei ſubſtantia eſt removenda, & tamen, & ſcit Deus, & præſcit Deus ineffabili modo.* Vide non aliam ſolutionem præſtare difficultati, *quam Deum ineffabili modo cognoſcere futura*: ſi ergo viſus Aquilæ in hac difficultate caligavit, gloriabundus quivis difficultati cedet.

154 Igitur ſolutio ſit: Deum non cognoſcere ſtatus rerum more noſtro, & per propoſitiones, conſtantes verbo, aut de præſenti, aut de futuro, aut de præterito; ſed modo quodam ineffabili, & per modum ſimplicis intuitus, qualiter per viſum perſuademus de his, quæ habent inter ſe ſucceſsionem localem *prioris poſterioris, & concomitantis*, quin ſit in viſu iudicium aliquod enuntiativum rerum ſecundùm illam ſucceſsionem, *prioris, poſterioris*, aut *concomitantis*, per tendentiam reſpicientem obiectum, quæ his terminis correſpondeat: *Illud eſt prius localiter: illud poſterius; alia vero concomitanter ſe habent ſine præcedentia.* Hæc videtur ſententia D. Thom. dicentis 1. p. q. 14. art. 15. ad 3. cum præſentem difficultatem tangeret: *Et ideò concedendum, quod hæc propoſitio non eſt vera* (quidquid Deus ſcivit, ſcit) *ſi ad enuncia-bilia referatur; ſed ex hoc non ſequitur,*

quod

quod scientia Dei sit variabilis; (attende) *esset autem ex hoc scientia Dei variabilis, si enunciabilia cognosceret, per modum enunciabilium componendo, & dividendo, sicut accidit in intellectu nostro: unde cognitio nostra variatur, vel secundum veritatem, & falsitatem, puta si mutata re eandem opinionem de re illa retineamus; vel secundùm diversam opinionem, vt si primò opinemur aliquem sedere; & postea opinemur eum non sedere: quod neutrum potest esse in Deo.* Et consequenter quidem ad mentem Augustini iam supra citati lib. 11. de Civit. cap. 21. inter principium, & finem dicentis: *Non enim more nostro Deus, vel quod futurum est, prospicit, vel quod præsens est, aspicit; vel quod præteritum est, respicit; sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè, lateque diverso.*

155 Ex dictis, pro quæstionis complemento inferes 1. Æternitatem intrinsecam Dei præcisè, & secundùm se sumptam, non dicere ordinem ad creaturas *futuritionis, præsentiæ, aut præteritionis*; sed ab his præscindere, donec per aliquam extrinsecam durationem limitetur: quia ipsa secundùm se disparato modo se habet ad creaturas, nec ipsarum mensura esse valet. Inferes 2. Præsentiam physicam futurorum in æternitate, tanquàm in duratione superexcedente, quam adstruunt Thomistæ, non esse necessariam, vt Deus cognoscat futura. Tum quia, vt constat ex nostris probationibus, est repugnans: tum etiam, quia data, non est necessaria, vtpotè divini intellectus perspicacitati, vt aliquod obiectum clarè cognoscat, sufficit habere veritatem obiectivam affirmabilem, quàmvis hæc, cognitioni, & cognoscenti non semper coexistat.

156 Inferes tertiò. Futura, præsentia, & præterita, quæ talia sunt respectu nostri, talia etiam esse respectu Dei: quia cum non commensurentur cum æternitate secundùm se; sed cum ipsa, prout coexistente alicui extrinsecæ durationi, quæ respectu nostri, & præsentis durationis, aut sunt, aut fuerūt, aut erunt; respectu Dei, prout in tali duratione, eodem modo se habent. Inferes quartò. Adhùc admissa Thomistarum sententia de physica præsentia futurorū in æternitate, non existere futura, vt multi ex ipsis sentiunt, prius duratione in æternitate, quàm in se ipsis. Probatur. Aut enim æternitas consideratur secundum se, vel prout coexistens alteri extrinsecæ durationi anteriori tempori, in quo existit futurum? Si primum. Non possunt existere futura prius duratione in æternitate: cum, iuxta ipsos, æternitas secundum se sumpta, dicat ordinem præcisè præsentis ad præsens respectu cuiuscumque alterius durationis creatæ. Si secundum: existerent creaturæ in tempore, in quo non existunt: nam existerent in anteriore duratione ad durationem, in qua primò incipiunt.

157 Inferes quintò. Sententiam Quirós, Ribadeneyra, Tyrsi, & aliorum asserentium in æternitate intrinseca Dei omnia esse simul, quamvis relatè ad se sint successiva, præter quàm quod falsa est, & repugnat, non esse necessariam neque ad *absolutum* cognoscendi futura ab æterno; neque ad *respectivum* cognoscendi modo invariabili. Non ad *absolutum cognoscendi futura ab æterno*: quia vt ipsi fatentur, eò præcisè, quod futura habeant suam veritatem obiectivam, habent quidquid est necessarium, vt à Deo infallibiliter ab æterno terminent cognitionem divinam. Non ad *respectivum cognoscendi invariabiliter*: quia sicut componunt, & componere debent, Deum cognoscere invariabiliter, futura in aliqua duratione esse sibi præsentia, *præsentia ipsorum ad Deum*, cui deservire non valet præsentia æterna sui ad ipsa, quia est distincta veritas; sic absolutè absque tali simultanea præsentia æternitatis ad futura, poterit componi invariabilis cognitio futurorum. Et hæc de prolixa quæstione, in qua tum rei difficultas, & maximè loquutionum obscuritas brevitatem impediunt, & exitum reddunt non facilem.

DIS-

JHS.

DISPUTATIO TERTIA.

DE SIMPLICITATE DIVINÆ Scientiæ.

CAPVT I.

Scientia Divina eſt à ſubſtantia, & eſſe Dei realiter indiſtincta.

1 SIMPLICITAS in *eſſe* eſt indiviſio in *eſſe*; compoſitio autem oppoſita ſimplicitati, dicit diſtinctionem in *eſſe*: vnde eo modo quo Scientia probetur indiſtincta in ſuo *eſſe*, ita per conſequens erit ſimplex. Dicimus ergo Scientiam divinam *eſſe* realiter idem cum divina ſubſtantia, accepta identitate reali per oppoſitum ad diſtinctionem realem *ſimpliciter* talem; non per oppoſitionem ad diſtinctionem realem cum addito *formalem*, aut *ex natura rei formalem*, quam cum ſuis doctiſsimis propugnat Subtil. Doct. Scotus, à qua modò preſcindimus, in quo ſenſu fertur apud Ruiz diſp. 8. de Scientia ſect. 1. opinio fuiſſe Gualteri cuiuſdam Scientiam realiter ab eſſentia divina diſtingui, ſicut generaliter de omnibus divinis perfectionibus aſſerebat. Specialiter verò de Scientia ſenſerunt alij, quos ſupreſſo nomine refert D. Thom. de Verit. q. 2. art. 1. corp. in principio: eſſe quaſi aliquam diſpoſitionem additam eſſentiæ divinæ. Vterque opinandi modus error eſt contra fidem, ex qua conſtat: Scientiam in Deo non diſtingui realiter ab ipſo; ſed eſſe idem realiter cum divina ſubſtantia.

2 Conſtat ex Scriptura, vbi abſtracta denominationum, quæ ſunt in Deo, prædicantur de ipſo. vt Ioan. cap. 14. *Ego ſum veritas, & vita* Proverb. cap. 8. *Sapientia clamitat, & Prudentia dat vocem ſuam*, dicens inter alia: *non dum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar*. Eccleſiaſtic. cap. 24. *Ego ex ore altiſsimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*. 1. ad Corint. cap. 1. *Chriſtum Dei virtutem, & Dei Sapientiam*. Ioan. cap. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*. Et 1. Ioan. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres vnum ſunt*. Scilicèt quoad abſoluta, qualiter non eſſent, ſi perfectiones attributales diſtinguerentur realiter ab eſſentia: nam tunc verificaretur eſſe plura. Conſtat ex definitione Concilij Lateranenſ. in cap. *Firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica* definientis divinam ſimplicitatem, ſub his terminis vniverſaliſsimis: *Divina natura ſimplex omnino*. Vbi notat Gloſſa: particulam *omninò* excludere omne genus compoſitionis, ſicut ex definitione Concilij Remenſis contra Gilbertum, de cuius authoritate legendus eſt Vazquez 1. p. tom. 2. diſp. 120. cap. 20. conſtat ex vniformi Patrum conſenſu, quorum vna vox eſt, Deum realiter eſſe ſuam ſapientiam, cognitionem, rationem, vitam, & Deitatem: nihilque realiter eſſe in Deo, puod abſolutè, & realiter non ſit ipſe Deus.

3 Pro quo audiantur inter alios D. Iacobus apud S. Clementem lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 12. vbi Deum alloquens, inquit: *Tu es cognitio ſine principio, Sapientia non tradita à Doctore*. S. Gregorius Niſenus Homilia 7. in Cantica: *Dominus natura ſua* id ipſum, *quod eſt veritatis, Sapientiæ, poteſtatis eſſentia eſt*. S. Auguſtin. tom. 3. lib. 15. de Trinit. cap. 7. *Hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, & ea illi eſſentia eſt, quæ eſt ſapientia*. S. Anſelmus in Monologio cap. 28. *Summè ſimplex natura* (ſcilicèt Dei) *non eſt aliud, quàm quod eſt ſua intelligentia: quemadmodum*

dum id, quod est sua sapientia. Inde illud axioma Theologicum receptissimum, & ab eodem Anselmo desumptum: *In divinis omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio.*

4 Constat ex rationibus generalibus, quibus S. Thom. 1. p. q. 3. art. 7. probat Dei simplicitatem: scilicèt, illud Deo tribuendum est, quod absolutè sit melius: sed summa simplicitas est longe melior, quàm compositio: ergo Dei natura simplicissima est. Prob. min. Primò. Quia sic excluditur potentialitas, quæ in rebus compositis inveniri solet, & minus perfecta est, quàm actualitas. Secundò. Quia vbi est compositio, est distinctio partium, quarum quælibet habet distinctam perfectionem: & consequenter veluti partitam: si autem res sit simplex, eadem est perfectio vnius gradus, & omnium, & nihil est, quod in tali re non sit integrè perfectum. Tertiò. Quia res composita dependet à suis partibus, & ab eis, quasi emendicat perfectionem; res verò simplex in se ipsa, & vnitè habet, aut potius est totum, quod est; quæ facile aptari possunt, ad excludendam compositionem ex intellectu divino, & intellectione.

5 Constat ex ratione Theologica, & speciali: quia maior videbatur esse ratio, vt attributa relativa, & personalitates distinguerentur realiter ab essentia, quàm, vt attributum absolutum Scientiæ ab illa realitèr distinguatur. Sed attributa relativa ab essentia realiter non distinguntur, vt constat ex Fide: ergo neque scientia. Prob. mai. Quia attributa relativa, & personalitates distinguntur realiter inter se, ita vt Paternitas non sit realiter Filiatio: similiterque Paternitas, & Filiatio non sint realiter personalitas Spiritus Sancti. Vnde si lumen Fidei non adesset, dicerentur non identificari realiter in vno tertio, scilicèt, in divina essentia, quæ ratio non militat pro attributo scientiæ: ergo maior videbatur esse ratio, vt attributa relativa, & personalitates distinguerentur realiter ab essentia, quàm vt attributum absolutum Scientiæ à divina substantia, & natura sit realiter distinctum. Constat vltimò ex ratione perfectionis summæ in propria linea, quæ per lumen naturale ostenditur, convenire Scientiæ divinæ, cum dubitare non liceat: maiorem esse excellentiam ipsius, esse subsistãtiam, quàm accidens, imbibereque in se per identitatem infinitam Dei, perfectionem, quam non haberet, si ab eo realiter distingueretur: præcipuè, cum aliter non possit esse comprehensiva sui obiecti, vt alibi diximus tract. & disp. de visione supra citatis. Nec oblivioni tradendum: Scientiam Dei debere esse æternam, & invariabilem, vt manet stabilitum, quæ cum distinctione ab æterno, & incommutabili non componitur.

6 Ex identitate reali divinæ Scientiæ cum Dei substantia, infertur: Primò. Scientiam in Deo non esse qualitatem, neque modum, neque aliud genus accidentis, realiter supervenientis substantiæ Dei. Secundò. Non dari in Deo pluralitatem actuum Scientiæ verè, & realiter inter se distinctorum: nam quamvis in divinis identitas realis extremorum cum divina essentia, non probet identitatem realem eorundem inter se, vt constat in personalitatibus distinctis realiter inter se, quamvis realiter cum essentia identificatis; attamen identitas realis eorum, quæ sunt absoluta cum tertio essentiæ, benè probat identitatem ipsorum inter se: cum id exigat summa Dei simplicitas, opposita reali distinctioni, in omnibus illis, quibus nobis non constet per fidem, summam eminentiam Dei permittere realem distinctionem. Tertiò. Scientiam Dei non esse discursivam, sumpto discursu, pro transitu reali vnius actus ad alium: quia vbi non est vnum, & aliud realiter, non potest esse progressio realis vnius ad aliud. Quartò. Deum non cognoscere, aut iudicare componendo. Ratio est: quia omnis compositio actus repræsentativi intellectualiter consistit, aut in diversitate expressionum, ipsum partialiter componentium: aut in præcedentia expressionum distinctarum, quæ præviæ sint ad actum indivisibilem iudicativum; v. g. apprehensio subiecti, prædicati, & convenientiæ vtriusque ad actum indivisibilem affirmantem, aut negantem vnum de alio: vel in distinctione specierum, repræsentantium ea, quę affirmantur, aut negantur: quarum neutra invenitur in Deo: cum pro eorum defectu militet eadem simplicitatis, & perfectionis summæ ratio, ac pro identitate reali divinorum actuum, cum essentia Dei.

7 Contra præcipuam, & certissimam propositionem nihil nimirus pro ple-

plenìore intelligentia, obijci poteſt 1. Aliquæ ſunt denominationes in Deo, quarum abſtracta non modò ſunt realiter à Deo diſtincta; verùm finitæ, & limitatæ perfectionis, quin obſtet divina ſimplicitas: ergo quod Scientia diſtinguatur realiter ab *eſſe* Dei, non pugnat cum eius ſimplicitate. Prob. antecedens in denominationibus *ſimilis*: *inæqualis*, *& coexiſtentis creaturis*, quarum abſtracta, ſunt *ſimilitudo*, *inæqualitas*, *& coexiſtentia*, diſtincta quidem realiter à divina ſubſtantia, vtpotè identificata cum creaturis: ergo aliquæ ſunt in Deo denominationes, quarum abſtracta non modò ſunt realiter à Deo diſtincta; verùm finitę, & limitatæ perfectionis. Probat argumentum non ſolùm diſtinctionem realem ſcientię; ſed etiam finitudinem: ac per conſequens Deum poſſe eſſe finitè ſapientem, & ſaltem negativè ignorantem.

8 Reſpondeo. Denominationes propoſitas, & alias ſimiles eſſe Deo ſemi-extrinſecas, & qua parte extrinſecæ ſunt conſtituuntur per aliquid creatum, quod non ſolùm poteſt non exiſtere; ſed inſuper exiſtere, & deficere in tempore: vndè non mirum ſi à Deo diſtinguantur inadequatè: præcipuè cum ex earum exiſtentia nulla perfectio Deo accreſcat; neque, ex earum defectu, aliqua perfectio ei deficiat; at denominatio *ſcientis* eſt adequatè intrinſeca Deo: cum neque in creatis aliquis conſtituatur ſciens, aut cognoſcens, per aliquid ſibi non communicatum intrinſecè, ſaltem ex parte formę repręſentantis. Deinde talis eſt, quæ ſi in tempore exiſteret; vel inferret Deum ab æterno defectibilem, vel relinqueret Deum ab æterno neſcientem: ergo opus eſt, abſtractum denominationum eſſe æternum: ſed quod eſt ab æterno, vel Deus eſt, vel nihil eſt, vt eſt axioma receptiſsimum PP. & TT. ergo debet eſſe realiter Deus, ne ſit nihil.

9 Inſiſti tamen valet, & obijci. 2. Adhùc in denominationibus intrinſecis abſtracta diſtinguntur realiter à Deo: ergo quod denominatio *ſcientis* ſit Deo intrinſeca, non probat identitatem realem ſcientiæ cum ipſo Deo. Probatur antecedens in denominationibus *vniti*: *Incarnati*: *& præſentis ſpatio determinato*, quę iuxta communem noſtrorum ſententiam, proveniunt ab vnione realiter diſtincta ab extremis vnitis, determinante Deum, vt exiſtat in ſpatio, cui correſpondet humanitas, aut natura creata, aſſumpta, quaſi ex novo titulo ſuperadditò Immenſitati. Quod etiam vrget in aliorum ſententia, tuentium Deum vniri creaturę, per vnionem ſecum identificatam, in quorum ſententia negari non poteſt, naturam creatam vnitam, eſſe intrinſecam Deo, ab ipſaque denominari incarnatum: ergo ſi aliquid intrinſecum Deo poteſt eſſe ab ipſo realiter diſtinctum; cur ſcientia, quamvis Deo intrinſeca, non poterit eſſe à Deo realiter diſtincta? Iterum offendit obiectio probans, Scientiam Dei non ſolum poſſe eſſe realiter ab ipſo diſtinctam; ſed finitam, limitatam, & defectibilem.

10 Reſpondeo. Hic tangi difficultatem graviſsimam Myſterij Incarnationis, quam iure numerat inter arcana, nobis abſtruſiſsima Exim. Suarez, cuius ſolutio communis eſt, denominationes iſtas: *Vniti*: *Incarnati*: *& præſentis* eſſe quidèm intrinſecas, & in tempore habitas, taleſque, quæ ſi deficiant in Deo, nulla ei deficit perfectio; nec ſi exiſtant, vllam ei afferant perfectionem: ideò poſſunt abſtracta illarum eſſe à Deo realiter diſtincta: cœterum denominatio *ſcientis*, *& ſapientis*, talis eſt in Deo ex ſuo conceptu, vt per ſe exigat exiſtere ab æterno, ne Deus ab æterno ſit ignorans: id autem, quod per ſe eſſentialiter exigit eſſe æternum, eſt id, quod per ſe eſſentialiter eſt Deus, quodque ſi exiſtat, ipſum perficiat, conſtituendo eum plenè ſcientem; & ſi deficiat, ipſum deturpet, relinquendo illum ignorantem: quod ergo ita ſe habet, non poteſt eſſe aliquod realiter diſtinctum à Deo: nam id, quod ab ipſo realiter diſtinguitur, realiter creatum eſt, & ab æterno defectibile.

11 Replicabitur. Cur Scientia Dei non erit eſſentialiter æterna vagè in hac, vel illa; & temporalis in determinato individuo, quod de præſenti exiſtit: modo, quo ſtatus beatificus hominum, & Angelorum dicitur eſſentialiter perpetuus vagè in hac, vel illa beatitudine, & deſtructibilis in individuo? Quod ſi, ita ſit, Scientia Dei in individuo, quæ de præſenti exiſtit, poterit eſſe realiter à Deo diſtincta, & defectibilis. Tertiò inculcatur. Scientia Dei non tantùm diſtincta; verùm creata, & finita; imò, & accidens in ſuo eſſe.

12 Reſpondetur. Id non poſſe accidere: tum quia vi illius neceſsitatis diſ-

disiunctivæ constituitur Deus metaphysicè antecedenter necessitatus, ad coexistendum alicui, distincto à se positivè existenti, quod est contra ipsius dominium, & independentiam. Tum, quia Deus non solùm perficitur per determinationem ad sciendum; sed per ipsum *scire* omnia, eo modo, quo scibilia, & intelligibilia sunt: cum autem in illa suppositione defacto sciret, per aliquid a se realiter distinctum, defacto etiam per aliquid à se realiter distinctum perficeretur; quod est contra infinitam perfectionem, exigentem habere in se realiter identicè, quidquid constituit melius ipsum, quam non ipsum. Paritas status beatifici nulla est, admissa illa sententia, explicante eius perpetuitatem per vaguitates illas: ibi enim nec datur necessitas antecedens, vt Deus coexistat alicui positivo à se distincto: cum sit purè consequens suum liberum decretum de existentia status beatifici, & aliundè non perficitur per existentiam illius, aut deterioratur per illius defectum; quare nec opponitur perfectioni infinitæ, neque ipsius independentiæ. Addendum etiam, si placet, pro principali solutione: Divinæ simplicitati esse tribuendam summam identitatem denominationum, dum nobis non constet oppositum per fidem, vt in denominationibus *Vniti*: & *Incarnati*, ex quibus non licèt summere paritatem ad alias, quemadmodum non licèt inferre ex relativorum distinctione, quam fides, supra captum rationis naturalis docet, distinctionem realem absolutorum.

CAPVT II.

Vtrùm simplicitati Scientiæ divinæ obstet distingui, vel inter se, vel à divina essentia, distinctione ex natura rei formali? Vbi generaliter de distinctione Scotica, tàm in divinis, quàm in creatis: tàm inter absoluta, quàm inter relativa.

13 SVbtilis Doctor in 1. dist. 2. q. 1. & dist. 8. q. 4. & dist. 5. q. 1. & in 2. dist. 3. q. 1. & multis alijs locis apud Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 7. sect. 1. num. 13. Subtilem quandam distinctionem invexit in Scholas, qua suam discrevit à reliquis, susceptà à discipulis, vt tessera tanti Magistri, eam, vtpotè mediam inter distinctionem realem *simpliciter*, & distinctionem *rationis*, vocat, vel distinctionem realem cum addito *formalem*; vel distinctionem *ex natura rei formalem*, vt est communius. Hac distinctione, inquit, distingui posse ea, quæ realiter identificantur: vndè eam admittit in creatis, inter prædicata metaphysica cuiusvis entitatis, quæ sunt attributa ipsius; & in divinis, tum inter essentiam, & attributa relativa: tum inter essentiam, & attributa absoluta, vt iudica, *scientiam, voluntatem, potentiam, iustitiam, & misericordiam, &c.* tum inter eadem attributa absoluta comparata inter se, quin obstet divina, & creata simplicitas, quæ datur inter realiter identificata: quia cum distinctio tantùm opponatur identitati in ea linea, qua est, & distinctio ex natura rei formalis non sit in linea distinctionis realis simpliciter talis: per consequens non opponitur identitati reali simpliciter tali, quam solam tenemur concedere inter ea, quæ realiter esse idem constat, & in eo sensu concedere divinam naturam simplicissimam, respectivè ad omnia sua attributa, sicut, & omnia attributa absoluta comparativè inter se. Scotum, præter discipulos, sequuti sunt aliqui exteri, & ex nostris vnus, vel alter, è quorum numero est accutè, & diffusè satis Iulius Cesar Recupitus.

14 Severè prædictam distinctionem Scoticam impugnant reliqui Theologi, tàm in divinis, quàm in creatis, sequuti Magistrum in 1. dist. 8. & S. Thom. in præsenti quæst. 14. art. 4. nec non quæst. 3. antecedenti art. 4. & 5. vt minùs consonam divinæ simplicitati, & repugnantem conceptui identitatis realis, quorum aliqui graviter eam notant, à quorum censura abstineo: cum mihi sat sit doctissimam, & numerosissimam familiam Seraphicam eam suscepisse defensandam, & quidem non levibus fundamentis; sed gravibus, & acumine plenis. Cum antiquis sunt omnes Thomistarum RR. Et ferè omnes nostri.

15 Sit conclusio. *Tàm inter scientiam, sivè necessariam, sivè contingentem, & naturam divinam, quàm generaliter inter essentiam, & reliqua attributa, sivè absoluta, sivè*

ſivè relativa, & inter quævis realiter identificata, tàm indivinis, quàm in creatis repugnat diſtinctio ex natura rei formalis. Sed quia maior vis rationis pro diſtinctione Scotica ſtare videtur in comparatione eſſentiæ Dei cum attributis relativis; v. g. *Paternitate*, & *Filiatione*, quæ diſtinctionem realem in tertio admittunt, in his ſpecialiter eam impugnabimus. Vndè conſtabit vniverſaliter eius repugnantia: nam ſi vbi datur maior apparentia rationis, & fundamenti in ſuum favorem probetur repugnans, potiore titulo, vbi minor ſit, repugnabit.

16 Ne verò in incertum procedamus, aut ne ad puras voces diſceptatio trahatur, prius ſtabiliendum eſt, & fuſsè explicandum, quid ſub nomine diſtinctionis ex natura rei formalis intelligat Scotus, vt à ſuis diſcipulis exponitur. Nobiliores ergo Scotiſtę ſic diſtinctionem ex natura rei formalem proponunt: *Diſtinctio ex natura rei formalis eſt quæ datur inter formalitates eiuſdem entis*: id eſt, *qua vna formalitas ante operationem intellectus non eſt alia, poteſtque ſuſcipere prædicata diverſa.* Diſcriminaturque à diſtinctione reali ſimpliciter tali: quia hęc inter vnum, & aliud ens; illa verò inter vnam, & aliam formalitatem eiuſdem entis verſatur. Et ſi rogentur in quo conſiſtat, quod duo comparētur inter ſe, vt duæ formalitates eiuſdem entis; non verò, vt duo entia? Reſpondent. Ea comparari inter ſe, *vt formalitates, quæ neque ſunt ſeparabilia: neque vnum eſt principium, & cauſa alterius, neque ſubiectantur in rebus ſeparabilibus, aut non conſtituentibus vnum per ſe*; ea autem comparari, *vt entia*, quæ aliquam harum exceptionum ſuſcipiunt.

17 Hinc patet diſcrimen, quod apud Scotiſtas datur inter diſtinctionem realem ſimpliciter, & diſtinctionem ex natura rei formalem: quia & ſi vtraque detur ante operationem intellectus: prima eſt, qua ex his, *quæ participant conceptum entis, vnum non eſt aliud à parte rei*; ſecunda eſt, qua ex his, *quæ participant conceptum formalitatum, vna non eſt alia à parte rei, & ante operationem intellectus.* Deducitur etiam apud aſſeclas Scoti: adhùc ſtatuta diſtinctione ex natura rei formali inter eſſentiam, & attributum relativum; v. g. *Paternitatem*, eſſe veram hanc propoſitionem: *Eſſentia realiter ſimpliciter eſt Paternitas*: quia cum falſificativum huius propoſitionis ſit diſtinctio realis ſimpliciter, eſſentiæ à Paternitate, & hæc non detur inter ea, quę comparantur inter ſe, *vt formalitates*; ſed *vt entia*: ideò diſtinctio Scotica non obeſt veritati illius propoſitionis, ſicut nec alterius, qua affirmetur: *Vnum eſſe aliud realiter ſimpliciter* de his, quæ realiter identificantur. Vltimò infertur: diſtinctionem iſtam non vocari à Subtili D. *mediam* inter diſtinctionem realem, & rationis, quatenus, vt aliqui malè intellexerunt, voluerit Scotus conſtituere aliquod medium inter ea, quæ dantur per intellectum, & ea, quæ dantur realiter à parte rei, pendulamque manere, vt ita dicam, diſtinctionem iſtam, & neque eſſe per rationem, neque extra rationem; ſed quatenus quamvis ſit quid reale, & quod verè datur à parte rei, non eſt tanta diſtinctio, quanta eſt diſtinctio realis *ſimpliciter*.

18 Hoc poſito probatur 1. concluſio, & repugnantia huius diſtictionis in divinis ab authoritate: quia, vt conſtat ex Concilio Lateran. in cap. *Damnamus de ſumma Trinitate*: *quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicèt, ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina.* Et poſt: *Id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus idem omninò.* Et rurſus: *Subſtantia Patris omninò ſimplex eſt.* Et demum: *Eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Et ex Concilio Florentino, ſeſsione 18. poſt medium, vbi ſic habetur. *Divina ſubſtantia, & Perſona re quidèm ſunt idem; ſecundùm autem modum intellectionis noſtræ differre videntur.* Et ſeſsione 17. dixerat: *Haud quaquam putare debemus, vt re differant, quandoquidem ſola ratione, aut intelligentia differre creduntur.* Et ſeſsione 25. in confeſſione à Latinis ad Græcos miſſa. *Porrò autem, ne identitatem, coniunctionemque divinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam realem ſubſtantiam re, non autem ſola ratione ab hypoſtaſibus, & Perſonis differre credere videamur.*

19 Ex Concilio Remenſi contra Gilbertum ſub Eugenio III. *Credimus, & confitemur ſimplicem naturam Divinitatis eſſe Deum* Et ex definitione eiuſdem Eugenij contra Gilbertum, vt refert Otto Friſingenſis lib. 1 de geſtis Friderici Imperatoris cap. 5. apud Vazquez diſp. 120. in 1. p. *Ne aliqua ratio inter naturam, & perſonam divideret, ne ve Deus divina Eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantum; ſed etiam nominativi*: hoc eſt, ne *ſolum dicatur*: (Pater Deitate eſt Deus) *ſed eſt*

ipſa

ipsa Deitas. Et ex communi consensu PP. qui videri possunt apud Vazq. disp. cit. & apud Izquierdo disp. 13. Phari, quæst. 4. quorum præcipuus Scopus est, commendare divinam simplicitatem, & indivisibilitatem, nihilque in Deo reperiri per modum accidentis, & qualitatis; sed omnia de eo dici in *quid*, & per summam identitatem, vt satis constare potest ex adductis cap. præcedenti.

20 Vnde sic argumentor. Illa distinctio apparet opponi Concilijs, & PP. ex qua videtur deduci: *Id quod est Pater, id est, divina essentia, non esse Filium, & Spiritum Sanctum omninò idem: Substantiam Patris non esse omninò simplicem: Divinam substantiam, & personam, non secundum modum nostrum intelligendi; sed re differre: Divinam substantiam non sola ratione ab hypostasibus diversificari: Patrem non esse ipsam Deitatem, sed Deitate esse Deum: Dari in divina substantia vltra numerum personarum alium numerum: nempè quaternitatem.* Sed hæc omnia apparent inferri ex distinctione formali ex natura rei, posita inter essentiam, & relationes: ergo distinctio ex natura rei formalis in divinis constituta, apparet esse contra Concilia, & PP.

21 Probatur min. per partes, primam. Tunc id, quod est Pater, id est, divina essentia, non est omninò idem Filius, & Spiritus Sanctus, quandò ab eo, quod est Filius, & Spiritus Sanctus aliqua vera distinctione distinguitur: sed essentia, quæ est id, quod est Pater, aliqua vera distinctione, scilicèt ex natura rei formali, distinguitur à Filiatione, quæ est Filius, & ab spiratione passiva, quæ est Spiritus Sanctus: ergo posita distinctione ex natura rei formali id, quod est Pater, scilicet essentia, non est omninò Filius, & Spiritus Sanctus. Consequentia est legitima, & min. certa. Nam quamvis distinctio Scotica sit minor apud ipsos, distinctione reali *simpliciter*, est vera distinctio, qua vna formalitas ante operationem intellectus non est alia. Mai. prob. Id, quod aliquomodo verè ab eo, quod est Filius, & Spiritus Sanctus distinguitur, non omni modo est Filius, & Spiritus Sanctus: sed essentia quæ est Pater aliquomodo verè à Filiatione, & spiratione passiva distinguitur: ergo essentia, quæ est Pater non omninò est Filius, & Spiritus Sanctus.

22 Secundam. Substantia Patris non est simplex, quandò in eo, quod est substantialiter Pater, datur verè, & à parte rei vnum, & aliud: sed posita distinctione formali ex natura rei, in eo, quod est substantialiter Pater, datur vnum, & aliud verè, & à parte rei: ergo posita tali distinctione substantia Patris non est simplex. Mai. apparet certa. Prob. min. Posita ea distinctione, datur in Patre à parte rei, & antè omnem operationem intellectus essentia, quæ verè non est Paternitas: sed hoc est dari in Patre vnum, & aliud à parte rei: cum sit dari duo in constitutione substantiali Patris: ergo posita distinctione ex natura rei formali inter essentiam, & relationem, in eo, quod est substantialiter Pater, datur vnum, & aliud verè, & à parte rei.

23 Tertiam. Ea non solùm ex modo nostro concipiendi, aut sola ratione differunt, inter se, quæ absque modo nostro concipiendi, & absque intellectu operante, ex se, & aparte rei taliter differunt, vt vnum non sit aliud: sed essentia, & Paternitas distinctæ ex natura rei formaliter, independenter à modo nostro concipiendi, & absque intellectu operante, ex se, & à parte rei taliter differunt, vt vna non sit alia: ego essentia, & Paternitas non solùm ex modo nostro concipiendi, aut sola ratione differunt. Mai. est certa. Nam ea, quæ maiorem habent distinctionem, distinctione rationis, non sola ratione, aut ex modo concipiendi præcisè differunt. Min. est adversariorum doctrina, & consequentia legitima.

24 Quartam. Si essentia distingueretur ex natura rei à relatione, Deitas, & essentia diceretur de Patre in sensu *ablativi*; & non in sensu *nominativi*: ergo tali distinctione inter essentiam, & relationem intercedente, falsa esset hæc propositio, *Pater est Deitas, & essentia*; & vera hæc: *Pater est ex essentia, & Deitate*: aut falsa hæc absolutè prolata: *Pater est Deitas*; & vera hæc: *Pater est Deitas, id est Deus*, quæ est formalis propositio Gilberti, & ab Eugenio III. in Concilio Remensi damnata. Prob. antecedens. Tunc Deitas, & essentia diceretur de Patre in sensu *ablativi*, & non *nominativi*, quando essentia esset verè, & à parte rei inadequatum constitutivum Patris: sed si essentia verè à parte rei,

& ante operationem intellectus non est Paternitas, verè, & à parte rei est constitutivum inadequatum Patris: ergo si essentia ex natura rei distinguitur à Paternitate, essentia solùm in *ablativo*, & non in *nominativo* poterit de Patre affirmari. Prob. mai. probaturus post minorem. Quando essentia verè, & à parte rei esset constitutivum inadequatum Patris, aliquid, quod est Pater, nempè *Paternitas*, verè, & à parte rei non esset Deitas: sed Pater, *vt Pater est*, est totum, quod est Pater: ergo Pater, *vt Pater est*, non esset Deitas: ergo Deitas in *nominativo* negaretur de Patre, & præcisè in *ablativo* de ipso affirmaretur, quatenus Pater ex Deitate, & Paternitate constitueretur. Probo iam illam minorem. Id, quod cum alio, quod verè, & à parte rei non est, constituit aliquid, est constitutivum illius: sed essentia distincta à parte rei a Paternitate, quæ verè ante operationem intellectus non est Deitas, constituit Patrem: ergo Deitas verè, & à parte rei est constitutivum Patris: quia id, quod taliter est aliud, vt verè non sit totum, quod est aliud, est constitutivum illius.

25 Quintam, & vltimam. Distinctio illa, quæ vltra pluritatem personarum, constituit multiplicitatem in Deo, vltra numerum personarum constituit alium numerum in Deo: sed distinctio exnatura rei vltra multiplicitatem personarum, constituit multiplicitatem in Deo: ergo vltra numerum personarum ponit numerum in Deo. Mai. videtur certa: nam omnis multiplicitas resultat ex vnitatibus; vnitates autem essentialiter constituunt numerum. Prob. min. Distinctio ex natura rei inter essentiam, & relationes vltra distinctionem personarum, constituit veram distinctionem à parte rei inter essentiam, & relationes: sed omnis vera distinctio est vera multiplicitas: ergo vltra multiplicitatem personarum, constituit veram multiplicitatem in Deo.

26 Probo 2. ratione, & arguo 1. Vtens medio, quo vsus est D. Bernardus in Concilio Remensi contra Gilbertum. Nam, vel Paternitas; v. g. prout à parte rei, & ante operationem intellectus non est essentia, & Deitas, est aliquid Deitate superius, vel æquale, vel inferius? Si primum: est chymera, cum nihil possibiliter sit Deitate superius. Si secundum: ergo datur duplex Deitas: nam id, quod est æquale Deitati, & à parte rei non est illa Deitas, est alia Deitas, cum nihil realiter possit esse æquale Deitati, quod non sit Deitas. Si tertium. Vel est à se, vel ab alio? Si à se: ecce impossibile, cum nihil Deitate inferius possit esse à se: si ab alio: ergo est creatura: quia id, quod verè non est Deitas, & est ab alio, creatura est. Nec valet, si respondeant: hoc argumentum D. Bernardi præcisè vrgere contra Gilbertum, qui asserebat: essentiam realiter distingui à relationibus, taliter vt essentia realiter non esset Paternitas; quod catholicè negant Scotistę, componuntque cum sua distinctione ex natura rei formali, quod essentia realiter non distinguatur à relationibus, & tanquam ens ab ente.

27 Non inquam valet. Nam apud Scotistas, quod essentia non distinguatur realiter à Paternitate, non impedit, quod Paternitas à parte rei, & antè operationem intellectus non sit essentia; sed quod, aut non comparentur inter se, tanquam producens, & productum, aut non sint separabilia, aut non subiectentur in rebus separabilibus, quæ omnia non negabat Gilbertus, quàmvis vocem distinctionis ex natura rei formalis ignoraret, quamque iudico, libenter ad suum intentum amplexurum, dummodò sciret, sibi liberum fore talem distinctionem inter essentiam, & relationes concedere, qua ante operationem intellectus vna non esset alia. Argumentum igitur D. Bernardi ad hunc enim scopum dirigebatur, vt in vi illius concluderet, relationes non posse esse à parte rei aliquid, quod non est essentia: quia prout non sunt essentia à parte rei, vel debent esse æquales, vel superiores, vel inferiores, quidquid sit, quod non comparentur inter se, *vt separabilia*, *vt producens*, *& productum*, aut *vt subiecta in rebus separabilibus*: aliàs faciliùs posset Gilbertum arguere de implicatione in terminis: cum ex vna parte distinctionem realem inter essentiam, & relationes concederet, & aliunde non comparari inter se tanquàm *ea*, *quæ sunt separabilia*, *aut tanquàm producens*, *& productum*, aut *tanquàm quæ subiectantur in rebus separabilibus*, non negaret: ergo signum est, quod apud D. Bernardum erant termini convertibiles: *hoc non est aliud ante operationem intellectus, & hoc ab illo realiter distinguitur.*

28 Quod

28 Quod confirmari potest ex ipso Bernardo lib. 5. de *Consideratione ad Eugenium*, vbi tacitè arguens contra prædictum Gilbertum, inquit. *Mihi verò non deest, quod cogitem melius eiusmodi Deo tuo: Quæris quid? Mera simplicitas: verò iudicio, natura simplex multiplici antefertur.* Vide quid in sententia Gilberti Bernardo displiceret, scilicèt, quod divina simplicitas læderetur, quæ formaliter destruitur per id, quod vnum non sit aliud à parte rei, quidquid sit de productione, aut separabilitate.

29 Propterea intentum sequor, & confirmo. D. Bernardus hoc argumento, non tantùm impugnabat vocem, qua vtebatur Pictavienſis Episcopus, scilicèt, (*distinctio realis*) verùm realitatem, quæ in vi huius vocis inter essentiam, & relationes concedebat: sed realitas, quam inter essentiam, & relationes concedebat, erat: *Essentiam à parte rei, & ante operationem intellectus non esse relationes, & non comparari inter se, neque tamquàm producens, & productum: neque vt ea, quæ sunt separabilia, aut subiectantur in rebus separabilibus*, in quo formaliter consistit distinctio ex natura rei formalis: ergo eo argumento D. Bernardus impugnabat, seclusis vocibus, quidquid realitatis ab Scotistis conceditur. Maior videtur certa. Nam si vocem tantùm impugnaret, diceret, vt in simili dixerunt alij Ecclesiæ PP. *Malè loqueris, & verum dicis.* Min. prob. Gilbertus concedebat essentiam, & relationes, vt modo sunt secluso, quod essentia à parte rei, & antè operationem intellectus non sit relatio: sed essentia, & relatio, vt modo sunt, nec comparantur inter se, vt producens, & productum, nec sunt separabilia, &c: ergo realitates, quas Gilbertus in essentia, & relationibus concedebat eædem sunt, ac realitates, in quibus formaliter consistit distinctio ex natura rei formalis: hoc impugnabat Bernardus, argumento proposito: ergo argumentum Bernardi æquè militat contra Scotistas, ac contra Pictavienſem.

30 Arguo 2. Distinctio ex natura rei formalis æquè opponitur divinæ simplicitati, ac distinctio realis: ergo distinctio ex natura rei formalis repugnat inter essentiam, & relationes. Prob. antecedens. Distinctio ex natura rei formalis inter essentiam, & Paternitatem; v.g. æquè ac distinctio realis facit, vt à parte rei, & ante operationem intellectus essentia non sit Paternitas: ergo æquè ac distinctio realis opponitur divinæ simplicitati. Antecedens mihi certum est. Nam distinctio ex natura rei formalis convenit cum distinctione reali simpliciter tali in eo, quod vnum ante operationem intellectus non sit aliud, quamvis discriminetur in eo, quod vna inter formalitates entis; altera inter entia versetur. Consequentiam probo. Distinctio, quæ opponitur divinæ simplicitati, & non ratione illius, in quo superat aliam distinctionem; sed in eo, in quo æqualis est alij distinctioni, est distinctio, quæ æquè, ac alia opponitur divinæ simplicitati: sed distinctio realis simpliciter talis opponitur divinæ simplicitati, & non ratione illius, in quo superat distinctionem ex natura rei formalem, verùm in eo, in quo est ipsi æqualis: ergo æquè vna, ac alia opponitur divinæ simplicitati. Mai. est certa. Prob. min. Distinctio realis simpliciter talis superat distinctionem ex natura rei formalem, iuxta Scoti doctrinam in eo, quod versetur inter ea, quæ vel *comparantur inter se tanquam producens, & productum*, vel *sunt separabilia*, vel *subiectantur in rebus separabilibus*: sed in his non opponitur divinæ simplicitati: ergo in eo, in quo superat, non opponitur divinæ simplicitati.

31 Prob. min. In his præcisè opponitur illis perfectionibus, quibus hęc prędicata opponūtur: sed hęc prędicata formaliter non opponuntur divinę simplicitati: quia: *Produci* opponitur *independentiæ, & perfectioni entis à se. Separari* opponitur *immutabilitati, & necessitati in existendo. Subiectatio in rebus separabilibus* tum: *Independentiæ à subiecto*, tum *immutabilitati, & necessitati in existendo*: ergo in eo, quod superat distinctio realis simpliciter talis distinctionem ex natura rei formalem, non opponitur divinæ simplicitati: bene: sed aliàs opponitur divinæ simplicitati, vt non negas: ergo in eo, in quo convenit cum distinctione Scotica, opponitur divinæ simplicitati.

32 Confirmatur. Id, quod opponitur formaliter divinæ simplicitati est *divisio in esse*, seu *multiplicitas in esse*: sed æquè vna, ac alia distinctio dividit, aut multiplicat esse divinum: cum æquè vna ac alia faciat in esse diuino, quod vnum à parte rei, & ante operationem intellectus non sit aliud: ergo æquè

vna ac alia distinctio opponitur divinæ simplicitati.

33 Arguo 3. Distinctio formalis ex natura rei, merè liberè, voluntariè, & absque fundamento discerni videtur à distinctione reali simpliciter tali: ergo non est admittenda inter essentiam; & relationes, & generaliter tàm in divinis, quàm in creatis inter ea, quæ realiter identificantur. Probo antecedens. Distinctio ex natura rei formalis solùm distinguitur penes suos Patronos à distinctione reali simpliciter tali, quatenus versatur inter ea extrema, in quibus non concurrunt aliquæ notæ, & prædicata inferentia infallibiliter distinctionem realem: sed hoc fundamentum nullum est: ergo absque fundamento videtur vna distinctio ab alia discerni. Prob min. stat aliqua prædicata inferre infallibiliter distinctionem realem, & tamen, quod distinctio realis possit dari sine illis: ergo, quod distinctio ex natura rei formalis detur inter illa extrema, quæ non habent eas notas, & prædicata, quæ inferunt distinctionem realem, non est fundamentum, vt non sit distinctio realis simpliciter.

34 Prob. Antecedens. Prædicatum *strictæ connexionis* inter vnum, & aliud infert realem distinctionem inter illa; aliàs non esset connexio; sed identitas: At distinctio realis non infert tale prædicatum: nam plura distinguntur realiter, quin inter se habeant aliquam connexionem: similiter prædicatum, *realiter producti*, arguit distinctionem realem a producente, & tamen distinctio realis potest dari ex se, quin extrema distincta comparentur inter se *tanquàm producens, & productum*: ergo stat aliqua prædicata inferre essentialiter distinctionem realem simpliciter talem; & tamen, quod distinctio realis simpliciter talis, possit dari sine illis: ergo dum non probent Scotistæ mutuam connexionem inter illa prædicata, & distinctionem realem simpliciter talem; quod non facient, poterit stare distinctio realis simpliciter talis, absque illis: ac per consequens malè ex defectu eorum inferunt diversitatem suæ distinctionis, & distinctionis realis simpliciter.

35 Sed dicent: verum esse distinctionem realem simpliciter, non habere connexionem cum aliquo ex illis prædicatis, determinatè sumpto, habere tamen cum aliquo ex illis vagè: quia nunquam datur distinctio realis simpliciter absque aliquo ex illis prædicatis, nempè: *Aut comparari inter se tanquàm producens, & productum: aut esse separabilia: aut subiectari in rebus separabilibus.* Verum contra est. Quia in sententia Subtil. Doct. est verum, quod, *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhùc distingueretur ab illo realiter.* Et ex tali suppositione nec compararentur inter se *Filius, & Spiritus Sanctus tanquàm producens, & productum: nec essent separabiles: nec subiectarentur in rebus separabilibus.* Similter: possibilitas rerum distinguitur realiter apud Scotum à prædicatis Dei: neque sunt *separabiles*: cum necessarium sit esse Deum, & necessarium sit, possibile esse possibile: neque comparantur inter se, vt *producens, & productum*: quia, vt res sit possibilis, nulla productio est necessaria: neque *subiectantur in rebus separabilibus*, vt per se patet: ergo adhùc in doctrina adversariorum, distinctio realis simpliciter, non solùm non connectitur cum aliquo ex illis prædicatis determinatè; verùm nec vagè.

36 Si rursus dicant pro prima instantia. Filium, & Spiritum Sanctum comparari inter se in illa suppositione, vt *genitum*, & *spiratum*, quod sufficit, vt distinguantur realiter. Præterquam quod, hoc est additamentum non dum auditum, nihil continens quàm ipsam conclusionem: aliundè convincitur falsum. Nam si, quod essentia non producatur, & filiatio producatur, non probat distinctionem realem inter essentiam, & Filiationem: cur, quod Filius generetur, & Spiritus Sanctus spiretur, probabit distinctionem realem ipsorum? Si pro secunda: Deum, & possibile comparari inter se tanquam *producens*, & producibile. Ecce aliud novum effugium, quod necessitas, potius quàm ratio dictat. Pone ergo, vt præcludatur, comparationem inter duo possibilia distincta à Deo, quorum mutuo vnum aliud non præcontineat, nec valeat producere. Nonne distinguentur, quamvis non comparentur, vt potens producere, & producibile? Quod si vltimo dicant: ea possibilia, saltem dicere ordinem ad existentias separabiles, vnde desumenda

est

est distinctio eorum. Contra est: quia nõ repugnat ex conceptu suo mutua connexio: sed mutua connexio non est identitas realis: ergo non repugnat aliqua esse realiter distincta, quin sint separabilia, aut dicant ordinem ad separabilia.

37 Insisto adhùc, probans alia via, distinctionem Scoticam non distingui à distinctione reali simpliciter. Probo sic. Aliquis formalis conceptus distinctionis realis debet assignari: sed non alius, quam conceptus conveniens distinctioni ex natura rei formali: ergo hæc non distinguitur à distinctione reali simpliciter. Mai. est certa. Nam distinctio realis simpliciter talis verè est definibilis. Prob. min. Nullus alius potest esse conceptus distinctionis realis, quàm hic ab omnibus Phylosophis traditus. *Forma, seu quasi forma, vi cuius vnum non est aliud ante operationem intellectus.* Sed iste est ipsissimus conceptus distinctionis formalis ex natura rei: ergo conceptus conveniens distinctioni reali simpliciter, est conceptus conveniens distinctioni ex natura rei formali. Nec valet respondere. Addendum esse conceptui assignato distinctionis realis: *Quod vi illius vnum ens ante operationem intellectus non sit aliud ens.* Nam hoc est explicare distinctionem realem materialiter, & ratione extremorum inter quę datur, à quo ipsa ex suo conceptu præscindit, qui quibuscumque extremis applicetur, distinguet realiter; sin minus, cuicumque liberum esset explicare distinctionem realem simpliciter, prout sibi placuisset, & ipsius iurisdictionem limitare, & ampliare, iam contrahendo ad hęc extrema, iam extendendo ad alia.

38 Quod, vt videant Scotistæ, pro nunc audeo dicere: distinctionem realem simpliciter, solùm posse inveniri inter substantias: siquidem accidentia tantùm distinguntur distinctione reali accidentali, hoc est, distinctione, quæ intercedit inter duo accidentia, quæ quidem quamvis sit distinctio ante operationem intellectus, non est distinctio realis simpliciter: quia hæc solùm est illa, quæ datur inter duas substantias. Volo insuper pro nunc etiam dicere: *materiam, & formam* compositi non distingui realiter simpliciter: quia solùm distinguntur, tanquam partes eiusdem entis; non verò tanquam duo entia completa: & distinctio realis simpliciter est illa, *vi cuius vnum ens completum non est aliud ens completum ante operationem intellectus.* Quomodo, stante sua doctrina, me poterunt ab hac cogitatione deturbare, nisi recurrant ad conceptum generalem distinctionis realis, scilicèt: *Vnum non esse aliud ante operationem intellectus, & à parte rei*: ergo conceptus distinctionis realis simpliciter idem est, ac conceptus distinctionis formalis ex natura rei.

39 Arguo 4. Per adversarios distinctio, qua vnum ens non est aliud ante operationem intellectus, est distinctio realis simpliciter: sed si relationes ante operationem intellectus distinguntur ab essentia, distinguntur tanquam duo entia: ergo non distinctione formali ex natura rei; sed distinctione reali simpliciter distinguntur. Prob. min. Ea distinguntur tanquam duo entia, quibus, vt distinctis convenit conceptus formalis entis: sed essentiæ, & relationibus, prout distinctis, convenit conceptus formalis entis: ergo distinguntur tanquam entia, & non tanquam formalitates eiusdem entis. Prob. min. Essentia prout à parte rei non est Paternitas; v. g. est essentia: *Potens existere*, quæ à parte rei non est Paternitas: *Potens etiam existere*: sed hoc est, ipsis prout distinctis, ante operationem intellectus convenire conceptum entis: quid enim aliud est conceptus formalis entis, quàm: *Posse existere*? Aut quis dicat, vt solutionem præoccupem, conceptum entis consistere in productione, aut separabilitate? Ergo essentiæ, & relationibus, prout distinctis, convenit conceptus formalis entis.

40 Arguo 5. Distinctio ex natura rei formalis inter essentiam, & relationes, sicut inter quævis alia prædicata divina, destruit identitatem realem simpliciter inter essentiam, & relationes, sicut inter quævis alia prædicata divina: ergo vel est, vel saltem infert distinctionem realem simpliciter inter essentiam, & relationes; & inter quævis alia prædicata divina. Prob. antecedens. Distinctio ex natura rei formalis inter essentiam, & relationes essentialiter excludit: *Essentiam ante operationem intellectus esse relationes: & vnum divinum prædicatum ante operationem intellectus esse aliud*: ergo destruit identitatem realem simpliciter inter essentiam, & relationes, & inter quævis alia prædicata divina. Antecedens est certum. Nam id, quod essentialiter includit vnum contradictoriũ, essentialiter excludit aliud: sed distinctio formalis

lis sivè inter essentiam,& relationes,sivè inter quævis alia prædicata divina includit hoc contradictorium: *Essentia ante operationem intellectus non est relatio: vnum prædicatum divinum,ante operationem intellectus non est aliud*: ergo excludit oppositum formaliter, nempè: *Essentia ante operationem intellectus est relatio: vnum prædicatum divinum, ante operationem intellectus est aliud.* Probo iam consequentiam. Id destruit identitatem realem simpliciter talem inter aliqua, quod excludit formalem cōceptum identitatis realis simpliciter talis:sed de cōceptu formali idētitatis realis simpliciter talis est:*Vnum esse aliud ante operationē intellectus*,& id excludit distinctio ex natura rei formalis : ergo destruit identitatē realem simpliciter talem. Prob.3min. meo iudicio efficaciter.Conceptus formalis identitatis realis simpliciter, est conceptus oppositus distinctioni reali simpliciter.Quid clarius? Sed conceptus distinctionis realis simpliciter,apud Scotistas,includit duo:scilicèt, *versari inter entia, & quod vnum non sit aliud ante operationem intellectus*: ergo conceptus identitatis realis simpliciter, involuit duo opposita; scilicèt: *Et versari inter formalitates,& quod vna sit alia à parte rei, & ante operationem intellectus*: ergo de conceptu identitatis realis simpliciter talis, est quod vnum sit aliud ante operationem intellectus.

41 Nec valet respondere:de conceptu identitatis realis simpliciter, non esse habere copulativè opposita distinctionis realis simpliciter;sed tantùm disiunctivè, scilicèt: *Vel quod non detur inter entia,vel,quod vnum sit aliud ante operationem intellectus*: quia nisi involvat vtrumque, non erit identitas positiva; verum merè negativa,similis ei, quæ datur inter *Animal*, & *Rationale* hominis,antequàm existant; quæ quidem non habent tunc distinctionem ; sed neque habent identitatem. Hinc rationem confirmo. Identitas simpliciter talis, est conceptus positivus : sed nullus est alius conceptus positivus identitatis realis simpliciter talis præter: *Vnum esse aliud antè operationem intellectus* ; vel assignent : ergo de conceptu identitatis realis simpliciter talis, est determinatè : *Quod vnum sit aliud ante operationem intellectus.*

42 Arguo sextò. Ipsum distingui formaliter ex natura rei ea,quæ realiter identificantur,est aliqua formalitas entis, in quo est, cum diversus conceptus formalis correspondeat distinctioni ex natura rei formali,ac reliquis formalitatibus entis: ergo prout talis,ante operationem intellectus non erit alia formalitas. Iam sic : vel illæ formalitates , in quantùm distinguntur ab ipso *distingui ex natura rei*, aut sunt idem ante operationem intellectus; aut vna ante operationem intellectus non est alia? Si sunt idem ante operationem intellectus : ergo distingui non possunt distinctione ex natura rei formali, per formalitatem talis distinctionis : alias verificaretur de ipsis *esse idem,& non esse idem ante operationem intellectus* : Si ante operationem intellectus non sunt idem: ergo præcisivè à distinctione ex natura rei formali,iam vna formalitas non est alia, ante operationem intellectus : quod est, distingui realiter simpliciter.

43 Septimò,& vltimò arguo ex fundamento,quod acutè, & solidè satis promovet P.Izquierdo disp. cit. Phari, quo ostenditur invtilitas distinctionis Scoticæ, præcipuè in divinis. Propono sic: Distinctio illa non est ponenda in divinis, quæ cum non sit distinctio rationis,aliundè est invtilis ad eum finem, ad quem à suis assertoribus excogitata est: sed distinctio formalis ex natura rei ita se habet : ergo non est ponenda in divinis inter essentiam , & relationes. Mai.est certa. Nam si hęc distinctio est maior distinctione rationis , & aliunde est invtilis, planè non congruit cum divina simplicitate. Prob. min. Intentum Scoti in hac distinctione fuit vitare contradictionem,quę in divinis inferretur, si de eadem entitate reali , scilicèt Patre aut Filio verificaretur : *Communicari , & non communicari* : sed ad id non deservit:ergo neque ad intentum.Prob. min. Adhùc, data distinctione formali ex natura rei inter essentiam, & relationes,de eadem entitate reali Patris; v.g. verificaretur: *communicari,& non communicari*: ergo talis distinctio non deservit ad tolendam contradictionem quam invenit D.Subtil.in eo quod eadem entitas realis Patris communicaretur, & non communicaretur : Prob. antetecedens. Distinctio ex natura rei formalis non tollit identitatem realem inter essentiam , & relationes : ergo non tollit, quod divina essentia sit realiter eadem entitas cum Paternitate : ergo neque tollit , quod *communicari* , quod affirmatur de essentia , & negatur de

Pa-

Paternitate, affirmetur, & negetur de eadem entitate reali: sed hæc erat contradictio vitanda apud Scotum: ergo ad finem intentum non deservit.

44 Confirmatur. Ideò apud Scoti sectatores, distinctio rationis, aut distinctio intrinseca virtualis inter essentiam, & relationes non sufficit ad vitandam contradictionem prædicatorum: *Communicari, & non communicari*: quia hæc prædicata verificantur de eadem entitate reali, non solùm per rationem, aut virtualiter; verùm à parte rei, & actualiter: sed etiam illa prædicata verificantur de eadem entitate reali, non solùm realiter formaliter; sed etiam realitèr simpliciter: ergo distinctio ex natura rei formalis non est sufficiens ad vitandam contradictionem: ac per consequens cessat finis distinctionis ex natura rei formalis.

45 Ex his, quæ contra Scoti sententiam latè proposuimus, apparet: quid sentiendum de alia distinctione, quàm in divinis meditatus est Durandus, qui aliquomodo ad iudicium Subtilis Doct. accedens, duriùs tamen asserere est ausus: essentiam Dei esse idem realitèr *negativè* cum attributis relativis, seu cum relationibus, quatenùs non distinguntur inter se *vt duæ res*: distingui tamen tanquam *rem, & modum*. In quo differt ab Scoto, nolens cum ipso concedere distinctionem mediam inter *realem, & rationis*: quare pleno ore fatebatur, distinctionem inter essentiam, & relationes esse distinctionem realem, quamvis, vt sententiam temperaret, adderet, esse distinctionem versantem inter *rem, & modum*, secus inter *rem*, & *rem*. Contra quam distinctionem æquali, imò potiori titulo militant omnia ea, quæ contra Scotum adduximus: siquidem generaliter impugnant omnem distinctionem à parte rei, & ante operationem intellectus inter prædicata divina, tàm absoluta, quàm relativa, comparata cum divina essentia: quare nihil speciale occurrit addendum, neque in peculiari impugnatione ipsius oportet immorari.

***
*** ***
***

CAPVT III.

Solvitur præcipuum fundamentum Scotistarum.

46 ILLVD quidem est. Scientia, & intellectio Dei, ante omnem operationem intellectus, non est formaliter essentia Dei: sed omne id, quod ante operationem intellectus non est aliud, eo modo, quo aliud non est, realiter ab illo distinguitur: ergo si scientia, & intellectio Dei, ante operationem intellectus, non est formaliter natura divina, *realiter formaliter* intellectio, & scientia Dei distinguitur à natura divina. Discursus est legitimus, & min. certa. Prob. mai. Scientia, & intellectio Dei ante omnem operationem intellectus verè sunt tales, vt de ipsis sine errore affirmet intellectus *non esse, aut non constituere* essentiam divinam, id est, non esse formalitates constitutivas divinæ essentiæ; verùm quid attributale respectu ipsius: sicut antecedenter ad omnem operationem intellectus *Animal Rationale* tale est, comparatum ad *Risibile*, vt verè de ipsis affirmetur: *Animal Rationale esse de essentia metaphysica hominis; secus Risibile, aut admirativum*; sed hoc formalissimè est, scientiam, & intellectionem Dei ante operationem intellectus non esse *formaliter* essentiam Divinam: ergo scientia, & intellectio Dei ante omnem operationem intellectus non sunt *formaliter* essentia ipsius.

47 Confirmant. Deus cognoscit res, provt sunt in se: sed Deus absque vlla præcisione, aut fictione, quarum est incapax, cognoscit aliquam pluralitatem, & distinctionem inter *suam naturam, scientiam, & intellectionem*: ergo hæc, vera aliqua distinctione, & independenti à conceptibus intellectus distinguntur inter se: sed non distinctione reali simpliciter tali, quæ iuxta Fidem, Deo inter absoluta non congruit: ergo minore alia distinctione, scilicèt, formali ex natura rei. Primam mai. probant. Deus cognoscens se, & illud, vel illa prædicata, in quibus essentia Dei verè consistit, cognoscet etiam se non esse

esse præcisè realiter, & verè illa prædicata; verùm alia, nempè: *Scientiam, & intellectionem*, aut quodvis aliud prædicatum, quod pro diversitate sententiarum non sit constitutivum divinæ essentiæ, à quo modò præscinditur: Aſt eo modo, quo cognoscit, se non esse præcisè realiter aliqua, cognoscet esse verè illa, & alia: ac proindè suum esse admittere multiplicitatem, & distinctionem aliquam formalitatum: ergo Deus absque vlla præcisione, & fictione, quarum est incapax, cognoscet aliquam pluralitatem, & distinctionem, inter suam naturam, scientiam, & intellectionem, vel quamcumque aliam formalitatem, quæ non sit constitutiva divinæ essentiæ.

48 Eadem forma suam distinctionem introducere tentant, tum inter alia absoluta Dei: tum præcipuè inter absoluta, & relativa. *Inter absoluta*: quia *Sapientia*; v. g. ante omnem operationem intellectus, non est formaliter *Bonitas: Iustitia non est formaliter Misericordia: Æternitas non est formaliter Immensitas. Inter absoluta, & relativa: quia: Deitas à parte rei non est formaliter producta; & Filiatio à parte rei est formaliter producta*: sed ea, quæ ante operationem intellectus verè in prædicatis non convenlunt, verè etiam ante operationem intellectus aliquo modo distinguntur: ergo in Deo tam inter absoluta, comparata inter se; quàm comparata cum relativis, aliqua distinctio ante operationem intellectus debet concedi; quæ alia esse non potest, quàm media inter realem simpliciter talem, & rationis. Quod si hanc divina simplicitas non excludit, Iam facilè se ostendit, potiorì titulo à formalitatibus creatis, realiter identificatis, non esse relegandam.

49 Rationem authoritate firmant apud Idquierdo, disp. 13. Phari, quæst. 7. & Herrera, quæst. 2. de Trinit. sect. 5. Primò: generalitèr ex frequenti vsu multorum PP. asserentium, dari in Deo plures perfectiones: nec non divina attributa ita se habere, vt vnum attributum præstet aliquid alteri, & aliquid novum addat. Quæ quidem omnia ineptè explicarentur per modum nostrum concipiendi; propterea quod PP. disputantes cum Hereticis præcipuè, aut vnicè attenderent ad realitatem, pro qua nihil iuvat imperfectio nostræ cognitionis, vel diversus modus concipiendi id, quod in re datur. Adduntque: pluralitatem divinarum perfectionum tradi ab ipsis, tum sub proprio nomine pluralitatis, & multiplicitatis: tum per particulam &; v. g. *Deus est sapiens, & omnipotens*, quæ inter ea, quæ de Deo affirmantur, distinctionem aliquam veram præsefert.

50 Secundò in particulari, ex Scriptura in illis locis, in quibus attributa in numero plurali ponuntur, vt ad Roman. cap. 1. *Invisibilia Dei*. 1. ad Corinth. cap. 2. *Ea, quæ sunt Dei*. Aut vnum attributum alteri adjciunt, vt Psalm. 85. *Patiens, & multæ misericordiæ, & verax*. Ad Rom. cap. 11. *O Altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei*. Aut vni vnus effectus, alteri alter attribuitur; qualiter ad Rom. cap. 1. *Benignitati Dei tribuitur ad Pœnitentiam adducere; Iustitiæ verò redere vnicuique secundum opera sua*, ibi: *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent*.

51 Ex PP. adducunt Augustlibr. 3. contra Maximum, cap. 10. in fine, vbi ait: *Non obstare pluralitatem Personarum simplicitati Dei, sicut non obstat attributorum pluralitas*. Pariter libr. 7. de Trinit. cap. 5. *Non eò Pater, quò Deus: nec eò Deus, quò Pater*. Et lib. 15. cap. 3. *Omnia attributa Dei esse æqualia*. In quibus per pluralitatem, æqualitatem, & negationem vnius rationis de alia, videtur concedere aliquam distinctionem, independenter à conceptibus intellectus inter vnum, & aliud absolutum: & inter absolutum, & relativum. Damascenum, lib. de Fide, cap. 4. aientem. *Si dixeris bonum, iustum, &c. non naturam Dei; sed, quæ iuxta naturam sunt, dixeris*: ergo sentit: *Bonitatem, & iustitiam divinam*, sicut, & reliqua attributa, aliquam actualem distinctionem dicere ab *essentia*, vt meritò, iuxta naturam divinam esse dici valeant: ac propterea præter distinctionem realem Personarum inter se, dari in divinis aliam distinctionem actualem, & independentem ab intellectus conceptibus, quæ non sit realis simpliciter. Multa alia asserunt ab authoritate, præcipuè ex PP. quæ in idem conveniunt, & similes loquutiones continent: quare ex adhibitis constare sufficienter possunt, quin opus sit sigillatim referre.

52 Rationi respondet Eximius Doct.

Doct. in Metaph. disp.7. sect.1.num.15: in ea, vel supponi probandum, vel tantùm convinci: *intellectionem*, & *essentiam* à parte rei esse tales, quæ præbeant fundamentum, vt per nostros conceptus distinguantur, distinctione *rationis ratiocinatæ*, seu cum fundamento in re, quod non est distingui ante intellectus operationem; sed ante illam præbere fundamentum, vt per nostros conceptus distinguantur, quando inadæquata claritate exprimuntur. Nam vel dum dicunt: *Essentiam*; v.g. *ante operationem intellectus non esse formaliter intellectionem, & sic de alijs*; accipiunt ly *non esse formaliter* in sensu suæ distinctionis: & sic supponunt, quod probare debebant, & constat prima pars disiunctivæ. Vel ly *non esse formaliter* accipiunt præcisè fundamentaliter ad distinctionem se tenentem ex parte intellectus: in quantum *essentia, intellectio, & scientia* sunt à parte rei fundamentum, vt ea distinguamus per conceptus inadæquatos, quomodò tantùm probat, à parte rei esse fundamentum distinctionis rationis: vnde constat secunda.

53 Difficilem reputo hanc solutionem. Quia pertinere, aut non pertinere ad essentiam, non est ex illis denominationibus, quæ proveniunt rei, vt cognitæ, sicut denominatio *generis logici, aut speciei logicæ*; sed ex illis, quæ conveniunt rei secundum se sumptæ, & provt dicit obiectivam realitatem, independentem à nostris conceptibus: modo, quo denominatio *rationis formalis specificativæ voluntatis*, quę convenit *Bono*; *non Vero*; aut denominatio. *Rationis specificativæ intellectus*, quæ convenit *Vero*; *non Bono*, continet aliquam realitatem independentem à nostris conceptibus. Ni velis specificativa Potentiarum pendere à nostro imperfecto modo concipiendi, ex quo mille prodibunt absurda. Ratio, provt iudico, clara est. Etenim, si quod hæc, vel illa prædicata sint de conceptu formali rei, proveniret ab expressione inadæquata illius, variabilis esset rei essentia & formalis conceptus ipsius pro varietate expressionum, quibus inadæquatè valet exprimi: tamque diceretur esse de essentia Dei *Immensitas*, *Æternitas*, *Sapientia*, *Paternitas*, *Filiatio*, & *Spiratio*; quàm quodvis aliud prædicatum, per quod essentiam Dei constituas: Ast conceptus formalis, & essentia Dei, sicut, & cuiusvis alterius rei persistens, & invariabilis semper est, sive hoc, sive illo modo cognoscatur, & quamvis expressè sub omni, vel multiplici prædicato exprimatur: ergo, quod scientia, & intellectio Dei non sit formaliter eius essentia, aliquid realitatis habet independens omninò à nostris conceptibus.

54 Illud, quod additur de fundamento obiectivo plus confirmat, quàm destruit intentum adversariorum. Rogo enim; cur potius: *Prædicatum entis à se*, vel aliud, quod assignes pro constitutivo divinæ essentiæ tribuat intellectui fundamentum, vt ipsum sic denominet, quàm aliud? Nisi, quia cum independentia à nostris conceptibus aliquid habet, quod formalitèr non habet aliud, vt pro meritis rei dicatur, ita se habere in ordine ad essentiam, qualiter non se habet alterum: ergo demum sistimus in illa propositione: *Intellectio ex se, & ante operationem intellectus non est formaliter essentia divina*, in qua continetur medium probativum contrariæ sententiæ.

55 Hinc fit 1. Non esse adeò clarum supponi in argumento, quod erat probandum: nam sicut non supponeret probandum, qui, vt distinctionem realem simpliciter evinceret, pro medio assumeret: *Vnum ante operationem vllam intellectus non esse, sine addito, aut limitatione, realiter aliud*; sic, qui ad probandam distinctionem realem formalem inter vnam, & aliam formalitatem, realiter simpliciter identificatam, assumat pro medio *vnam formalitatem ante operationem intellectus non esse formaliter aliam*, non supponet probandum. Fit 2. Non esse idem, conceptus nostros intervenire in denominando, & denominationem esse dependentem à nostris conceptibus prę-supositivè, vt constat in omni denominatione reali, quæ non aliter rei tribuitur; quàm per conceptus, sed non appellando supra conceptus, vt cuique obvium erit explorare.

56 Respondet 2. Ruiz, disp.8. de scientia, sect. 1. num. 8. in hoc argumento, sicut in cæteris prædictæ sententiæ contineri fallaciam repugnantiæ in terminis, & verbis, quibus proponitur. Repugnantiam verò in hoc consistere. *De rebus enim*, inquit, *loqui non possumus, & consequenter*, neque argumentari, aut respondere, nisi per voces, quæ immediatè significent conceptus mentis, prop-

propterea que mediatè ſignificant res ipſas, prout à nobis concipiuntur pluribus conceptibus expreſſæ. Ex quo iam apparet fallacia repugnantiæ in modo loquendi, quando loquutioni de formalitatibus, vt *Scientia, & Eſſentia Dei*, quæ realiter ſunt idem, ſicut de alijs ſimilibus additur: *in re ipſa, & ante opus intellectus* vnam non eſſe aliam, transferendo diſtinctionem conceptuum, & expreſsionum ad obiecta, quæ vnum, & idem ſunt realiter, & confundendo diſtinctionem duntaxat potentialem, & fundamentalem per ordinem ad diverſos conceptus mentis, cum ipſa diſtinctione conceptuum.

57 Sed contra eſt. Nam, quod voces non ſignificent res, niſi media ſignificatione conceptuum, non prohibet, quod quædam prædicentur de rebus, vt convenientia illis à parte rei; alia verò ſecundùm quod reduplicant conceptus. Hoc clarum eſt: aliter omnes illæ propoſitiones, ſivè vocales, ſivè mentales, quibus in denominando, excludimus à rebus omnem reduplicationem conceptus; v. g. *Petrus à parte rei, & independenter à noſtris conceptibus eſt Animal Rationale*, reduplicationem includerent, & ſe ipſas falſificarent. Iam ſic; vel quando dicitur ab Scotiſtis: *Intellectio, & Scientia Dei à parte rei non eſt de eſſentia Dei, aut non eſt formaliter de eſſentia ipſius*, dicitur verum, aut falſum? Si verum: ergo, quod voces ſignificent res, media ſignificatione conceptuũ, non arguit fallaciã vllam in medio, quod aſſumunt ad probandam ſuam diſtinctionem. Si falſum: ergo, quod hæc vel illa prædicata ſint taliter de conceptu rei, vt illis non intellectis, non intelligatur res, dependet à noſtris conceptibus: ac proinde pro variatione ipſorum, poterit dici id, quod affirmatur modò, vt *proprietas*, vel *attributum eſſentiæ*, poſt: *eſſe eſſentiam, & quidditatem rei*: vndè *Riſibile* invariabiliter non poterit dici proprietas hominis; verùm inconſtanter, iam eſſentia, iam proprietas pro diverſitate conceptuum: & ſic ſimiliter de eſſentia hominis, aut cuiuſcumque alterius rei. Neque res vlla poterit abſolutè definiri; ſed reſpectivè tantum ad modum cognoſcendi. Vlterius ſi falſa eſt propoſitio, negetur ſine recurſu ad fallaciam illam repugnantiæ, quæ ægrè percipitur.

58 Reſpondent alij 3. Negando abſolutè: *Scientiam ante operationem intellectus non eſſe formaliter eſſentiam divinam*; ſicut, & *quod formalitates realiter identificatæ, habeant à parte re diverſas definitiones, niſi tantùm fundamentaliter*. Cæterùm hos, qui ſic reſpondent, interrogare vellem, ſemel ſuppoſito axiomate apud omnes recepto: *Præſcindentium non eſt fictio*: quid ſignificare intendant, quando dicunt: *quædam prædicata eſſe de conceptu rei; ſecus alia: quædam primò apprehendi in entitate, per quæ rectè eſt definienda; alia in illis radicari, quæ ſunt proprietatis rei.* An in hoc fallantur cognoſcendo, quod in re non eſt: an verò cognoſcant conformiter ad rem? Rurſus; ſi definitiones formalitatum, quæ concurrunt in eadem entitate, non ſunt aliquomodo diverſæ: cur potius definiunt rem per ea, quæ vocant prædicata primaria, quàm per illa, quæ vocant prædicata ſecundaria? Vlterius, dum concedunt: realiter identificata fundamentaliter eſſe diſtincta formaliter, aut fundamentaliter eſſe definitivè diverſa: quodnam eſt hoc fundamentum: eſt vnum, & idem in omnibus? aut vnum pro vna, & alterum pro alia? Si vnum, & idem in omnibus, Vndè abſque fictione reſultant in intellectu diverſæ definitiones? Si vnum pro vna, & alterum pro alia: ergo à parte rei aliquid eſt aliquomodo diverſum in vna, & altera formalitate, cui correſpondet, quod *bonitas*; v. g. identificata realiter cum *veritate*, ſemper præbeat fundamentum, vt definiatur per *appetibile*; non per *cognoſcibile*; & *veritas*, non per *appetibile*; ſed per *cognoſcibile*: vndè definitio vnius applicata alteri mala eſt, & quæ ſemel vni conceditur, invariabiliter ſemper retinetur, quin vnquam alteri valeat accomodari. Hoc expoſcunt regulæ, & præcepta rectè definiendi, quæ aliter inania penitus rederentur.

59 Reſponderi poteſt 4. ex doctrina eorum, qui cum D. Thom. 1. part. quæſt. 39. art. 1. ad 2. non admittunt in divinis inter abſoluta, & relativa aliam diſtinctionem, quàm rationis, & per eam ſalvant illa prædicata, quoad ſpeciem contradictoria: vt *communicari, & non communicari*: ſola rationis diſtinctione componi poſſe ſimiliter omnia, quæ rebus identificatis conveniunt, & vnde deſumunt Scotiſtæ fundamentum pro ſua diſtinctione formali. Placent

cent hi Authores, in quantum cum Angelico Doct. non admittunt in divinis adhùc inter absoluta, & relativa aliam distinctionem, quàm rationis. Verùm vt argumento præsenti satisfaciant, restat illis explicare propositionem illam inculcatam ab Scotistis: *Vnum ante operationem intellectus* non est *formaliter aliud*, quod dum non exequuntur, nihil proficiunt per doctrinam illam generalem de distinctione rationis: manet enim semper difficile, aut vnum inter identificata realiter, *non esse formaliter aliud ante operationem intellectus*, esse falsum; aut quod si verum est, eo modo, quo verificatur *aliud non esse* ab ipso non distinguatur formaliter ante operationem intellectus, ac per consequens ex natura rei.

60 Recurrunt alij 5. ad distinctionem virtualem, cuius beneficio, censent: omnia, quæ in divinis habent speciem contradictionis, tàm inter absoluta quoad se comparata, quàm inter absoluta, & relativa facile posse componi. Sed præterquam quod hæc distinctio non potest prodesse omnibus illis propositionibus, in quibus ante operationem intellectus vna formalitas negatur de alia quoad *esse*, vt est illa in argumento contenta: *Vnum ante operationem intellectus non est formaliter aliud*; sed pro illis solis, in quibus vnum negatur de alio quoad denominationem, vt *essentia communicatur*; *Paternitas non communicatur*: *Deus necessariò existit*; *Decretum mundi non necessario existit*; aliundè nobis præcluditur tale effugium per repugnantiam illius distinctionis, quam post probabimus.

61 Ante solutionem, ostendere non omittam, Scotistas premi eodem fundamento, & medio, quo cæteros vrgere tentant; nec minus difficilem esse ipsis explicationem illius propositionis: *In his quæ realiter simpliciter idem sunt, vnum non est formaliter aliud*; quàm alijs, à quibus sensum realem prædictæ propositionis exposcunt: ratio est. Nam si vna formalitas realiter, simpliciter, & ante operationem intellectus est altera: ergo esse formale vnius ante operationem intellectus est esse formale alterius eo modo, quo realiter simpliciter idem sunt: si autem esse formale vnius realiter simpliciter, & ante operationem intellectus, est esse formale alterius: quomodo in sensu reali, & ante operationem intellectus verificari potest: vnam formalitatem non esse formaliter aliam? Explicent ergo nobis id, quod explicatum desiderant.

62 Iam pro solutione, notandum. Ex duobus realiter identificatis: *Vnum ante operationem intellectus non esse formaliter aliud*, duplicem sensum realem redere posse. Vnum. *Formalitatem realiter identificatam cum alia ante operationem intellectus, non esse aliquomodo realiter illam*; alterum: *formalitatem realiter identificatam cum alia ante operationem intellectus non esse de conceptu illius*. Ex his primus sensus, si verus esset, argueret inter identificata realiter simpliciter, aliquam distinctionem ante operationem intellectus; cæterùm falsissimus est, nec habent Scotistæ medium aliquod ad ipsum probandum; vndè si in eo sensu accipiant ly: *non esse formaliter aliud*, supponunt probandum, vel intendunt facere ex terminis notam suam distinctionem; quod tam facilè negabitur, ac asseritur. Secundus sensus verus est, at componibilis cum omnimoda identitate reali, & exclusione cuiusvis distinctionis ante operationem intellectus: ideoque non est medium aptum ad probandum primum sensum.

63 Ratio autem, quare secundus sensus illarum propositionum componibilis sit cum omnimoda identitate reali vnius, & alterius formalitatis est: quia vna, & eadem entitas realis, quoad omnia sua intrinseca summè realiter identificata, est capax suscipiendi denominationes reales respectivas tantum ad se, vno modo obiectivo sumptam, secus altero etiam obiectivo, & realiter secum identificato: quod multa exempla suadent. Etenim decretum Dei realiter omnino identificans secum productionem, & conservationem alicuius termini; v. g. *Angeli*, vt fert communis sententia, saltem de possibili; secundum totum esse reale sui respicit quodvis instans existentiæ Angeli, taliter, vt conservatio, & prima productio respiciant primum instans, in quo Angelus existit, & reliqua in quibus perseverat, & tamen tantùm respicit primum, vt prima productio est; & reliqua post primum, vt conservatio est. Actus contritionis, qui realiter omninò est amor, & odium, scilicèt amor Dei, & odium peccati, secundum totum esse reale sui terminatur ad Deum; & secundum totum esse

rea-

reale ſui terminatur ad peccatum : nec propterea eſt odium Dei, & amor peccati ; ſed totus reſpectivè ſumptus, eſt amor Dei, & totus reſpectivè ſumptus, eſt odium peccati. Entitas bona realiter identicè eſt etiam vera, quin inde liceat enuntiare, *Verum* abſolutè ſpecificare voluntatem ; aut *Bonum*, intellectum ; ſed totum reſpectivè *provt eſt verum*, intellectum ; & totum ſecundum quod eſt *Bonum*, voluntatem.

64 Idem videre eſt in actu ſupernaturali, qui ſecundum totum ſuum eſſe reale procedit, vel ab intellectu, vel à voluntate, ſive vt cauſis, ſive vt virtutibus partialibus pro diverſitate ſententiarum, & totus reſpectivè *vitalis* ſpecificat potentiam, aut virtutem naturalem ; & totus reſpectivè *ſupernaturalis* ſpecificat principium ſupernaturale, quin poſsit dici in ſenſu reali: quia *ſupernaturalis* procedit à principio naturali ; vel quia *naturalis* à principio *ſupernaturali*. Necnon in potentijs ſpiritualibus realiter identificatis cum Anima, in quarum actibus, licet quivis procedat ab omnibus potentijs, non dicitur abſolutè: actum *intellectus* eſſe actum *voluntatis*, aut actum *voluntatis* eſſe actum *intellectus*, provt *voluntas* eſt. Et ne immoremur in his, quæ iuſtè referre eſſet longiſsimum, rememoranda etiam ſunt: actus indiviſibilis intellectus, qui ſit copulatio, & diſiunctio ; v. g. *Petrus, & Joannes currunt, Paulus vel Franciſcus ſedet*: exigentia vnius formæ, & capacitas plurium, quæ realiter idem ſunt in materia prima : ſimilitudo, & perfectio in duobus hominibus comparata cum ſimilitudine, & perfectione duorum Angelorum, in ſententia identificante relationem prædicamentalem cum fundamento, & termino : ſicut in eadem ſententia maioritas, & minoritas, & denique præciſio obiectiva apud non admittentes diſtinctionem virtualem intrinſecam, & inter *Animal*, & *Rationale*, in quibus omnibus invenies denominationes quaſdam reales, convenientes toti entitati, reſpectivè ad vnum modum obiectivum eiuſdem eſſe realis ; non ſic ad alterum.

65 Quorum vlterior ratio eſt. Nam non poteſt eſſe ſenſus probans diſtinctionem aliquam, ante operationem intellectus inter ea, quæ realiter ſimpliciter identificantur, ille, vi cuius quid quid convenit vni formalitati, convenit realiter alteri eo modo, quo convenit vni: ſed licèt dētur denominationes reales reſpectivè ad totā entitatē vno modo obiectivo ſumptam, nihil convenit vni ex formalitatibus realiter identificatis, quod non conveniat alteri eo modo, quo convenit ipſi : ſiquidem quævis formalitas, ſecundùm illum modum reſpectivum ſubit eandem denominationem, quam altera ſubit ſub tali modo, vt conſtare poteſt, percurrendo omnia exempla appoſita : ergo ſenſus ille realis, quo vna formalitas, aut prædicatum realiter ſimpliciter identificatum cum alio, non ſit de eſſentia metaphyſica alterius, non probat diſtinctionem vllam, ante intellectus operationem inter vnam, & alteram formalitatem.

66 Reſtat doctrinam iſtam generalem ad quæſtionis caſum reducere: vndè orta eſt difficultas, in quo dicimus; intellectionem, & ſcientiam Dei in ſuppoſitione, quod per ipſam non conſtituatur eſſentia Dei metaphyſicè ſumpta, à quo modò præſcinditur, eſſe ante intellectus operationem id, quod eſt eſſentia Dei, & nullo modo ante operationem intellectus non eſſe id, quod eſt realiter eſſentia Dei ; at non eſſe de eſſentia Dei, aut eſſentiam Dei ſumptam *abſolutè* : quia eſſentia Dei eſt reſpectiva ad totam entitatem Dei ſumptam vno modo ; nempè, vt eſt *ens à ſe*, aut *intellectivum radicale*, aut quodvis aliud prædicatum, quod pro diverſitate ſententiarum ſit adęquatum conſtitutivum divinæ eſſentiæ : ideòque de intellectione tantùm reſpectivè ſumpta, provt eſt *tale prædicatum*, poteſt dici eſſe de eſſentia Dei, aut eſſe eſſentiam Dei: quo eodem ſenſu verificatur de eſſentia eſſe id, quod abſolutè ſumptum, non eſt de eſſentia Dei, licèt de ipſa non poſsit verificari abſolutè non eſſe de eſſentia ; benè tamen reſpectivè, provt eſt *intellectio* : & ſic quid quid convenit vni, convenit alij, quin diſcrepent in prædicationibus : ſiquidem idem, & eodem modo, quo convenit vni, de altera poſsit affirmari. Quæ omnia, ſi difficilia appareant, percurrantur exempla antecedenter memorata, & invenientur omnia paria, ſicut paſsim in diverſis quæſtionibus ſine ſcrupulo devorata.

67 Ex quibus ad rationis obiectæ formam, diſting. mai. Scientia, & intellectio Dei ante omnem operationem intellectus non eſt formaliter eſſentia

Dei

Dei sensu significante, vnam formalitatem ante operationem intellectus non esse aliam, nego mai. Sensu significante scientiam, & intellectionem Dei ante operationem intellectus non esse *absolutè* essentiam Dei, aut de essentia Dei; sed *modo respectivo*, concedo mai. & disting. minorem. Omne id, quod ante operationem intellectus non est aliud *absolutè*, eo modo, quo aliud non est, distinguitur ab illo, concedo minorem. Omne id, quod ante operationem intellectus non est aliud *respectivè* eo modo, quo aliud non est, distinguitur ab illo, subdisting. Si ille modus vtrique repugnat, nego minorem. Si vni repugnet, secus alteri, concedo minorem. Et sub terminis mai. concedo, aut nego consequentiam. Ad mai. prob. Constat, quo sensu vero, & reali dici possit de scientia, & intellectione non esse, aut non constituere essentiam Dei, scilicèt modo respectivo, provt sunt *intellectio*, & *scientia*, qua ratione etiam ipsum prædicatum, quod est constitutivum diuinæ essentiæ, illam non constituit, neque est essentia.

68 Ad confirmationem, concess. mai. nego min. Deus enim nullam pluralitatem cognoscit inter suas formalitates absolutas, aut inter essentiam, & intellectionem. Min. probatio contra aduersarios est. Nam si quia Deus cognoscens se, & illud, aut illa prædicata, in quibus consistit essentia ipsius, cognoscit etiam se non esse præcisè realiter, & verè illa prædicata, arguunt inter diuina prædicata esse pluralitatem, & distinctionem aliquam realem: quia Deus cognoscens se, & illud, vel illa prædicata, in quibus consistit essentia ipsius, cognoscet etiam se non esse præcisè realiter simpliciter illa prædicata, deberent inferre inter prædicata diuina esse pluralitatem realem simpliciter, & non tantū ex natura rei: ergo signū est, quod non esse præcisè realiter aliquid, non est esse vnum, & aliud cum pluralitate reali; sed esse conceptum realem æquivalentem pluribus, vt accidere est necesse in omni conceptu realiter indiuisibili, & benè explicat Exim. Suarez in Anima Rationali indiuisibili, quæ non est præcisè realiter Anima capitis; sed cordis, pedis, & brachij, quin ideo Anima cordis, aut brachij distinguatur realiter ab Anima capitis; pariter soluendum est argumentum, si applicetur quibusvis alijs formalitatibus, siue creatis, siue diuinis, etiam comprehendendo in his attributiva relativa, de quibus ex dicendis in decursu tractatus, amplius constabit.

69 Motiva illa authoritatis in generali desumpta ex loquutionibus Patrū vsurpantium terminos *multiplicitatis*, & *pluralitatis* in diuinis perfectionibus, si in cortice accipiantur, nimis probant: cum *multiplicitas*, & *pluralitas* absolutè prolatæ denotent distinctionem realem simpliciter talem, quæ summè distat à mente Patrum. Quare intelligendi sunt de pluralitate, & multiplicitate negativè sumptis, in quantum Deus non est præcisè realiter id, quod explicatur terminis vnius perfectionis; v. g. *Scientiæ*; neque enim Deus est præcisè realiter *sciens*, sed etiam *omnipotens*: neque est præcisè realiter *sciens*, & *omnipotens*; sed insuper *æternus*, & sic de reliquis; pro quo non est opus vlla distinctione reali: quo modo, vt non sit Deus præcisè realiter simpliciter *sciens*, & *immensus*; sed *æternus*, non est necessaria pluralitas, aut multiplicitas realis simpliciter talis. En realitatem intentam à PP. contra Hæreticos absque vlla prorsus distinctione, quæ sit antè operationem intellectus. Vel dicito, si placeat, pluralitatem, & multiplicitatem accipiendas esse *æquivalenter*: propterea quod Deus absque vlla reali distinctione, & multiplicitate habet, quod creaturæ absque reali distinctione non componunt. Hunc esse legitimum sensum, explicet pro omnibus D. Augustl. lib. 6. de Trinit. cap. 7. *Deus*, inquit, *Multipliciter quidem dicitur Magnus, Bonus, Sapiens, Beatus, Verus, & quid quid aliud non indignè dici videtur; sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia, & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonū esse.*

70 Eodem sensu etiam dicunt: vnum attributum addere aliquid supra aliud, vel afferre aliquid noui, scilicèt, vel negativè: quia non est præcisè realiter aliud, vel æquivalenter ad ea, quæ in alijs entitatibus verè adduntur: quomodo apud Munieſam de essentia, & attributis, disp. 7. sect. 4. communis vox est PP. cum Augustin. dicentium de Deo: *Memoriam, voluntatem, & intellectum non esse aliud sicut in nobis; sed vnum aliquid, quod omnia valet.* Illud de particula &, ad probandam distinctionem aliquam

realem, & quæ antevertat operationem intellectus, leviſsimum eſt, vt conſtat in hac propoſitione: *Petrus eſt homo, & quia homo, animal rationale.* Ex qua probari non poteſt diſtinctio aliqua realis inter homi nem, & hominem, aut inter hominem, & animal rationale. Vndè conſtat, quid dicendũ ad Scripturæ loca, in quibus proponuntur perfectiones Dei in numero plurali, aut vnum attributum, vt aditum alteri ſignificatur, quorum ſcopus præcisè eſt, oſtendere veritates, quæ de Deo affirmari poſſunt idẽticè, realiter, aut ſub expreſsionibus realiter diſtinctis, aut ſub vna æquivalente pluribus, ad quod nulla eſt neceſſaria diſtinctio realis ex parte obiecti, quemadmodum apud Scotiſtas non eſt neceſſaria diſtinctio realis ſimpliciter talis ad verè affirmandum in numero plurali eſſe in Deo plures perfectiones ſimpliciter tales.

71 Efficacia argumenti, quo vtitur D. Auguſt. contra Maximum, ab omnibus eſt exponenda, nec per diſtinctionem ex natura rei formalem facilis reditur: nam cum ſit minor diſtinctio diſtinctione reali ſimpliciter. & cum identitate vera, & reali benè compoſita, ſemper manet arduum: quomodo pluralitas attributorum abſolutorum inter quę non datur diſtinctio realis ſimplicitèr, poſsit eſſe medium ad extirpandam difficultatem, quę ex diſtinctione reali ſimpliciter Perſonarum Maximus obijciebat: vndè certum debet eſſe: argumentum S. Auguſt. nihil prodeſſe intento adverſariorum, cum in eadem difficultate implicentur, & hæc ſit ſolutio tenenda.

72 Si verò expoſitionem mentis S. Doct. vltrà deſiderent. Reſpondet P. Quiros, tom. 1. in 1. part. tract. 2. diſp. 74. ſect. 5. & ex ipſo Herrera, tract. de Trinit. quæſt. 2. ſect. 5. Argumentum non procedere abſolutè; ſed ad homĩnem, & ex conceſsis. Dicebat enim Maximus: perfectiones abſolutas Dei eſſe inter ſe realiter diſtinctas, nec ideò eſſe partes divinæ eſſentiæ, & perfectionis: Dicebat inſuper: tres Perſonas in divinis non eſſe componibiles cum ſimplicitate vnius Dei: ſiquidem quælibet eſſet Deus partialis, ſeu pars divinitatis: quam inconſequentiam redarguit D. Auguſt. dicens: *Per te pluralitas perfectionum in vna Perſona Patris componitur cum excluſione partium, conſtituentium vnam Perſonam: ergo pluralitas Perſonarum in eadem Deitate componi poterit cum excluſione partium, conſtituentium vnam Deitatem*: ergo *inconſequenter procedis, dum negas, perfectiones diſtinctas realiter vnius Perſonæ eſſe partes illius, & intendis, tres Perſonas diſtinctas realiter eſſe partes vnius Deitatis.* Id videtur conſtare ex verbis ipſius Auguſtini, ſic loquentis cum Maximo admittente plures perfectiones in Patre: *Si dixeris, partes ſunt vnum ergo Deum ex partibus compoſitum eſſe dicis. Non dico, inquis? Non ſunt ergo partes, & tamen quatuor ſunt*, (nempè bonitas, ſapientia, & clementia, & potentia) *& vna virtus eſt, eademque ſimplex eſt: Si ergo in vera Patris Perſona, & plura invenis; ſed partes non invenis: quanto magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & propter individuam Deitatem vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem tres Perſonæ ſunt.*

73 Hæc ſatis apparenter dicta ſunt; verùm quieſcere non poſſum, donec clarè conſtet, fuiſſe ſententiam Maximi, vt intendunt hi Authores dari in Perſona Patris plures perfectiones realiter diſtinctas, ſcilicèt: *Sapientiam, Bonitatem, Clementiam, & Potentiam*, quod non aſſequor: imò ad oppoſitum datur non leve fundamentum in verbis ipſius Auguſtini referentis Maximi ſententiam, & dicentis: *Ille*, inquis, *quod eſt, virtus eſt ingenita ſimplex, & tamèn in hac ſimplici virtute quam multa commemoraveris vide.* Et poſt pauca: *Cur ergo in virtute ſimplici, quod eſt Deus, non timuiſti tot commemorare virtutes?* Vide, non dixit: *diſtinguere* plures virtutes partiales in vna virtute ſimplici, quod non omiſiſſet Auguſt. Si hæc fuiſſet ſententia Maximi; ſed *commemorare*, quod abſque vlla diſtinctione reali componitur, per id præcisè, quod Deus ex parte obiecti non ſit præcisè realiter bonus; ſed ſapiens, nec bonus, & ſapiens; ſed clemens, & potens, & ex parte Intellectus, quod non ſit præcisè enuntiabilis, *vt bonus*; ſed etiam, *vt ſapiens*; nec vt *ſapiens*, & *bonus*; ſed etiam vt *clemens*, & *potens*.

74 Quare cenſerem: D. Auguſtin. tantum fuiſſe vſum contra Maximum argumento à ſimili, quod ad hanc formam reduci poteſt: *Sicut concedis, quod Deus Pater non ſit præcisè realiter ſapiens; ſed etiam realiter clemens, nec præcisè realiter ſapiens, & clemens; ſed bonus, & potens abſque eo, quod clementia, ſapientia, potentia, & bonitas ſe habeant realiter, vt*

par-

partes, & Persona inadæquata; cur non concedis Deum non esse præcisè realiter Patrem; sed Filium, & Spiritum Sanctum, quin Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint partes vnius Dei, aut quivis Deus inadæquatè. Pro quo modo arguendi, & suadendi non est necessarium, quod similitudo teneat in omnibus: qualiter ipse August. totus est in libris de Trinit. in suadendo Mysterio à simili eorum, quæ inveniuntur in creaturis, quin similitudines, quas vsurpat, in omnibus teneant, vt videre est in exemplo Animæ cum tribus potentijs: & in exemplo intellectus, in quo tria attenduntur; videlicèt: *Species, obiectum, & imago*; verùm hæc timidus proferens, doctioribus committo.

75 Dictum aliud ex lib. 7. de Trinit. cap. 5. *Non eò Pater, quò Deus; nec eò Deus, quo Pater*, præcisè denotat, aut rationem Patris ex se esse separabilem à ratione Deitatis, vt cernitur in creatis; aut Paternitatem non esse de essentia, & conceptu formali Deitatis; quod quomodo componatur absque vlla distinctione ante operationem intellectus, iam supra diximus, explicantes modos respectivos eiusdem esse realis cum summa convenientia affirmationum, & negationum. Vltimum, quod additur, ex libr. 15. cap. 5. *Omnia attributa Dei esse æqualia*, sicut salvatur ab Scotistis absque distinctione reali simpliciter tali, quamvis æqualitas regulariter non detur, nisi inter distincta realiter simpliciter, sic à nobis aptè expeditur per pluralitatem negativam, consistentem in eò, quod Deus non sit præcisè realiter id, quod nomine vnius attributi significatur, aut per pluralitatem virtualem, seu æquivalentiam ad ea, quæ in alijs entitatibus cum distinctione reali simpliciter inveniuntur. Ad authoritatem Damasceni dicendum, *Bonitatem, Sapientiam*, & alia attributa eiusmodi ideò explicari, vt *quod* iuxta naturam: quia non sunt de conceptu illius modo aliquo respectivo, qui sine distinctione ante operationem intellectus salvari potest, vt probant rationes nostræ, iam expensæ, & exempla semel, & iterum in antecedentibus commemorata.

76 Motivo principali iam expenso minora alia annectunt, vt sunt primo, scientia Dei magis est realiter identificata sibi, quàm naturæ divinæ: sicut bonitas magis identificata sibi, quàm iustitiæ; sed omni eo modo, quo minus identificatur realiter, aliquo modo distinguitur realiter: cum in his, quæ sunt, inter non identificari, & distingui non detur medium: ergo scientia Dei, & natura divina, sicut, & reliqua attributa inter se aliquomodo realiter distinguntur. Secundò: magis distinguitur scientia à natura divina, quàm scientia à scientia: sed scientia distinguitur à scientia per rationem: ergo scientia distinguitur à natura divina plusquàm per rationē, quod est distingui ante operationem intellectus. Tertiò: pluralitas personarum à parte rei non obest simplicitati divinæ: ergo pluralitas attributorum nō obest simplicitati divinæ. Quarto: confusio opponitur distinctioni: sed in Deo nequit admitti realis confusio inter attributa comparata, tàm cum essentia, quàm inter se: ergo debet dari aliqua realis distinctio inter attributa, tàm comparata cum essentia, quàm inter se.

77 Ad primum dicendum: quod sicut scientia non identificatur magis realiter simpliciter sibi, quàm naturæ divinæ, sicut nec bonitas magis identificatur realiter simpliciter sibi, quàm iustitiæ; sic nec identificatur magis realiter sibi, quam naturæ divinæ, quod idem accidit in bonitate respectu iustitiæ: quare si aliqua est maior identitas, aut maior distinctio, tantùm est verum de identitate, aut distinctione rationis; non de identitate, aut distinctione, quæ opus intellectus præveniat. Neganda igitur est mai. quæ non probatur, sicut etiam ad secundum, propter eandem rationem. Tertium, retorquetur in adversarios, qui simili forma possent contra se arguere maiorem distinctionem distinctione ex natura rei formali inter absoluta. Nam si quia pluralitas personarum non obest divinæ simplicitati, admittenda est pluralitas realis inter divinas perfectiones; quia non obest pluralitas realis simpliciter divinarum Personarum divinę simplicitati; admitti poterit pluralitas realis simpliciter inter absoluta sine dispendio divinæ simplicitatis; propterea concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quàm tradit Izquierdo: quia singulæ Personæ perfectissimè sunt idem cum vnica essentia simplicissima, ad eamque tamquam ad vnum aliquid rediguntur, vt loquitur D. Bernardus Serm. 80. in Cantica post medium ibi. *In ea*, scilicèt divinitate, &

multa in vnum, & diversa in idem rediguntur, vt nec de numerositate rerum summat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat. At attributa, qua ratione ab essentia ponantur antè operationem intellectus distincta, non identificantur cum tertio, quod prorsus sit idem, quare pluralitas attributorum, ita distinctorum divinæ simplicitati adversatur.

78 Quartum, etiam instari valet sub hac forma: Confusio realis simpliciter talis opponitur distinctioni reali simpliciter tali; sed in Deo, tàm inter absoluta, quàm inter relativa non datur confusio realis simpliciter talis: ergo in Deo, tàm inter absoluta, quàm inter relativa datur distinctio realis simpliciter talis. Respondetur: confusionem non opponi distinctioni indiscriminatim, imò eam supponere; sed distinctioni ordinatæ, seu ordinationi distinctorum, vt inquit benè idem Izquierdo. Vndè vbi est summa identitas, vt est in Deo; sicut impossibilis est distinctio, vel inordinata distinctio, ita impossibilis est confusio; nec confusio, & distinctio ita inter se opponuntur, vt nequeat dari medium, vtraque deficiente, scilicèt, identitas, quę nec sit confusio, nec distinctio.

79 Phylosophica alia omittimus, quæ non sunt huius loci, & ex theologicis lucem accipient, vt facile solvantur. Vnum in fine animadversum velim: nimirum, ipsum Subtilem Doct. in 1. dist. 2. quæst. 7. non assertivè, sed quasi disputandi gratia talem distinctionem proposuisse sub his terminis: *Dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris, quod ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentiæ habent aliquã distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati.* Eam insuper vocasse iam distinctionem rationis, iam distinctionem virtualem, & vltimò, nec virtualem, nec rationis, vt constat ex illis verbis: *Breviter igitur dico omittenda verba illa de distinctione rationis, & distinctione virtuali, &c.* vt appareat tantum Doctorem sibi ipsi fuisse difficilem in ea distinctione stabilienda.

***
*** ***
***

CAPVT IV.

An Scientia Divina, sivè necessaria, sivè contingens distinguatur, tàm inter se, quàm à natura divina Virtualitèr? Vbi generaliter distinctio virtualis intrinseca, tam inter absoluta, quàm inter relativa; tàm in divinis, quàm in creatis excluditur.

80 VIRTVALITAS idem est, ac æquivalentia, & vnum esse virtualiter aliud idem, ac æquivalere alteri absque conceptu illius; sic ignis dicitur virtualiter calor: quia absque eo, quod sit calor, valet tantum, quantum calor in ordine ad producendum calorem. Hinc: distinctio virtualis est æquivalentia ad distinctionem realem absque conceptu realis distinctionis. Ceterùm cum munera distinctionis realis varia sint, possitque dari inter identificata realiter æquivalentia ad vnum, vel ad aliqua, quæ non sit ad omnia, penes eorum distinctionem, quadruplex acceptio distinctionis virtualis apud AA. solet assignari. Primo enim apud aliquos dicitur, tũc in aliqua re, realiter indivisibili, distinctionem virtualem intercedere, quando fundamentum præbet, vt per rationem distinguatur ab intellectu in plures conceptus: quia in tali præbendo fundamento, rebus formaliter, & verè realiter distinctis videntur æquivalere. Ita apud Izquierdo vsurpant multi distinctionem virtualem, inter quos Eximius Suarez, disp. 7. metaphys. sect. 1. num. 4. Et libr. 1. de attributis, cap. 13. & lib. 4. de Trinit. cap. 4. Conimbricenses in Logica, quæst. 4. vniversal. art. 2. & Ruiz, tom. de Trinit. disput. 12. sect. 2. num. 3. dicente Phasolo, 1. part. quæst. 4. art. 2. dub. 14. num. 117. esse de communi.

81 Secundò alij apud Arriag. 1. part. disp. 42. sect. 1. subsect. 1. distinctionem, seu pluralitatem virtualem in indi-

diuisibili realiter entitate ponunt, quatenus in ea plura prædicata dantur, quæ in alijs rebus, distinctis realiter inveniuntur sparsa, quibus propterea illa sola indiuisibilis, quoad esse æquivalere censetur: quomodo dicunt solum hominem esse virtualiter, & æquivalenter plura entia realiter distincta, cum sit ens substantiale, vt lapis: Vivens, vt Planta; sentiens, vt Brutum: intelligens, vt Angelus. Ex quibus alia. Tertio: distinctio virtualis ibi esse iudicari solet, vbi res indiuisibilis datur, in qua resident identicè virtutes, seu potentiæ, quæ in alijs rebus reperiuntur cum reali distinctione, in qua acceptione dicit Ægidius à Presentatione, tom. 1. de Beatitudine, lib. 5. quæst. 6. art. 7. in homine distingui virtualiter *Animal*, & *Rationale*, cum per hos gradus æquivaleat realiter Leoni, & Angelo.

82 Quartò, accipitur distinctio virtualis rigidè, & propriſsimè ex communi vsu pro æquivalentia rei realiter indiuisibilis ad distincta realiter, quoad susceipienda prædicata ex se contradictoriè oppoſita absque repugnantia, & contradictione; v. g. *produci*, & *non produci*: *communicari*, & *non communicari*: *deficere*, & *non deficere*, & alia id genus. Distinctio virtualis, ita accepta, subdividitur in *puram*, & *non puram*. Distinctio virtualis pura est, quæ nulli distinctioni reali admiscetur ex eo, quod ea, inter quæ datur, tàm identificantur inter se, quàm in vno tertio; v. g. *Scientia, & natura divina*; *voluntas, & scientia Dei*; distinctio virtualis *non pura*, ea est, quæ reali distinctioni formaliter sumptæ, admiscetur: quia datur inter illa, quæ & si identificentur realiter inter se, distinguntur tamen inadæquatè in tertio; v.g. *Essentia divina*, & relationes *Paternitatis*, *Filiationis*, & *Spirationis*, in quibus verificatur: *Paternitas realiter est Essentia, quæ realiter est Filiatio, à qua realiter distinguitur: Filiatio realiter est Essentia, quæ realiter est Paternitas, & spiratio passiva, à quibus realiter distinguitur: Spiratio passiva realiter est Essentia, quæ realiter est Paternitas, & Filiatio, à quibus realiter distinguitur*, ita, vt dentur tres Personæ realiter cum divina natura identificatæ, & realiter formaliter inter se distinctæ: vnde in quovis complexo *Personalitatis, & Naturæ* datur vnum identificatum realiter cum tertio, à quo aliud realiter distinguitur.

83 Distinctio virtualis in tribus prioribus acceptionibus vocatur distinctio virtualis extrinseca, vt discernatur ab ea in quarta, & vltima acceptione, quo modo vocatur distinctio virtualis intrinseca. Advertendum tamen est: ab aliquibus vocari distinctionem virtualem extrinsecam eam, quæ licèt sit capacitas inter identificata ad susceipienda prædicata contradictoria sine repugnantia, respicit vero contradictoria provenientia à forma extrinseca; v. g. *Cognosci, & non cognosci*. Cæterum si verè, & in re per talem distinctionem aliquid conveniat vni ex identificatis, quod non conveniat alteri, iure à reliquis reducitur ad intrinsecam.

84 Dari in Deo distinctionem virtualem extrinsecam; sicut etiam in creatis, tam constans est, ac dari non modò in divinis; verùm in creatis inter prædicata realiter identificata fundamentum, vt concipiantur distinctis conceptibus; aut inveniri identicè coniuncta, quæ in alijs rebus inveniuntur distincta, sivè sint potentiæ, & virtutes, sivè prædicata alterius rationis: ideò quæstio tota contrahitur ad distinctionē virtualem intrinsecam, ideſt, æquivalentiam distinctionis realis, quoad munus susceipiendi sine repugnantia prædicata ex se oppoſita: & inquiritur: Vtrùm in divinis, aut in creatis talis distinctio detur, aut sit possibilis? In qua quæstione negant existentem, & possibilem, sivè in divinis, sivè in creatis, Granad. 1. part. tract. 2. disp. 5. sect. 3. Alarcon, 1. part. titulo 1. disp. 4. cap. 2. & alijs locis. Luisius Turrianus in selectis, part. 1. controv. 4. dub. 35. addens severius, quàm par est, vt inquit Izquierdo, esse gravissima censura dignam sententiam, quæ talem distinctionem tuetur in divinis. Negare insuper videntur omnes illi antiquiores Cayetano, qui vltra Personarum Trinitatem, solam distinctionem rationis admittunt in divinis, vt S. Thomas, 1. part. quæst. 28. art. 3. cum quo Vazq. 1. part. disp. 117. & 121. cum multis alijs, licèt nonnulli distinctionem rationis cum distinctione virtuali intrinseca sæpè confundant.

85 Affirmant existentem, saltem in divinis plures, & graves Theologi, vt sunt Cardinal. Caietan. 1. part. quæst. 39. art. 1. §. *Ad evidentiam*. Molina, 1. part. q. 28. art. 2. disp. 2. concluſ. 3. Valentia, 1. part. quæst. 1. de Trinit. punct. 3. & alijs locis, cum quibus multi alij ex

noſtris, quos citat, & ſequitur Izquierdo, diſp. 13. Phari. quæſt. 6. à propoſitione 1. Accedunt P. Herrera, tract. de Trinit. quæſt. 2. ſect. 1. repetens pluries eandem ſententiam tractatibus de *Scientia, & voluntate*, & RR. Sapientiſſimi, ita, vt dixerit Oviedo, controv. 4. metaphyſ. punct. 4. §. 2. huic ſententiæ ſubſcribere politiores, & accutiores recentes, licèt ipſe poſt concludat. *Hæc dixerim de diſtinctione virtuali in divinis, non animo definiendi: an admittenda ſit; nec ne: ſed explicandi, quid importet hæc diſtinctio virtualis.*

86 Pater Antonius Perez, 1. part. tract. de Trinit. diſp. 1. & Quiros, 1. part. tract. 2. de eſſentia, & attributis, diſp. 15. & 16. in medio poſiti ſunt, excludentes totis viribus, vt penitus repugnantem, tàm in divinis, quàm in creatis diſtinctionem *purè* virtualem, ſeu non admixtam diſtinctioni reali formaliter ſumptæ; admittentes verò in divinis diſtinctionem virtualem *non puram*, id eſt, cum diſtinctione reali in tertio, ſcilicèt, inter *eſſentiam*, & relationes. Hos ſequuntur aliqui RR. Per oppoſitum P. Richardus Lince, tom. 3. Phyloſophiæ, lib. 2. metaphyſicæ, tract. 4. cap. 2. diſtinctionem virtualem ſibi fecit familiariſsimam eam concedens, & probans authoritate & ratione, tàm in divinis, quàm in creatis, & tam in abſoluta, quàm inter relativa, ita vt paſsim ad difficultates extricandas, beneficio diſtinctionis virtualis vtatur. Suum Magiſtrum ſequutus eſt glorioſus diſcipulus, & Author Curſus Phyloſophici Trinitarij.

87 Noſtra ſententia eſt repugnare in divinis, ſivè inter *Scientiam, & naturam, ſivè quomodolibet inter abſolutum, & abſolutum, aut inter abſolutum, & relativum diſtinctionem intrinſecam virtualem, ac per conſequens eſſe impoſsibilem diſtinctionem virtualem intrinſecam, tàm puram, quàm non puram.* Eam impugno. Primo. Nam, vt conſtat ex Patribus, & Concilijs contra Scoti doctrinam allegatis, in divinis, niſi inter Perſonas, quæ realiter diſtinguntur, nulla alia datur diſtinctio, niſi diſtinctio rationis, & quæ provenit à diverſis conſiderationibus: ſed diſtinctio intrinſeca virtualis non eſt præcisè diſtinctio rationis: ergo diſtinctio intrinſeca virtualis iuxta Patres, & Concilia repugnat in divinis inter quæcumque prædicata realiter identificata.

88 Secundo. Omnis diſtinctio oppoſita divinæ ſimplicitati repugnat in divinis: ſed diſtinctio intrinſeca virtualis opponitur divinæ ſimplicitati: ergo repugnat in divinis. Prob. min. omnis diſtinctio maior diſtinctione rationis opponitur divinæ ſimplicitati: ſed diſtinctio intrinſeca virtualis eſt maior diſtinctione rationis: ergo opponitur divinæ ſimplicitati. Minor apparet certa. Nam ſi diſtinctio virtualis non eſt maior diſtinctione rationis, erit inſufficiens, ſicut per adverſarios eſt inſufficiens diſtinctio rationis. Prob. mai. Omnis diſtinctio maior diſtinctione rationis eſt diſtinctio à parte rei, & qua vnum non eſt aliud ante operationem intellectus: ſed diſtinctio hæc opponitur divinæ ſimplicitati: ergo diſtinctio maior diſtinctione rationis opponitur divinæ ſimplicitati.

89 His reſpondent Recentiores, & Izquierdo. Diſtinctionem virtualem non eſſe actualem diſtinctionem, ſed æquivalentiam, & virtutem diſtinctionis; quod non eſt aliud, quàm id, quod eſt realiter indiviſibile, & non plura ſe habere, ac ſi eſſet realiter diviſibile, & plura realiter: ex quo conſtat non opponi Patribus, & Concilijs, nec divinæ ſimplicitati. Non *Patribus*, & *Concilijs*: quia loquuntur de actuali diſtinctione, in quo ſenſu dixerunt, non eſſe aliam diſtinctionem in divinis, niſi ſolam rationis. Non *divinæ ſimplicitati*; ſiquidem huic ſolùm adverſatur pluralitas in eſſe, ac vnum non eſſe realiter aliud; non verò æquivalentia pluralitatis, & cum omnimoda identitate ſe habere, ac ſi vnum non eſſet aliud realiter. Vndè etiam inferunt, diſtinctionem virtualem non eſſe maiorem diſtinctionem diſtinctione rationis; ſed tantùm maiorem virtutem diſtinctionis: quia ſine reali diſtinctione componit, quæ non valet componere diſtinctio rationis.

90 Sed contrà, inſtaurando præcedentia argumenta: nam adhuc dato, quod diſtinctio virtualis non ſit actualis diſtinctio; ſed æquivalentia diſtinctionis actualis, vrget primum argumentum; propterea quod hæc æquivalentia diſtinctionis realis, non eſt ſola, & præciſa diſtinctio rationis: aliàs hæc ſola ſufficeret ad ſalvanda prædicata oppoſita, quæ in divinis, aut inter abſolutum, & relativum, aut inter abſolutum, & abſolutum dicunt verificari: ſed Concilia, & Patres ad ſalvanda ea prædi-

dicata, & disconvenientiam apparentem, quę in divinis inter absolutum, & relativum, aut inter absolutum, & absolutum datur, vnicè, & pręcisè recurrunt ad distinctionem rationis, vt constat ex Concilio Florentino iam citato, & ex S. Damasceno 1. de Fide cap. 11. vbi ait: *Quod autem in ea* (scilicèt essentia) *dictum est, cogitatione sola distinguitur*: ergo distinctio intrinseca virtualis, sivè sit actualis distinctio à parte rei, sivè æquivalentia, & virtus distinctionis à parte rei, excluditur in divinis à PP. & Concilijs.

91 Vrget etiam secundum argumentum. Innegabile apparet, esse magis simplicia in esse ea, quæ neque realiter distinguntur, neque a parte rei in his, quæ de ipsis prædicantur, possunt se habere sicut distincta, illis quæ & si realiter non distinguntur, tamen à parte rei quoad prædicata, quæ participant, possunt se habere, ac si distinguerentur: ergo prima simplicitas maior est secunda: ergo Dei simplicitas, quæ summa est, debet esse simplicitas, quæ non solùm excludat distinctionem realem; sed æquivalentiam distinctionis realis: sed huic opponitur distinctio virtualis: ergo distinctio virtualis, sivè sit distinctio actualis, sivè æquivalentia distinctionis realis opponitur divinæ simplicitati. Mai. quamvis mihi certam, sic probo. Illa sunt magis simplicia in *esse*, quæ magis conveniunt in esse: sed ea, quæ nec realiter distinguntur, neque à parte rei in his, quæ de ipsis prædicantur, quoad prædicationum disconvenientiam possunt se habere sicut realiter distincta, magis conveniunt in esse; quàm illa, quę & si realiter non distinguantur quoad denominationum disconvenientiam se habent, vt realiter distincta: ergo magis simplicia sunt in esse, quæ nec realiter, nec virtualiter distinguntur, illis, quæ quamvis realiter non distinguantur, habent æquivalentiam realis distinctionis.

92 Confirmatur. Non est maior simplicitas, quàm essentia, aut quodlibet aliud prædicatum divinum habet secum ipso, ac quam habet cum alio prædicato realiter secum identificato: cum Deus vndequaquè sit æquivalenter, & summè simplex: sed essentia talem habet simpliciratem secum ipsa, sicut quodvis aliud prędicatum secum ipso, vt non modo non distinguantur realiter à se ipsis, verùm nec admitant æquivalentiam distinctionis realis à se ipsis: ergo cum alio prædicato talem habent simplicitatem in *esse*, vt non solùm excludant distinctionem realem; sed æquivalentiam, & virtutem realis distinctionis.

93 Impugno tertiò. Omnis distinctio actualis, quę non sit rationis repugnat in divinis, vbi non obest relationis oppositio: sed distinctio hæc, quam vocant virtualem, est distinctio actualis, quæ non est rationis: ergo repugnat in Deo. Mai. est certa. Prob. min. Distinctio hæc, quam vocant virtualem, facit id, quod faceret distinctio realis actualis quoad capacitatem suscipiendi prædicata opposita: ergo est distinctio realis actualis. Prob. consequent. Omnia illa, quæ præstantur subiecto in genere causæ formalis per aliquam formam, nulli possunt convenire per solam æquivalentiam formæ, nisi detur ipsa forma: sed capacitas ad convenientiam duplicis prædicati oppositi convenit distinctis realiter à distinctione reali tanquàm à forma: ergo nulli potest præstari: ac per consequens, nec Deo per æquivalentiam distinctionis realis actualis; sed per ipsam actualem realem distinctionem. Consequentia est legitima, & min. certa. Nam capacitas ad convenientiam oppositorum non provenit à reali distinctione per efficientiam; sed per sui communicationem. Mai. etiam est certissima: etenim quoad effectus formales nulla datur æquivalentia, nisi detur re ipsa, & in se forma destinata ad talem effectum: neque enim adhùc Deus potest album facere sine *Albedine*: calidum sine *calore*: intelligentem sine *Intellectione*: cum virtualitas, & æquivalentia solùm detur quoad efficientiam, per quam agens æquivocum potest producere effectum, qui procedit ab alia causa vnivoca; secus quoad effectus formales, qui tantùm proveniunt à communicatione esse formalis formę: ergo distinctio hæc, quam vocant virtualem, vel est actualis realis, vel prę-stare non poterit, quod prestat distinctio realis.

94 Nec dicant: capacitatem suscipiendi predicata opposita non prestari à distinctione reali in genere causæ formalis, cum causa formalis prestet suum effectum subiecto per vnionem, & distinctionem realem sui ab ipso; non

per

per identitatem ; quomodo distinctio realis præbet subiecto capacitatem ad susscipienda prædicata opposita. Nam quamvis hæc disparitas verum teneat, impertinens omninò videtur ad infringendam nostram rationem : quod sic probo. Per te id, quod præstatur subiecto per communicationem alterius ad se media vnione, non potest præstari subiecto per æquivalentiam solam ad esse illius, quod media vnione subiecto communicatur : ergo id, quod præstatur subiecto per communicationem alterius ad se media identitate, non poterit præstare subiecto per æquivalentiam solam ad esse illius, quod per identitatem subiecto communicatur. Probo consequentiam. Nulla est ratio, vt id, quod communicatur subiecto laxiori communicatione, vt est communicatio per vnionem, non possit ipsi communicari absque esse formali communicati, & quod intimiùs, & strictiori communicatione, vt est communicatio per identitatem, valeat etiam communicari absque esse formali communicati : ergo si id, quod præstatur subiecto per communicationem alterius ad se media vnione, non potest præstari subiecto per æquivalentiam solam ad esse illius, id, quod præstatur subiecto per communicationem alterius ad se, media identitate, potiori titulo non poterit præstari subiecto per solam æquivalentiam ad esse illius.

95 Impugno quartò, persistens in intento precedentis argumenti. Distinctio hæc virtualis, vel est actualis distinctio ante operationem intellectus, vel trahit secum actualem distinctionem ante operationem intellectus inter prædicata divina, in quibus non datur relationis oppositio : ergo non est præcisè virtus distinctionis ; sed actualis distinctio repugnans in divinis. Prob. antecedens. Distinctio intrinseca virtualis facit, vt vnum prædicatum divinum negetur de alio realiter : ergo vel est distinctio realis actualis, vel secum in divinis trahit actualem distinctionem inter ea, quæ relativa non sunt. Antecedens est certum, cum ad id deserviat virtualis distinctio, vt denominatio realis, quæ identicè convenit vni prædicato, realiter negetur de alio, cum ipso realiter identificato. Consequentiam Prob. Implicat vnum realiter negari de alio, quin antè operationem intellectus vnum realiter non sit aliud : quid ergo est vnum negari de alio realiter fundamentaliter, nisi quod esse vnius realiter non sit esse alterius ? Sed vnum realiter non esse aliud, est actualiter realiter distingui ab illo : ergo si distinctio virtualis, facit, vt vnũ negetur de alio realiter in divinis, vel est distinctio actualis realis, vel secum trahit distinctionem realem actualem inter ea, quæ relativa non sunt.

96 Respondent primò. Vnum negari de alio realiter quoad denominationem præcisè ; secus quoad entitatem : quare entitas vnius realiter non distinguitur ab entitate alterius. Sed contra. Nam in denominatione instauratur similiter argumentum. Probo sic. Illa denominatio prout talis, aliquid divinum est : sed prout denominatio est, negatur realiter de vno, & affirmatur realiter de alio : ergo prout quid divinum est, negatur realiter de vno : ac per consequens realiter ab illo distinguitur.

97 Respondent secundò. Vnum negari de alio realiter quoad entitatem, & quoad denominationem ; verùm non ideò negatur realiter aliquid divinum ; sed aliquid chymæricum : quia illa entitas, & denominatio, prout correspondens illi extremo de quo negatur, est impossibilis. Sed contra. Nam, vel illud, quod quia impossibile, negatur de vno, est impossibile respectu vtriusque, vel est possibile respectu vnius, & impossibile respectu alterius. Si primum : ergo vtrumque conveniet in negatione, quin de vno valeat affirmari, & de altero negari. Si secundum : ergo id, quod est possibile identicè quoad entitatem, & denominationem respectu vnius, est impossibile eodem ipsissimo modo respectu alterius, ac proindè id, quod cum vno realiter identificatur, ab altero realiter distinguitur : quo fiet, vt vnum absolutum distinguatur realiter ab altero absoluto, quod negant.

98 Respondent tertiò. Non esse confundendam distinctionem virtualem *puram* cum *non pura*, seu *mixta* ; sed aliter, & aliter pro conditione cuiusvis esse intelligendas denominationes, & prædicata opposita, quæ de identificatis realiter verificantur. In his enim, quæ virtualiter distinguntur, cum distinctione reali in tertio ; v. g. essentia, & Paterni-

nitas, id quòd realiter affirmatur de essentia, scilicèt *esse Filiationem*, negatur realiter de Paternitate, quę realiter distinguitur à Filiatione, quin aliquid distinctum virtualiter, negetur realiter. In alijs verò, quæ distinguntur purè virtualiter: v.g. *Scientia necessaria, & contingens*: aut *intellectus, & voluntas*, id, quod affirmatur de vno in sensu reali, non negatur de alio in sensu reali; sed in sensu purè virtuali, nempè *deficere, & non deficere*: *existere contingenter* : *& non existere contingenter*: *intelligere, & non intelligere*: vndè constat, distinctionem virtualem prout præcisè distinctio virtualis, nunquam facere, quod id, quod convenit vni realiter, alteri realiter non conveniat: qua ratione vnum realiter ab altero distingueretur; sed duntaxat, quod id, quod convenit vni virtualiter alteri virtualiter non conveniat, quod est præcisè distingui virtualiter, & sine distinctione vlla actuali habere in se virtutem distinctionis.

99 Sed contra multipliciter. Primo. Ergo in his, quæ distinguntur *non purè* virtualiter tantùm, negatur realiter de subiecto id, quod realiter distinguitur ab illo: sed capacitas tàm quoad entitatem, quàm quoad denominationem, quæ est in essentia divina, vt sit realiter Filiatio, non distinguitur realiter à Paternitate: cum sit quid pertinens ad ipsam essentiam, prout distinctam virtualiter à Filiatione: ergo capacitas tàm quoad entitatem, quàm quoad denominationem, quæ est in essentia divina, vt sit realiter Filiatio, non negatur realiter de Paternitate: ac per consequens Paternitas realiter est capax, vt sit realiter *Filiatio*; cum aliunde ex reali distinctione, quam habet à Filiatione, sit realiter incapax, vt sit realiter Filiatio. Secundò. Ergo distinctio virtualis non est æquivalentia distinctionis realis. Assumptum probo: Id non est æquivalens alteri, quod non valet tantum, quantum aliud, quoad aliquid proprium illius: sed distinctio virtualis ex doctrina data, non valet tantum, quantum valet distinctio realis, quoad aliquid huius proprium: ergo distinctio virtualis non est æquivalens distinctioni reali. Min. prob. Proprium distinctionis realis est capacitas ad oppositа in sensu reali, seu ad affirmationem, & negationem eiusdem prædicati in sensu reali: sed præcisè distinctio virtualis, vt distinctio virtualis est, tantum est capacitas ad affirmationem, & negationem eiusdem prædicati in sensu virtuali: ergo distinctio virtualis ex doctrina data, non valet tantum, quantum valet distinctio realis, quoad aliquid proprium ipsius.

100 Tertiò: ergo ea, quæ distinguntur virtualiter inter se, tàm possunt inter se absolutè vnum de alio negari, quàm negatur illud, in quo disconveniunt; ac proindè, tàm poterit dici: *Voluntas divina non est intellectus divinus*, ex suppositione, quod virtualiter distinguantur, quàm: *Voluntas divina non intelligit; & intellectus divinus non amat*. Illationem probo. Ideo potest negari absolutè illud, in quo disconveniunt, quia virtualiter tantum non est aliud, de quo negatur: sed ea, quæ distinguntur virtualiter, taliter se comparant, vt vnum non sit virtùaliter aliud: ergo tàm possunt inter se negari absolutè, quàm negatur absolutè aliud, in quo disconveniunt. Inde ab oppositо: magis distinguitur illud, quod absolutè quoad esse negatur de subiecto: quàm illud, quod tantùm restrictè, & cum addito *virtualiter* negatur quoad *esse* de subiecto: sed ea, quæ distinguntur virtualiter restrictè, & cum addito *virtualiter*, negantur quoad esse inter se mutuo, & id, in quo disconveniunt, absolutè quoad esse negatur de subiecto, cui non convenit: ergo magis distinguntur quoad ea, in quibus non conveniunt, quàm distinguntur inter se. At distinctio maior distinctione virtuali est distinctio realis: ergo illud, in quo disconveniunt, distinguitur realiter ab illo subiecto, de quo negatur.

101 Quartò. Ergo distincta virtualiter, habent interse disconvenientiam prædicatorum sine termino. Sequella probatur. Distingui virtualiter, est distingui realiter æquivalenter quoad munus suscipiendi prædicata oppositа, ita vt quod affirmatur de vno, negetur de alio: ergo si id, quod negatur, præcisè negatur in sensu virtuali, id quod negatur, & subiectum de quo negatur, erunt distincta æquivalenter realiter, quoad munus suscipiendi prædicata oppositа, ita vt quod affirmatur de vno, negetur de alio. Iam sic: vel negatur in sensu reali, vel in sensu tantùm virtuali? Si in sensu reali: en distinctionem virtùalem, vltimò refussam in sensum realem; quod negas. Si propterea

in

in ſenſu virtuali: redit argumentum de hoc vltimò, quod negatur in ſenſu virtuali, id eſt, in ſenſu æquiualenter reali, quoad munus ſuſcipiendi prædicata oppoſita, ita vt, quod affirmatur de vno negetur de alio, de quo modo negandi idem, quod de primo: ergo ſi in diſtinctione virtuali non admittatur ſenſus realis, vt non admittitur, iuxta ſolutionem datam, deveniendum eſt ad diſconvenientiam prædicatorum in infinitum; quo reditur diſtinctio virtualis, aut inexplicabilis, aut minus ſeria.

102 Reſpondet quartò P. Herrera ſect. 3. Adhùc in his, quæ diſtinguntur purè virtualiter, licèt id quod affirmatur de vno in ſenſu reali, negetur de alio, non propterea id, quod negatur de ſubiecto, diſtingui realiter ab illo: quod explicat, ſupponendo: intellectum, & voluntatem divinam diſtingui virtualiter, in vno caſu de intellectu divino verificatur: *realiter intelligere*, ſeu *eſſe intelligentem*; & de voluntate: *non intelligere realiter*, aut *non eſſe realiter intelligentem*, & dicit: hoc prædicatum: *intelligit*, ſivè *intelligens*, ſumptum in concreto, & prout ſubiecto convenit quoad denominationem, duo dicere: vnum reale; & aliud virtuale: dicit enim intellectum divinum, & inſuper addit identitatem virtualem cum ipſo intellectu divino: qua propter, *divinum intellectum intelligere* duas identitates dicit huius ſubiecti *intellectus* cum hoc prædicato *intelligens*: nempè, & identitatem realem, qua verè, & realiter identificatur cum prædicato *intelligens*, & identitatem virtualem cum illo: hoc eſt, non per inde ſe habere, ac ſi diſtingueretur ab eo; ideò quando dicitur: *Intellectus verè, & realiter, & non ſolùm virtualiter intelligere*, ly *realiter*, & *verè* cadit ſupra conſtitutiva intelligendi eo modo quo conſtitutiva intelligendi ſunt. Cumque *intelligere quoad denominationem* conſtituatur per identitatem realem, & virtualem cum intellectu divino, inde fit; quòd *realiter intelligere* ſit, quod divinus intellectus identificetur realiter, & virtualiter cum *intelligere*, taliter, vt ly *realiter* modificetur intra capacitatem, & naturam terminorum, ſupra quos cadit.

103 Quod, inquit, explicari ex communi modo loquendi, quo affirmamus: *ens præteritum, verè phyſicè, & realiter eſſe præteritum*, quamvis non omnia conſtitutiva entis præteriti verè, & realiter ſint; cum potiùs ipſum ens præteritum non ſit modò; ſed fuerit. Quod quidem non obſtat, quominus ea propoſitio vera ſit: quia ly *verè*, & *realiter* ſolùm affirmat eſſe rem, qua ratione ſignificatur, attenta prædicati limitatione: quare cum ex vi illius prædicati *præteritum* non ſignificetur res eſſe defacto, & de præſenti exiſtens; ſed fuiſſe: ideò, qui affirmat, rem verè, & realiter præteritam eſſe, ſolùm affirmat, rem verè, & realiter, & abſque vlla improprietate extitiſſe. Quod etiam explicari poteſt in hoc modo loquendi: *Hic homo vere, & realiter eſt mortuus, aut verè, & realiter deficit*: qua ſimili ratione in caſu quæſtionis; qui affirmat: *Intellectum divinum verè, & realiter intelligere*, ſolùm affirmat: *Intellectum divinum verè, & realiter identificari cum intelligere realiter, & virtualiter*: quia ly *realiter* affirmat prædicatum, iuxta propriam naturam, & capacitatem.

104 Ex qua doctrina procedit: & infert: propoſitionem negativam, qua de voluntate realiter identificata cum intellectu dicitur: *Voluntas non intelligit*, poſſe, & de facto eſſe veram, quin deſit aliqua identitas realis inter *intelligere*, & *voluntatem* ex eo tantùm, quod deficiat identitas virtualis: nam vt deficiat aliquid, ſufficit, quod deficiat aliquod eius conſtitutivum eo modo, quo conſtitutivum illius eſt: ſed, vt voluntas intelligeret, opus erat non ſolùm identitate reali cum *intelligere*; ſed etiam identitate virtuali: ergo quamvis inter *intelligere*, & *voluntatem* non deficiat identitas realis; ſed duntaxat virtualis, deficiet, quod *voluntas intelligat*. Vltrà ſub infert: eum, qui negat: *voluntatem intelligere*, non negare exiſtentiam realem alicuius realis; ſed ſolùm virtualitatem quandam, nempè identitatem virtualem; quod eſt idem ac dicere per propoſitionem negantem: *voluntatem intelligere*, non negari *intelligere* de voluntate in ſenſu reali; ſed ſolùm virtuali: ac per conſequens eſſe idem, ac dicere: *Voluntas, & ſi realiter identificetur* cum *intelligere*, per inde ſe habet in ordine ad hanc denominationem, ac ſi non identificaretur. Propoſui ad verbum ſolutionem mei ſapientiſsimi, & graviſsimi Magiſtri; tum, vt nihil deficiat formalitati, & acumini, quo ab ipſo traditur; tum, vt ex ipſa conſtet; quàm inquieta mente ſit propoſita, vt oſtendit diffuſa, & inculcata

ex-

explicatio, quæ post multa sistit in negatione prædicati de subiecto purè virtualiter, quod brevius dici poterat, si animus non esset salvare in sensu reali affirmationem, & negationem.

105 Igitur, incipiendo ab vltimò, in quo sistit solutio, consequentiam non video ad doctrinam præmissam. Ratio est: nam per te *intelligere in sensu reali*, duo dicit, scilicèt: identitatem realem, & virtualem prædicati *intelligere* cum subiecto, de quo affirmatur: ergo deficiente identitate virtuali, deficit *intelligere* in sensu reali: sicut deficienti *extitisse*, deficit præteritum verè, & realiter: sed in voluntate deficit per te identitas virtualis: ergo in voluntate deficit *intelligere* verè, & realiter: sed in voluntate deficere intelligere verè, & realiter est voluntatem verè, & realiter non intelligere: ergo falsum est, quod quando negatur de voluntate *intelligere*, non negatur in sensu reali: vrgetur. Eo modo, quo verè affirmatur, *intelligere realiter, deficere in voluntate*, verè etiam in sensu reali negatur *intelligere* de voluntate: sed per te verè affirmatur in sensu reali deficere *intelligere* in voluntate: quia deficit vnum è constitutivis intelligendi realiter, quod est identitas virtualis prædicati *intelligere* de subiecto: ergo verè negatur in sensu reali *intelligere* de voluntate, ac per consequens, vel non est formidandum concedere: *Voluntatem in sensu reali non intelligere*, vel negandum; *intelligere* in sensu reali constitui per identitatem realem, & virtualem prædicati *intelligere* cum subiecto, de quo affirmatur.

106 Confirmo, & explico. Aut de voluntate affirmatur verè *tàm realiter intelligere, quàm intelligit intellectus*, vel negatur verè: *tàm realiter intelligere, quàm intelligit intellectus*? Si primum. Vbinam illa constitutio *intelligendi realiter* ex identitate reali, & virtuali prædicati cum subiecto, tanquam ex constitutivo adæquato; cum in voluntate deficiat identitas virtualis cum prædicato *intelligere*, & tàm virtualiter intelligat, quàm non intelligit intellectus. Si secundum: ergo verum est; voluntatem non tàm realiter intelligere, quàm intelligit intellectus: sed eo modo, quo non tam realiter intelligit, deficit *intelligere* in sensu reali: ergo aliquomodo *intelligere* negatur de voluntate in sensu reali. Iam si ita sit, procedo. Eo modo, quo *intelligere* non est realiter in voluntate, distinguitur realiter ab illa: sed eo modo, quo non est realiter in voluntate, est realiter identicè in intellectu: ergo eo modo, quo *intelligere* est realiter identicè in intellectu, distinguitur realiter à voluntate; transmutabiturque distinctio, quam propugnas virtualem, in distinctionem realem.

107 Displicet etiam solutionis substantia. Nam sivè prædicatum *intelligere* negetur in sensu reali, sivè in sensu virtuali, id totum refunditur in defectum identitatis virtualis prædicati cum subiecto, ex quo in ipsa virtuali identitate, quæ deficit, instauratur argumentum sub hac forma. Implicat deficere aliquid, sivè reale sit, sivè virtuale, quando existunt realiter, & verè omnia constitutiva illius, sivè vt realis, sivè vt virtualis, & si placet propter connotantes, quandò existunt realiter, & verè omnia constitutiva essentialiter requisita ad ipsum, sivè vt reale, sivè vt virtuale: sed illius identitatis virtualis prædicati *intelligere*, quæ deficere dicitur in voluntate, existunt verè, & realiter omnia constitutiva in voluntate, nullo deficiente connotato essentialiter requisito: ergo implicat deficere identitatem virtualem prædicati *intelligere*, cum voluntate. Probatur minor. Omnia illa, vt requirentia, quæ sibi necessaria sunt, existunt verè, & realiter identicè in intellectu: sed omnia, quæ existunt verè, & realiter identicè in intellectu, existunt verè, & realiter identicè in voluntate; aliàs ab aliquo, quod verè, & realiter est intellectus, verè, & realiter distingueretur voluntas: ergo illius identitatis virtualis prædicati *intelligere*, quæ deficere dicitur in voluntate, existunt verè, & realiter in voluntate omnia constitutiva cum connotatis, per se necessario requisita ad illa:

108 Confirmatur. Per te, dum negatur *intelligere* de voluntate, non negatur *intelligere* Chymæricum; sed intelligere verum, & possibile, quod intellectui convenit: ergo dum negatur identitas virtualis talis prædicati cum voluntate, non negatur identitas virtualis chymærica; sed identitas virtualis vera, & possibilis, quę intellectui convenit: sed omne, quod intellectui verè identicè convenit secundùm omnia sua constitutiva, verè identice est in voluntate: ergo identitas virtualis prædicati *intelligere*,

gere, quę intellectui verè, & realiter identicè convenit, verè, & realiter ſecundùm omnia ſua conſtitutiva, identicè exiſtit in voluntate.

109 Reſpondebis: identitatem virtualem, quæ exiſtit in intellectu, exiſtere in voluntate realiter identicè; at non exiſtere virtualiter identicè: quia per indè ſe habet exiſtens realiter identicè in voluntate, ac ſi taliter non exiſteret, quoad munus denominandi voluntatem intelligentem. Contra tamen eſt. Primò. Omne illud, quod ſecundùm propriam naturam realiter convenit ſubiecto, realiter ſecundùm propriam naturam poteſt affirmari de ſubiecto: ſed per te *virtualiter intelligere* ſecundùm propriam naturam, id eſt, vt virtualiter intelligere eſt, realiter convenit voluntati: ergo *virtualiter intelligere* ſecundùm propriam naturam, & prout virtualiter intelligere eſt, poterit realiter affirmari de voluntate: ſed poſſe affirmari de voluntate *realiter virtualiter intelligere*, eſt poſſe affirmari de voluntate, *eſſe intelligentem*: ergo non tantùm de intellectu, ſed de voluntate poterit, & debet affirmari eſſe intelligentem; quo deficit omninò tua virtualis diſtinctio. Vltima minor probatur. Non ob aliam rationem, per te, de intellectu poteſt affirmari *eſſe intelligentem*, niſi quia de ipſo poteſt affirmari *realiter virtualiter intelligere*: ergo ſi de voluntate poſsit affirmari *realiter virtualiter intelligere*, poterit etiam affirmari *eſſe intelligentem*.

110 Contra ſecundò. De ipſa virtuali identitate, vt non modo realiter, ſed vt virtualiter exiſtente, redit argumentum: ſiquidem de ipſa, vt virtualiter exiſtente, dantur in voluntate omnia conſtitutiva realiter identicè cum omnibus ſibi neceſſarijs, & per ſe requiſitis: cum hæc omnia exiſtant realiter identicè in intellectu, à quo realiter non diſtinguitur voluntas: ergo non tantùm exiſtit realiter identicè in voluntate virtualis identitas prædicati *intelligere*; ſed virtualis identitas eo modo, quo eſt, & vt virtualiter exiſtens. Quid ergo erit, mirabilem hanc identitatem virtualem, in qua mirabiliùs ſubdiſtinguitur: *Exiſtere præciſè realiter, & exiſtere realiter virtualiter*, dari in voluntate virtualiter, & modo apto, vt ipſam denominet intelligentem, ſi non ſufficiat dari in voluntate realiter identicè omnia conſtitutiva talis identitatis virtualis, prout exiſtentis realiter, & prout virtualiter exiſtentis?

111 Forſan intendet aliquis ex doctrina prædicti Authoris, his quæ circa conſtitutionem actuum Dei liberorum, tract. de volunt. tradidit, vbi per defectum, & exiſtentiam virtualitatum nodum difficilè illius quæſtionis conatur ſolvere, deducere, & reſpondere pro præſenti: virtualitatem illam intelligendi, quæ voluntati non convenit realiter, non convenire voluntati, nec cum illa identificari; at non ideò diſtingui ab illa realiter, aut negari de ipſa in ſenſu reali. Ratio eſt: quia diſtinctio eſt pro modo extremorum, inter quæ datur: cumque illud, quod non eſt voluntas, non ſit realitas, ſed virtualitas ex ſua natura: ideò nec diſtinguitur realiter à voluntate, nec negatur ab ipſa in ſenſu reali. Cœterùm hæc cogitatio aliena omninò cenſenda eſt à mente Sapientiſ. Magiſtri, quamuis explicatio rei difficilis videatur præbere ad ipſam aliquam occaſionem. Impugnatur facilè: tum quia intellecta hoc modo virtualitate, eſſet concedere in divinis quoad abſoluta: *Vnum non eſſe aliud ſimpliciter ante operationem intellectus*, ſcilicet: virtualitatem illam realiter identificatam cum intellectu non eſſe ſimpliciter antè operationem intellectus voluntatem realiter identificatam cum intellectu: tum quia diſtingui realiter, vt iam monuimus ſupra, non ſumitur materialiter penes conditionem extremorum; ſed penes id, quod vnum non ſit aliud ante operationem intellectus: aliàs res non diſtingueretur realiter à modo; v. g. à præſentia; ſed modaliter pro conditione modi, nec intellectus identificaretur realiter cum *virtualiter intelligere*; ſed tantùm virtualiter pro conditione virtualitatis: Tùm demùm: quia conditio extremorum, quorum vnum ante operationem intellectus non eſt aliud, ad ſummum petit, quod diſtinctio realis contrahatur ad ſpeciem extremorum, & ab ipſis denominetur iam realis modalis, ſi ſit inter duos modos, iam diſtinctio realis negativa, ſi ſit inter duos defectus rerum poſitivarum, iam diſtinctio realis virtualis, ſi detur inter duas virtualitates.

112 Reſpondent alij quartò. Id quod affirmatur de vno, ſivè quoad entitatem, ſivè quoad denominationem, non negari de alio à quo virtuali-

ter

ter distinguitur, nec quoad entitatem, nec quoad denominationem *absolutè*, sed tantùm *respectivè*, id est, provt dicit respectum denominandi ipsum; v. g. in distinctis non purè virtualiter, vt *Essentia, & Paternitas* capacitatem ad se communicandum Filiationi, & *communicari*, quod datur in Essentia quoad entitatem, & denominationem non negari de Paternitate, neque quoad entitatem, neque quoad denominationem *absolutè*, in quantùm denotet, illam entitatem, & denominationem non posse dici, & prædicari de Paternitate, sed *respectivè*, in quantum illa entitas, & denominatio non est respectiva ad Paternitatem, sed ad essentiam; & in distinctis purè virtualiter, vt sunt apud plures intellectus Dei, & voluntas capacitatem intelligendi, & intelligere, quæ affirmantur de intellectu quoad entitatem, & denominationem, non negari de voluntate, neque quoad entitatem, nequè quoad denominationem *absolutè*, in quantum denotet, illam entitatem, & denominationem non posse dici, & prædicari de voluntate; sed *respectivè* in quantum illa entitas, & denominatio non est respectiva ad voluntatem, cum sit respectiva ad intellectum.

113 Sed contra. Quia in illo esse respectivo redit argumentum: aut enim illud, quod affirmatur de essentia, aut de intellectu respectivè, affirmatur similiter de Paternitate, & voluntate, aut negatur? Si affirmatur: ergo inter ea, inter quæ dicunt, dari distinctionem virtualem, destruunt per explicationem distinctionem virtualem. Patet: tunc destruitur inter formalitates realiter identificatas distinctio virtualis, quandò inter ipsas ponitur summa convenientia prædicatorum: sed quando omne, quod affirmatur de vna, affirmatur de alia, datur summa prædicatorum convenientia: ergo si quod affirmatur de vna tàm absolutè, quàm respectivè, affirmatur de alia, destruitur inter ipsas virtualis distinctio. Si negatur. Rogo: an sit in sensu reali: vel in sensu virtuali? Si in sensu reali: non vitatur realis distinctio inter id, quod affirmatur, & subiectum de quo negatur. Si in sensu virtuali: instauratur argumentum in ipsa virtualitate, rursus rogando: an negetur in sensu reali: an in sensu virtuali? Et tunc pro quovis extremo applicandæ erunt impugnationes traditæ pro alijs solutionibus.

114 Respondent sextò Quiros, & Perez supra citati. Per hæc benè impugnari distinctionem virtualem *puram*, quam propterea negant, vt impossibilem; cæterum non ostendi repugnantiam distinctionis virtualis *non puræ*, seu admixtæ distinctioni reali, in qua benè, & sine vllo inconvenienti percipitur sensus realis affirmationis, & negationis prædicatorum, in quibus identificata realiter, disconveniunt. Quod quisque explicare intendit statuendo regulas pro dignoscendo sensu, quem redunt propositiones iam affirmantes prædicatum in abstracto de subiecto, iam in concreto; in cassum tamèn., sivè velint absolutè minuere difficultatem distinctionis virtualis per recursum ad distinctionem realem, sivè ex capite propositionum, quæ formari possunt erga prædicata opposita convenientia rebus virtualiter distinctis: vtrumque enim fallit. Primum: quia distinctio realis in tertio est nova difficultas superaddita distinctioni virtuali, ex qua reduntur prædicationes, & obiectivæ veritates ipsis correspondentes magis oppositæ, & identificata realiter minus communicantia in esse. Secundum: quia vitare non possunt difficultatem, quam devorare nolunt in distinctione *purè* virtuali. Ratio est clara ex eo, quod licèt vnum prædicatum, quod affirmatur realiter de subiecto, sit realiter distinctũ ab altero, de quo realiter negatur; v. g. prædicatum Filiationis, quod affirmatur de essentia identicè realiter, & negatur de Paternitate cum distinctione reali; at dantur alia prædicata inde illata, quæ negantur de subiecto absque distinctione reali: scilicèt *capacitas ad identitatem realem cum Filiatione, & determinatio ad talem identitatem*, quę realiter affirmantur de essentia comparativè ad Filiationem; & negantur de *Paternitate*. Dicant ergo, quo sensu: reali nè an virtuali negentur de Paternitate? Et ecce iam difficultatem ipsam distinctionis purè virtualis, quam refugere conabantur.

115 Impugno quintò. Implicat sine distinctione reali æquivalentia ad

distinctionem realem in eo, quod formalissimè est distingui realiter. Sed distinctio intrinseca virtualis sine distinctione reali eorum, quæ distinguntur virtualiter, æquivalet distinctioni reali in eo, quod formalissimè est distingui realiter: ergo implicat. Discursus legitimus est, & mai. certa: tum quia non datur æquivalentia sub eadem ratione formali: tum quia ex terminis contradictionem dicit, esse æquivalentiam sine distinctione reali, & continere rationem formalem distinctionis realis. Prob. min. Distinctio virtualis sine distinctione reali inter ea, quæ distinguit, æquivalet distinctioni reali in munere, videlicèt: quod *esse reale vnius non conveniat alteri*: sed esse reale vnius non convenire alteri, est formalissimè distingui realiter: ergo distinctio intrinseca virtualis sine distinctione reali eorum, quæ distinguntur virtualiter, æquivalet distinctioni reali in eo quod formalissimè est distingui realiter. mai. videtur certa: cum per distinctionem virtualem, *esse* quod identicè convenit vni, negetur verè de alio, & eo modo, quo verè negatur, ei non conveniat. Prob. min. esse reale vnius non convenire alteri plusquàm virtualiter, est formalissimè distingui realiter: sed per distinctionem virtualem, esse quod convenit vni, non convenit alteri plusquàm virtualiter: aliàs, vt iam suprà diximus, distinctio virtualis non æquivaleret distinctioni reali, quoad munus proprium distinctionis realis, cui non competit facere vnum disconvenire alteri virtualiter: ergo esse reale vnius non convenire alteri, quomodo non convenit per distinctionem virtualem, est formalissimè distingui realiter.

116 Impugno sextò. Distinctio virtualis, qualiscumque sit, id est *pura*, aut *non pura* æquivalet impossibili, vt tali, quoàd munus suscipiendi prædicata ex se opposita: sed id, quod æquivalet impossibili, vt tali, impossibile est: ergo distinctio virtualis, qualiscumque sit, impossibilis est. Prob. mai. impossibile, vt tale suscipit prædicata ex se opposita, illa componendo in eodem esse reali: sed distinctio virtualis suscipit prædicata ex se opposita, illa componendo in eodem esse reali: ergo distinctio virtualis qualiscumque sit, æquivalet impossibili, vt tali, quoad munus suscipiendi prædicata ex se opposita.

117 Nec dicas primò. Impossibile componere prædicata ex se opposita cum implicatione, id est, conservando repugnantiam in ipsa compositione. Tum: quia impossibile ideò componit prædicata ex se opposita cum implicatione, & conservando repugnantiam in ipsa compositione, quia illa componit in eodem esse reali: sed etiam distinctio virtualis illa componit in eodem esse reali: ergo non minus, quam impossibile componit opposita cum repugnantia. Explicatur: impossibile componere in eodem esse reali prædicata ex se opposita cum repugnantia, est componere in eodem esse reali: *Esse quod excludat, & relinquat non esse; & non esse, quod excludat, & relinquat esse.* sed distinctio virtualis in eodem esse reali componit *esse, quod excludat, & relinquat non esse; & non esse*, quod excludat, & relinquat *esse*: cum componat in eodem esse reali essentiæ, & relationis *communicari*, quod excludat, & relinquat *non communicari*; *& non communicari*, quod excludat, & relinquat *communicari*: & in eodem esse reali intellectus, & voluntatis *intelligere* quod excludat, & relinquat *non intelligere*; sicut & *non intelligere*, quod excludat, & relinquat *intelligere*: ergo non minus distinctio virtualis, quàm impossibile componit ex se opposita cum repugnantia.

118 Nec dicas secundò. Impossibile componere prædicata ex se opposita in eodem esse reali, & virtuali; non sic distinctionem virtualem. Quia eodem modo persistit difficultas: etenim in tantum distinctio virtualis componit ex se opposita in eodem esse reali, non virtuali: quia componit prædicata ex se opposita in eodem esse reali, taliter, vt *non esse* excludat, & relinquat *esse*, & *esse* excludat, & relinquat *non esse*: sed etiam impossibile includit prædicata ex se opposita, taliter, vt in eodem esse reali, *non esse* excludat, & relinquat *esse*; & *esse* excludat, & relinquat *non esse*: ergo vel impossibile non includit in eodem esse reali, & virtuali prædicata ex se opposita; vel distinctio virtualis includit prædicata ex se opposita in eodem esse reali, & virtuali. Nec dicas tertiò. Impossibile includere prædicata ex se opposita respectu eiusdem formalitatis; quia vbi eadem realitas est diversitas formali-

litatum ; non conducit pro infringenda repugnantia oppositorum : quare impertinens quid erit eam considerare pro distinctione virtuali.

119 Impugno septimò. Non minus opponitur cum distinctione reali convenientia in prædicatis ; quàm cum identitate reali disconvenientia in ipsis : sed propter primum repugnat distinctio realis, quæ sit identitas virtualis : ergo propter secundum repugnat identitas realis, quæ sit distinctio virtualis quoad disconvenientiam prædicatorum. Confirmatur. Tàm specificativum est identitatis realis convenientia in prædicatis ; quàm distinctionis realis disconvenientia in ipsis : ergo si propterea non potest esse distinctio realis cum identitate virtuali ; eo modo nequibit esse, & componi identitas realis cum distinctione virtuali. Nec moveat, quod in divinis est realis identitas cum reali distinctione, & realis distinctio cum reali identitate: ergo si maior distinctio, qualis est realis, comparativè ad virtualem, componi potest cum identitate reali, minor distinctio, vt est virtualis comparativè ad realem, poterit componi cum identitate reali. Non inquàm movet: vel quia, vt probavimus, distinctio virtualis tantùm quoad voces, est minor distinctione reali ; vel quia in exemplo appositio, quæ distinguntur eo modo, quo distinguntur, non identificantur : nec eo modo, quo identificantur, distinguntur ; at in distinctis virtualiter quæ identificantur eo modo, quo identificantur, distinguntur virtualiter.

120 Responderi potest : disparitatem esse inter identitatem virtualem, & virtualem distinctionem, quod identitas virtualis est summa convenientia in esse, quæ cum distinctione reali, in qua est disconvenientia realis in esse ex terminis nequit componi ; ast identitas realis non est summa convenientia in *esse*, & ideò cum aliqua disconvenientia ex distinctione virtuali provenienti est componibilis. Sed contra. Quia sicut distinctio virtualis est virtus distinctionis realis talis, quæ possit suscipere magis, & minus, sic identitas virtualis debet esse virtus identitatis realis, quæ possit suscipere magis, & minus: ergo aut distinctio realis eo modo quo distinctio realis est, poterit componi cum identitate virtuali ; aut identitas realis eo modo, quo identitas realis est, non esset componibilis cum distinctione virtuali. Insisto. Non est possibilis virtus identitatis realis quoad convenientiam in prædicatis sine identitate reali : ergo neque est possibilis virtus distinctionis realis quoad disconvenientiam in prædicatis absque distinctione reali. Probo consequentiam. Non minus essentialis est convenientiæ in prædicatis realis identitas, quàm disconvenientiæ realis distinctio : ergo si non est possibilis virtus identitatis realis quoad convenientiam in prædicatis sine identitate reali, neque est possibilis virtus distinctionis realis quoad disconvenientiam in prædicatis absque distinctione reali.

121 Impugno octavò, ex invtilitate prædictę distinctionis ad temperandas difficultates, quæ in divinis Mysterijs occurrunt. Ratio est: Nam difficultas, quæ occurrere potest in divinis tàm inter absolutum, & absolutum; quàm inter absolutum, & relativum, & cui leniendæ applicatur virtualis distinctio, stat in eò, quod rebus realiter identificatis conveniant sine implicatione, & repugnantia prædicata ex se opposita : sed pro hac difficultate solvenda invtilis est virtualis distinctio: ergo invtilis est ad explicandas difficultates, quæ in divinis Mysterijs occurrunt. Prob. min. Distinctio virtualis formaliter est eadem difficultas, cuius queritur solutio, & explicatio : ergo ad difficultatem Mysterij explicandam est invtilis. Prob. antecedens. Distinctio virtualis formaliter est *capacitas inter realiter identificata ad suscipienda prædicata ex se contradictoria sine contradictione* : sed hæc est ipsissima difficultas, cuius explicatio desideratur: scilicèt, quomodo duo realiter identificata, possint habere capacitatem suscipiendi prædicata ex se opposita? Ergo distinctio virtualis formaliter est eadem difficultas, cuius expetitur solutio, aut explicatio.

122 Hæc generaliter proposita satis suadere intendunt, distinctionem virtualem intrinsecam *puram* ; aut *non puram* non modò respectivè ad Deum, vbi speciales difficultates involuit ; sed ex conceptu suo esse repugnantem, quod si ita sit, vt ostendere conati sumus, per consequens manet excluſa à

prædicatis creatis, quin opus ſit ſpeciali impugnatione pro ipſa abſolutè releganda. De qua iure dixit inſignis Theologus Iacobus Granado in 1. p. diſp. 5. ſect. 3. poſtquàm propoſuiſſet eſſe de mente Cardinalis Cayetani, & Noſtri Molinæ, *ſibi valdè difficilem eſſe, nec animum in illa quieſcere potuiſſe.*

123 Pro diſtinctione virtuali intrinſeca tàm in divinis, quàm in creatis, multa addūt Lynce ab authoritate, & ratione, quę ſi benè conſiderentur, eadem ſunt, quæ proponunt Scotiſtæ in favorem ſuæ diſtinctionis: neque aliud verè probant, niſi, quod inter identificata poſſunt dari denominationes reſpectivæ, ſeu quæ conveniunt entitati, non abſolutè; ſed reſpectivè, quæ, vt vidimus per rationem, & exempla poſſunt componi cum ſumma convenientia in prædicatis, ac proindè ſine vlla diſtinctione virtuali intrinſeca. Tamen reſtant difficultates graviſsimę, ſi quę ſunt in Theologia: vna, quomodo ſine diſtinctione virtuali poſsint componi in Deo actus contingentes intellectus, & voluntatis: altera: quomodo etiam abſque tali diſtinctione virtuali expediri queat difficultas Myſterij profundiſsimi Trinitatis: id eſt, diſtinctio realis Perſonarum in identitate vnius eſſentiæ? Quibus, & ſi doctrina iam data ſit communis, per longius examen ſatisfacere debemus: ideò ſolutionem ipſarum vſque ad ſequentem diſputationem differimus.

CAPVT V.

Vtrùm Scientia divina, ſivè quoad ſuos actus ſivè à Dei eſſentia diſtinguatur per rationem? Vbi obviter: quomodo divina attributa diſtinguantur mutuò, & ab eſſentia per intellectus operationem.

124 SCIENTIAM, & generatim omnia divina attributa nec mutuò, nec ab eſſentia Dei diſtingui adhuc per rationem, ſenſit Aureolus in in 1. diſt. 8. maximè art. 6. Quod idem tenuit Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 8. q. 2. art. 1. & 2. moti, quia intellectus non habet vim diſtinguendi ea, quæ ante illius operationem diſtincta non ſunt; cum munus illius tantum ſit res percipere, vt ſunt, non verò eas immutare: vnde cum omnia attributa Dei vnum ſint in ipſo, non poterit intellectus ea efficere plura, quomodo neceſſarium erat, vt ab ipſo diſtinguerentur. Ita apud Granado 1. p. diſp. 6. de eſſentia, & attributis num. 1. & 2. Contraria ſententia eſt reliquorum omnium Theologorum cum D. Thoma q. 13. 1. part. art. 4. & in 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. ibidem Durandus q. 3. Cayetan. de ente, & eſſentia cap. 6. ſequuntur Doct. Eximius Suarius lib. 1. de Eſſentia Dei cap. 13. Molina 1. p. q. 28. art. 2. diſp. 2. art. 2. Vazq. 1. p. diſp. 116. cap. 7. cum quibus RR. apud eundem Granadum iam citatum.

125 Standum eſt huic communi, & veræ ſententiæ, à qua breviſsimè me expediam: ante cuius probationem notare oportet, duplicem eſſe diſtinctionem rationis: vnam, quam vocant *rationis, ratiocinantis*; alteram *rationis ratiocinatæ*, ſeu cum fundamento in re. Diſtinctio rationis ratiocinantis eſt, quæ provenit rei ex eo, quod per nomina ſynonima explicetur; v. g. *Veſtis indumentum amictus*, aut per conceptus ſe excedentes penes claritatem; v. g. *Homo*, & *Animal rationale*. Diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu cum fundamento in re eſt, quæ provenit rei ex eo, quod pluribus definitionibus explicetur pro meritis ipſius rei, in quantum non eſt præcisè realiter vnum definibile, vt *Animal hominis*, quod in re non eſt præcisè realiter vnum definibile per definitionem *vivens ſenſibile*; ſed rationale, etiam diverſa definitione explicabile per conceptum *Principium diſcurſus*, quæ quidem non convenit alteri niſi modo reſpectivo ad talem rationem obiectivam. Diximus *diverſa definitione*, non ſenſu ſignificante; aut prædicata vnius definitionis non eſſe realiter prædicata alterius: aut definitionem, quæ vni convenit, non convenire alteri; ſed præcisè denotando, vnam definitionem non eſſe præcisè realiter id, quod in tali definitione ponitur: & inſuper rem non poſſe rectè definiri per vnam ex illis definitionibus niſi ſub reduplicatione ipſius ad aliquem modum obiectivum eſſendi, quod ex dictis ſupra cap. 3. innoteſcit.

126 Di-

126 Dicitur hæc distinctio *cum fundamento in re*: non quia adæquatum fundamentum distinctionis se teneat ex parte rei: aliàs respectu cuiusvis intellectus eodem modo se haberet, quod falsum est: cum divinus intellectus, imò intellectus Beatorum, vt plures iudicant, ea, quæ identificantur, non distinguat, sed quatenùs non esse præcisè realiter aliquid definibile, est aliquod fundamentum, vt intellectus non cognoscens per species proprias id, quod est vnum realiter, aliquomodo plurificat. Dicitur distinctio *communiter*: quia est *forma vi cuius quæ realiter sunt vnum, apparent intellectui, vt plura*: Verùm in quonam consistat hæc pluralitatis apparentia, non parum negocium facesit explicare conantibus, quomodo absque fictione intellectus intercedere possit. Dicunt aliqui consistere in eo, quod intellectus vtatur speciebus plurium. Sed hoc non sufficit, vt appareant plura: sicut, quod Angelus cognoscatur per species Iuvenis, non sufficit, vt appareat Iuvenis, cum simul intellectus firmissimè teneat non esse Iuvenem. Recurrunt alij ad phantasmata obiectiva, seu substituta, quæ ponit intellectus, vt in ipsis cognoscat ea, quorum non habet species proprias; alij denique ad distinctionem connotatorum, per ordinem ad quæ cognoscuntur sæpè quæ identificantur: sed quid distinctio connotatorum pro distinctione cõnotantium, aut distinctio obiectorum, aut phantasmatũ substitutorum pro distinctione, & pluralitate connotantis, aut substituentis, quando simul iudicat intellectus non esse in illis vllam distinctionẽ?

127 Propter quæ dicerem: distinctionem rationis, si per apparentiam pluralitatis esset explicanda, solùm consistere in actu intellectus, quo falsò iudicat distingui realiter ea, quæ à parte rei realiter identificantur, aut in apprehensione pluralitatis realis, vbi realis pluralitas repugnat: quo modo in distinctione semper interveniet fictio, & iure dicetur rationis distinctio: sicut dicitur ens rationis illud quod ita intra se confingit intellectus, vt nullam habeat conformitatem obiectivam ad modum, quo intentionaliter exprimitur: Fugienda igitur est in explicatione distinctionis rationis omnis apparentia pluralitatis, & dicendum: distinctionem rationis esse *formam intentionalem, qua ea, quæ sunt vnum realiter, æquivalenter sunt plura, in quantum per ordinem ad illam cognitionem se habent, ac si essent plura per multiplicitatem specierum, vel formalem, vel virtualem; qua eget intellectus, vt ea cognoscat in statu, in quo illa non potest cognoscere, prout sunt in se, & per species proprias.*

128 Distinctio hæc dividitur in *positivam, & negativam*. Positiva est forma illa intentionalis, per quam ita proponitur res, vt non appareat vnico tantum modo definibilis, vt quandò apparet esse *Animal rationale, risibile, admirativum, &c.* Negativa: *quando res non vnico tantum modo definibilis adeò tenui, & inadæquata claritate proponitur, vt appareat vnico tantum modo definibilis*, quin intellectus valeat vi illius conceptus redere rationem de alijs, quæ realiter sunt in eadem entitate, vt quando cognoscit hominem præcisè sub expressione *Animalis*. Distinctioni rationis fundamentali contraponitur identitas rationis, seu formalis transcendentia vnius ad alterum consistens in eo, quod *vnum sit de definitione alterius, & vt tale appareat*; quæ potest esse *mutua, & non mutua*: hæc: quandò vnum non potest definiri nisi per aliud; sed non è contra, vt contingit in sententia asserentium: ens transcendere formaliter differentias per quas contrahitur, in qua verum est: *Perfectatem*; v. g. *Esse formaliter ens*; quin *ens sit formaliter Perfectus*; illa: quando vnum non potest definiri nisi per aliud, vt constituens definitionem, & è conversò.

129 His cursim ex Philosophia excerptis, notandum insuper est. Quæstionem non procedere de distinctione rationis ratiocinantis: cum certum sit posse convenire prædicatis divinis nomina, & conceptus synonima, quibus ex parte obiecti correspondeat idem definibile: quare dubium est de distinctione rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re, de qua inquiritur: an detur inter divinam essentiam, & intellectionem, & vniversim inter divina attributa? Nec dubitari etiam potest, quod si *intelligere* Dei sit constitutivum divinæ essentiæ, sub illa ratione, sub qua eam constituat, non patietur distinctionem rationis ratiocinatæ, propterea quod non sint definibilia diversis definitionibus: ideò duntaxat locum tenebit cum præcisione ab hac sententia.

130 Dico igitur: divina attributa: ac per consequens Scientiam inter se mutuo, & ab essentia distinguri, distinctio-

ctione rationis ratiocinatæ. Probatur 1. authoritate D.Bernardi lib. 5. de consideratione columna vltima dicentis: *Nobis quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum occurrit, veluti quadruplicatum, facit hoc speculum, & ænigma, cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est.* D.Thom.art.4.quæstionis 13. cit.vbi inquirens: An nomina, quæ de Deo dicuntur sint synonima? Respondet negativè: quia inquit: *Secundùm quod dictum est, huiusmodi nomina substantiam divinam significare licèt imperfectè, etiam planè apparet secundum præmissa, quod habent rationes diversas. Ratio enim, quam significat nomen, est conceptio intellectus de re significata per nomen:* sed occurrere intellectui Deum quasi multiplicatum propter imperfectum modum cognoscendi per species alienas, & non prout est in se, & conceptus intellectus correspondere nominibus significantibus diversas rationes in divinis perfectionibus, est formalissimè distingui essentiam ab attributis, & attributa inter se distinctione rationis ratiocinatæ: ergo sic distinguntur. Accedit communis sensus Conciliorum, & PP. dicentium: essentiam ab attributis, & attributa inter se sola ratione distingui, in quo videntur supponere talem distinctionem intercedere.

131 Probatur secundò, ratione. Essentia Divina comparatiuè ad Scientiam, & attributa: deindè Scientia comparativè ad reliqua attributa, & quodvis attributum comparativè ad aliud non est precisè realiter vnum definibile: sed ea quæ sic comparantur, distinguntur per rationem ratiocinatam in intellectu cognoscente per species alienas: ergo Scientia, & divina attributa mutuò inter se, & ab essentia distinguntur distinctione rationis ratiocinatæ. Discursus est legitimus, & min.continet conceptum explicatum distinctionis rationis ratiocinatæ. Mai.prob.Vbi vnum non definitur per aliud, quod est realiter verè definibile; non est præcisè realiter vnum definibile: sed essentia non definitur per attributa, neque vnum attributum per aliud: ergo essentia divina comparativè ad reliqua attributa, & quodvis attributum comparativè ad aliud, non est præcisè realiter vnum definibile. Mai. est certa: consequentia tenet, & min. non indiget probatione alia quam definitionibus ipsis traditis essentiæ sine inclusione constitutiva attributorum, & cuiusvis attributi sine constitutiva inclusione alterius attributi.

132 Confirmatur. Intellectus, vt definiat essentiam Dei, nec indiget, nec vtitur expressione Scientiæ ad eam definiendam, neque, vt definiat Scientiam, expressione volitionis, aut voluntatis, & sic de reliquis attributis secundùm se consideratis; sed intellectum non indigere expressione alterius ad definiendum, est vnum, & aliud distinguere quandò cognoscit per species alienas, & quidem cum fundamento in re, ex eo, quod obiectum non sit præcisè realiter vnum definibile: ergo Scientia, & reliqua attributa Dei tàm mutuò inter se, quàm ab essentia distinguntur distinctione rationis ratiocinatæ.

133 Dictum est: *Ab intellectu cognoscente per species alienas*, vt denotetur: prædictam distinctionem attributorum tàm inter se; quàm ab essentia non effici ab intellectu divino, aut ab intellectu creato, ratione visionis beatificæ. Sic sentit Granado disp.citata cum Capreolo in 1.disp.8.q.4. art. 3. & Vazq. disp. 118. cap.2. inferturquè clarè ex verbis D.Bernardi adductis suprà, vbi multiplicitatem, quam in Deo format intellectus, reducit ad modum cognoscendi per speculum, & in ænigmate: propterea què addit, eam defuturam, cum Deum prout est in se, videbimus. Et ratio ex dictis est clara: quia cum multiplicitas rationis reducatur ad id, quod ea, quæ sunt vnum, & idem realiter, cognoscantur ad modum plurium, seu per species plurium, quod locum non tenet in cognitione habita per speciem propriam, sivè rei prout est in se, quomodo est cognitio divina & visio beata; ideò nec à Deo, nec à Beatis fieri potest talis distinctio.

134 Hoc tamen limitationem patitur in Beatis ad solam distinctionem rationis positivam; non ad negativam, quæ consistit in eo, quod obiectum cognoscatur inadæquata claritate tàm quoad extensionem, quàm quoad intensionem, qui modus cognoscendi non repugnat in cognoscente per species proprias, dummodo sit intellectus finitus, & limitatus, vt experientia constat in cognitione, quam habemus per speciem propriam acquisitam de accidentibus; v.g. Albedine, quæ permittit cognos-

noscere obscure, & per species alienas rationem entis, & accidentis identificatam realiter cum ratione albedinis. Qua doctrina ducti, diximus cum aliis tract. de visione, non repugnare cognitionem quidditativam Essentiæ, quæ non sit intuitiva, & quidditativa attributorum; aut quidditativa, & intuitiva vnius attributi, quæ non sit intuitiva, & quidditativa alterius, videturque concedendum ab omnibus in Beatis cognoscentibus per visionem in Verbo, & Omnipotentia rationem *Productivi omnis possibilis*, incognita ratione huius, & illius possibilis in particulari: aliàs omnes Beati cognoscerent in Omnipotentia omnia possibilia in particulari, quod negant Theologi, vel quia ex tali cognitione sequeretur comprehensio Omnipotentiæ, vel quia, & si non sequatur, non datur fundamentum, nisi pro solo intellectu humano Christi Domini.

235 Fundamentum oppositæ sententiæ contra præcipuam conclusionem nullum est. Nàm licèt intellectus non habeat vim immutandi realiter, & intrinsecè naturas rerum, quas cognoscit; habet tamen vim, & Potentiam eas immutandi *extrinsecè*, & intentionaliter, vel obiectivè fingendo eas aliter, ac sunt in se; qua ratione dicitur à Physiosophis, intellectum posse *adunata dividere, & divisa adunare*, vel subiectivè per cognitionem non procedentem ab specie propria; sed ab specie aliena, per quam repræsentatur res ad modum alterius sivè simplicis, sivè multiplicis. Nec obstat, quod quando intellectus cognoscit *Sapientiam* Dei; v. g. cognoscat Sapientiam, quæ realiter est bonitas, cum id non prohibeat intellectum ob suam imperfectionē cognoscere ipsum, quod est in re vnum per speciem, & ad modum plurium: simili modo, ac distinctio, & ordinatio partium, quæ realiter datur in obiecto potentiæ visivæ non impedit, quod visus debilis, ac turbatus omnia commisceat, ac perturbet.

136 Contra exceptionem ex parte intellectus divini obiici potest 1. Deus videt à Patre gigni Filium per intellectum, & non per voluntatem: ergo aliquomodo distinguit intellectum divinum à voluntate. Obiici potest 2. Quia Deus saltem videt à nobis viatoribus distingui per rationem attributa: ergo habet pro obiecto attributa, vt plura: sed habere pro obiecto attributa, vt plura, est illa per rationem distinguere: ergo Deus etiam per rationem distinguit sua attributa inter se, & ab essentia.

137 Ad primum respondetur. Propositiones illas: *Verbum procedit per intellectum; non per voluntatem: Spiritus Sanctus procedit per voluntatem; non per intellectum*, magnam excitare controversiam apud Theologos quoad investigandum sensum illarum: An scilicèt, intelligendæ sint in sensu reali; an tantum in sensu purè formali: An ex parte *termini*, in quantum licèt Verbum procedat per intellectum, & voluntatem est expressio intentionalis; non voluntatis pondus; & Spiritus Sanctus, quamvis etiam procedat per intellectum, & voluntatem sit pondus ipsius: secus intentionalis expressio: An denique ex parte principii. Sed quidquid de hoc sit, dato, quod debeant intelligi in sensu reali ex parte principij; non ideò Deus cognoscens suum intellectum, & voluntatem, facit aliquam distinctionem rationis: tum quia non cognoscit per species alienas: tum etiam quia cognoscit illa prædicata salvari cum summa convenientia penes modos respectivos, quos habent ex parte obiecti, vi quorum quod convenit vni, convenit alteri, vt sæpè iam diximus, excludentes distinctionem sivè ex natura rei sivè virtualem à prædicatis divinis.

138 Ad secundum dicendum: verum esse Deum cognoscere distinctionem, quam efformat intellectus noster in via, erga divina attributa; & insuper cognoscere esse nobis plura: cæterum inde non inferri, Deum cognoscere sua attributa, ea plurificando per rationem: sicut non infertur, cognoscere confusè, aut præcisivè id, quod confusè, & præcisivè cognoscimus, licèt cognoscat modum nostrum confundendi, & præscindendi. Ratio est: quia distinctio non est affectio subiectiva divinæ cognitionis; sed obiectiva: ideoquè tantùm verificatur cognoscere distinctionem; non distinguere: sicuti nos possumus cognoscere falsitatem, quæ est in intellectu alterius circa obiectum aliquod, sine vlla falsitate nostræ cognitionis, erga idem obiectum.

139 Contra alteram exceptionis partem de intellectu, scilicèt Beatorum, obiici potest D. Thom. qui in 1. disp. 2. q. 1. art. 3. §. *Quantum verò*, ad 4. videtur asse-

asserere: effici à Beatis distinctionem attributorum: inquit enim: *Si intellectus videns Deum per essentiam imponeret nomen rei, quam videret & nominaret, mediante conceptione, quam de ea habet, oporteret adhuc, quod imponeret plura nomina: quia impossibile est, quod conceptio intellectus creati repræsentet totam perfectionem divinæ essentiæ: Vnde de vna re visa, diversas conceptiones formaret, & diversa nomina imponeret: sicut etiam Chrysostomus dicit, quod Angeli laudant Deum: quidam, vt Maiestatem: quidam, vt Bonitatem, & sic de alijs in signum, quod ipsum non vident visione comprehendente.* Ex quibus apparet esse de mente S. Thom. non quamcumque visionem Dei excludere distinctionem rationis; sed solam comprehendentem, quæ in Deo; non in reliquis beatis dari potest.

140 Respondet Granado, D. Thomam non loqui de ipsa visione beata, sed de alijs actibus reflexis, quos beatus potest elicere in patria circa Deum clarè visum, medijs, quibus distingueret attributa, & imponeret diversa nomina, quod Deo non contingit, vtpote, qui nec per visionem, nec per alium actum potest efformare distinctionem rationis. Hoc probare intendit ex alijs verbis eiusdem Angelici Magistri in eodem textu immediatè ante verba proximè citata, vbi dixerat: *Si intellectus noster Deum per se ipsum videret illi rationi posset imponere nomen vnum, quod significata omnium attributorum includeret: patet autem vno nomini correspondere vnum conceptum, quo illa omnia attributa sine distinctione perciperentur: & hæc est visio beata.* Cæterum in his verbis nihil video, quod prosit solutioni datæ: cum ly *intelligere per se* denotet loqui de intellectu independenti, & per se identicè beatum, qualis solus est intellectus divinus: vnde ly: *hæc est visio beata* restringendum apparet ad solam visionem beatam, qua Deus se videt, & comprehendit.

141 Probabilius mihi videtur, distinguere inter id, quod requiritur, vt intellectus distinguat, & illud, quod sufficit ad talem distinctionē: requiritur enim, vt distinguat, obiectum ex se posse explicari nominibus non synonimis; at hoc præcisè non sufficit, vt intellectus distinguat, nisi insuper cognoscat obiectum per species alienas: dicitur ergo à D. Thoma intellectum creatum, quia non comprehensivum divinæ essentiæ, & attributorum, non habere nomen vnum, etiam quando Deum videt prout est in se expressivum totius divinæ perfectionis, & ideò vsurum pluribus, & diversis nominibus ad eam exponendam: verùm non ideo distincturum, aut attributa inter se, aut ab essentia, quia intercederet visio facialis, & non ænigmatica: nec mihi leviter suadet hanc intelligentiam, vt congruam verbis S. Thom. nullam in eis inveniri insinuationem distinctionis efficiendę ab intellectu Beati.

DIS-

JHS.

DISPUTATIO QUARTA.

APPENDIX PRÆCEDENTIS, IN qua ſolvuntur duo fundamenta pro diſtinctione virtuali admittenda in divinis: vnum ex conſtitutione actuum Dei liberorum: Alterum ex difficultate Myſterij Sanctiſsimæ Trinitatis.

DISTINCTIONIS virtualis Patroni magnam vim ſibi parant in duabus propoſitis difficultatibus, pro ipſa ſuadenda in divinis, putantes: abſque illius iuvamine vix poſſe tradi congruam ſolutionem. Nos, qui diſputatione præcedenti pro viribus diſtinctionem virtualem vt repugnantem exclusimus, cogimur in præſenti oſtendere: ſine tali recurſu vnam, & alteram difficultatem poſſe probabiliter ſatis diſſolvi, & hanc novam vim impugnationibus ibi propoſitis addere.

CAPVT I.

Solvitur prima difficultas deſignando conſtitutivum Scientiæ contingentis, & cuiuſvis alterius actus contingentis, & liberi Dei abſque beneficio vllius diſtinctionis virtualis intrinſecæ.

1 INSVPERABILIS ferè difficultas ſtatim ſe oſtendit. Nam cum de ratione *contingentis*, & *liberi*, vt talis ſit poſſe deficere: dari actus contingentes, & liberos, eſt dari actus defectibiles: vel ergo poſſunt deficere, Deo realiter permanente, quia ab ipſo realiter diſtinguntur, vel quamvis cum ipſo realiter identificentur? Si primum: hoc clarè opponitur, tum divinæ ſimplicitati: tum divinæ perfectionis infinitudini: intelligeret enim Deus per aliquid creatum: nam omne diſtinctum realiter à Deo, creatura eſt: quare modus iſte dicendi planè hæreticus eſt, & ſolùm à mente Vorſtij Calviniſtę, cuius mentionem faciunt Izquierdo, Becanus, & Ribadeneyra non alienus. Si ſecundùm, etiam apparet difficilimum: nam quę ſemel identificantur, nunquàm diſtinguntur: diſtinguerentur ergo actus divini à Deo, cum quo realiter identificantur, ſi ipſo manente, realiter deficerent, & ſeparararentur: cum nullum aptius ſit ſignum realis diſtinctionis, quàm realis ſeparatio: inſuper concederetur aliquid divinum defectibile, & alia innumera huius generis, quæ facilè quiſque iudicabit. In hac difficultate temperanda, & explicanda, inſudarunt omnes Theologi, & præter morem vnuſquiſque æqualiter propriæ, ac alienæ ſententiæ diffidit, timidè tantùm proponens propriũ iudicium, & alijs examinandum relinquens. P. Arriaga perdoctus Magiſter, & ingenio non mediocri pollens omnium impugnavit ſententiam; ſed propriam retinuit malens ingenuè fateri ignorantiam, quàm ſe exponere periculo ſolven-

vendi efficaces aliorum rationes, quas in quacumque via evitare nō posse agnoscebat. Tamen contrarius mihi animus est, qui remissa in aliud tempus impugnatione cæterorum, quæ videri interim potest, apud Patres Izquierdo, Aldrete, Ribadeneyra, & Herrera, quod mihi magis placet, breviter proponam, non spe vincendi difficultatem invictam reliquis; sed solùm studio laborandi, vbi reliqui difficultate non perterriti, contra difficultatem strenuè laborarunt. Nam, vt ait: Iustinus Martyr in Expositione ad fidem, citatus à Ribadeneyra: *Non enim, quod Deitas intelligentiā nostra planè sit incomprehensibilis propterea par est, nihil nos de ea omninò scrutari; sed in desidia vitæ huius consumere tempus. Proinde iuxta mensuram à Domino cuilibet tributam, studiosè quisque cognitionem investigare debet.* Pro quo.

2 Noto primò. Non esse immiscendam hanc quæstionem cum alia, quæ inquirit: *an actus* divini contingentes dicant, vel non dicant perfectionem: quia quæstiones sunt ex se diversissimæ, nec per vnius resolutionem præcludendus est aditus ad aliam: cumque sit sententia probabilissima, terminationes contingentes ex se dicere aliquam perfectionem, immeritò præsens resolutio fiet dependens ab eversione alterius superaddendo difficultatibus, quas feraciter pullulat præsens quæstio, aliàs non leves ex adiunctis, nec rectum mihi apparet pro his difficultatibus eludendis in alijs non levibus parare refugium: vndè minus placet Godoy, & alij ex nostris, qui gressum facere non audent, statuta perfectione actuum contingentium. Maiore amplitudine me geram, & vnum dubium, altero indecisso, provt possim, resolvam.

3 Pro quo noto secundò. Aliud esse actus contingentes dicere perfectionem; aliud addere perfectionem: nam dicere perfectionem præcisè, est habere ex se talia prædicata, quibus competat ratio perfectionis relatè ad ipsos, vi quorum possit enunciari de ipsis: *Perfectione gaudent, id quod formaliter dicunt, non solum perficitur, aut perfectibile est per aliud, sed se ipso perfectio est.* Addere autèm perfectionem, est, quod illud, cui adiunguntur, ipsis existentibus, in perfectione accrescat, & illis deficientibus, imperfectum concipiatur: modo, quo Omipotentia, aut immensitas non solum dicunt perfectionem *in* Deo; sed illam Deo afferunt: quatenus præcissa formaliter à Deo omnipotentia, aut immensitate aliquid in ipso desideramus, nec completum videmus ea perfectione, qua maior excogitari non possit: nam perfectior est Deus omnipotens, & immensus, quam Deus sine omnipotentia, & immensitate. Rursus: ea quæ non solùm dicunt perfectionem in Deo; sed dicunt perfectionem Deo, aut Dei perfectionm augent, possunt considerari dupliciter. Primò: vt augentes divinam perfectionem *absolutè*. Secundò: vt augentes divinam perfectionem *ex suppositione*. Ea augent divinam perfectionem *absolutè*, quæ taliter ad completionem infinitæ perfectionis requiruntur, vt quoquo modo Deus intelligatur sine ipsis, semper concipietur, vt diminutè perfectus. Exemplum sit *Omnipotentia, immensitas, sapientia*, sine quibus semper in Deo aliquid desiderabimus, vt à nullo possit excedi, & vt in gradu *entis infiniti simpliciter* vndequaque collocetur. Ea verò augent perfectionem *ex suppositione*, sine quibus potest Deus considerari plenissimè perfectus, nisi accedat aliqua suppositio Deo contingens; v. g. in sententia asserentium, Deum non connecti cum possibilitate possibilium, in qua Deus concipitur plenissimè perfectus sine potestate proxima producendi, constituta per cognitionem possibilium, nisi accedat suppositio ex intrinsecis Dei non necessaria de eo, quod sint possibilia. Nam si datis possibilibus, Deus non haberet potestatem proximam ea producendi, esset Deus impotens, & imperfectus.

4 Igitur dato, quod actus contingentes dicant perfectionem, à quo modò præscindo, dicendum est: dicere perfectionem in Deo; sed non dicere perfectionem Deo, aut augere divinam perfectionem, nisi ex quadam suppositione. Ratio est: quia, aut est possibilis Deo pura omissio libera, vel non? Si non est possibilis, quamvis Deo non possit deficere disiunctum vtriusque actus: scilicèt *volitionis*, aut *nolitionis mundi*; tamèn quilibet determinatè sumptus potest deficere, sine quo Deus manet æquè perfectus, ac dum existit: imò ex prædicato *liberi* hoc postulat, vt sit Deus infinitè perfectus in omni linea; si sit possibilis: absque omni actu positivo manet Deus æquè perfectus, ac est cum quo-

quocumque ex illis actibus; imò non esset Deus infinitè perfectus, si excluso omni actu positivo non existeret æquè perfectus. Ecce quomodò licèt actus contingentes sint perfectio in Deo existens; non ideò sunt perfectio Dei: quia ad hoc erat necessariũ, vt sine ipsis non esset Deus æquè perfectus, ac cum ipsis. Addidi nisi *ex quadam suppositione*: quia licèt Deus non exigat ad suam infinitam perfectionem existentiam actus contingentis *absolutè*; at *ex suppositione*, quod hoc, vel illo modo operetur circa obiectum contingens, exigit essentialiter ad sui infinitudinem perfectionem actus contingentis, qua secluſa non esset Deus infinitè perfectus: quia si operante Deo hoc, vel illo modo circa obiectum contingens, modus ille decernendi, & respiciendi obiectum contingens non esset ens per identitatem determinatum, vt sit Deus, & quidquid perfectionis est in Deo, in quo consistit perfectio, quàm ex se dicunt actus contingentes, Deus non esset æquè perfectus, ac modo est, quin vellet, aut cognosceret more creaturarum, quod maxima imperfectio est. Hoc placuit notare, vt postea facilius percipiatur: quomodo ex defectu actus contingentis, dicentis ex se perfectionem, non arguatur deficere Deo aliquam perfectionem.

5 Noto tertiò. Realem separabilitatem quoad esse inter duo extrema, quæ iuxta ferè omnes Phylosophos, & Theologos est argumentum legitimum, & irrefragabile distinctionis realis, *esse illam, vi cuius esse reale vnius entitatis, ita discrepat ab esse reali alterius, vt vna entitate simpliciter existente*; altera simpliciter deficiat, vt contingit inter entitatem *Petri*, & *Pauli: lapidis & auri*, in quibus vno existente simpliciter, & omnibus modis, quibus intrinsecè existere potest, alterum potest deficere simpliciter, & omni modo intrinseco, quo deficere potest. Hinc si duæ realitates, aut conceptus talis conditionis sint, vt vno deficiente realiter vno modo, alter eodem modo deficiat, realis defectibilitas vnius, non erit realis separabilitas alterius: patet: Nam realis separabilitas *esse* realis vnius ab *esse reali* alterius non componitur cum summa convenientia inter *esse* reale vnius, & *esse* reale alterius: sed quoties sunt duæ formalitates, aut duo conceptus, quorum vno realiter deficiente vno modo; alter eodem modo deficiat; & hoc vno modo realiter existente, ille eodem modo realiter existat, datur inter esse reale vnius, & esse reale alterius convenientia summa: ergo realis defectibilitas vnius ex his conceptibus non est realis separabilitas probans distinctionem realem.

6 Explicatur in conceptibus *Animalis, & Rationalis* hominis, qui realiter identificantur. Nam licèt conceptus *Animalis* sit realiter defectibilis dum homo deficit, & similiter conceptus *Rationalis*, tamèn hæc realis defectibilitas non arguit realem separabilitatem quoad esse reale *Animalis, & Rationalis*, non ob aliam rationem, nisi quia deficiente realiter conceptu *Animalis*, deficit eodem modo realiter conceptus *Rationalis*: Vndè defectibilitas hæc non arguit disparitatem in *esse*; sed potius summam convenientiam: siquidem eodem modo realiter existunt, & deficiunt: ergo similiter, si duo sint conceptus reales talis conditionis, vt vno realiter deficiente vno modo, alter eodem modo deficiat; & hoc vno modo manente, alius eodem modo persistat, realis defectibilitas, quæ in vno inveniatur, non arguet realem separabilitatem; sed rectè cum summa convenientia in esse reali vtriusque convenit.

7 Noto quartò. Non esse contra conceptum realis identitatis inter aliqua extrema esse talia, de quibus in aliquo statu verificetur: *Nec realiter identificari; nec realiter distingui*, vt in appositio exemplo Rationalis, & Animalis hominis fit manifestum. Nam hæ formalitates, quæ realiter identificantur, sunt tales, vt homine deficiente, nec identificentur, nec distinguantur: cum de ipsis non possit verificari: *Vnam esse realiter aliam*, nisi *conditionatè*: nec *vnam non esse aliam*, quod erat necessarium ad distinctionem; sed tantùm: *Nec vnam, nec aliam esse*, quod ad distinctionem non sufficit. Inde deduco: quod si contra conceptum realis identitatis non est, extrema, quæ realiter identificantur, devenirè ad statum, in quo de toto esse adæquato ipsorum verificetur: *nec identificari vllo modo; nec vllo modo distingui*: potiori titulo non erit contra conceptum realis identitatis inter aliqua extrema, sic aliquãdo se habere, vt de ipsis verũ sit, quod quãvis pluribus titulis realiter identificentur, aliquo tamen modo nec identificentur, nec distinguantur. Illatio apparet legitima. Nam plus est ea, quæ quoad esse reale identificantur aliquãdo, nec identificari, nec distingui vllo

mo-

modo, quàm præciſsè aliquomodo nec identificari, nec diſtingui: cum negatio totius identitatis magis ex terminis opponatur reali identitati, quàm præciſsa negatio alicuius identitatis: ſed primum eſt componibile ſine detrimento realis identitatis: ergo & ſecundum.

8 Noto quintò. In re, quæ realiter deficit, poſſe conſiderari duplicem realem defectum. Alterum *abſolutum*, *reſpectivum* alterum. Defectus realis *abſolutus* eſt ille, vi cuius de re quæ deficit, ſimpliciter verificatur non exiſtere, prout correſpondet his terminis: *hoc non exiſtit*: *hoc non eſt*. Defectus realis reſpectivus eſt ille, vi cuius de re, quæ realiter deficit, non poteſt verificari *ſimpliciter* non exiſtere; ſed tantùm cum addito reſtringente, prout correſpondet his terminis: *Deficit ab hoc*: *deficit in hoc*: *deficit in ordine ad illud*: *ſeu deficit ab exercendo hoc, vel illo munere*. Vterque realis defectus conſpici poteſt in Petro; v. g. qui quando excluditur per ſuum formale contradictorium, deficit realiter *ſimpliciter*, & *abſolutè*. verificatque hanc propoſitionem: *Petrus realiter non eſt*: *Petrus realiter deficit*; quandò verò deficit ab exiſtendo *compluti*: à *coexiſtendo Paulo*, vel à *cognoſcendo aliquam veritatem*, *quam ignorat*, tunc deficit tantùm *reſpectivè*, & *impropriè*, nec poteſt verificari ex eo, quod non exiſtat *Compluti*: *non coexiſtat Paulo*, aut *non cognoſcat aliquam veritatem*, propoſitio hæc: *Petrus deficit*; ſed tantùm *reſtrictè*, & cum addito diminuente defectum, nimirum: *Petrus deficit ab exiſtendo Compluti*: à *coexiſtendo Paulo*: *à cognoſcendo hanc*, *vel illam veritatem*. Inſuper inter hos defectus obſervandum eſt accuratè diſcrimen. Nam defectus *abſolutus* conſtituit rem defectibilem, & non neceſſariam *in exiſtendo*; defectus verò *reſpectivus* tantùm conſtituit entitatem defectibilem quoad aliquam denominationem, & reſpectum, quod compatibile eſt ex ſe formaliter cum ſumma neceſsitate illius rei quoad entitatem, & eſſe, quin repugnantiam includat de eadem entitate uerificari: *Hoc entitas exiſtit*, *nec poteſt deficere*, *licèt deficiat à coexiſtendo*: *à reſpiciendo*: *à comparando hoc*, *vel illud*: Vt patet etiam in Deo, de quo verè affirmatur: *Neceſſariò exiſtere*; *deficere tamen à coexiſtentia purè poſſibilium*, *& à cognoſcendo abſolutè veritatem*, *quæ non eſt abſolutè affirmabilis*.

9 Vndè inferò, & noto ſextò. Non poſſe dici rem aliquam *ſimpliciter* realiter deficere, quoties etſi vno modo, & titulo realiter deficiat; pluribus tamèn verè, & propriè, & realiter exiſtit: modo, quo licèt aliqua entitas vno, vel altero modo accepta, non ſit poſsibilis; imò ſit ſimpliciter impoſsibilis, non ideò poteſt dici abſolutè, & ſine reſtrictione: *eſt impoſsibilis*; ſed potius abſolutè, & ſimpliciter poſsibilis, ſi ex ſuo conceptu talis ſit, quæ ſi exiſtat, non implicabit contradictionem: vt conſtat in quavis entitate contingente, quæ *etſi non ſit poſsibilis*, *identificari cum Deo*: *coexiſtere ſuo contradictorio*: *aut coniungi cum defectu termini eſſentialiter exacti*; imò ſub his conſiderationibus ſit ſimpliciter impoſsibilis; non ideò poteſt dici abſolutè, & ſimpliciter impoſsibilis: quia cum his impoſsibilitatibus reſpectivis coniungit eſſe talem: *quæ ſi exiſtat*, *excludet ſuum contradictorium*. Vnde ſi talis entitas inveniatur vno, vel altero modo deficiens realiter; pluribus alijs verè, & realiter exiſtens, non erit dicenda realiter ſimpliciter defectibilis; ſed tantùm impropriè, & *ſecundumquid*: patebitque etiam non difficile, quàm latum ſit diſcrimen inter defectibilitatem huius entitatis, & defectibilitatem, quæ de conceptu creaturæ iudicatur. Nam de conceptu creaturæ non ſolum eſt poſſe deficere purè reſpectivè, & quoad aliquam denominationem ſuſcipiendam; ſed etiam abſolutè, & per defectum ſufficientem ad verificandam hanc propoſitionem: *Creatura nullo modo realiter exiſtit*.

CAPVT II.

Vnica concluſione ſententia exprimitur.

10 EA ſit: *Actus Dei contingentes ſivè intellectus, ſivè voluntatis conſtituuntur per aliquid Deo intrinſecum identicè*: *ſcilicèt per terminationem quandam ad obiectum contingens realiter cum Deo identificatam*; *realiter verò defectibilem*. Probatur. Eo modo conſtituuntur actus Dei contingentes ſivè intellectus, ſivè voluntatis, quo melius intelligitur contingentia ipſorum abſque detrimento divinæ perfectionis: ſed ſi actus Dei contingentes conſtituantur

per

per terminationem ad obiectum contingens realiter per identitatem intrinsecam Deo, realiterque defectibilem, melius intelligitur contingentia ipsorum absque detrimento divinæ perfectionis: ergo constituuntur per terminationem ad obiectum contingens realiter cum Deo identificatam, realiter verò defectibilem. Discursus est legitimus, & Mai certa. Nam in componenda vera, & propria contingentia divinorum actuum cum infinita Dei perfectione totus est Theologorum labor, & maxima difficultas. Minor igitur difficilis sic probatur, quoad vtramque partem, quarum prima de contingentia facilis est. Nam quis ambigit, quod si terminatio illa, quæ est forma, aut quasi forma volendi, nolendi, aut cognoscendi contingenter fit defectibilis realiter, optimè componitur contingentia, & defectibilitas, vi cuius verificatur: *Deus verè, & propriè non cognoscit realiter alterum mundum, vt existentem, quem, vt talem potuit cognoscere: Deus verè, & propriè, & realiter non decernit alterum mundum, quem verè, propriè, & realiter potuit decernere*: ergo per terminationem ad obiectum contingens realiter defectibilem optimè fit satis contingentiæ requisitæ, vt de Deo in proprio, & rigoroso sensu verificetur: *Deus realiter cognoscit, quod potuit non cognoscere: Deus realiter verè, & propriè non decernit, quod potuit verè, & realiter decernere.*

11 Secunda pars difficilior suadere conamur ratione, quæ ex prænotatis nonnullam accipiet claritatem. Sic eam propono. Nullum divinum attributum patitur detrimentum aliquod ex hac defectibilitate reali terminationis contingentis: ergo absque detrimento divinæ perfectionis componitur. Prob. antecedens. Non derogatur per hanc realem defectibilitatem *divinæ simplicitati, æternitati*: aut immutabilitati: ergo nō patitur detrimentum aliquod divinū attributum. Consequentia est legitima. Nam non apparet aliud attributum, cui hæc realis defectibilitas terminationis constitutivæ actus contingentis opponatur. Antecedens probatur, sigillatim discurrendo per attributa proposita. Primò: non opponitur attributo divinæ simplicitatis: nam huic solum opponitur realis distinctio, & si vellis, distinctio virtualis sumpta pro capacitate suscipiendi prædicata ex se contradictoria, quod libenter amplectar: sed realis defectibilitas terminationis stat sine reali, & virtuali distinctione inter esse terminationis, & Dei: ergo realis defectibilitas terminationis non opponitur attributo divinæ simplicitatis. Min. prob. ex primo Notabili. Nam vbi stat summa convenientia in esse reali, non invenitur realis, nec virtualis distinctio: sed inter terminationem realiter defectibilem, & esse reale Dei est summa convenientia: ergo non datur neque realis, neque virtualis distinctio. Min. prob. Terminatio realiter defectibilis solum deficit realiter eo modo, quo realiter deficit totus Deus; & existit realiter eo modo, quo realiter existit totus Deus: sed vbi idem, & eodem modo est defectus; & eadem, & eodem modo est existētia, datur summa convenientia in esse: ergo inter terminationem realiter defectibilem, & esse reale Dei est summa convenientia. Mai prob. Terminatio realiter defectibilis solum deficit realiter respectivè quoad obiectum contingens, quo sensu realiter deficit totus Deus, nam non solum terminatio quando deficit, non se habet respectivè ad obiectū contingens; verùm totus Deus ab hoc respectu deficit: cum de illo verificetur: *Totus Deus non amat: non cognoscit: non decernit hoc aut illud obiectum*. Insuper terminatio illa permanet absolutè, seu quoad *esse absolutum* sui. Nam permanet secundùm esse reale sui, scilicèt *Essentiæ: Omnipotentiæ: Iustitiæ, &c.* Quo sensu, & modo, etiā permanet Deus: ergo terminatio realiter defectibilis solum deficit realiter eo modo quo realiter deficit totus Deus; & existit realiter eo modo, quo realiter existit totus Deus.

12 Confirmatur. Divinæ simplicitati, & identitati reali prædicatorum solum opponitur, aut quod impedit hāc veritatem: *Hoc realiter est illud*; aut quod verificat hanc propositionem: *Hoc realiter cum fit, non est illud*; aut quod inter vnum, & aliud constituit numerum: sed realis defectibilitas terminationis, nec impedit hanc veritatem: *Deus realiter est terminatio*: nec verificat hanc propositionem: *Deus realiter cum fit, non est terminatio*: nec cōstituit numerum inter Deum, & terminationem: ergo realis defectibilitas terminationis non opponitur divinæ simplicitati, & identitati reali prædicatorum. Mai. apparet certa, vtpotè continens signa distinctionis realis. Min. prob. Defectibilitas realis terminationis non impedit hanc veritatem: *Deus realiter est terminatio*, quando existit: quia tunc existit, vt vnum ex prædicatis intimis, &

intrinſecis Dei: non quando deficit: quia tunc eſt Deus realiter terminatio, eo ipſiſsimo modo, quo realiter eſt Deus: & ſicut Deus eſt realiter Deus quoad eſſe abſolutum ſui: ſic eſt realiter terminatio, quoad eſſe abſolutum terminationis: deindè non verificat hanc propoſitionem: *Deus realiter cum ſit, non eſt terminatio*: tum quia omnibus modis, quibus realiter eſt Deus, exiſtit realiter terminatio, ſcilicèt *Eſſentia. Sapientia: Miſericordia: Pater: Verbum, &c.* Et eo modo, quo deficit terminatio, nimirum: *à cognoſcendo*: decernendo: amando, &c. deficit Deus: inſuper non conſtituit numerum inter Deum, & terminationem: Nam id, quod omnibus modis, quibus aliud exiſtit, exiſtit; & modo, quo aliud deficit, deficit: permittit hanc veritatem: *Hoc, & illud eſt idem exiſtens, & deficiens*: cum qua, vt per ſe patet, non ſtat numerus: non abſimiliter ac non datur numerus inter Petrum exiſtentem, & eundem deficientem, de quo verificatur: *idem eſt qui deficit ac qui exiſtit*: ergo realis defectibilitas terminationis nec impedit hanc veritatem: *Deus eſt realiter terminatio*: nec verificat hanc propoſitionem: *Deus realiter cum ſit, non eſt terminatio* nec conſtituit numerum inter Deum, & terminationem.

13 Confirmatur ſecundò, ex Ariſt. 7. Topicor. cap. 1. loco 15. quem citat. P. Suarez in Metaph. qui loquens de ſeparabilitate arguente diſtinctionem realē, ſic ſe explicat: *Amplius ſi poteſt, alterum ſine altero eſſe non erit idem*. Ex quo ſic arguo dicta confirmans. Iuxta Phyloſophum illa ſola ſeparabilitas arguit diſtinctionē realem, vi cuius verificatur: *Vnum ſine altero eſſe*: ſed quando vnum eodem modo exiſtit & deficit, ac alterum, non verificatur: *Vnum ſine altero eſſe*; ſed potius *eſſe* vnius, & *eſſe* alterius in omnibus vniformitatem, & paritatem habere: ergo Deū exiſtere realiter, deficiente terminatione non erit fundamentum ad diſtinctionē realem Dei, & terminationis, ſi eodem modo, quo exiſtit Deus, ſcilicèt *abſolutè*, exiſtat terminatio; & eodem modo, quo deficit terminatio, ſcilicèt *reſpectivè*, deficiat Deus.

14 Vrgetur contra P. Munieſſa, diſp. 8. de Eſſentia, & attributis ſect. 5. qui cum maximè proclamet difficultatem, quam invenit in defectu reali terminationis realiter cum Deo identificatę, poſteà aſſerit: terminationem contingentē eſſe defectibilem *purè virtualiter*, quin inde inferatur: terminationem diſtingui adhùc virtualiter à Deo: quia deficiente virtualiter terminatione, deficit etiam virtualiter totus Deus: & exiſtente virtualiter Deo quoad alia munera exiſtit etiā virtualiter terminatio quoad eadē. Vnde ſic arguo ab adverſario robur accipiens. Sicut ſe habet defectibilitas virtualis ad diſtinctionem virtualem: ſic ſe habet defectibilitas realis ad diſtinctionem realem: ſed quando defectibilitas virtualis eſt talis, vt Deus, & terminatio eodem modo virtualiter exiſtant, & deficiant, non probat diſtinctionem virtualem: ergo quando defectibilitas realis talis fuerit, vt Deus, & terminatio eodem modo realiter exiſtāt, & deficiant, non probabit diſtinctionem realem. Diſcurſus apparet legitimus à paritate fundamenti, & rationis. Min. eſt doctrina huius Magiſtri. Maiorem, etſi mihi claram, probo. Id, quod facit realis defectibilitas, & realis defectus vnius extremi quoad rem, & formaliter, facit defectibilitas, & defectus virtualis quoad æquivalentiam: ergo eo modo, quo defectibilitas, & defectus realis vnius extremi, altero realiter manente diſtinguit quoad rem, & formaliter eſſe vnius ab eſſe alterius; defectibilitas, & defectus virtualis vnius extremi altero manenti virtualiter, diſtinguet eſſe vnius ab eſſe alterius per æquivalentiam: ergo ſicut comparatur defectibilitas virtualis ad diſtinctionem virtualem, ſic comparatur defectibilitas realis ad diſtinctionem realem.

15 Secundò. Non opponitur attributo æternitatis, quod in hunc modum probo. Defectibilitas realis terminationis non opponitur æternitati Dei. Deindè non opponitur æternitati ipſius terminationis: ergo ex nullo capite opponitur attributo æternitatis. Prob. antecedens. Non opponitur æternitati Dei, & neceſsitati ipſius in exiſtendo id, quod nunquam falſificat hanc propoſitionem: *Deus exiſtit*: ſed defectibilitas realis terminationis nunquam falſificat talem propoſitionem: ergo non opponitur æternitati Dei, & neceſsitati in exiſtendo. Prob. min. Defectus realis, & realis defectibilitas ſolum verificat, aut verificare poteſt hanc propoſitionem: *Deus non exiſtit reſpectivè ad alterum mundum, decernendo, aut cognoſcendo*: ſed verificativū huius propoſitionis non falſificat illam: *Deus exiſtit*. Nàm defectus reſpectivus ſolum opponitur exiſtentiæ reſpectivæ: ſicut defectus abſolutus exiſtentiæ abſo-

lu-

lutæ: ergò defectibilitas,& defectus terminationis non falsificat, nec falsificare potest propositionem illam: *Deus existit*: ergo Deus ex defectibilitate terminationis non arguitur defectibilis defectibilitate opposita *æternitati Dei*; aliàs Deus potens se impedire à coexistendo creaturis: ac per consequens ab existendo pluribus modis respectivè ad ipsas, posset se impedire ab existendo *necessario*, & *indefectibiliter*.

16 Probo secundam antecedentis partem: nimirum non opponi æternitati, & indefectibilitati ipsius terminationis. Non opponitur æternitati terminationis prædicatum, quod non excludit ab æternitate *esse simpliciter tale terminationis*; sed solum modum peculiarem essendi ab æterno: sed realis defectibilitas terminationis non excludit ab æternitate *esse simpliciter tale terminationis*; sed solum modum essendi ab æterno: ergo realis defectibilitas terminationis non opponitur æternitati, & indefectibilitati terminationis. Mai. est certa. Nam, vt constat ex Notabilibus, immeritò annumerabitur inter defectibilia id, quod quamvis vno modo, & titulo ab æterno deficiat, tamen pluribus titulis, & modis ab æterno existit, nec verificare potest hanc propositionem: *Non existit*; sed solùm hanc: *non existit tali modo*, cuius verificativum est defectus modificatus, & restrictus, ac per consequens *secundum quid*; secus *absolutus*, & *simpliciter talis*. Prob. min. Nam licèt terminatio realiter ab æterno deficiat à respiciendo obiecto contingente, aut repræsentativè, aut volitivè existit sub omnibus conceptibus absolutis, sub quibus Deus realiter ab æterno existit: scilicèt: *Essentia*: *Omnipotentia*, &c cum de his verificetur esse idem realiter cum esse reali terminationis: ergo realis defectibilitas terminationis non excludit ab æternitate *esse* simpliciter tale terminationis, sed solum modum essendi ab æterno.

17 Confirmatur ex communi sententia concedente defectum virtualem terminationis, in qua defectus virtualis non dedecet æternitatẽ, & necessitatem existendi divinorum prędicatorum non ob aliam rationem, nisi quia defectus iste virtualis est improprius, & purè per æquivalentiam, compatibilisque cum existentia vera, & reali ab æterno, tum Dei, tum terminationis: ergo similiter defectus realis purè respectivus, consistensque non tam in defectu reali Dei, aut terminationis, per quam excludatur existentia Dei, aut terminationis; sed in exclusione cuiusdã modi existẽdi Dei, & terminationis non derogabit æternitati Dei, & terminationis; cum sit compatibilis cum existẽtia vera, & propria ab æterno, tũ Dei, tum terminationis, cui solùm opponitur: *Non existẽtia*; secus: *Non existentia modificata, & tali modo*.

18 Doctrinæ huic lucem præstitisse videtur D. Thom. de cuius mente apparet, rectè componi defectum respectivum terminationis cum permanentia, & æternitate Dei, & ipsius: Nam citatus à P. Ribadeneyra in præsenti 1. p.q.14.art. 15. ad 1. comparans inter se relationes, & denominationes contingentes Dei ad creaturas *Creatoris, & Domini*, cum denominationibus, & relationibus contingentibus *scientis*, & *volentis*, ait: *Huius modi relationes*, (id est Creatoris, & Domini) *variè de Deo dicuntur secundùm variationem creaturarum; sed scientia, & amor, & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse, & ideò mirabiliter prædicantur de Deo*. Vbi observari debet: Sanctum Doctorem concedere relationes: *Volentis, & amantis* esse Deo adæquatè intrinsecas, & insuper esse æternas, & invariabiles. Deinde 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. sic loquitur de voluntate divina: *Voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam*. Ex quibus rectè (ni fallor) colligo ex mente S. Thomæ inveniri in terminationibus, & relationibus divinis contingentibus adæquatè intrinsecis Deo, prout diversificantur à relationibus, & denominationibus semiextrinsecis vnam invariabilitatem, & necessitatem existendi compositam cũ altera defectibilitate, & non necessitate existendi in ratione volendi obiectum, vt fit clarum ex illis verbis: *Invariabiliter prædicantur de Deo. Ad quod habet habitudinem non necessariam*: sed hæc non necessitas in ratione volendi, aut cognoscendi obiectum non alia est, quam defectibilitas *respectiva*: ergo illa invariabilitas, & existendi necessitas non alia debet esse, quàm absoluta: aliàs, si *invariabilitas*, & *contingentia*: *necessitas*, & *defectibilitas* eodem modo acciperentur, oppositionem quoad se, & quoad verba D. Thom. planè involverent.

19 Idem sentire Eximius N.D.P.

Suarez: necnon P. Didacus Ruiz de Mõtoya non immeritò iudicabitur, qui pro componenda præsente difficultate post impugnationem aliorum, qui extrinseca constitutiva, aut connotata expostulant; imò reiecta virtuali distinctione, quam pro hoc casu inanem, & insufficientem indicat, vnicè ad eminentiam Dei recurrit, qua absque vlla prorsus distinctione componitur summa Dei in existendo necessitas cum defectibilitate, & contingentia ad actus terminatos ad obiecta contingentia requisita, cuius eminentię, si ampliorem explicationem desideres, eam præbet perdoctus, & eruditus P. Christophorus de Ortega, tom. 2. de Deo vno. controv. 4. disp. 3. q. 6. certamine 6. dicens consistere in eo, quod prædicata, quæ secundum species, quas de creaturis habemus, apparent valdè disita, & repugnantia, mirabili identitatis nexu cõiungat. Nam identitas, sicut, & vnitas physica eò magis elucent, quo difficiliora coniungunt, vt patet in vnione hypostathica, tantò excelentior, & mirabilior, quantò extrema remotiora, (finitum, scilicèt, & infinitum) coagmentat, & etiã in speciebus creatis, vbi superior, & nobilior in se, identificat prędicata, quæ inferioribus censentur repugnantia; v. g. Homo, Brutum, Planta, Lapis. Nam *homo* prædicatis *substantiæ, corporei, vegetabilis, & sensitivi* identicè commiscet prędicatum *Rationalis*, cuius identitas repugnat Bruto: Brutum prędicatum sensitivi, cuius identitas repugnat *Plantæ*: *Planta* prædicatum *viventis*, cuius identitas repugnat *Lapidi*: ergo cum prædicata: *necessitatis, & contingentiæ, permanentiæ, & defectibilitatis* ex his, quę in creatis didicimus, difficilis ad modum coniunctionis appareant, eò aptiora ad extollendam divinam perfectionem, & identitatem simplicissimam debent reputari, Deum adducentia ad perfectionis apicem, quę in inferioribus Deo, considerata, vsque ad chymeram deducerent.

20 Postremò: realem defectibilitatem terminationis non opponi attributo *immutabilitatis*, quod nostri discursus vltima pars est, sic probatur. Id non opponitur divinæ immutabilitati, quod in divina perfectione non inducit variationem: sed realis defectibilitas terminationis nullam in divina perfectione induc it varietatem: ergo realis defectibilitas terminationis non opponitur attributo *immutabilitatis*. Prob. min. Nam, vel terminationes liberæ, & contingentes dicunt ex se perfectionem, vel non? Si hoc vltimum: clarum apparet, existentiam, vel defectum realem terminationis non arguere vllam in divina perfectione mutationem: nam id, quod perfectio nõ est, nec additum auget alterius perfectionis, nec detractum minuit. Si primum: adhùc divinę perfectionis mutatio non infertur. Nam vel est posibilis pura omisio, vel non? Si non est posibilis: poterit responderi cum P. Aldrete, hanc determinatam numerò perfectionem actus contingentis; v. g. *Decreti huius mundi* dicere duo constitutiva, non determinatè; sed vagè accepta: nimirum. terminationem ad hunc mundum; & terminationem ad oppositum: vnde deficiente in Deo decreto mundi, adhùc existeret in Deo hæc numero perfectio decreti mundi, constituta sufficienter per terminationẽ ad oppositũ, modo, quo *hic numero Deus*, & *hic numero homo* dicunt determinatè hanc numero *naturam*, & hanc, vel illam *subsistentiam*: & hoc numero *suppositum* dicit determinatè hanc numero *subsistentiam*; & vagè hanc, vel illam *naturam*: neque enim suppositum Verbi desinit esse idem per vnionem ad naturam humanam: neque natura humana desinit constituere eundem numero hominem per vnionem ad subsistentiam increatam Verbi: vnde similiter discurrendo, iuxta mẽtem huius Authoris, poterit dici perfectionem actus contingentis circa hoc obiectum contingens determinatum dicere essentialiter determinatè *esse* & *existentiam* amoris necessarij, si sit actus voluntatis; & cognitionis necessariæ, si sit actus intellectus; & vagè & indeterminatè, vel tendentiam affectivã, & intentionaliter accesivam ad tale obiectum; vel aversivam, & recesivam, qua existentia talis obiecti expellitur, & denegatur.

21 Si sit posibilis in Deo pura omisio: adhùc res possunt componi iuxta doctrinam P. Munieſſa iam citati, qui cum ex vna parte concedat: actus contingentes dicere in Deo perfectionem in se, & ex se, & ex alia asserat esse defectibiles virtualitèr, posteà dum sibi obijcit *deficere in Deo saltem virtualiter aliquam perfectionem*: sequellam firmiter negat: nam actus contingens præcisè virtualiter deficit sub munere respiciendi obiectum, quod componitur cum eo, quod maneat adhùc virtualiter, vt identificatus cum divina essentia, & necessarijs

sarijs Dei, sub qua ratione dicit perfectionem: qua doctrina nostro discurrendi modo accommodata, poterit dici: quod etsi omnis terminatio contingens deficiat realiter, non ideò immutatur divina perfectio: nam cum modus deficiendi realiter terminationem sit purè respectivus compositus cum existentia absoluta terminationis, modus deficiendi perfectionis est similiter respectivus, compositus cum existentia absoluta perfectionis. Vnde dici non valet: *Deficit Deo aliqua perfectio, quando deficit realiter terminatio*; sed solùm. *Perfectio Dei, quæ realiter no se habet ad hoc, aut illud obiectum, existit, potens se habere realiter ad illud obiectū, & perfectio, quæ realiter respicit hoc aut illud obiectum existit, potens non se habere realiter ad illud*: Quod non est perfectionem, quam Deus non habet, posse habere, aut quam habet, posse non habere, vt erat necessarium, si divina perfectio mutaretur; sed tantummodo eandem perfectionem fixam, & invariabilem quoad Deum variabilem esse, quoad modum respiciendi obiectum. Quod si argumentum instaures circa illum modum respectivum, seu respiciendi obiectum, qui dicit perfectionem, & tamen deficit realiter; similiter instaurabo terminos solutionis dicendo: illum modum respectivum existere *absolute*, & deficere *respective*; non secus ac Authores virtualitatum dicunt, non solùm deficere virtualiter decretum alterius mundi, à decernendo altero mundo; verùm *ipsum existere virtualiter quoad tale munus deficere virtualiter*: quare non solum decretum; sed ipsa virtualitas deficit virtualiter.

22 Absolutè tamen, & consequenter ad prænotata, assumptum promoveo: nam modos præcedentes solum proposui, ne nimia coarctatio ad certum, & determinatum modum discurrendi fastidium vltra rei difficultatem pareret. Dico ergo non immutari divinam perfectionem ex adventu, vel defectu reali terminationis dicentis ex se perfectionem: quia licèt sint perfectiones in Deo; non tamen sunt Deo perfectiones absolutè; sed tantùm ex suppositione, quod sic, vel aliter velit operari, aut sic, vel aliter ob veritatem obiecti debeat cognoscere: nec Deo quia ipsi realiter deficiat decretum alterius mundi (respectivè, vt diximus) deficit aliqua perfectio, vi cuius possit dici incompletus quoad esse perfectissimum, & nullo modo excedibile; sed manet æquè æstimabilis, ac si talem terminationem realiter respectivè haberet; imò per ipsum posse deficere terminationem, infinitè perfectus constituitur, quæ si deficere non posset, tantùm distaret à divina perfectione extollenda, vt potiùs deprimeret, & everteret: nam Deum ex libero erga creaturas in necessitatum converteret. Quod satis aptè explicatur in perfectionibus relativis *ad intra*: nam in sententia dicente; relationes *Paternitatis*: *Filiationis, & spirationis* involuere ex se formaliter perfectionem, non ideò Pater est imperfectus, quia identicè immediatè Filiatione careat, nec Filius, quamvis à Paternitate realiter distinguatur: quia licèt Pater careat perfectione filiationis, quæ est in Filio, & Filius perfectione Paternitatis, quæ est in Patre, ipsum esse determinatum Patrem, vt non sit Filius, & Filium, vt non sit Pater, est constitutivum infinitæ perfectionis Patris, & Filij, quin Pater sine illa perfectione Filij, aut Filius sine illa perfectione Patris deteriores in perfectione evadant; sed potius ita perfecti æquales, & quoad esse perfectissimum completi, vt si alter alterius perfectionem identicè includeret, tota Dei perfectio per confusionem Personarum rueret, & evaneseeret, quæ translata ad præsens nostrum institutum mentem exprimunt, & difficultatem ex Dei immutabilitate provenientem suaviter temperant.

23 Vndè pressiùs probationem exhibeo, & ad formam redigo. Non immutatur divina perfectio per adventum, aut defectum illius, quo deficiente Deus non concipitur incompletus quoad esse, & in perfectione diminutus, seu quod idem est, quo deficiente non deterioratur, aut quo existente non perficitur Deus: sed deficiente realiter terminatione aliqua determinata ad obiectum contingens; v. g. decreto alterius mundi, vel deficientibus omnibus, si sit possibilis pura omissio, nec existente terminatione aliqua contingenti; v. g. decreto huius mundi, Deus apparet perfectus, aut deterioratus, completus in perfectione, aut incompletus; sed fixo, & invariabili modo semper, & pro omnino casu completissimus, & in perfectione, & æsti-

mabilitate inexcedibilis : ergo per defectum realem terminationis contingentis dicentis , vel non dicentis, perfectionem ; divina perfectio non immutatur , illæso manente immutabilitatis, attributo. Diſcurſus eſt legitimus. Minor conſtat ex prædicato ipſo *terminationis contingentis: libertatis , & independentiæ.* Fulciturque ex paritate perfectionum relativarum , vbi in qualibet perfectio eſt, non habere perfectionem alterius, adhibita etiam diſtinctione perfectionum, quæ in ſe ſunt tales , & quæ Dei perfectionem augent. Mai. etiam conſtat ex doctrina , qua Theologi tractatu de Incarnatione defendunt: Verbum non mutari ex vnione ad humanitatem: quia neque per adventum illius, neque per defectum perficitur , aut deterioratur , in quo non eſt immorandum ; ſed ex alibi dictis ſupponendum.

24 Ecce mentem explanatam, prout potui , in quam me adduxit diſtinctionis virtualis excluſio , quæ vt inutilis , & inſuper imperceptibilis à me vniverſaliter reijcitur. Si dictorum ſummam expoſcas , his clauditur terminis. Modus ille componendi præſentem difficultatem debet eligi , qui eum ſit Deo decentior, melius contingentiam divinorum actuum proponit : ſed modus aſſignatus eſt Deo decentior , vtpote, qui ſine detrimento divinæ perfectionis actus adæquatè intrinſecos Deo conſtituit, & aliunde actuum, & libertatem, & contingentiam perceptibilem redit: ergo modus iſte eſt reliquis præponendus. Deinde divinam perfectionem non labefactari, his propoſitionibus ſuadetur. Prima : *Non diſtinguitur id quod cum alio ſummè quoad eſſe convenit per æqualem defectum, & æqualem exiſtentiam.* Secunda. *Non eſt defectibile illud , quod pluribus titulis eſt neceſſariò exiſtens.* Tertia. *Non auget, aut minuit Dei perfectionem neque per adventum , neque per defectum id , quod quamvis ſit perfectio in Deo , non tamen eſt perfectio Dei, aut Dei.* Quæ ſi duræ , aut indigeſtæ adhùc appareant, fortè argumentorum ſolutione aliquomodo firmatæ & gratiores apparebunt.

CAPVT III.

Solvuntur Obiectiones.

25 OBIJC. 1. Pro identitate, & ſimplicitate prædicatorum Dei ſub hac forma. Quidquid ſit de vocibus , quibus obſcurare nitimur difficultatem claram, in re concedimus eſſe reale terminationis realiter deficere, permanente realiter eſſe Dei , cum quo identificatur: ergo negare non poſſumus, eſſe reale terminationis realiter ſeparari ab eſſe reali Dei, quò in diſtinctionem realem abſurdè incidemus: nam quid aliud eſt realiter ſeparari *eſſe* reale vnius ab *eſſe* reali alterius , quàm deficere *eſſe* reale vnius, permanente *eſſe* reali alterius: ſed hoc quoad rem concedimus: ergo ſimiliter quoad rem diſtinctionem realem inter divina non relata admittimus. Hoc argumentum ſuo modo premit omnes , qui dixerint, terminationem eſſe virtualiter defectibilem, quin virtualiter diſtinguatur à neceſſarijs Dei ; quod ſi hi argumentum eludant, dicentes neceſſaria Dei eodem modo, & ſenſu, quo terminationes virtualiter deficiunt, deficere ; & terminationes eodem modo, & ſenſu, quo abſoluta, & neceſſaria Dei exiſtunt, exiſtere, quo vitatur diſtinctio virtualis inter neceſſaria, & contingentia. Similiter nos pari cauſa, & ratione diſtinctionem realem negabimus inter terminationem contingentem, & Deum : cum eodem modo, quo terminatio realiter deficit, Deus totus deficiat ; & eo modo , quo Deus realiter exiſtit , terminatio exiſtat.

26 Quare reſpondeo: quod licèt concedamus eſſe reale terminationis realiter deficere; & eſſe reale Dei realiter permanere , non concedimus eſſe reale terminationis realiter deficere modo, quo Deus non deficiat realiter, & ſimul concedimus eſſe reale terminationis exiſtere realiter modo, quo totus Deus exiſtit: ſed duo eodem modo realiter deficere; & eodem modo realiter exiſtere, non eſt vllo modo in eſſe diſcrepare, & quoad eſſe ſeparari , vt conſtat in exemplo , quod adduximus Animalis , & Rationalis hominis, quorum identitati non repugnat, quod eodem modo exiſtant , & eo-

dem

dem modo deficiant : ergo non concedimus defectum realem terminationis sufficientem ad realem distinctionem, & separationem ab esse reali Dei. Vndè realiter separari esse reale vnius ab esse reali alterius, non est præcisè esse reale vnius deficere altero existenti; sed vltra investigandum est : An eodem modo, quo vnum deficit, alterum deficiat; & eodem modo, quo vnum permanet, alterum permaneat; quod si eveniat, vt in præsenti evenit, vbi totus Deus deficit respectivè ad obiectum contingens, & totus respectus existit absolutè, tantum aberit à probanda reali distinctione, vt potius comprobet summam quoad esse convenientiam, & identitatem. Ex quibus facilè constat, quid argumento in forma concedendum, quid negandum, aut distinguendum.

27 Obijcies secundò. Id quod realiter deficit, eo modo, quo realiter deficit non existit : ergo si terminatio realiter deficit respectivè, realiter non existit respectivè : sed eo modo, quo realiter non existit, altero realiter existente, ab existente realiter separatur: ergo terminatio contingens eo modo, quo realiter deficit, realiter separatur à Deo realiter existente. Inde subsumitur. Sed separari realiter est distingui realiter: ergo terminatio contingens eo modo, quo realiter in Deo deficit, aut potest deficere, realiter à Deo distinguitur. Militat argumentum, sicut præcedens, contra admittentes defectum virtualem terminationis, quin Deus, & terminatio virtualiter distinguantur. Nam eo modo, quo deficit virtualiter terminatio, non existit virtualiter: sed eo modo, quo non existit virtualiter, altero, ideſt, Deo existēte virtualiter, virtualiter ab illo separatur: ergo terminatio cōtingens virtualiter à Deo separatur. Subsumo: sed separari virtualiter, est virtualiter distingui : ergo terminatio contingens virtualiter à Deo distinguitur. Militat etiam contra sententiam communem asserentem posſibilitatem posſibilium non distingui à re posſibili, & ab existentia absoluta ipsius, contra quam simile instituitur argumentum, sub hac forma. Deficiente Petro à rebus, non existit absolutè existentia, essentia, & posſibilitas ipsius, existentibus conditionate existentia, essentia, & posſibilitate; sed quodlibet eo modo, quo non existit, altero aliquo modo existente, realiter ab illo separatur : ergo existentia, essentia, & posſibilitas absoluta Petri realiter separatur ab existentia, essentia, & posſibilitate conditionatè sumptis; sed realiter separari, est realiter distingui : ergo existentia, essentia, & posſibilitas absoluta Petri realiter distinguntur ab existentia, essentia, & posſibilitate conditionatis. Pergo : sed posſibilitas, essentia, & existentia conditionatæ verificant has propositiones : *Petrus est posſibilis*: *Petrus est homo* : ergo posſibilitas, & essentia Petri distinguntur ab ipso Petro existente, & absolute sumpto.

28 Respondetur : quod licèt illud, quod realiter deficit eo modo, quo realiter deficit, separetur realiter ab eo, quod realiter eo modo existit; at non separatur realiter ab existente realiter, quod eo modo deficit: quia non stat separatio realis quoad esse sine aliqua quoad esse oppositione; sed quando id, quod existit, realiter deficit eodem modo, quo id, quod realiter deficit, non existit; & id, quod realiter deficit, eodem modo realiter existit, ac illud, quod realiter existit, nulla datur oppositio quoad *esse*, imò, vt diximus, & per se est nobis manifestum, maxima convenientia : ergo licèt terminatio illa contingens realiter deficiat, & Deus realiter existat: quia tamèn Deus deficit *respectivè*, vt deficit terminatio; & terminatio existit *absolutè*, vt Deus existit, nulla dabitur separatio realis, nec distinctio inter esse terminationis, & esse Dei. Ad argumenti formam, concesso enthymemate posito pro maiore, disting. min. Eo modo, quo realiter deficit, altero realiter existente *illo modo*, realiter ab existente separatur; concedo min. Eo modo, quo realiter deficit, altero realiter existente; *sed deficiente illo modo*, nego min. & consequentiam, quo ruit etiam fundamentum minoris subsumptæ, & illationis ex illa deductæ.

29 Sed replicabis immediatè. Licèt eo modo, quo realiter deficit terminatio, realiter deficiat Deus; & eo modo, quo realiter existit Deus, realiter existat terminatio; tamen ille modus, quo realiter deficiunt Deus, & terminatio, realiter deficit à Deo, & terminatione, aliàs si realiter in Deo, & terminatione existeret, non magis Deus, & terminatio existerent respectivè, quàm non existerent; patet, nam non magis exi-

exiſtit, quàm deficit, & è contra, vel *abſolutè*, vel *aliquo modo*, quod tam deficit, quàm exiſtit, vel *abſolutè*, vel *aliquo modo*; ſed id, quod realiter per Identitatem non exiſtit in Deo, realiter diſtinguitur à Deo: ergo modus ille, quo Deus, & terminatio realiter deficiunt, realiter diſtinguitur à Deo. Nec valet reſpondere: illum ipſiſsimum modum deficiendi vno modo exiſtere, & altero deficere. Nam de illo modo, quo realiter deficit, redit eadem efficacia argumentum probans eo modo non eſſe in Deo realiter identificatum: quare iam perveniemus ad aliquid divinum realiter à Deo diſtinctum. Non poſſum non redarguere inſtantiam contra indiſtinctionem virtualem terminationis coniunctam cum defectibilitate virtuali, quod ſic oſtendo. Licèt eo modo, quo deficit virtualiter terminatio, deficiat virtualiter Deus, & eo modo, quo exiſtit virtualiter Deus, exiſtat virtualiter terminatio, tamen ille modus, quo deficiunt virtualiter Deus, & terminatio, nō exiſtit virtualiter in Deo, aliàs quandò deficit virtualiter terminatio, non magis deficeret, quàm exiſteret virtualiter: quia tam exiſteret virtualiter ratione identitatis virtualis, quàm deficeret virtualiter propter defectum virtualem, quem ſupponit; ſed id, quod per identitatem non exiſtit in Deo, virtualiter diſtinguitur à Deo: ergo modus ille, quo Deus, & terminatio virtualiter deficiunt, virtualiter diſtinguitur à Deo. Nec valet reſponſio argumento inſinuata: quia contra ipſam vires infractas reaſumit inſtantia.

30 Solutionem advoco ex doctrina data in notabilibus, ex qua contra conceptum realis identitatis inter duo extrema, non eſt pervenire ad aliquem ſtatum, in quo nec identificentur, nec diſtinguantur, ſcilicèt, quando neutrum ex his, quæ realiter identificantur, exiſtit. Hinc verè verum eſt, terminationem, & Deum eo modo, quo realiter *reſpectivè* deficiunt, non identificari realiter cum illo modo; ſed malè indè infertur, diſtingui realiter ab illo modo: quia cum Deus, & terminatio, & etiam ille modus eodem modo realiter deficiant, & eodem modo realiter non exiſtant, quid mirum, quod illo modo non identificentur; ſed nec diſtinguntur: quia, vt diſtinguerentur, erat neceſſarium, quod Deus, terminatio, & modus non æqualiter deficerent; ſed quod deficiente realiter modo illo exiſtendi, Deus, & terminatio aliter exiſterent, ac exiſtit modus, & aliter non deficerent, ac deficit modus, quod non verificatur, cum ſemper ac exiſtit talis modus ſub quacumque reduplicatione Deus, & terminatio ſimiliter exiſtant; & ſemper ac deficit modus ſub eadem reduplicatione quidquid eſt in Deo parem habeat defectum.

31 Inſiſtes: Licèt benè concipiatur, duo realiter identificata pervenire ad ſtatum, in quo nec realiter identificentur, nec realiter diſtinguantur, quia vtrumque nullo modo exiſtit, vt patet in exemplo adducto Animalis, & Rationalis hominis, quæ quando ſimpliciter non exiſtunt, nec identificantur, nec diſtinguntur; cæterum quando identificata ſimpliciter permanent aliquomodo, aliquo modo etiam deficere ſub ratione, ſub qua poſſunt identificari, imperceptibile eſt abſque diſtinctione reali: nam tunc verificatur: *Hoc exiſtit, & non eſt illud, quod deficit per identitatem*, quod planiſsimè eſt diſtingui; ſin minus, quid erit diſtinctio inter vnum, & aliud? quàm poſſe exiſtere realiter vnum, non exiſtente realiter alio; hoc concedimus: ergo malè ex vero principio, quod præſenti materiæ congruere non poteſt, ſubſidium paramus. Non nego caſuum diſparitatem, ſi quidquid in vno, & altero adæquatè ſumptis intercedit, conſideretur, nec ideò nobis inutilis, & incongrua ex vno ad aliud paritas deducta, ea ſic vtimur. Nam caſus Animalis, & rationalis, quæ non identificantur, nec diſtinguntur in caſu defectus hominis, pariter procedit cum caſu Dei, & terminationis contingentis deficientium reſpectivè in eo, quod Animal, & rationale, Deus, & terminatio eo modo, quo deficiunt, nec identificantur, nec diſtinguntur. Deindè diſparitas non exiſtendi vllo modo Animal, & rationale; & exiſtendi abſolutè Deum, & terminationem impertinens eſt, vt ipſi tribuatur non lædi identitatem realem inter Animal, & rationale; lædi verò inter Deum, & terminationem: ergo congruenter ex vno ad aliud procedimus.

32 Probo min. Eatenùs defectus ille abſolutus Animalis, & rationalis pro identitate iuvaret, quatenùs illo

non

non intellecto, convenientia, & æqualitas quoad esse inter ea, quæ identificantur, non inveniretur: sed absque illo absoluto defectu æqualitas, & convenientia quoad esse inter ea, quæ identificantur, invenitur: ergo disparitas non existendi vllo modo Animal, & rationale est impertinens. Probo minorem. Tunc intelligitur convenientia, & æqualitas inter esse vnius, & esse alterius, quæ identificantur, quando nihil convenit vni, quod non conveniat alteri, quando vnum, tàm deficit, quàm deficit alterum, & tàm existit, quàm existit alterum, & quando id, quod affirmatur de vno, eo modo, quo affirmatur; & id, quod negatur eo modo, quo negatur, affirmatur, & negatur de alio; sed licèt Deus, & terminatio deficiant respectivè, & existant absolutè, pares in omnibus evadunt per æqualem defectum, & æqualem existentiam, per easdem affirmationes, & negationes easdem: ergo non intellecto defectu illo absoluto, quod invenitur in Animali, & rationali, intelligi potest paritas, & convenientia in esse eorum, quæ realiter identificantur, licèt aliquo modo, quo ambo non existunt, nec identificentur, nec distinguantur.

33 Ex quibus constat instantię debilitas, in qua disparitas purè materialis fit formalis, nec dissimulāda est illa propositio, quàm, vt certam in nostra sententia statuit, quando Deus, & terminatio deficiunt respectivè, & existunt absolutè, nimirùm: *Hoc existit, & non est per identitatem illud, quod deficit*, quæ, vt absolutè profertur, falsissima est, cum excludat inter Deum, & terminationem omnem identitatem, quando respectivè deficiunt, quod nos negamus, asserentes identificari absolutè, licèt respectivè, nec identificentur, nec distinguantur. Et ne per similes propositiones adversariorum, obiecta hostem sibi fingant adoriendum, accipe seriem propositionum, quas veras, & falsas iudicamus; hæc propositio: *Deus est realiter terminatio*, semper, & pro omni casu est vera: quia nunquam deficit Deo, & terminationi aliqua vera identitas, scilicèt *absoluta*; per consequens propositio huius contradictoria: *Deus non est realiter terminatio*, semper est falsa; quia negat omnem realem identitatem, quæ pro nullo casu deficit: hæc propositio. *Deus, & terminatio deficiunt respectivè*, loquendo de decreto alterius mundi est vera; item hæc propositio: *Deus non est terminatio respectivè*; secus hæc: *Deus distinguitur à terminatione respectivè deficiente*. Nam vel Deus sumitur *absolutè*, vel *respectivè*: si *respectivè*, tàm deficit Deus, quàm terminatio: quare falsum est distingui, & solum verum non identificari; si *absolutè*, tàm existit Deus, quàm terminatio, falsissimumque est distingui: cum sub illa ratione summè per identitatem conveniant, & intimè, indivisimque sub eadem existentia, & modo existendi existant. Ex quibus pro alijs, quæ ex his pululare possunt, facilè lucem capies, quin in eis proponendis, prolixè nimis gradum sistamus.

34 Obijcies tertiò. Contra conceptum realis identitatis est inter duo extrema, quod existentia vno modo identificata non existant omni identitate sibi possibili; sed quamvis Deus, & terminatio illa contingens eodem modo existant, & eodem modo deficiant, his non obstantibus, aliquando existunt sine omni identitate sibi possibili, vt patet in casu præsentis providentiæ, in qua non existunt Deus, & decretum alterius mūdi cum omni identitate possibili: nimirùm respectivè ad alterū mundum: aliter non deficeret verè, & realiter alter mundus: ergo licèt Deus, & decretum identidem deficiant, & identidem existant, existunt tamen identitate diminuta non habente omnem gradum identitatis, quem habere potest, ac per consequens identitate chymærica. Mai. prob. Contra conceptum identitatis realis duorum extremorum est posse identificari aliter, ac identificantur: quia identitas duorum, & realis essentia duorum idem sunt, & sicut essentia cuiusvis variari non potest, sic nec identitas: sed si duo extrema realiter identificentur vno modo; secus alio, quo possunt identificari, aliter ac identificantur, possent identificari: ergo contra conceptum realis identitatis est, vt extremis existentibus vno modo identificatis, non existat omnis identitas eis possibilis. Quod confirmari potest ex omni identitate reali, quam novimus, in qua nihil simile invenitur: semper enim quæ identificantur, vel modo, quo non identificantur, nunquam possunt identificari; vel modo, quo aliquando possunt identificari, semper ac existunt, identificantur: vnde ergo sumi-

mimus fundamentum ad hanc dimidiatam identitatem adſtruendam ſine præiudicio conceptus realis identitatis?

35 Huic difficultati reſpondere tenetur communis ſententia aſſerens: actus divinos contingentes per intrinſecum virtualiter diſtinctum à prædicatis neceſſarijs Dei, conſtitui. Nam decretum de altero mundo modò deficit virtualiter, quod virtualiter non deficeret, ſi alter mundus exiſteret: ac per conſequens Deus non eſt in hac providentia virtualiter decernens alterùm mundum, vt eſſet ſi in altera mundus alius exiſteret: quare cum identitate reali, quàm Deus habet cum ſuo decreto de altero mundo componitur defectus alicuius gradus identitatis, quem poteſt habere, nimirum identitatis virtualis: neque enim in identitate reali creata, quid ſimile invenitur, in qua iuxta veriorem ſententiam, repugnat diſtinctio virtualis, & quamvis admittatur, à nemine admittitur, quoad prædicata *exiſtendi*, & *deficiendi* Deo ſolummodo hoc privilegium propter ſuam eminentiam, & perfectionem reſervato. Igitur abſolutè reſpondeo: id ſolum eſſe contra conceptum realis identitatis inter aliqua, quod probat diſtinctionem realem inter ipſa; cumque defectibilitas iſta reſpectiva, vt ſemel, & iterum probavimus, non arguat diſtinctionem realem: quia convenientiam, quoad eſſe non impedit, neque opponitur cum reali identitate; ſimiliter non obſtat in creatis nihil ſimile ſimilitudine perfecta inveniri, vtpotè quod ſolum probabit indefectibilitatem iſtam argumento prætenſam, eſſe de conceptu identitatis realis creatæ; ſecus de conceptu identitatis realis, *vt ſic*: ſicut, quod diſtinctio virtualis, vel abſoluta, vel reſtricta ſaltem ad prædicata *exiſtendi*, & *deficiendi* non benè componatur cum identitate reali creata, non probat eſſe contra conceptum identitatis realis: aliàs in Deo à nullo admitteretur; ne identitati reali prædicatorum in divinis maximè neceſſariæ derogaretur.

36 Nec plus vrget illud de variatione, quoad eſſe reale, & quoad eſſentiam; nam, vt omittam terminationes Dei contingentes reſpectivè ſumptas, non pertinere adhùc ad eſſentiam phyſicam Dei: quia illis reſpectivè deficientibus permanet idem Deus non ſolum metaphyſicè; ſed & phyſicè, quod etiam extendunt graves Authores ad relationes *Paternitatis*, &c. quas dicunt non pertinere ad eſſentiam, non modo metaphyſicam; verum nec phyſicam Dei, ne concedere cogantur Patrem non eſſe eundem phyſicè Deum, qui eſt Filius: ex quibus colligitur: variationem identitatis reſpectivæ nullam adducere Deo metaphyſicè, aut phyſicè conſiderato, in eſſentia variationem, & diverſitatem. Inſuper addo, variationem hanc de non identitate ad identitatem reſpectivam non opponi reali identitati, quando non identitas eſt propter non exiſtentiam vnius, & alterius extremi: Deus autem, vt diximus, & non ſolum terminatio contingens deficit reſpectivè ad creaturas, quamvis non abſolutè: ergo contra conceptum identitatis non eſt, quod illo modo non identificentur, quando illo modo non exiſtunt: ſolum ergo de conceptu identitatis realis extremorum eſt primum: quod eo modo, quo exiſtunt, verificetur: *Hoc eſt illud*, & nunquam poſsit verificari dum ſic exiſtunt; *hoc non eſt illud*. Secundum: quod ſolùm poſsint non habere identitatem, provt non exiſtunt, & ſemper ſint ex ſe determinata, vt pro caſu exiſtentiæ, *vnum ſit realiter aliud*. Tertium: in ente neceſſario, & indefectibili: *Quod ſemel, ac aliquomodo identificantur, nunquam non modo non diſtinguantur; verùm nec non identificentur*; quæ omnia, ſi dicta à nobis recolantur, exactè obſervata inter Deum, & terminationem contingentem invenies.

37 Obijcies quartò: cauſam agens divinæ perfectionis, & Æternitatis debitæ *eſſe* realiter divino. Nihil realiter defectibile eſt ſimpliciter infinitè perfectum: ſed omne ſimpliciter, & abſolutè identificatum cum Deo eſt ſimpliciter infinitè perfectum: ergo terminatio ſimpliciter, & abſolutè identificata cum Deo non eſt realiter defectibilis. Mai. inquit P. Doctor Ribadeneyra, videretur omnibus ex terminis patentiſsima, niſi præſentis quæſtionis difficultatibus obruti, conati de induſtria fuiſſent ſemetipſos fallere, ob quam affectatam deceptionem probat eam multipliciter. Primò: quia, quod non eſt ſummum in genere entis realis, non eſt ſimpliciter infinitè perfectum entitativè: ſed defectibile realiter non eſt ſummum in genere entis realis: quia

C-

ſicut eſſe ens reale, eſt eſſe aptum ad exiſtendum, ita eſſe ſummè ens reale, eſt nullum eventum eſſe poſsibilem, in quo non poſsit exiſtere, & poſsibilis eſt eventus, in quo realiter defectibile non poſsit exiſtere, ſcilicèt, in caſu poſsibili, quo deficiat, pro quo non poteſt exiſtere: ergo defectibile realiter non eſt ſummum in genere entis realis. Secundò: quod alicui adeò ſubiectum eſt, vt pro illius arbitrio poſsit eſſe nihil, non eſt ſimpliciter infinitè perfectum: nam omnis ſubiectio, & inferioritas dicit oppoſitionem cum perfectione ſimpliciter infinita rei ſubiectæ, & inferioris; ſubiectio, & inferioritas autem eſt pro alicuius nutu poſſe eſſe nihil. Tertiò: quod non eſt infinitum ſimpliciter in genere æterni, non eſt abſolutè, & ſimplicitèr infinitè perfectum; ſed decretum condendi mundum; v. g. ſecundùm quod realiter defectibile eſt, non eſt infinitum ſimpliciter in genere æterni: ergo neque ſimpliciter infinitè perfectum. Prob. minorem: eo quod poſsibilis ſit duratio, cui ſit impoſsibile formalitatem aliquam coexiſtere, nō eſt ſimpliciter infinita talis formalitas in genere æternæ; ſed poſsibilis eſt talis duratio: quia poſsibile eſt, Deum nolle condere hunc mundum, quo caſu, decretum de condendo mundo non poſſet coexiſtere durationi æternæ nolitionis: ergo decretum defectibile realiter non eſt ſimpliciter infinitum in genere æterni.

38 Quartò. Quia tale decretum eo modo, quo eſt realiter defectibile non poteſt eſſe ſimpliciter infinitum in genere immenſi, productivi, & cognoſcitivi: ergo non eſt ſimpliciter infinitè perfectum. Antecedens probatur per partes. Non eſt ſimpliciter infinitum in genere immenſi, quod ex ſe non eſt determinatum, vt penetretur cum omnibus vbicationibus poſsibilibus. Deinde: non eſt infinitum in genere productivi, & omnipotentis, quod ex ſe eſt incapax aliquid producendi: vltimò non eſt infinitum in linea, & genere intellectivi, quod ex ſe eſt incomponibile cum pluribus affirmationibus: ſed decretum Dei eo modo, quo realiter defectibile eſt, non eſt ex ſe determinatum, vt penetretur cum omnibus vbicationibus poſsibilibus: ex ſe incapax eſt aliquid producendi: ex ſe incomponibile eſt cum pluribus affirmationibus: ergo non eſt infinitè perfectum in linea immenſi, omnipotentis, & intellectivi. Prob. minorem. Decretum Dei eo modo, quo realiter defectibile eſt, non poteſt penetrari cum vbicationibus coexiſtentibus ſuo defectui: non poteſt producere creaturas, quæ exiſtunt in ſenſu diviſo illius, nec poteſt affirmare ſuum defectum, vt reliquas veritates, quæ cum ſuo defectu componuntur; aliàs exiſteret, & non exiſteret, & adhùc hoc tranſmiſſo, eo modo, quo non exiſteret, hæc non faceret: ergo decretum Dei eo modo, quo realiter defectibile eſt, non poteſt penetrari cum omnibus vbicationibus poſsibilibus: nō poteſt producere quidquid producibile eſt, neque affirmare, aut cognoſcere quidquid affirmari, aut cognoſci poteſt.

39 Ante reſpondendum, rogare vellem ſapientiſsimum Magiſtrum obijcientem: an præſentis quæſtionis difficultatibus obrutus, conatus ſit ſeipſum de induſtria fallere vſque ad diſtinctionem illam, & identitatem diminutam concedendam in Deo, quam immemor huius quæſtionis, abs dubio ex ſola terminorum propoſitione chymæram, & pluſquam chymæram reputaret: poterat ergo, tàm per otium propriam ſententiam convellere, quàm maiorem argumenti probare. Deindè moneo: vim huius obiectionis, ſi quæ eſt, æquè opprimere virtualiſtas. Nam non minus diminuitur perfectio infinita decreti per defectum virtualem, quàm per defectum realem: quid ergo intereſt habere eſſe, ſi tale eſſe ita datur, ac ſi non daretur: idem non immeritò reputari debet non habere eſſe, ac habere illud taliter, vt ſolùm ſilentio explicari poſſit? Quid prodeſſet auro, & argento ſuus intrinſecus valor, ſi ita ipſo gauderent, vt in ordine ad communes vſus, & rem familiarem augendam quaſi terra, aut palea deberent reputari. Nec minus valent maioris probationes contra hanc ſententiam, quàm contra noſtram. Primò: Nam, quod eſt ſummum in genere entis realis, debet habere ſemper, & pro ſemper omnem gradum poſsibilem exiſtendi competentem enti reali: ſed exiſtere virtualiter, eſt gradus exiſtendi poſsibilis enti reali, quem habere non poteſt decretum eo modo, quo virtualiter deficit: ergo decretum eo modo, quo eſt virtualiter defectibile, non eſt ſummum, neque infinitum ſim-

ſimpliciter in genere entis realis. Secundò : quod alicui ita ſubiectum eſt, vt pro ipſius nutu, & arbitrio poſsit ſe habere, ac ſi eſſet nihil, non eſt infinitum ſimpliciter in genere entis realis; perfectius enim ex proprijs terminis apparet, quod id non haberet, cum aliqua inferioritate, & ſubiectione eſſet denudatum. Tertiò : non eſt infinitum ſimpliciter in genere æterni, quod ita cum æterno identificatur, vt eſſe illud æternum, provt à tali formalitate denominatum, æternitati non coexiſtat: ſed Deus, provt decernens alterum mundum, æternitati non coexiſtit: ergo decretum, provt virtualiter defectibile, non eſt infinitum in genere æterni; quod idem ſua proportione applicari poteſt immenſitati, omnipotentiæ, & ſcientiæ.

40 Sit ſolutio. Diſtinguere maiorem. Nihil realiter defectibile *abſolutè* eſt ſimpliciter infinitè perfectum, concedo mai. Nihil realiter defectibile *purè reſpectivè*, ſeu *quoad aliquem reſpectum* eſt ſimpliciter infinitè perfectum, nego mai. Et conceſſa min. diſtingo conſequens : ergo terminatio realiter identificata cum Deo non eſt defectibilis realiter *abſolutè*, concedo conſequentiam; non eſt defectibilis *purè reſpectivè*, nego conſequentiam. Quod ſi de modo illo deficiendi iterum inculces, iterum ſub diſtinctione data, reſpondebo, *deficit abſolutè*, nego; *deficit reſpectivè*, concedo. Ad primam probationem tantùm abeſt, vt ſit contra ſummitatem in genere entis realis, quod ſit aliquomodo realiter defectibile purè *reſpectivè*, vt potius per iſtam defectibilitatem conſtituatur in genere ſummi entis realis, quia per ipſam conſtituitur liberum, & à creaturis independens; quæ ſunt perfectiones ſine quibus ſummum, & infinitè perfectum ens reale intelligi non poteſt. Ad ſecundam permitto, quod ſubiectum arbitrio alicuius, vt poſsit eſſe nihil, non ſit ſimpliciter infinitè perfectum, imò mille ſcatens imperfectionibus : quia ſubiectio dicit imperfectionem, & inæqualitatem inter ſubiectum, & ſubijciens; quod non contingit inter actum contingentem adhùc provt defectibilem, & Deum: quia provt talis, licèt non identificetur cum Deo quando deficit, non diſtinguitur, & vlteriùs, quamvis vno modo non identificetur, pluribus alijs eſt realiter idem : vndè in vtroque reſidet æquale dominium, vi cuius Deus, & actus contingens, ſeu defectibilis propter ſuam eminentiam poſſunt ſe impedire à reſpiciendo, vel non reſpiciendo creaturas hoc, vel illo modo, quod quidem non ſubiectio; ſed pleniſſimum dominium reputari debet; ſicut, quòd libertas per vnum exercitium ſe ab altero impediat, non eſt libertatem eſſe libertati ſubiectam; ſed vnicè libertatem eſſe pleniſsimè dominam ſuarum actionum. Ad 3. 4. 5. & 6. Reſpondeo: non eſſe contra æternitatem, immenſitatem, omnipotentiam, & intellectualitatem decreti defectum coexiſtendi *durativè*, & *præſentialiter*, concurrendi, & intelligendi, qui non ſit *abſolutus* : nam ſolus iſte negat omnem durationem, præſentiam, potentiam, & intellectualitatem; defectus, verò reſpectivus compatibilis eſt cum his veritatibus : *decretum aliquo vero ſenſu correſpondet æternitati; immenſitati, aliquo vero ſenſu omnia producit, & omnia intelligit* : quod ſufficit, vt ſecundùm ſuum eſſe ſit infinitè æternum, immenſum, omnipotens, & omniſciens : nam in quacumque linea ex his habet quidquid ſine perfectionis infinitæ detrimento eſt conceptibile, quod non haberet; ſed potius oppoſitum: cum Deus prædicatum *liberi*, & independentis amitteret, & in chymæram converteretur.

41 Obijcies quintò. Magis opponitur æternitati Dei, & decreti poſſe abſolutè reſpectivè deficere, quàm poſſe deficere realiter reſpectivè ex ſuppoſitione, ſeu poſtquam ſemel habuit exiſtentiam : ſed hoc ſecundum opponitur æternitati, & perfectioni Dei, & decreti : ergo primum cum infinita perfectione Dei, & decreti non componitur. Min. eſt certa iuxta ſententiam ferè omnium Theologorum non admittentium in divinis actibus vllam temporalem mutationem, ita vt quidquid Deus ſemel velit, ſemper velit, & quidquid Deus ſemel noluit, ſemper nolit. Mai. prob. Magis opponitur infinitæ perfectioni, & æternitati Dei, & decreti maior in exiſtendo defectus : ſed defectus reſpectivus abſolutus eſt maior defectu reſpectivo ex ſuppoſitione : quia primus nihil permittit exiſtentiæ reſpectivè; ſecundus vero non cum totali exiſtentia opponitur: ergo magis opponitur æternitati, &

per-

perfectioni Dei, & decreti posse absolutè respectivè deficere, quàm posse deficere respectivè realiter ex suppositione, seu postquam semel habuit existentiam. Argumentum hoc sua generalitate vilescit, cum non magis nobis, quàm reliquis adversetur: sivè enim actus contingentes constituantur adæquatè intrinseci Deo, sivè non, sivè per formalitatem virtualiter distinctam, sivè virtualiter identificatam, omnes dicunt posse deficere sivè realiter, sivè virtualiter absolutè denominationem decernendi hunc mundum; at non posse deficere neque realiter, neque virtualiter ex suppositione, quod semel in Deo inveniatur: quare obiectio objicientem perimit, & æquo iure à se, quàm ab alijs solutionem exposcit.

42 Solutionem præbeo omnibus gratam, & communem, negando mai. & antecedens probationis distinguendo. Magis opponitur perfectioni, & æternitati Dei, & decreti *complete sumptæ* maior in existendo defectus, nego antecedens. Magis opponitur infinitæ perfectioni, & æternitati Dei, & decreti *incompletè, & præcisivè sumptæ*, permitto antecedens, & nego consequentiam; quod idem est ac dicere: Possumus considerare perfectionem infinitam Dei completè, & prout constituit ens undequaque infinitè perfectum; vel incompletè, & prout contractam ad certum, & determinatum attributum. Insuper attributum æternitatis possumus considerare prout formaliter præcisum à reliquis attributis, vel completè quoad esse reale, & prout associatum cum reliquis attributis. Si perfectio infinita Dei consideretur incompletè, & prout contracta ad attributum æternitatis, & æternitas ipsa consideretur præcisivè à reliquis attributis, permittimus magis opponi cum ipsis maiorem illum defectum respectivum absolutum, quàm minor respectivus ex suppositione: sed hæc maior oppositio non est quoad rem, sed quoad apparentiam orta ex præcisione nostri intellectus, qua consideramus Deum inadæquatè, ac veluti si solam diceret æternitatem, & perfectionem, quam secum fert tale attributum; at si consideretur perfectio Dei *completè*, & perfectio æternitatis, prout cohærens cum reliquis attributis, & perfectionibus, quæ inveniri debent in Deo, vt sit ens simpliciter infinitè perfectum, minus opponitur cum perfectione, & æternitate Dei, & decreti maior ille defectus respectivus absolutus, quàm minor respectivus, & ex suppositione. Ratio est: quia primus exigitur ab attributo libertatis, quia deficiente, Deus non intelligeretur infinitè perfectus, cum aliud perfectius esset excogitabile; secundus verò à nulla perfectione divina exigitur; quare, vt potè superfluus, & ad nihil in Deo necessarius, non modò æternitati, verùm, & reliquis attributis essentialiter opponitur. Solutionis doctrina accuratè est observanda pro investigandis divinis perfectionibus, quibus plura convenire videntur primo aspectu, quæ in re repugnant; & plura repugnare quæ in re conveniunt.

43 Deceptionis causa est præcisio vnius divini attributi, & perfectionis ab alijs, vi cuius solitariè consideratur ac si vnicè in Deo existeret, non attenta germanitate, & identico nexu, quem cum reliquis debet habere, vt ad pondus (sic dicam) cum reliquis constituat infinitam perfectionem, & excellentiam Deo debitam: vnde oritur, quod specie quadam infinitatis decepti tantùm perfectionem aliquam efferamus, vt post cum reliquis non benè cohæreat. Exemplum rem declarabit. Disputant Theologi. *tractatu de actibus humanis. Quodnam voluntarium sit perfectius: liberum, an necessarium?* Resolvunt plures, perfectius esse necessarium; alij verò plures pro præstantia liberi decertant: sed neutri constituunt in voluntate divina, aut omnes actus liberos, aut omnes necessarios; sed mixtim partim liberos, partim necessarios: quo statuto, esset ne rectus modus arguendi probare contra quamlibet ex sententijs, aut omnes divinos actus debere esse liberos, aut necessarios, quia alius rationi operantis voluntariè, quæ in Deo invenitur, deficeret aliqua perfectio voluntarij, quæ concipitur, si omnes omninò actus divinæ voluntatis æqualiter participent conceptum perfectionis voluntarij? Minimè profectò: nam licèt considerando rationem operandi voluntariè, prout præcisam à reliquis perfectionibus, appareat pertinere ad eius incrementum, & infinitatem quidquid Deo est voluntarium esse perfectius voluntarium; cæterum si consideretur in consortio aliarum perfectionum, detractio illa perfectionis voluntarij non solùm non mi-

nuit divinam perfectionem; verùm requiritur, vt Deus ſit infinitè perfectus; alias vel in nihilo eſſet liber, vel nō eſſet infinita bonitas, de cuius conceptu eſt rapere voluntatem neceſſariò in ſui amorem. Ecce doctrinam pro argumento datam, & obiectionem ſolutam.

44 Obijc. ſextò. Actus divinos eſſe defectibiles realiter pro libertate Dei, eſt actus divinos eſſe creaturas: ergo implicat eſſe adæquatè intrinſecos Deo per identitatem, & eſſe realiter defectibiles adhùc reſpectivè. Antecedens probatur ex eo, quod obſervat P. Ruiz de Montoya diſp. 13. de voluntate ſect. 1. vbi ait. PP. & Concilia Arrianorum hæreſim impugnantes, vt probarent, Verbum, & Filium Dei non eſſe creaturam aſſumebant, vt principium firmum, non eſſe liberè productum à Patre; contra verò Arriani, vt creaturam eſſe defenderent, productum liberè aſſerebant: ergo exiſtere aliquid liberè à divina voluntate eſt antecedens legitimum inferendi illud eſſe creaturam. Impugnat argumentum omnes aſſerētes actus divinos contingentes eſſe adæquatè intrinſecos Deo, ſivè realiter, ſivè tantum virtualiter ſint defectibiles. Reſpondeo. PP. & Concilia ad arguendum contra Arrianos nō ſtatuere, vt principium: *Hoc eſt liberum Deo: ergo eſt creatura*; ſed iſtud: *Hoc non eſt liberum Deo: ergo non eſt creatura*: quod veriſimum eſt, & nihil nobis oppoſitum continens: nam licet omne, quod creatum eſt, cum neceſſarium non ſit, divino arbitrio debeat eſſe ſubiectum; non tamen omne, quod à libertate dependet debet eſſe creatum: vnde argumentum PP. ſic procedebat: *Vos Arriani dicitis Filium Dei eſſe creaturam: ergo debet habere quod eſt de conceptu creaturæ: nimirùm liberè procedere à Deo: ſed Filius liberè non procedit à Patre: ergo Filius non eſt creatura.* Cui argumento totis viribus Arriani reſpondere conabantur negādo minorem, ne ſi ipſam concederent, tenerentur admitere Verbum eſſe creaturam, ſine eo, quod de conceptu creaturę eſt. Ex quibus liquidò conſtat, principium à PP. receptum, & Arrianis non negatum non eſſe: *quidquid Deo liberum eſt, creatura eſt*; ſed: *quidquid creatura eſt, Deo liberum eſt.* Ex quo nihil contra noſtram ſententiam, nec per vmbram ex mente PP. & Conciliorum convincitur.

45 Obijc. ſeptimò. Per nos quidquid defectibile eſt per defectum abſolutum, & non modificatum neque eſt divinum, neque eſt æternum: ſed terminatio realiter reſpectivè deficiens deficit per defectum abſolutum, & non modificatum: ergo terminatio reſpectivè realiter deficiens neque eſt æterna, nec cum Deo realiter identificatur. Prob. min. Id, quod ſub proprio conceptu nullo modo, quando realiter deficit, eſt affirmabile *exiſtens*, deficit realiter per defectum abſolutum, & non modificatum; ſed terminatio contingens deficiens realiter reſpectivè nullo modo ſub proprio conceptu eſt affirmabilis *exiſtens*: ergo terminatio deficiens realiter reſpectivè deficit per defectum abſolutum, & non modificatum. Mai. apparet certa. Nam quod ſecundùm id, quod eſt, nullo modo poteſt dici exiſtens, abſolutè deficit. Min. prob. Terminatio ſub proprio conceptu eſt decretum Dei; v. g. erga alterum mundum: ſed decretum Dei erga alterum mundum nullo modo eſt affirmabile exiſtens realiter; aliàs vero, & proprio ſenſu poſſet dici Deus realiter nunc decernens alterum mundum: & per conſequens alter mundus quando realiter deficit, poſſet dici verè, & realiter exiſtens: ergo terminatio contingens deficiens realiter reſpectivè nullo modo ſub proprio conceptu eſt affirmabilis *exiſtens*. Aliter eadem minor probari poteſt in hunc modum. Id, quod ſub proprio conceptu ſolùm habet eſſe reſpectivum, ſi reſpectivè realiter deficit, ſub proprio conceptu nullo modo manet affirmabile *exiſtens*, aliter aliquo vero ſenſu exiſteret realiter reſpectivè: ſed terminatio ſub proprio conceptu ſolùm habet eſſe reſpectivum: ergo terminatio contingens deficiens realiter reſpectivè nullo modo ſub proprio conceptu eſt affirmabilis exiſtens.

46 Protectores diſtinctionis virtualis interrogo: an terminatio ſub proprio conceptu, ſub quo deficit virtualiter, exiſtat realiter, vel non? Si hoc vltimum: ergo terminatio ſub proprio conceptu non tantum virtualiter; verùm, & realiter deficit. Si primum: ergo terminatio ſub proprio conceptu realiter exiſtit: ergo decretum alterius mundi, & Deum decernere alterum mundum realiter exiſtit: quomodo ergo non veri-

rificatur: *Deum realiter nunc decernere alterum mundum, & istum realiter nunc existere?* Ad argumentum concessa mai. neg. min. Ad cuius probationem nego, etiam min. ad Syllogismum per quem primò probatur, concessa mai. nego min. Nam de decreto alterius mundi sub conceptu *decreti, & terminationis* ad alterum mundum verificantur hæ affirmationes: *Decretum de altero mundo quoad esse absolutum sui existit: Decretum de altero mundo absolutè sumptum, est realiter essentia, immensitas, æternitas, Pater, Verbum, &c.* ac proinde *decretum alterius mundi quoad esse absolutum sui existit, Essentia, Sapientia, &c. decretum alterius mundi, quoad esse absolutum existit sicut prædicata necessaria Dei: Non minus existit decretum de altero mundo absolutè consideratum, ac Deus existit.* Nec quamvis hæ affirmationes verificentur, sitque decretum tot modis affirmabile *existens*, infertur esse veram hanc propositionem: *Deus realiter decernit alterum mundum.* Nam hæc propositio sic absolutè, & sine restrictione vlla prolata denotat esse respectivum Dei, & decreti ad alterum mundum *respectivè dici*, quod non contingit nunc quando deficit alter mundus: recole instantiam memoratam pro defectibilitate, & distinctione virtuali. Ad secundam eiusdem min. probationem conceſſ. mai. nego min. Nam decretum, & terminatio contingens sub proprio conceptu talis non solùm habet esse respectivum; sed absolutum, quod permanet deficienti respectivo non *absolutè*; sed *respectivè*. Nam, vt diximus, de ipso modo respectivo eodem modo discurrendum est, ac de decreto, asserendo deficere *respectivè*; secus *absolutè*, quod si millies multiplices *respectivè*, & *respectivum*, millies etiam *absolutum*, & *absolutè* debes multiplicare, quod provenit ex eo, quod esse respectivum sit realiter, & virtualiter esse absolutum.

47 Instabis primò. Imperceptibile satis apparere hoc esse absolutum decreti, quod permanet, quando deficit respectivè: nam vel hæ affirmationes, quæ quando deficit decretum respective, possunt verificari nempè: *Decretum existit absolutè, seu quoad esse absolutum: decretum existit quoad esse absolutum, sicut existit essentia*, & aliæ huius generis, vel includunt aliquid vltra essentiam divinam, & attributa communia, & relativa necessaria, vel non? Si non includunt, præcisè affirmabunt existere Deum quoad absoluta, & relativa necessaria: vnde dicere, permanere decretum quoad esse absolutum sui, erit tantùm ludere verbis, & quoad rem concedere manere Deum realiter, & realiter deficere decretum defectu absoluto, qui competere potest decreto, prout formaliter non est præcisè Deus, & necessaria communia, & relativa, si includant aliquid vltra dicta, hoc nihil aliud potest esse, quàm decretum alterius mundi secundùm esse proprium, & reale sufficiens ad verificandam hanc propositionem: *Deus realiter verè, & propriè decernit alterum mundum*: ergo vel concedendus est defectus absolutus decreti, vel admittendum, Deum simul decernere, quod non decetnit. Respondeo: Propositiones enumeratas ex parte obiecti nihil aliud includere præter essentiam, & attributa necessaria tàm communia, quàm relativa: quia esse absolutum decreti nihil aliud est, quàm id, quod est realiter ipse Deus, prout necessariò existens; at ex parte modi considerandæ est diversitas inter has propositiones: *Deus existit: essentia divina existit: attributa communia, & relativa necessaria existunt*; & inter has: *Decretum Dei secundum esse absolutum sui existit: essentia, & reliqua attributa necessaria existunt, vt esse absolutum decreti.* Nam primæ propositiones explicant Deum, & omne necessarium, quod est in Deo, prout præscindit ab eo, quod tale esse sit esse decreti, & sit determinatum, vt pro nutu divinæ libertatis ipse Deus, & necessarium, quod est in Deo se habeat respectivè ad creaturas: vnde Deus, & essentia ex parte modi præscinditur à denominatione, vi cuius denominatur *esse absolutum* sui decreti, & sui actus contingentis: verùm propositiones alteræ ab hoc non præscindunt, sed explicant formaliter ordinem identicum, quem dicunt necessaria Dei ad esse respectivum pro casu divinæ terminationis, à quo etiam prædicata necessaria Dei denominantur *esse absolutum decreti Dei contingentis*, seu *decretum contingens quoad esse absolutum*; quod si hoc, tibi apparet ludere verbis, explica seriùs, & libenter audiam, & discam.

48 Instabis secundò. Ergo quando deficit decretum modo sufficienti, vt Deus non denominetur decernens, existit decretum modo sufficienti, vt Deus subeat talem denominationem. Probatur sequella: Tunc existit decretum modo sufficienti, vt Deus denominetur decernens quando absolutè verum est, *Deum decernere*: sed quando verum est, decretum existere absolutè, sicut per nos verum est quando deficit respectivè, tunc verum absolutè est, *Deum decernere*: ergo quando deficit decretum modo sufficienti, vt Deus non denominetur decernens, existit decretum modo sufficienti, vt Deus simul subeat talem denominationem. Confirmatur. Eo modo, quo existit decretum, Deus decernit: sed quando deficit decretum respectivè, per nos, existit absolutè: ergo quando deficit decretum respectivè, Deus absolutè decernit: sed Deum absolutè esse decernentem, est suscipere denominationem decernentis eo modo, quo eam suscipit quando decretum existit, vt significatur his vocibus: *Decretum de altero mundo existit*: ergo quando deficit decretum modo suficienti, vt Deus non denominetur decernens, existit decretum modo sufficienti, vt Deus subeat talem denominationem. Nititur instantia æquivocatione termini *absolutè*, qui secundùm diversas applicationes diversum efficit sensum iam verum, iam falsum: quare distinguendæ sunt propositiones affectæ tali syncathegoremate, ex quarum distinctione solutio constabit: propositio hæc: *Existit absolutè decretum*, diversissima nobis est ab hac: *Absolutè existit decretum*. Nam prima solùm significat existere decretum quoad esse absolutum sui; verùm secunda, existere decretum absque vlla restrictione: ideo prima est vera; secunda falsa. Deindè hæ propositiones: *Deus est decretum absolutè*: *Deus est decernere absolutè*. *Deus est denominatio decernendi absolutè*, diversissimæ etiam sunt ab his. *Absolutè verum est Deum decernere*: *Absolutè Deus est suum decretum*: *Absolutè Deus decrevit*: *Deus est decernens absolutè*. Primæ verè sunt, cum solum denotent esse Dei esse decretum modo restricto, essèque determinatum, vt per identitatem respiciat creaturas, quando nutus divinæ libertatis advenerit; secundæ falsissimæ, nam per ipsas innuitur, nihil deficere Deo, vt sit decernens: hinc negandæ sunt omnes propositiones, quæ quamvis modificatæ per terminum *absolutè* tribuunt Deo denominationem decernendi: nam hæ, vt veræ sint, debent involuere esse respectivum decreti, quod, vt supponit argumentum, deficit, solumque verificatur, Deum secum identificare esse absolutum denominationis decernendi. Ad formam argumenti nego sequellam. Ad probat concess. mai. disting. min. Quando verum est, decretum existere *absolutè* sensu æquivalenti huic propositioni: *Absolutè existit decretum*, tunc verum: absolutè est Deum decernere, concedo min. sensu æquivalenti huic propositioni: *Decretum existit quoad esse absolutum sui*, nego min. & consequentiam. Ad confirmationem neg. mai. Nam licèt verum sit: *Eo modo, quo existit decretum, Deum esse realiter decretum*; non tamen verum est: *Eo modo, quo existit decretum, Deum decernere*: Siquidem *Deum decernere* vnicè alligatum est ad modum existendi respectivè. Non curavi sensus propositionum parificare in sententia distinguentium virtualiter: quia paritas cuique erit obvia.

49 Objic. octavò. Pro immutabilitate Dei. Deum esse mutabilem quoad esse, & perfectionem, est Deum posse habere quoad esse, & perfectionem aliquid, quod non habet quoad esse, & perfectionem, vel absolutè, vel saltem aliquomodo: sed Deus iuxta nostram sententiam potest habere aliquid quoad esse, & perfectionem saltem aliquomodo, quo de præsenti non habet: ergo Deus iuxta nostram sententiam constituitur mutabilis. Prob. mai. prius, probaturus post min. Mutari nihil aliud est, quàm aliter quoad esse & perfectionem se habere: ergo esse mutabilem quoad esse, & perfectionem, est Deum posse habere quoad esse, & perfectionem aliquid, quod non habet, vel absolutè, vel saltem aliquomodo quoad esse, & perfectionem. Iam probo reservatam minorem Deus iuxta nostram sententiam modò, & in hac providentia non habet respectivè esse, & perfectionem respectivam decreti alterius mundi, quam potest habere pro casu decernendi alterum mundum: ergo Deus iuxta nostram sententiam potest habere aliquid quoad esse,

esse,& perfectionem, saltem aliquomodo,quo de præsenti non habet, distinguo mai. Deum esse mutabilem quoad esse , & perfectionem est Deum posse habere quoad esse , & perfectionem aliquid,quod non habet,&c.*præcisè* nego mai. Est posse habere aliquid, quod non habet,& *vi cuius augetur perfectio, aut cuius carentia manet esse ; & perfectio incompleta* concedo mai. sub quibus terminis distincta minori nego consequentiam,Ad mai.probat.distinguo. antecedens:mutari nihil aliud est, quàm aliter quoad esse,& perfectionem se habere sumpto *mutari vulgariter* concedo antecedens;sumpto *mutari physicè*, aut *theologicè* nego antecedens , sub qua distinctione distincto consequenti concedo, aut nego consequentiam. Explico terminos. Dupliciter intelligi potest: *mutari*, & *mutatio* : primo modo præscindendo à rigore scholarum , & prout præcisè denotat habere aliquam denominationem,quæ pro alijs circunstantijs non dabatur præscindendo ab eo, quod qui talem denominationem suscipit, aut per eius adventum perficiatur, aut per eius defectum deterioretur : secundo modo physicè , aut theologicè , quo sensu rigoroso significat transitum à minori ad maiorem perfectionem,vel è contra.Si mutatio primo modo intelligatur; potest in Deo dari, sed absque inconvenienti: aliàs esse vnitum hypostathicè naturæ humanæ repugnaret: si secundo modo accipiatur, à Deo est releganda : nam cum per essentiam sit simpliciter infinitè perfectus, nunquam potest existere aut diminutus, aut auctus in perfectione; verùm mutatio in hoc sensu ex nostra sententia non sequitur:quia nec perfectio Dei minuitur per defectum respectivum , nec augetur per existentiam respectivam decreti: vnde patet quid dicendum ad minoris probationem.

50 Obijc.nonò. Sententiam propositam aut esse eandem cum sententia Cardinalis Cayetani , aut ferè in nihilo ab ipsa differre, quam graviter carpunt, & non levi censura inurunt Sapientiss. DD. Nam Bañez eam appellat non benè sonantem:Medina ab omnibus reprobatam: Fonseca aliquantò audaciorem,& parùm tutam : Molina parùm in fide securam, piarumque aurium offensivam: Valentia merito ab omnibus, vt absurdam , reprobatam : Suarez non dignè sentientem de Deo,& nullo modo probandam : Vazquez nulla ratione defensabilem quibus conformantur Arrubal,Machin,Navarrete,& Salas,vt ait P.Ribadeneyra. Respondeo : mentem Eminentissimi Cayetani esse in hoc puncto valdè dubiam, & pro varietate interpretationum iam censurâ affici, iam excusari, qui rigidè eam reijciunt, vt falsam,& pernicioſam,ideò est : quia putant dixisse Cayetanum terminationem contingentem realiter defectibilem,esse realiter superadditam Deo, & realiter distinctam, quo sensu eam censuræ aculeis pungunt, & vsque ad sententiam, quam ex Vorstrio Calvinista retulimus, trahunt, & meritò quidem, cum admittat, Deum velle , & amare, sicut,& cognoscere per actus realiter à se distinctos , ac per consequens per actus creatos. Sed quidquid sit: an hæc fuerit Cayetani mens , quod de tanto Doctore facilè non credam,planè videtur,quantum à nostra sententia distet, quæ totis viribus ennixa est, defectibilitatem realem terminationis componere cum non modo reali ; verùm, & virtuali identitate inter ipsam, & Deum: quare censuram iustam non timeo , & animos censurandi avidos contemno, cum sua aviditate corripiantur,& simul vulnus inferant,& medellam. Rationabiliùs (nisallor) iudicarem , hanc esse sententiam Eximij nostri Suarij , qui absque recursu distinctionis virtualis, solumque eminentia supremi Numinis protectus, ait: ratione illius rectè componi volitionem liberam esse indistinctam à perfectione volitionis necessariæ adæquatè identificatæ cum Deo, & esse verè,& propriè defectibilem in ratione terminationis. Vtinam in persuasione non aberrem , & meus discursus tantum mereatur Patronum.

CAPVT IV.

Solvitur secunda difficultas ex Trinitatis Mysterio.

51 VNVM Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate Fide Catholica profitemur , taliter , vt Pater Æternus sit Deus: Filius sit Deus: Spiritus Sanctus sit Deus, & tamen non sunt tres Dij; sed vnus est Deus , non in

vnius ſingularitate Perſonæ; ſed in vnius Trinitate ſubſtantiæ. Hinc iam ſe oſtendit difficultas huius Myſterij : nam ſi eſſentia realiter vna, realiter per identitatem eſt in Perſonis: quomodo hæ realiter inter ſe non identificantur? Irrefragabile enim videtur illud principium rationis lumini conſonum: *Quæ ſunt eadẽ vni tertio realiter, realiter ſunt eadẽ inter ſe*: vnde iſte ſyllogiſmus expoſitorius efformatur. *Deitas eſt Filiatio: Deitas eſt Paternitas: ergo Filiatio eſt Paternitas* : aut iſte. *Hic Deus eſt Pater: hic Deus eſt Filius: ergo Pater eſt Filius* : vel, è contra : ſi relationes , & perſonæ inter ſe realiter diſtinguntur : quomodo in vna , & eadem eſſentia realiter identificantur? Nam quæ realiter vni tertio repugnant, realiter repugnant inter ſe : ſed eſſentia, & Paternitas realiter vni tertio repugnant , ſcilicèt *Filiationi*. Eſſentia enim realiter eſt Filiatio: Paternitas verò non eſt realiter Filiatio: ergo realiter repugnant inter ſe : formaturque alius ſyllogiſmus expoſitorius, cuius concluſio eſt negativa identitatis realis eſſentiæ, & relationis, ſcilicèt: *Hæc eſſentia eſt Paternitas realiter: Filiatio non eſt Paternitas realiter: ergo Filiatio non eſt realiter hæc eſſentia.*

52 Vlteriùs : nullum poteſt eſſe maius ſignum diſtinctionis realis inter duo, quàm convenientia duplicis prædicati contradictorij : aliàs de eadem entitate reali verificaretur *eſſe* , *& non eſſe*, quod chymæra eſt: ſed de eſſentia, & Filiatione verificantur duo contradictoria: ergo eſſentia , & Filiatio diſtinguntur realiter. Prob. min. Eſſentia realiter identificatur cum Paternitate: Filiatio non identificatur realiter cum Paternitate: ſed identificari, & non identificari reſpectu eiuſdem ſunt prædicata contradictoria: ergo eſſentiæ, & Filiationi conveniunt prædicata contradictoria: ergo vel dicendum apparet diſtingui realiter inter ſe, vel eſſe chymeram. Vrgetur amplius. Id, quod violat principium illud inconcuſſum: *Quodlibet eſt, vel non eſt* eſt id, quod per ſui exiſtentiam conſtituit impoſsibile : ſed Myſterium Trinitatis tale principium violat : ergo impoſsibile eſt. Mai. eſt evidens. Nam quod frangit illud principium, continet oppoſitum illius , & oppoſitum illius eſt duplex prædicatum contradictorium: nempè: *Neque eſſe , neque non eſſe*: ergo quod violat illud principium eſt id, quod per ſui exiſtentiam conſtituit impoſsibile. Prob. min. Myſterium Trinitatis continet eſſe reale eſſentiæ realiter identificatum cum Paternitate, & non identificatum realiter cũ Paternitate: ergo cõtinet eſſe reale, quod nec identificatur realiter cum Paternitate, nec cum illa non identificatur realiter : ergo deſtruit illud principium. Prob. antecedens. Eſſe reale eſſentię eſt eſſe reale Filiationis: ſed eſſe reale eſſentiæ identificatur realiter cum Paternitate , & eſſe reale Filiationis non identificatur realiter cum Paternitate: quia quod realiter diſtinguitur ab aliquo , realiter cum illo non identificatur: ergo Myſterium Trinitatis eſſe reale eſſentiæ continet realiter identificatum cum Paternitate, & realiter cum Paternitate non identificatum: ergo apparet , quod vel relationes, & Perſonæ realiter inter ſe non poſſunt diſtingui; vel quod realiter cum vna, & eadem eſſentia identificari realiter non poſſunt.

53 Hæc eſt difficultas huius profundiſsimi Myſterij , quod per Fidem nobis innoteſcit , quamque ipſa Fide duce potius venerari quàm inveſtigare debemus. Tamen ne omninò appareat innexplicabile Trinitatis Myſterium, DD. Scholaſtici ſequentes Eccleſiæ Patres connantur eam aliquomodo explicare, & obiecta diſſolvere, attendentes ſimul divinæ ſimplicitati , & veritati prædicationum, quam ex fide profiteri tenemur, pro qua cenſent defenſſores diſtinctionis ſivè ex natura rei , ſivè virtualis, eam eſſe vnicum medium, quod, vt ſuadeant, nobis obijciunt difficultatem hanc: quare operè pretium nobis eſt eam ſolvere, & oſtendere, ſine adminiculo vnius , & alterius diſtinctionis non eſſe præcluſum additum explicationi, & ſolutioni tam arduæ difficultatis.

54 Sit concluſio conſequenter ad dicta in præcedentibus , quam defendunt PP. Vazq. Ruiz , & plures alij aſſerentes: eſſentiam diſtingui à relationibus (ſi aliqua diſtinctione diſtinguitur) ſola rationis diſtinctione. Dixi *ſi aliqua diſtinctione diſtinguitur*, vt non contendam modò cum Aureolo negante inter eſſentiam , & relationes non tantùm diſtinctionem à parte rei ; verum, & rationis : quare concluſio præcipuè eſt negativa, in quantum affirmat eſſentiam , & relationes nullo modo diſtin-

guĩ

gui à parte rei, nec distinctione actuali, nec virtuali, & in æquivalentia, sed si aliqua distinctione distinguntur, soluni esse distinctione rationis. Hæc conclusio probatur primò, omnibus authoritatibus supra allegatis, tum Patrum, tum Conciliorum asserentium: inter essentiam, & relationes vnicè intercedere distinctionem rationis. Constat secundo ab everſione cuiusvis distinctionis à parte rei, sivè actualis, sivè virtualis, quam abundè dedimus. Probatur tertiò, à priori sub hac forma.

55 Ea, quæ summè conveniunt in esse, si distinguntur aliqua distinctione, non alia, quam rationis: sed essentia, & Paternitas; v. g. (idem intellige de alijs relationibus) summè conveniunt in esse: ergo si distinguntur, nulla alia distinctione, quam rationis. Prob. minorem: Ea summè conveniunt in esse, quæ easdem subeunt affirmationes, & negationes; sed essētia, & Paternitas easdem subeunt affirmationes, & negationes: ergo sūmè in esse conveniunt. Prob. min. Paternitas taliter *non communicatur*, vt sit indivisibiliter realiter essentia, quæ *communicatur*: Deinde essentia taliter *communicatur*, vt sit indivisibiliter realiter Paternitas, quæ *non communicatur*: ergo esse reale essentiæ *communicatur essentia*, & *non communicatur Paternitas*; sed hoc est convenire in prædicatis, & prædicationibus: ergo essentia, & Paternitas eaſdem subeunt prædicationes. Prob. minorem: *Communicari*, quod prædicatur de essentia est *communicari non absolutè*; verùm *communicari essentiæ*: sed hoc idem *communicari* convenit Paternitati eodem modo ac convenit essentiæ; nempè: *Communicari essentiæ*, si essentia indivisibiliter realiter est Paternitas, quæ *non communicatur*, & Paternitas indivisibiliter realiter est essentia, quæ *communicatur*: ergo si Paternitas taliter *non communicatur*, vt sit indivisibiliter realiter essentia, quæ *communicatur*, & è contra, essentia, & Paternitas conveniunt in prædicatis, & prædicationibus.

56 Confirmatur. Vbi non est vnum, & aliud realiter, quod communicatur, & non communicatur, idem est esse reale quod communicatur, quin per *communicari* excludat *non communicari*; nec per *non communicari* excludat *communicari*: sed *communicari*, quod non excludit *non communicari*, & è contra, non constituit prædicationes ex se oppositas in *esse*, sed summam convenientiam in esse: ergo inter essentiam, & Paternitatem datur summa convenientia in *esse*. Prob. minorem: *Communicari*, quod non excludit *non communicari*, vel non est *communicari*, quod negatur per *non communicari*, vel saltem non est *communicari*, quod negatur per *non communicari*, eo modo, quo negatur per *non communicari*; patet hoc: *aliàs communicari* essentiæ excluderet *non communicari* Paternitatis, quod esset constituere Deum impossibilem: sed *communicari*, quod non negatur per *non communicari*, vel si negatur, non negatur eodem modo, quo affirmatur, non constituit prædicationes, ex se oppositas: ergo *communicari*, quod non excludit *non communicari*, non constituit prædicationes ex se oppositas in esse.

57 Probo 2. & explico amplius præcedentem rationem. *Communicari*, quod negatur de Paternitate, vel est *communicari* impossibile toti Trinitati, vel saltem est *communicari* modo impossibili toti Trinitati: sed *communicari*, vel impossibile toti Trinitati, vel modo impossibili toti Trinitati æquè negatur de essentia, ac de Paternitate: ergo *communicari*, quod negatur de Paternitate, negatur de essentia. Probo mai. Probaturus etiam minorem: *Communicari*, quod negatur de Paternitate est *communicari Paternitatis*: sed *communicari Paternitatis* impossibile est toti Trinitati, cui repugnat Paternitatem esse Filiationem: ergo *communicari*, quod negatur de Paternitate toti Trinitati est impossibile. Prob. iam min. *Communicari* impossibile toti Trinitati repugnat ei, quod Trinitas est: sed essentia Trinitas est: ergo *communicari* impossibile toti Trinitati æquè negatur de essentia, ac de Paternitate. Idem à contrario dictum reputa de *communicari*, quod affirmatur de essentia.

58 Probo 3. Et hæc probatio militat præcipuè contra eos, qui nullam virtualem distinctionem inter creata realiter identificata admittunt. Non minus opponuntur quoad speciem *communicari*, & *non communicari*, quàm *esse Dei*, & *non esse Dei*: *esse agentis*, & *non esse agentis*: *esse vnius*, & *non esse vnius*: *esse æquale*, & *non esse æquale*: *esse perfectius*, & *non esse perfectius*: sed hæc omnia possunt verificari de rebus realiter identificatis

abs-

absque aliqua virtuali distinctione: ergo *communicari*, & *non communicari* possunt verificari de essentia, & Paternitate, tum absque reali distinctione, tum absque alia, quæ præcisè non sit distinctio rationis. Mai. est certa. Min. prob. De actu contritionis verificatur: *esse Dei amorem, & non esse Dei odium*, cum amor Dei, & odium peccati in ipso identificentur: de *actione*, & *passione* realiter identificatis verificatur: *esse Agentis actionem, & non esse agentis passionem*: de Materia prima, in qua identificantur *exigentia*, & *capacitas*, verificatur: *Exigentiam esse vnius formæ solius, & capacitatem non esse vnius formæ solius*; *sed plurium*: *de similitudine*, & *perfectione* identificatis cum complexo duorum hominum verificatur *esse similitudinem æqualem similitudini duorum Angelorum*, & de perfectione verificatur *non esse æqualem perfectioni duorum Angelorum*, de hac veritate: *Angelus existit*, in sententia constituente veritatem formalem per actum, & obiectum, seu per conformitatem identificatam cum actu, & obiecto, & de *calido*, vt *quatuor* vnito per vnionem entitativè perfectiorem vnione alterius calidi, *vt quatuor* verificatur esse entitatem perfectiorem alia veritate; v.g. *Petrus existit*, & non esse veritatem perfectiorem, nec perfectiorem conformitatem: & esse entitatem perfectiorem, & non esse calidum perfectius, cum in vtroque casu entitas, & conformitas, entitas, & calidum identificentur: ergo omnia relata possunt de rebus realiter identificatis sola distinctione rationis intercedente, verificari. Quod, vt clarius appareat forma in his omnibus exemplis syllogismos expositorios, eandemque difficultatem, ac in Trinitate invenies: vnum pro omnibus sit exemplum in *actione*, & *passione* realiter identificatis: *Hæc actio est hæc passio*: *hæc passio est termini producti*: ergo *hæc actio est termini producti*. Applica Trinitati.

59 Probo 4. Magis opponuntur inter se *communicari*, & *non communicari*, si eodem modo, quo affirmatur de essentia *communicari* negetur de Paternitate *communicari*, quàm *producere*, & *produci*: sed hæc prædicata propter oppositionem, quam inter se habent arguunt essentialiter distinctionem realem, vt constat ex Patribus probantibus distinctionem Personarum in divinis contra Sabelium, & Praxeam: ergo illa prædicata propter maiorem oppositionem, vtpote contradictoriam, arguent realem distinctionem inter essentiam, & relationes; sed hanc non arguunt: ergo signum est, quod *communicari*, quod convenit essentiæ eo modo, quo convenit essentiæ convenit Paternitati, & *non communicari*, quod convenit Paternitati, eo modo, quo Paternitati convenit, essentiæ etiam convenire.

60 Hinc inferes, quomodo difficultas Mysterij sit solvenda, & explicanda, asserimus in primis, quod quamvis essentiæ conveniat *communicari* realiter, & Paternitati realiter *non communicari*, hæc prædicata non arguunt distinctionem; quia, & si quoad apparentiam aliquid conveniat vni, quod alteri non conveniat, in re sunt convenientissima, cum id, quod vni non convenit, eo modo, quo ipsi non convenit, alteri non conveniat; & è contra, id, quod vni convenit, eo modo, quo ipsi convenit, alteri conveniat: scilicèt Paternitati *non communicari Paternitatem*; *communicari verò essentiam*; & essentiæ, *non communicari Paternitatem*, & *communicari essentiam*.

61 Vndè ad syllogismum expositorium, quod conficitur: *essentia est Paternitas*: *Filiatio est essentia*: ergo *Filiatio est Paternitas*. Respondeo, non benè concludere, nec esse rectam formam arguendi, quia non ponit in conclusione extremitates sub eo modo, & sub ea reduplicatione, sub qua identificantur cum medio in præmissis. Nam Paternitas, & Filiatio, quæ sunt extremitates, identificantur cum medio, quod est *essentia* non absolutè; sed sub reduplicatione *essentialiter*, quæ implicitè continetur in natura, & conditione medij, & extremitatum: quarè si sub eadem reduplicatione ponantur in conclusione, rectus erit syllogismus, & consequens legitimum: nempè: *Paternitas est Filiatio essentialiter*, seu *in essentia*.

62 Nec nova appareat hæc solutio, & explicatio, tum quia ab omnibus negantibus distinctionem virtualem in creatis debet concedi in omnibus instantijs supra positis, tum quia patet in hoc syllogismo: *Omne currens provt currens essentialiter movetur*: *sed Petrus est currens provt currens*: ergo *Petrus essentialiter movetur*, in quo consequens tantum tenet, si addatur illa reduplicatio: *provt currens*, sub qua Petrus iden-

ti-

tificatus fuit in præmissis cum medio. Ex quibus etiam constat non violari in divinis illud principium: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; quia sensus ipsius est: quod, quæ identificantur cum vno tertio, eo modo, quo identificantur cum vno tertio, nempè: *si sub reduplicatione*, identificantur inter se *sub reduplicatione*: si *absolutè*, *absolutè* identificantur inter se, quod tàm in divinis, quàm in creatis tenet. Modum hunc explicandi hoc principium tenent Scotus in 1. dist. 2. quæst. 4. Capreolus in 1. dist. 2. quæst. 3. art. 1. Cayetanus art. 3. in præsenti, Ferrara 2. contra Gentes.

63 Nec obstat, quod opponunt Vazquez, & Suarèz, scilicèt, hanc explicationem esse idem ac asserere, quod *quæ identificantur uni tertio identificantur in uno tertio*. Tum, quia contra ipsos potest fieri similis instantia in illo principio: *Dici de omni*, quod explicant sic: *Quicquid dicitur de aliqua ratione distributivè accepta, dicitur de omnibus sub illa contentis*, & hoc, vt per se patet, formalissimè est dicere: *Quod illud dicitur de omnibus, quod de omnibus dicitur*; tum, quia licèt in præsenti casu ratione materiæ extremitates identificari inter se eo modo, quo identificantur cum vno tertio, sit præcisè identificari in vno tertio; absolutè tamen plus significat principium sic explicatum, cum denotet ea, quæ identificantur cum vno tertio simpliciter, & non sub reduplicatione, identificari simpliciter inter se, & non sub reduplicatione, quod quid plus est, quàm identificari in vno tertio.

64 Infertur etiam: Non violari in Trinitate illud principium: *quæ repugnant uni tertio, repugnant inter se*; neque illud vniversalissimum: *Quodlibet est, vel non est*. Non primum: quia, vt diximus: *quidquid essentiæ conuenit*, convenit etiam relationi: vndè hic syllogismus: *Essentia est Paternitas: Filiatio non est Paternitas*: ergo *Filiatio non est essentia* malè concludit: quia habet quatuor terminos: quia in prima præmissa implicitè intelligitur *essentialiter*; in secunda implicitè intelligitur *relativè*; sicque exponitur: *Essentia est Paternitas essentialiter*: *Filiatio non est Paternitas relativè*: ergo *Filiatio non est essentia*; quomodo ergo poterit deduci disconvenientia in conclusione, si in præmissis disconvenientia cum tertio non proponitur: Non secundum: Tum, quia *non communicari*, quod convenit Paternitati non excludit *communicari essentiæ*; sed aliud chymæricum, & vtrique repugnans: tum quia illud principium, vel solum intelligitur quoad existere, & non existere, vt multi volunt: vel solum intelligitur quoad idem esse reale, & formale, vt alij intendunt.

CAPVT V.

Solvuntur obiectiones.

65 IAM contra nostram sententiam, & explicationem obijcies primò. Eam esse eandem cum sententia, quam propugnat Gregorius de Arimino in 1. dist. 26. quæst. 1. & quæ male audit apud Theologos, ita vt dixerit Pater Antonius Perez tom. 1. Theologiæ, tract. de Trinit. disp. 1. cap. 2. num. 38. esse plusquam falsam propter ingentia absurda, quæ ex ipsa deducuntur contra propositiones certas ex fide. Ante solutionem breviter proponenda, & examinanda est sententia huius Doctoris, vt sic fiat satis obiectionis intento.

66 Sententiam suam sic proponit Gregorius loco citato, tentans occurrere difficultati Mysterij ex contradictione desumptæ, asserendo non esse in Patre; v. g. (idem dictum reputa de reliquis Personis) aliquid, quod à Filio distinguatur, & aliquid, quod cum Filio identificetur; sed totum, quod datur in Patre distingui à Filio vno modo, identificarique cum Filio alio modo: distinguitur enim totum, quod est in Patre à Filio *personaliter*; identificatur verò cum Filio *essentialiter*, quod explicat exemplo animæ rationalis Petri; v. g. quæ se ipsa & adæquatè est indistincta specificè ab anima Pauli, distinctaque numericè ab eadem anima: vndè, inquit, cessat difficultas Mysterij, argumentaque probantia distinctionem inter essentiam, & relationes enervantur: quia cum hæc nitantur contradictioni prædicatorum conuenientium essentiæ, & Paternitati; scilicèt, *communicari*, & *non communicari*, nulla erit oppositio, aut contradictio, si eodem modo, quo essentia cõmunicatur, communicatur relatio, & eodem modo,

do, quo non communicatur relatio, non communicatur essentia.

67 Quæ sententia erroribus exposita, & inconvenientia gravissima secum ferre videtur: etenim ex ea apparet deduci posse *totum, quod est Pater in vero, & rigoroso sensu reali distingui ab eo, quod est Filius*; & insuper *totum quod est Pater in vero, & rigoroso sensu reali esse totum, quod est Filius*; quæ propositiones apparent manifestè opponi fidei, qua credere tenemur Patrem, & Filium in omni sensu simpliciter reali habere eandem essentiam; & deinceps Patrem in omni sensu simpliciter reali non esse Filium. Nec obstat se protegere terminis *personaliter* ad distinctionem, & *essentialiter* ad identidem. Nam hæ limitationes nihil valent, si ad vltimum distinctio transcendat essentiam aliquo vero sensu, & identitas etiam vero sensu se extendat ad relationem. Nec favet exemplum animæ rationalis vnius hominis specie indistinctæ ab anima alterius; distinctæ tamen numericè; imò potius doctrinæ falsitatem videtur confirmare. Etenim, & si anima Petri sit indistincta specificè ab anima Pauli, quod nihil aliud est, quàm non habere notabilem differentiam in prædicatis; tamen semper est verum, animam Petri non esse realiter animam Pauli, quod si cum proportione ad divina transferatur, erit concedere in personis vnitatem collectivam essentiæ, secus vnitatem identitatis, incidereque, vt inquit Herrera, in errorem cuiusdam relati ab Anselmo, libr. *de Incarnatione Verbi*, cap. 1. & Ioachimi Abbatis asserentis, vt refertur *in capite damnamus de Summa Trinitate. Quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, verum vnitatem huiusmodi non esse veram, & propriam; sed quasi collectitiam, quemadmodum multi homines dicuntur vnus populus*, quæ assertio damnata est ab Ecclesia.

68 His tamen non obstantibus, censeo, quod si attentè sensus huius Authoris perpendatur, & non frustatim; sed ex contextu omnium, quæ profert, ad trutinam reducatur, longè est ab erroribus relatis. Duo enim intendit Gregorius Arimin. Vnum relegare realem distinctionem ab essentia, & relationibus; alterum vitare contradictionem in prædicationibus: vt primum assequatur, inquit, essentiam, & relationes non esse vnum, & aliud realiter; sed quidam conceptus obiectivus realiter indivisibilis, qui & si non involvat aliud realiter ab essentia, neque aliud realiter à relatione, tamen neque est præcisè realiter essentia, neque præcisè realiter relatio: Hinc infert, non esse in Patre aliud, quod distinguatur à Filio, & aliud, quod cum ipso identificetur: non quia relatio Paternitatis realiter non distinguatur à Filio, nec quia essentia, quæ est in Patre realiter cum Filio non identificetur; sed quatenus id, quod realiter distinguitur, non sit aliud realiter ab eo, quod cum Filio identificatur; quod patet, quia cum sibi obijceret ex sua sententia sequi Patrem distingui à Filio per essentiam, respondet, hanc propositionem duplicem posse habere sensum. Vnum: *Pater essentialiter distinguitur à Filio, seu in essentia distinguitur à Filio*; & hic sensus est falsus, neque ex sententia infertur: alterum *Pater per id, quod est essentia distinguitur à Filio*, & hic est verus, & legitimè illatus.

69 Vt secundum evitet, statuit conceptum hunc realiter indivisibilem, vno modo distingui à Filio; altero identificari. Distinguitur *personaliter*; identificatur *essentialiter*: non quia essentia aliquo sensu reali distinguatur: quia omnis modus distinctionis essentiæ est modus distinctionis essentialis, non modus distinctionis relativæ; sed quia totus iste conceptus indivisibilis realiter, qui est essentia, quamvis non præcisè realiter essentia; est Paternitas distincta, & quæ non communicatur realiter Filiationi, quo vitatur contradictio, & oppositio in prædicationibus: nam de toto conceptu indivisibili realiter nunquam negatur esse *filiationem incommunicabilem*, quod affirmatur, & esse *essentiam communicabilem*, quod etiam de ipso affirmatur.

70 Vndè ad obiectionem respondeo: Libenter fateri nostram sententiam eandem esse cum sententia proposita rectè intellecta, & modificatis semper propositionibus, quomodo eam non accipiunt impugnatores; sed fingentes propositiones quasdam absolutas, quas neque iste Author concessit, nec nos concedimus, vt ex solutione reliquarum obiectionum facilè patebit, sicut etiam non esse contra hanc sententiam difficultatem aliquam, quæ gravius non premat maiorem, ne dicam

cam meliorem partem Theologorum reducentium propositiones, quæ de essentia, & relationibus verificantur, ad sensum, & distinctionem purè formalem penes variationem nostrorum conceptuum, inter quos numerari debent ex nostris Vazquez, Ruiz, & Granados, Fasol, & novissimè Platel.

71 Obijc. secundò. Ergo Pater non distinguitur à Filio nec Pater, & Filius ab Spiritu Sancto. Probatur sequela. Per nos essentia, & relatio sunt conceptus obiectivus realiter, & virtualiter indivisibilis: ergo totum, quod est in Patre est in Filio, & totum, quod est in Patre, & Filio est in Spiritu Sancto. Prob. consequentia, vbi non est aliud, & aliud neque realiter, neque virtualiter, si aliquid participatur, totum participatur: sed in conceptu Patris non est aliud, & aliud neque realiter, neque virtualiter: ergo si aliquid huius conceptus participetur à Filio, totus conceptus participabitur: sed innegabile est iuxta Fidem aliquid participari, nempè essentiam: ergo essentia, & Paternitas sunt in Filio.

72 Respondeo negando sequellam. Ad probationem concess. antecedenti disting. consequens totum, quod est in Patre est in Filio *essentia* concedo consequentiam: totum quod est in Patre est in Filio *Paternitas* nego consequentiam. Ad huius probat. disting. mai. si aliquid participatur, totum participatur *modo possibili*: concedo mai. *modo impossibili* nego mai. Et concessa min. disting. consequens, si aliquid participatur totum participatur à Filio *modo possibili, & essentialiter* concedo consequentiam; *modo impossibili, & relativè* nego consequentiam. Et vt clarior solutio appareat, revoca in memoriam illa exempla, quæ adduximus, in quibus idem conficitur argumentum, nempè in actione, & passione realiter, & virtualiter identificatis, vbi quamvis ab actione participetur conceptus indivisibilis *passionis*, quæ est termini, & à passione conceptus indivisibilis *actionis*, quę est agentis, tamen solùm communicatur sub aliqua reduplicatione, nempè actioni, *esse termini passionem*, & passioni *esse agentis actionem*, nec repetere desinam hanc difficultatem fugi non posse à distinguentibus tantùm per rationem essentiam à relationibus. Moneo insuper illam loquutionem: *Totum, quod est in Patre est in Filio aliquomodo* non esse adeo exoticam Theologis, vt eam non concedant sub terminis *immediatè, & circumincessivè*, scilicèt essentiam *immediatè*, & relationem ratione identitatis cum essentia *circumincessivè*.

73 Obijc. tertiò. Per nos eo modo, quo communicatur essentia, communicatur Paternitas, & eo modo, quo non communicatur Paternitas, non communicatur essentia: ergo hæc propositio erit vera: *Tam identificatur Pater per Paternitatem cum Filio, quàm per essentiam: tàm distinguitur Pater à Filio per essentiam, quàm per Paternitatem*: sed hæc propositio est falsissima, imò, & hæretica: ergo nostra sententia substineri nequit. Insto etiam formam arguendi in exemplis allatis; v.g. *in exigentia, & capacitate* materiæ primæ, vbi eo modo, quo convenit exigentiæ *esse vnius formæ* convenit capacitati: ergo tam exigentia, quàm capacitas est *vnius formæ*. Respondeo: Nullam ex propositionibus argumenti esse accipiendam sine distinctione: ideò disting. antecedens. Per nos eo modo, quo communicatur essentia *essentialiter* communicatur Paternitas *relativè*, seu *personaliter* nego antecedens; communicatur Paternitas *essentialiter* concedo antecedens: ergo hæc propositio est vera *tam identificatur*, &c. *absolutè sumpta* nego mai; quia absolutè sumpta sonat, quod sicut est eadem essentia in Patre, ac in Filio, sic est eadem Paternitas modificata per terminos *essentialiter, & relativè* concedo mai. & disting. min. Est falsissima *in sensu absoluto* concedo min. in sensu *restricto* neg. min. & consequentiam.

74 Obijc. quartò. Pater identificatur cum Filio per Paternitatem *essentialiter*, & distinguitur à Filio per essentiam *relativè*: ergo Pater identificatur cum Filio per Paternitatem, & distinguitur à Filio per essentiam. Prob. conseq. Quia à restricto ad non restrictum benè valet affirmativè cōsequentia: ergo si Pater distinguitur à Filio per essentiam *relativè*, distinguitur per *essentiam*; & si idem est per relationem *essentialiter*, identificatur *per relationem*. Respondeo hìc non argui à restricto ad non restrictum; sed à non remoto ad remotum: quia sublato illo termino *essentialiter* in *communicari* Paternitatis, & illo termino *relativè* in *non communicari* essentiæ, *communicari* Paternitatis transit ad esse impos-

poſsibile: nempè Paternitatem omninò abſolutè identificatam cum Filio, quæ eſt Paternitas chymærica; & eſſentiam omninò abſolute diſtinctam à Filio, quæ ſimiliter eſt eſſentia chymærica.

75 Obijcies quintò. Si noſter modus diſcurrendi eſt verus, hæ propoſitiones abſolutè prolatæ. *Eſſentia communicatur*: *Paternitas non communicatur*, vel erunt falſæ, vel ſaltem non poterunt concedi ſine hac diſtinctione: *Eſſentia communicatur eſſentialiter*: *Paternitas non communicatur relativè*: Sed hæ propoſitiones ab omnibus abſolutè cõceduntur; imò diſſonum eſt in fide in illis admittendis per terminorum additionem ſcrupulosè ſe habere: ergo modus noſter diſcurrendi eſt falſus. Reſpondeo: has propoſitiones abſolutè prolatas eſſe concedendas, cum præcisè affirmatur Myſterium: nempè, *Deum eſſe trinum*, & *vnum*, & ſic ab omnibus conceduntur: dum verò vltra progreditur ad probandam inde diſconvenientiam prædicatorum inter eſſentiam, & relationes eſſe diſtinguendas: ſicut diſtinguentes ex natura rei formaliter, & diſtinguentes virtualiter eſſentiam à relationibus faciunt in hac propoſitione: Paternitas *eſt eſſentia*, quam in ſimili caſu diſtingunt; alij ſic: *Paternitas eſt eſſentia realiter ſimpliciter*; ſecus, *ex natura rei formaliter*; alij ſic: *Paternitas eſt eſſentia realiter*; non *virtualiter*.

76 Obijcies ſextò. Quia Paternitas; v.g. relativè opponitur Filiationi eſt vera hæc propoſitio: *Paternitas diſtinguitur realiter à Filiatione*: ergo quia eſſentia *relativè* opponitur iuxta nos erit vera hæc propoſitio: *eſſentia diſtinguitur realiter à Filiatione*. Diſting. antecedens. Quia Paternitas opponitur modo relativo Filiationi, & *exprimitur modo relativo* eſt vera hæc propoſitio: *Paternitas diſtinguitur realiter à Filiatione*, concedo antecedens; præcisè, quia opponitur *relativè*, nego antecedens, & diſting. conſequens. Quia eſſentia *relativè* opponitur ſic *Paternitas*, erit vera hæc propoſitio: *eſſentia diſtinguitur*, &c. *abſolutè ſumpta*, nego conſequentiam; *modificata per terminum relativum*, concedo conſequentiam, in quo non eſt inconveniens.

77 Explico ſolutionem: cum iuxta nos eſſentia, & relatio ſint conceptus indiviſibilis, tàm realiter, quàm virtualiter, dupliciter poteſt talis conceptus exprimi provt comprehendit eſſentiam, & Paternitatem, vel totus ſic *Paternitas*, vel totus ſic *eſſentia*. Si exprimatur ſic *Paternitas* eſt vera illa propoſitio: *Diſtinguitur realiter à Filiatione*, tàm de eſſentia, quàm de Paternitate: quia explicatur modus relativus huius conceptus, & modo relativo ſic *Paternitas*, tàm Paternitas, quàm eſſentia diſtinguitur realiter à Filiatione; ſi verò exprimatur ſic *eſſentia*, eſt falſa illa propoſitio: *Diſtinguitur realiter à Filiatione*, tàm de eſſentia, quàm de Paternitate: quia explicatur modus abſolutus illius conceptus, & ſub illo, tàm eſſentia, quàm Paternitas identificatur realiter cum Filiatione.

78 Obijcies ſeptimò. Iuxta Patrum, & Theologorum axioma: *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obeſt relationis oppoſitio*: ergo vbi datur relationis oppoſitio, datur realis diſtinctio: ſed per nos, tàm eſſentia, quàm Paternitas opponuntur relativè: ergo tàm eſſentia, quàm Paternitas realiter diſtinguũtur à Filiatione: ergo diſtincta eſsẽtia eſt quę datur in Patre, ac quæ datur in Filio. Cõceſſo enthymemate poſito pro mai. diſting. min. Tàm eſſentia, quàm Paternitas ſic relativè *Paternitas*, opponuntur relativè, concedo min. ſic *eſſentia*, nego min. Et diſting. conſequens. Tàm eſſentia, quàm Paternitas diſtinguntur realiter à Filiatione ſic relativè *Paternitas* concedo conſequentiam: ſic *eſſentia*, nego conſequentiam.

79 Obijcies octavò. Vel dum dicitur: Paternitatem identificari cum filiatione ſic *eſſentia*, *ſeu eſſentialiter*; & eſſentiam diſtingui à Filiatione, ſic *Paternitas*, ſeu *relativè*, volumus præcisè ſignificare: *Paternitatem eſſe eſſentiam, quæ identificatur cum filiatione, & eſſentiam eſſe realiter relationem*; ſcilicèt *Paternitatem diſtinctam à Filiatione*, vel non ſolùm *eſſentiam, ſed etiam Paternitatem identificari realiter cum Filiatione, & eſſentiam, & Paternitatem diſtingui realiter à Filiatione*? Si primum: iam concedimus, aliquid eſſentiæ convenire, quod non convenit relationi. Si ſecundum: apparet nimis durum concedere, tàm Paternitatem, quàm eſſentiam eſſe in Filio, & tàm eſſentiam, quàm Paternitatem diſtingui realiter à Filio: ergo vel debemus incidere in prædicata oppoſita, quæ fugimus, vel nimis à veritate diſtare.

80 Reſpondeo. Nos non dicere

re præcisè *essentiam esse realiter Paternitatem*, quæ distinguitur à Filiatione, & Paternitatem esse realiter essentiam, quæ identificatur cum Filiatione: nam hoc, vt benè ponderat arguens, esset planè admittere distinctionem virtualem inter essentiam, & relationes; sed quod dicimus est: *Essentiam constituere cum Paternitate* (idem iudica de alijs relationibus) *conceptum quendam realiter, & etiam virtualiter indivisibilem, qui totus realiter, virtualiterque est in Filio vno modo*, scilicèt *essentia, seu essentialiter; & non est in Filio alio modo, scilicet, Paternitas, seu relativè*: qualiter actus contritionis pro indiviso, tàm realiter, quàm virtualiter *est Dei* vno modo, scilicèt: *amor*, & *non est Dei* alio modo, scilicèt, *odium*, quod sua proportione accidit in omnibus alijs exemplis repetitis. Neque hæc explicatio absurda est, sed maximè congrua, tum Concilijs, tum Patribus, tum gravissimis Doctoribus Scholasticis, quod per partes breviter ostendam, ne in re tam gravi aliquis scrupulus maneat, aut aliquid purè arbitrariè dicamus.

81 Constat ex Concilijs, scilicèt Remensi, Florentino, & Lateranensi suprà citatis, vbi alia distinctio non conceditur inter essentiam, & relationes, quam rationis, & ex modo nostro concipiendi: vnde sic deducitur nostra sententia. Iuxta Concilia inter essentiam, & Paternitatem; v. g. non datur alia distinctio, quàm rationis, & ex nostro modo concipiendi: ergo ex parte obiecti datur summa convenientia in esse inter essentiam, & relationem Paternitatis: sed vbi datur summa convenientia in esse, datur etiam summa convenientia in prædicationibus: ergo inter essentiam, & Paternitatem datur summa convenientia in prædicationibus, taliter, vt quidquid affirmatur de essentia eo modo quo de illa affirmatur, affirmetur etiam de Paternitate, & relationibus. Hoc clarè expressit Concil. Lateran. *in cap. firmiter de Summa Trinitate* dicens: *Trinitas secundùm* essentiam communem individua, & secundùm *personales proprietates discreta*. Ecce prædicat de Trinitate sub expressione Trinitatis, quæ relativa est: *Esse individuam*, scilicèt, *secundùm essentiam*, seu *essentialiter*; & esse discretam secundùm proprietates personales, seu *personaliter*, quæ in terminis est nostra propositio, & explicatio.

82 Ex PP. audi Ioannem Theologum in Concilio Florentinò sessione 19. qui ait: *Ipsa* substantia (id est essentia Dei) *non aliter differt, quàm Pater, Filius, Spiritus Sanctus*: ergo iuxta ipsum, Dei essentia differt, & distinguitur *personaliter* sic: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Audi Athanasium dialogo 1. de Trinit. contrà Anomeum dicentem: *Hypostasim esse aliud, & aliud, non quidem, vt rem aliam, & aliam, sed quod Hypostasis aliud quid declarat: sicut granum frumenti dicitur, & est, tum semen, tum fructus; semen futuræ culturæ, fructus præteritæ*. Vide in exemplo appositò ab Athanasio, vt suam explicet mentem, clare etiam expressum nostrum discursum: nam sicut totum granum frumenti indivisim realiter, & virtualiter est semen, & fructus; sed semen tantum futuræ culturæ, & fructus præteritæ, ita essentia divina indivisa realiter, & virtualiter ab Hypostasi *Paternitate*; v. g. tota identificatur, & distinguitur: identificantur *essentia* cum Filiatione; & distinguitur *Paternitas* à Filiatione.

83 Idem tenet S. Augustin. lib. 6. de Trinitat. propè medium: ibi: *Deo autem hoc est esse, quod est fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse; & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significatur*. Attende terminos vsurpatos à Magno Parente Augustin. scilicèt *simplex multiplicitas, & simplicitas multiplex*, vt indè colligas prædicationes sine vlla dissonantia, scilicèt affirmando de simplicitate *esse multiplicem*, & de multiplicitate esse *simplicem*. Ricardus Victorinus, & Nazianzenus, ille lib. 5. de Trinitat: *Nihil aliud est ibi Persona, quàm dilectio summa hac proprietate distincta*. Vbi ipsam dilectionem summam, quæ communis est omnibus Personis, dicit, *proprietate* distingui. Hic oratione 39. in sancta lumina: *Distinguitur*, scilicèt, *Deus indistinctim, & indistinctum connectitur*. Quid clarius pro nostra explicatione: *distinguitur indistinctim*:

distinguitur : *personaliter* : indistinctim: *essentialiter*. Nec non Fulgentius *de Fide ad Petrum* relatus inter opera Augustin. tom. 3. sic loquens : *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto est* : *totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto est* : *totusque Spiritus Sanctus in Patre, & Filio.* Recognosce. *Ratione vnitatis naturalis totum, quod est in Patre*, imò *totus Pater* est in reliquis Personis, & è converso : sed non *relativè*, & *personaliter*: aliàs Personæ confunderentur : ergo *essentialiter*, & *absolutè*. Demum Boetius libello *de prædicatione substantiali* asserens : *Quæcumque de divina substantia*, id est essentia, *prædicantur, ea tribus oportet esse communia.* Adverte: *Omnia, quæ de essentia prædicantur debent tribus esse communia.* Sed Paternitas, & Cœteræ relationes prædicantur de essentia : ergo debent esse tribus communes : sed non *relativè* : aliàs daretur vna tantùm Persona : ergo *essentialiter.*

84 Ex Authoribus Scholasticis eodem modo debent loqui omnes, qui solam distinctionem rationis inter prædicata divina concedunt, vt sunt omnes antiqui, quos moderni plures sequuntur asserentes, dari in divinis inter quævis prædicata sivè absoluta, sivè relativa summam in esse convenientiam : ac per consequens in fundamento prædicationum, taliter, vt tota diversitas stet penes nostrum modum concipiendi ; quarè retinere debent explicationem nostram, nisi fieri velint in intelligibiles, ita, vt meritò dixerit P. Antonius Perez vbi supra num. 14. vel se mentem horum Authorum non capere, vel ipsos non salvare realitatem Mysterij, quod per Fidem credimus. His indubitanter adhærent omnes illi, qui inclusionem adhùc virtualem essentiæ in relationibus concedunt, qui sunt plures, & gravissimi fatentes in quacunque prædicatione, quæ de relatione fit includi essentiam ex parte subiecti : ergo in hac : *Paternitas distinguitur realiter à Filiatione*, tam Paternitati, quàm essentiæ applicatur prædicatum *realis distinctionis* : sed non essentiæ sic *essentia*, seu *essentialiter* : ergo essentiæ sic *Paternitas*, seu *relativè* : constet ergo nostrum discursum, & modum explicandi Mysterium adeo inscrutabile, & si difficilem, prout materia fert, nullo tamen ex capite esse absurdum.

85 Obijc. nonò. Si essentia taliter se habet cum relationibus, vt quidquid essentiæ convenit, relationibus conveniat sine vlla in prædicatis disconvenientia, vbi est difficultas fèrè insuperabilis huius Mysterij? Vbi celsitudo, qua supra humanam rationem lumine Fidei destitutam collocatur? Imò si tam obvia sunt in creatis exempla, ex quibus Mysterij difficultas abstrusissimi Trinitatis, debet devorari, aut componi, quid speciale habet hoc Mysterium? quare ab omnibus prædicatur abstrussum? Certè contra nos poterit argui, quod contra Gilbertum arguebat Bernardus lib. 5. de *Consideratione ad Eugenium* dicens : *Substantia vna est* : *Personæ tres sunt* : *quid mirum, quidvè obscurum in hoc, si Personæ à substantia seorsum cogitentur.* Quæ verba, seclusso errore distinctionis realis essentiæ à Personis, sic nobis possunt adaptari : *Substantia vna est* : *Personæ tres sunt* : *quid mirum, quidvè obscurum, vbi nulla discovenientia* ; *sed summa conformitas in esse se ostendit?*

86 In primis argumentum non militat specialiter contra nos ; sed etiam contra omnes Scotistas affirmantes essentiam distingui à relationibus *ex natura rei formaliter* ante operationem intellectus : militat etiam contra Thomistas Recentes, qui adeò frequenter difficultatem Trinitatis ad creata transferunt vtentes inter identificata virtuali distinctione intrinseca, aut rationis fundamentali : adversatur etiam omnibus concedentibus solam distinctionem rationis inter essentiam, & relationes, inter quos, vt sæpè diximus sunt Patres Ecclesiæ, & Concilia. Sed quid de virtualistis : nonne etiam facillimè difficultatem expediunt, si tam facilè est, ea, quæ realiter identificantur, se habere ac si realiter non identificarentur? Solatium ergo est in obiectione tot habere socios. Respondeo. Aliud esse nos conari difficultatem huius Altissimi Mysterij aliqualiter solvere, & de ipso terminis decentioribus divinæ simplicitati loqui ; aliud nostrum

strum discursum esse adeò clarum, vt difficultatem exhauriat: non enim sic accidit; imò in ipso modo dissolvendi invenimus gravissimam difficultatem intellectus apprehensioni valdè adversam, vi cuius in oppositum, quasi nolens trahitur: vnde facilitas, quæ in hoc modo componendi nobis adest, non est absoluta; sed respectiva ad alios modos componendi, & explicandi, quod non impedit Mysterium hoc manere rationi naturali valdè reconditum, neque ea, quæ contingunt in creatis, & si difficultatem pro divinis aliquantulum temperent, omninò evacuant: quia semper viget apprehensio, quamvis discursu corrigatur, qua intellectui impossibile proponitur: hæc prædicata *identificari*: *distingui* posse componi in eodem esse reali, nec similia prædicata vnquam in creatis inveniuntur.

JHS.

DISPUTATIO QUINTA.

DE DIVINA SCIENTIA COMPARATA ad Divinum intellectum, & ad essentiam divinam.

VARIA continentur in hac disputatione. Primum: an in Deo detur intellectio per modum actus primi, seu potentia physica intelligendi. Secundum: an in Deo reperiatur conceptus verus speciei intelligibilis, habitus intelligendi,& memoriæ. Tertium: an intellectus divinus sit principium virtuale intellectionis necessariæ,& contingentis. Quartum: an intellectio Dei sit de essentia Dei metaphysica? Quæ per ordinem investigabimus.

CAPVT I.

Vtrùm in Deo detur actus primus intelligendi: vbi quid certum, quid controversum sit de actu primo intelligendi in divinis?

1 CERTVM est primo: quod sicut in Deo datur verum *scire*, verum *intelligere*,& verum *percipere obiectum*, sic etiam datur in ipso vera capacitas, & vera aptitudo ad *intelligere*, *scire*, & *percipere obiectum*, sumpta capacitate, & aptitudine pro non repugnantia ad ita se habendum. Ratio est: quia cum *scire*, *intelligere*, & *obiectum percipere* sit in Deo possibiliter, nihilque cui Deus repugnet, valeat de ipso enuntiari possibiliter, opus est vt *scire intelligere*, & *percipere obiectum*, quod vere invenitur in Deo, correspondeat vera capacitas,& aptitudo, sumpta pro non repugnantia ad *scire*, *intelligere*, & *percipere obiectum*. Certum est secundò. *Scire*, & *intelligere* non esse in Deo tantum, vt *quo*, & quasi in abstracto; sed etiam verè, & propriè, vt *quod*, & quasi in concreto. Ratio est: quia Deus non modo verè, & realiter est suum *intelligere*, & *scire*; sed verè, & realiter est *intelligens*, & *sciens*; aliàs per scientiam, & intelligentiam nō excluderet verè, & propriè ignorantiā: quæ cum scientia,& intelligentia, vt *quo*, & quasi in abstracto non opponitur, verum cum *scire*,& intelligere, vt *quod*, & quasi in concreto, modo quo non videre, aut nescire in lapide non oponitur cum visione,& scientia, si iuxta probabilem sententiam possint ipsi communicari; sed cum *videre*, & *scire*, quod vltra visionem,& scientiam, vt *quo*, & in abstracto dicit videns, & sciens, vt *quod*, & in concreto; sed Deus verè, & realiter sciens,& intelligens, vere, & realiter includit *intelligere*,& *scire*, non modo vt *quo*,& in abstracto; verùm vt *quod*, & in concreto: ergo *intelligere*, & *scire*, quod datur in Deo, ita se habet.

2 Certum est tertiò contra Aureolum, quem temeritatis damnat Ruiz disp. 3. de Scientia, sect. 4. dari in Deo verum intellectum, & veram mentem. Pro quo stat frequens loquutio PP. vt observare licet in Cyrilo lib. 11. Thesauri in fine. In Damasceno, lib. 1. cap. 15. propè medium. In Dionysio de divinis Nominibus cap. 7. propè medium. In Irenæo lib. 2. c. 48. initio. In D. Thoma 1. p. quæst. 14. art. 2. corpore, & lib. 1. contra Gentes cap. 46. & quæst. 2. de veritate, art. 1. cum multis alijs videndis apud Ruiz loco citato. Nec ignoravit hanc veritatem Aristoteles vocans Deū in-

intellectum lib. 12. metaphiſicæ, cap. 7. textu 39. & vocans *mentem* cap. 9. textu 51. Accedit ratio: nam intellectus verus realiſque, ſicut vera, & realis mens eſt illa perfectio, quæ per actuale intelligere conſtituitur proximè intelligens, ſeu vera, & realis capacitas proxima intelligendi: ſed in Deo datur illa perfectio, quæ per actuale intelligere conſtituitur proximè intelligens, ſeu vera, & realis capacitas proxima intelligendi: ergo in Deo datur verus intellectus, & vera mẽs.

3 Certum eſt quartò. Deum, vel eius intellectum nullum realem influxum in ſuam ſcientiam, & cognitionem præſtare poſſe per modum principij formalis realiter activi: Nam cum influxus realis huiuſmodi ſit argumentum infallibile diſtinctionis ex ipſo naturæ lumine, vt contra Sabelium confundentem perſonas in divinis argumentantur PP. vbi certum eſt nullam intervenire realem diſtinctionem: certum per conſequens debet eſſe nullum dari influxum realiter activum. Propter eandem rationem Deus, aut eius intellectus non exercetur per ſuam Scientiam, & cognitionem *informativè*, aut *receptivè* realiter: etenim modus iſte ſe habendi non datur niſi inter diſtincta realiter: vnde ſi inter Scientiam, & Deum, ſicut inter Scientiam, & intellectum ipſius non detur realis diſtinctio, nec Deus, nec intellectus divinus poſſunt ſe exercere per Scientiam, & cognitionem *informativè* aut *receptivè* realiter: inde illud Ariſtotelis dictum lib. 3. de Anima textu 12. & 28. *Intelligere eſt quoddam pati, & moveri.* Tantum habet locum in creatis.

4 Certum eſt quintò. Quod cum in Deo detur ſcientia neceſſaria *neceſſitate intrinſeca*; v. g. ſcientia, qua Deus ſe quoad neceſſaria intrinſeca cognoſcit; & ſcientia contingens; v. g. ſcientia qua cognoſcit exiſtere contingentia, quæ defacto exiſtunt diverſo modo ſe habere divinum intellectum, quoad vnam, & aliam: ſiquidem reſpectu *neceſſariæ* ita eſt capacitas percipiendi per ipſam, vt nullam dicat ex ſe indifferentiam veram, & realem, vt per illam non percipiat; at reſpectu *ſcientiæ contingentis* determinatè, & in individuo ſumptæ, vltra capacitatem ſciendi per ipſam datur vera & realis indifferentia ad ſciendum per illam, vel per oppoſitam, ita taliter, vt verificetur de intellectu divino: *Intellectus divinus verè, & realiter exiſtit, vere, & realiter eſt indifferens ex ſe ad Scientiam, qua cognoſcit, & vere, & realiter eſt potens cognoſcere per ſcientiam qua defacto non cognoſcit*, quæ vt videntur, non ſunt mera capacitas ad cognoſcendum, ſeu mera non repugnantia ad intelligendum. Idem ſentiendum eſt de ſcientia neceſſaria Deo neceſsitate purè *extrinſeca*, ſi hæc detur in Deo. v. g. Scientia, qua Deus cognoſcit poſsibilia, cum quibus ex probabili, & noſtra ſententia non connectatur. Nam licèt hæc ſcientia non poſsit abſolutè deficere in Deo ob neceſsitatem, quam habent poſsibilia in ſuo conceptu; id tamen non provenit ex determinatione intellectus divini ad ſic cognoſcendum, quippè qui ex ſe permittit poſsibilia, quæ de facto talia ſunt, fieri impoſsibilia, & è contra, ſicut, & poſsibilia & impoſsibilia obiectivè extingui: inde intellectus divinus ex ſe conſideratus non modo habet capacitatem veram, & realem intelligendi poſsibilia, per Scientiam ipſis correſpondentem; ſed veram, & realem indifferentiam ad ſic vel aliter cognoſcendum, aut non cognoſcendum.

5 Certum eſt ſexto. In intellectionibus creatis quatuor communiter eſſe, quæ ſe habent, vt potentia ad intellectionem, & conſtituunt actum primum intelligendi: ſcilicèt potentia intellectiva, ſeu intellectus diſtinctus, vel identificatus cum anima pro diverſitate ſententiarum, ſpecies impreſſa aut gerens vicem obiecti, vt quidam, aut complens, & determinans potentiam, vt alij cenſent, habitus facilitans ad intellectionem, vel ad ipſam elevans intellectum, & memoria reſervans ſpeciem rei intellectæ, vt iterum cognoſcatur: quibus poſitis.

6 Quod controvertitur eſt: An in Deo reſpectu intellectionis communis toti Trinitati tàm neceſſariæ, quam contingentis reperiatur actus primus intelligendi, vel quoad omnia enumerata, vel ſaltem quoad aliqua. Dixi reſpectu intellectionis communis toti Trinitati, vt modo præſcindam ab intellectione notionali, & propria ſolius Patris, cuius examen ad tractatum de Trinitate pertinet. In qua controverſia diviſi ſunt valdè AA. quorum multi ſatis obſcurè loquuntur, alij tamen de voce contendunt. Prima ſententia eſt eorum, qui dicunt loquendo indiſcriminatim tàm de Scientia neceſſaria, quàm con-

tingenti non dari potentiam propriam, & phiſicam intellectivam, neque in hoc genere actum primum intelligendi; ſed ſolum puriſsimum *actuale intelligere*, cum potentia purè logica, ſeù non repugnantia, vt detur intelligere eo modo, quo in homine datur potentia, vt ſit animal rationale: Ita Ruiz diſp. 3. de Scientia, ſect. 2. & ſequentibus, cum multis alijs quos ſequitur Ribadeneyra diſput. 2. de Scientia cap. 2. Nec non Herrera loquens de intellectione neceſſaria, & virtualiter indiſtincta quæſt. 2. de Scientia ſect. 2. Pro eadem ſententia referuntur ab Illuſtriſsimo Godoy, diſp. 24. de Scientia §. 1. quot quot defendunt eſſentiam, & naturam divinam intellectione actuali metaphiſicè conſtitui in quibus ſunt Salmant. tract. 3. de Scientia diſp. 4. dub. 2. §. 2.

7 Secunda ſententia per oppoſitum etiam abſque diſtinctione vlla inter intellectionem neceſſariam, & contingentem concedit abſolutè in Deo intellectum per modum potentiæ phyſicæ, & veræ, & in hoc genere actum primum intelligendi. Ita Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. cum quo frequenter diſcipuli, item Vazquez 1. part. quæſt. 13. art. 2. n. 30. & in alijs locis. Molina 1. part. quæſt. 27. art. 5. diſp. 2 quos cum pluribus ſequitur Izquierdo diſp. 23. de Scientia quæſt. 2. addens, eam potentiam non eſſe realiter formaliter productivam, aut receptivam intellectionis, & citans pro ſe Eximium Suarium diſp. 30. metaph. ſect. 5. & omnes illos, qui dicunt dari in in Deo actum primum intentionalem intelligendi, vt Quiròs tom. 1. diſp. 2. ſect. 3, qui videntur concedere quidquid de re hæc ſententia intendit, licèt in vocibus diſcrepent. Rationem potentiæ realis proximè intellectivæ etiam concedit in Deo Godoy §. 5. diſputationis citatæ. Tertia ſententia ponit in Deo potentiam, ſivè principium *reale virtuale, & æquivalens* reſpectu intellectionis; ſecus principium *reale formale*, aut *formalem potentiam*: Sic tenet Arrubal 1. part. diſp. 28: cap. 30. num. 5. & cap. 4. n. 11. Godoy vbi ſuprà à §. 3. referens pro ea Cayetanum, Capreolum, Araujo, & Cornejo: hancque etiam defendunt Sapientiſsimi RR. noſtri diſp. 1. de Scientia cap. 4. ſupponentes diſtinctionem virtualem inter intellectum & intellectionem. Conſentit ex parte Herrera quoad ſcientiam contingentem nollens concedere abſolutè principium virtuale; ſed ſub limitatione quoad determinatum munus æquivalentiæ ad principium reale, videlicèt quoad indifferentiam, & contingentiam. Hæc de actu primo per modum potentiæ.

8 Speciei intelligibilis conceptum negat in Deo Eximius Suarius diſp. 30. metaphiſicæ ſect. 15. cum quo Albiz, Herice, Sforcia, & alij, quos ſequitur Herrera ſect. 5. Concedit Vazquez 1. part. diſp. 60. cap. 2. num. 5. Granado, Ruiz, Alarcon videndi apud Izquierdo, qui in re eam admittit; licèt quoad ſpeciem videatur negare, vt idem faciunt RR. ſupra relati cap. 5. eam eſſe ſententiam communem Thomiſtarum affirmat Godoy quos ipſe ſequitur §. 7. Circa habitum intelligendi eum in Deo admittunt Henricus in Summa art. 37. quæſt. 1. & 2. Mairon in primũ diſtinct. 36. quæſt. 1. art. 1. Arriaga tract. de Scientia diſp. 15. ſect. 3. ſub ſect. 4. & Franciſcus Felix de Scientia cap. 1. difficult. 2. num. 9. pro ea referens Scotum, & Smiſingum, quos falsò adducere docet Godoy. Negat communis Theologorum ſententia quam tenent Izquierdo propoſitione 6. Godoy §. 8. & Herrera ſect. 5. citata.

9 Iam de memoria ſunt, qui pronuncient apud Ruiz diſp. 4. de Scient. ſect. 5. omnium Theologorum ſuffragijs Deo denegari: ſed addit ipſe neminem reperire, qui hoc expresè docuerit præter Aureolum in primum diſt. 35. part. 1. art. 3. cui favet Alexander 1. part. quæſt. 23. membro 1. concluditque ſenſum aliquem eſſe verum, & proprium in quo memoria Deo concedatur pro quo refert D. Aug. Iſidorum, & Anſelmum.

CAPVT II.

Quæſtionis reſolutio per varias concluſiones.

10 ASSERO primò: tàm reſpectu intellectionis neceſſariæ, quàm contingentis datur in Deo vera, & realis potentia intellectiva, ſeu intellectus per modum actus primi phiſici, & realis. Probatur primo authoritate D. Iuſtini, quæſt. 3. ad Gent.

inter

inter principium; & medium ibi: *Quomodo differt potentia ab actione, sic differt voluntas à volendo*, in Deo scilicet de quo loquitur: ergo sicut differt potentia ab actione, sic differt intellectus ab intellectione, cum inter divinam voluntatem, & volitionem, & divinum intellectum, & intellectionem, eadem ratio sit. D. Augustini lib. 83. quæstionum quæst. 15. & 16. inquientis: *Quod omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est. Nec unquàm Deus sine sapientia fuit: igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna*: sed non causa per verum, & realem influxum, qui sine reali distinctione, & imperfectione in termino causato stare non potest: ergo causa minus propriè pro potentia vera, & reali ad actum verum, & realem intelligendi: Damasceni lib. 1. Fidei cap. 12. vocantis rerum omnium inspectionem, quæ propria Dei est, *operationem*: sed operationi respondet operans, seu potens operari, & potentia ad operandum: ergo in Deo admittit quoad scientiam, & perceptionem obiectorum veram, & realem potentiam.

11 Divi Thomæ quæst. 25. 1. partis art. 1. ad 3. vbi de divina Essentia loquens ait: *Potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ, sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ*. Vnde sic dupliciter benè infert Godoy. Primo: divina essentia ob suam eminentiam, qua in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest à nobis intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ; sicut sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ: sed taliter intelligitur sub ratione suppositi, & naturæ, vt licet inter suppositum, & naturam non detur realis distinctio; tamen verè, & realiter phisicè reperiatur in Deo ratio naturæ & suppositi: ergo pariter ratio potentiæ, & actionis taliter à nobis intelliguntur in Deo, vt licèt inter ipsas non sit realis distinctio; tamen à parte rei physicè, & realiter reperiatur in Deo ratio potentiæ, & actionis. Secundò. D. Thom. Deo attribuit rationem potentiæ sicut rationem actionis: sed ratio actionis ita convenit Deo, vt quamvis non distinguatur realiter à principio sit in Deo vera, & realis actio intelligendi, & volendi: ergo licèt potentia ad actionem non distinguatur realiter ab actione; tamen ratio potentiæ verè; & realiter inveniatur in ipso. Advertendum tamen est actionem hìc summi à D. Thoma non pro influxu reali; sed aut pro operatione, aut pro actu reali, quæ non requirunt realem distinctionem, sicut stricta actio realis, seu realis influxus, vt ex dicendis constabit, & ipse Sanctus Doctor explicat quæst. 41. art. 4. ad 3.

12 Probatur secundò à ratione, cuius primum fundamentum est: divina Scientia non est præcisè realiter *intelligere* Dei; sed eo modo quo non est præcisè realiter *intelligere* Dei, est realiter, & verè potentia, & actus primus intelligendi: ergo datur in Deo realiter, & verè potentia, & actus primus intelligendi. Consequentia tenet, & maior est certa: nam si divina Scientia esset præcisè realiter *intelligere* Dei, nihil aliud posset de ipsa affirmari realiter, quàm esse intelligere Dei: at de ipsa aliquid aliud potest realiter affirmari, scilicèt esse capacitatem ad intelligendum, & vt *quod* intelligens: ergo divina scientia non est præcisè realiter *intelligere* Dei. Probo iam minorem primi sillogismi: eo modo quo scientia divina non est præcisè realiter intelligere Dei est realiter id quod est *posse intelligere*, & vt *quod* intelligens; sed eo modo, quo est realiter *posse intelligere*, & vt *quod intelligens*, est verè, & propriè potentia, & actus primus intelligendi: ergo eo modo quo non est præcisè realiter *intelligere* Dei, est realiter, & verè potentia, & actus primus intelligendi. Probo minorem: eo modo quo est realiter *posse intelligere*, & vt *quod intelligens*, est *posse*, & *intelligens* quod non est præcisè realiter actus secundus intelligendi; sed *posse*, & *intelligens*, quod non est præcisè realiter actus secundus intelligendi; est realiter posse, & intelligere per modum actus primi, cum sit actus significabilis per verbum, & non sit præcisè realiter actus secundus: ergo eo modo quo est realiter *posse intelligere*, & vt *quod intelligens* est verè, & propriè potentia, & actus primus intelligendi.

13 Secundum. In Deo datur verus intellectus: ergo in Deo datur potentia plusquam logica intellectionis: antecedens constat ex prænotatis contra Aureolum: consequentia probatur: verus intellectus non est pura potentia logica intellectionis: ergo si in Deo datur ve-

verus intellectus, datur in Deo potentia pluſquam logica intellectionis. Probatur antecedens : Pura potentia logica intellectus eſt non repugnantia intellectionis, vt ipſi fatentur adverſarij : ſed non repugnantia intellectionis non eſt intellectus verus, & realis, alias in nobis vbi intellectus diſtinguitur ab intellectione daretur duplex intellectus verus, & realis, quod quis dicat ? ergo verus intellectus non eſt potentia purè logica intellectionis: ſed potentia pluſquam logica eſt potentia phyſica, & realis : ergo in Deo datur potentia phyſica, & realis intelligendi. Confirmatur : Potentia logica eſt poſsibilitas rei, ita taliter, vt eiuſdem ad ſe adhùc formaliter detur potentia logica : ſed poſſe intellectus divini ad intellectionem non eſt ſola poſsibilitas intellectionis, cum vltra dicat veram, & realem capacitatem ad intelligendum, nec eſt poſſe eiuſdem ad ſe formaliter, aliàs in Deo non daretur vera, & realis intellectus ratio ; verum ſolius intellectionis: ergo potentia quæ in Deo datur ad intelligendum, non eſt purè logica. Explicatur amplius. Aliter eſt Deus potens ad intelligendum, quàm eſt potens ad ipſum *poſſe intelligere*, & noſtra intellectio eſt potens, vt ſit intellectio : ſed Deus eſt potens vt poſsit intelligere, & noſtra intellectio eſt potens, vt ſit talis tantum logicè : ergo Deus eſt potens pluſquam logicè ad intelligendum.

14 Tertium. Non eſt de ratione actus ſecundi phyſici, & realis eſſe influxum realem, vt *quo* ad terminum, & à potentia : ergo non eſt de ratione potentiæ phyſicæ, & realis eſſe influens realiter vt *quod* in actum ſecundum. Conſequentia tenet: Nam ſi verus actus ſecundus poteſt dari, quin ſit influxus realis vt *quo* ad terminum, & à potentia, quando id detur, dabitur actus primus correſpondens actui ſecundo, quin ſit influens realiter in actum ſecundum. Antecedens probatur : Non repugnat actio identificata cum termino, vt dicere debent omnes, qui nullam potentiam creandi admittunt in creatura: vnde terminus creabilis erit ex ſe determinatus, vt quando exiſtat, ſit à ſolo Deo : ac proinde actio ſui à Deo, cum conceptus actionis ſit determinatio procedendi terminum determinate à determinato agente : deinde non repugnat actio identificata cum principio, vt conſtat in generatione æterna in qua intellectus, per quem procedit verbum, realiter eſt proceſsio activa, & paſsiva ipſius, ſicut Pater æternus realiter eſt proceſsio activa Filij : ſed actio eſt actus ſecundus phyſicus, & realis : ergo non eſt de ratione actus ſecundi phyſici, & realis eſſe influxum realem, vt *quo* ad terminum, & à potentia. Vrgetur, & explicatur : Non repugnat eiuſdem ad ſe eſſe actum ſecundum realem, vt conſtat in actione identificata cum termino : ergo non repugnat eiuſdem ad ſe eſſe actum primum realem. Probatur conſequentia : Non minus debet eſſe de ratione actus ſecundi realis eſſe ad diſtinctum realiter, quàm de ratione actus primi realis eſſe ad diſtinctum realiter ; ergo ſi non repugnat eiuſdem ad ſe eſſe actum ſecundum realem, non repugnabit eiuſdem ad ſe eſſe actum primum realem.

15 Quartum. Scientia, & intellectio Dei eſt vera, & realis operatio, & vltimus actus : ſed veræ operationi correſpondet verum, & reale operans ; quod eſt vera, & realis potentia, & verus, & realis actus non vltimus, qui eſt actus primus : ergo datur in Deo vera, & realis potentia, veruſque, & realis actus primus intelligendi. Maior conſtat ex his, quæ adducit Ruiz nobis contrarius, diſput. 3. ſect. 6. vbi benè probat, quòd quamvis intellectio divina non ſit actio, aut paſsio eſt tamen vera operatio, & vltimus actus iuxta loquutionem Damaſceni, libr. 1. de Fide, cap. 12. Bonavent. in 1. diſtinct. 45. art. 1. quæſt. 1. D. Thomæ in præfatione ad hanc, quæſt. 14. ſecuti Ariſtotelem, libr. 10. Ethic. cap. 8. in medio, dicentem: *Vivere Deos vniverſi putant, quare, & operari : non enim oportet illos, vt endymionem, aiunt, dormire : viventi igitur ei, cui actio, & multo magis effectio non tribuitur quidnam aliud præter contemplationem reſtat? Quare Dei operatio præcellens beatitudine contemplativa ſine controverſia fuerit.* Et libr. 12. methaphyſicorum, textu 39. cap. 7. poſt medium : *Intellectus operatio vita eſt ; Deus verò eſt actus ; actus verò per ſe illius vita optima, & perpetua eſt.* Vndè rectè infert Izquierdo : ab actu phyſico, & reali benè valet ad potentiam, & actum primum phyſicum, & realem : ſed Deus verè propriè, & realiter eſt operans in actu ſecundo per intellectionem : ergo verè, & propriè, & rea-

realiter est potens operari per intellectionem, & est in actu primo ad operationem intelligendi.

16 Quintum: ex regula generali, quam tradunt Theologi ad tribuenda Deo nomina verè, & propriè significativa conceptuum obiectivorum, quæ in creaturis inveniuntur. Nimirum illa tantum nomina rerum creatarum posse verè, propriequè prædicari de Deo, & illius perfectionibus in quorum significato, postquam exclusæ sunt omnes creaturarum imperfectiones, manet aliqua perfectio propria illius significati, nec manet sola ratio communis, quæ continetur in significato aliorum nominum, quæ videtur desumpta ex August. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. in medio dicente: *Cum desero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem: cum ergo hæc cuncta detraxero, & reliquero solam vivacitatem certæ, & inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis; imò non reliquero: non enim habet hoc humana scientia; sed pro viribus cogitavero insinuatur mihi vtrumque scientia Dei; quod tamen nomen eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei vtrique communi.*

17 Ex qua sic: nomen potentiæ intellectivæ, & actus primi intelligendi, quod significat conceptum obiectivum, & rem convenientem creaturis, si ab eius significato dimoveantur imperfectiones accidentis, realis compositionis, influxus realis, mutabilitatis, & præcisionis realis ab actu secundo manet expeditio quædam *vt quod* ad intelligendum afferens secum per realem identitatem vltimam determinationem ad intelligendum; quod quidem ex se dicit perfectionem talem, vt sine ipsa subiectum cæteris paribus melius excogitari, & esse posset, quin sit commune significato aliorum nominum; sed nomen quod ita se habet in vera, & propria significatione potest tribui Deo: ergo nomen potentiæ intellectivæ, & actus primi intelligendi, conceptusque obiectivus per illud significatus potest, & debet tribui Deo. Confirmatur: non minus nomen intelligentis, & scientis traductum ad creata significat compositionem realem intellectionis, & intelligentis; quàm nomen potentiæ intellectivæ, & actus primi intelligentis significat influxum realem potentiæ, & actus primi in actum secundum: nihilominus nomen intelligentis in propria, & rigorosa significatione tribuitur Deo: ergo nomen potentiæ intellectivæ, & actus primi intelligendi in propria, & stricta significatione debet Deo convenire.

18 Assero secundo. Hæc potentia intellectiva, & hic actus primus, qui verè, & realiter datur in Deo, non est realiter formaliter productivus, aut receptivus intellectionis. Probatur facilè: de ratione actus primi, & potentiæ realiter formaliter productivæ, aut receptivæ est distingui realiter formaliter, vel ab actu, & termino realiter producto, aut recepto, vel saltem ab vno ex illis: sed actus primus intelligendi, & potentia intellectiva non distinguitur realiter formaliter, neque ab actione, & termino intellectionis, neque ab aliquo ex illis: ergo actus primus intelligendi, & potentia intellectiva, quæ datur in Deo, non est realiter formaliter productiva, aut receptiva intellectionis. Maior est certa apud omnes arguentes ex influxu reali formali, sivè activè, sivè receptivè distinctionem aliquam realem. Minor etiam est certa tanquam dogma fidei, ad divinam simplicitatem pertinens, & consequentia rectè deducitur. Dixi productionem, & receptionem realem formalem arguere saltem distinctionem realem formalem, vel ab actu, vel à termino, & non determinatè ab vtroque collectivè, vt modo præscindam à sententia vnius, vel alterius dicentis: idem posse realiter formaliter producere se ipsum quoad secundam actionem, vel à possibilitate actionis realis identificatæ cum principio ad terminum realiter distinctum.

19 Assero tertiò: dari in Deo veram rationem speciei intelligibilis tenentis se ex parte actus primi ad intellectionem. Probatur primò ex D. Thoma, qui lib. 1. contra Gentes, cap. 47. ratione 10. inquit: *Ipsa autem divina essentia, quæ est species intelligibilis, qua intellectus divinus intelligit, est ipsi Deo penitus idem, estque intellectio ipsius idem omninò.* Et in hac quæst. 14. artic. 4. in corpore: *Vnde cum ipsa sua essentia sit species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius essentia, & eius esse, & sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omninò vnum, & idem.* Ecce vbi tantum

tum intendit ſpeciem intelligibilem non eſſe in Deo quid realiter diſtinctum ab eius eſſe, & intelligere; concedit tamen dari in Deo veram rationem ſpeciei intelligibilis identificatam realiter cum eſſe, & intelligere. Idem conſtat ex Ariſtot. qui loquens de Dei intellectione, & ſimul oſtendens eſſe ſubſtantiam lib. 12. metaphiſicæ cap. 7. textu 39. docet: *Ipſa vero intellectio ſecundum ſe eius eſt, quod ſecundum ſe optimum eſt, & quæ maximè eſt eius, quod maxime eſt: ſe ipſum vero intellectus intelligit aſſumptione intelligibilis*: quę vltima verba intelligit D. Thomas ibi lect. 8. litera C. de ſpecie intelligibili.

20 Probatur ſecundò ratione. Nam vera ratio ſpeciei intelligibilis ſpecificativa in eſſe talis eſt determinatio potentiæ, tum ad cognitionem obiecti, tum ad modum illum cognoſcendi quoad intenſionem, & extenſionem: ſed divinus intellectus in ſe verè, & realiter habet hanc determinationem: ergo vera ratio ſpeciei intelligibilis in Deo reperitur. Maior videtur certa, cum nullum aliud munus ſit ſpeciei, ratione cuius fiat intellectui neceſſaria, niſi completio potentiæ intellectivæ per determinationem quoad modum, & ſubſtantiam cognitionis. Probatur minor: divinus intellectus, quia infinitus, & ſummè perfectus excludens omnem ignorantiam, tàm poſitivam, quàm negativam, eſt ex ſe determinatus ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile eſt omni eo modo quo cognoſcibile eſt, & omni ea perfectione, qua cognoſci poteſt; ſed divinum intellectum eſſe ita realiter determinatum eſt habere realiter eam determinationem, quæ competit ſpeciei intelligibili: ergo divinus intellectus in ſe verè, & realiter habet eam determinationem propriam, & ſpecificativam ſpeciei.

21 Confirmatur primò. Ex regula illa tradita ad cognoſcendum: quorum conceptuum obiectivorum, qui reperiuntur in creaturis nomina Deo in propria ſignificatione debeant tribui: nam ſeclusis imperfectionibus accidentis, diſtinctionis, compoſitionis, cauſabilitatis, & defectibilitatis, quæ inveniuntur in ſpecie intelligibili creata, remanet prædicatum proprium ſpecificum ſpeciei alij nomini non correſpondens, ſcilicèt determinare potentiam ad cognoſcendum obiectum, & ad modum cognitionis illius, quod prædicatum dicit perfectionem, & eſt melius ipſum, quàm non ipſum: ſed nomen ſic ſe habens debet Deo tribui in propria ſignificatione: ergo nomen ſpeciei intelligibilis, & ratio per ipſum ſignificata propriè, & in rigore Deo debet convenire.

22 Confirmatur ſecundò: in Deo, & Angelis, quorum intellectus eſt determinatus ad cognoſcendum obiectum non datur ſpecies ſuperaddita præcisè quia aliunde datur determinatio; aliter namque non benè probaretur excluſio neceſsitatis ſpeciei ſuperadditæ ex determinatione intellectus ad cognoſcendum: ergo munus ſpeciei ſuperadditæ eſt determinare ad cognoſcendum obiectum: ergo id quod per ſe habet determinationem ad cognoſcendum obiectum, ſecum identificat rationem propriam ſpeciei, quæ in tali determinatione conſiſtit: ſed hoc eſt formaliſsimè eſſe ſpeciem per identitatem: ergo intellectus divinus in ſe identicè realiter habet rationem ſpeciei intelligibilis veram, & realem.

23 Aſſero quartò: dari in Deo veram rationem habitus ſcientifici. Probatur. Seclusis imperfectionibus habitus, nimirum eſſe qualitatem, eſſe ſuperadditum, eſſe infuſſum ab agente ſuperiori, eſſe acquiſitum ex repetitione actuum, componi cum difficultate ad primum actum, remanet prædicatum proprium, & ſpecificum habitus, id eſt, permanens facilitas, & promptitudo ad actum; quod eſt perfectio melior ipſa, quàm non ipſa, ac per conſequens conveniens divino intellectui ex ſe expeditiſsimo, & promptiſsimo ad ſciendum, & cognoſcendum quidquid ſcibile, & cognoſcibile eſt: ſed hoc eſt propriſsimè Deo rationem habitus ſcientifici convenire: ergo in Deo ratio vera, & realis habitus ſcientifici reperitur.

24 Reſpondet Ruiz: ſeclusis imperfectionibus habitus nihil manere non commune ſignificato per aliud nomen Deo attributum. Ratio eſt: quia tantùm manet promptitudo, & facilitas ad ſciendum, quę quidem continetur in ſignificato huius nominis *intellectus perfectiſsimus*; ſed contra primò: quia pariter poſſet dicere non dari in Deo rationem veram, & realem ſpeciei intelligibilis, quam ipſe concedit. Arguo ſic: per te ideò non datur in Deo habitus

ſcien-

scientificus, quia secluſis imperfectionibus tantùm reſtat promptitudo, & facilitas ad ſciendum, & cognoſcendum, quæ continetur in intellectu perfectiſsimo: ſed ſecluſis imperfectionibus ſpeciei intelligibilis, tantùm reſtat determinatio ad cognoſcendum obiectum quoad ſubſtantiam, & modum cognitionis, quæ continetur in intellectu perfectiſsimo, qui talis non eſſet ſi non haberet realiter hanc determinationem: ergo non minus excludi debet à Deo vera ratio, & verus conceptus ſpeciei intelligibilis, quàm vera ratio, & verus conceptus habitus ſcientifici. Contra ſecundò: In tantum intellectus divinus eſt perfectiſsimus, in quantum habet realiter quidquid perfectionis pertinet ad ipſum: ſed vna ex perfectionibus pertinentibus ad intellectum eſt promptitudo, & facilitas ad ſuos actus perfectiſsimos: ergo quòd intellectus divinus ſit perfectiſsimus, non impedit verè, & realiter habere per identitatem rationem habitus. Contra tertiò. Nam conceptus genericus perfectionis non excludit in Deo conceptum verum, & proprium ſpecificum cuiuſvis perfectionis, aliàs quia Deus eſt infinitè perfectus, non eſſet de illo affirmandus conceptus verus, & proprius ſapientis, iuſti, æterni, immenſi, & omnipotentis: ergo quod promptitudo, & facilitas ad ſciendum contineatur ſub conceptu communi, & generico perfectionis intellectualis non eſt in cauſa, vt ſub conceptu ſpecifico perfectionis habitus ei non concedatur.

25 Propterea inconſequentiam claram iudicarem concedere Deo potentiam intellectivam, & ſpeciem, & habitum negare, niſi apud viros doctos invenirem, quorum rationes ſaltem ſecluſa authoritate non poſſum probare. Advertendum tamen eſt: concluſionem procedere de habitu facilitante; non de habitu elevante: ſiquidem hic ſpecificè, vt talis, requirit diſtinctionem realem à potentia, & inferioritatem huius, quæ ſi per intellectum ſeparare velis, nihil aliud remanebit, quàm conceptus communis complementi, aut facilitatis, qui in ratione ſpeciei, & habitus facilitantis comprehenduntur, ideoque nihil ſpeciale relinquit in Deo, cui ratio habitus elevantis ſecluſis imperfectionibus competat.

26 Aſſero quintò: ratio memoriæ propriè, & verè datur in Deo. Hanc propoſitionem non probo ex frequentibus loquutionibus ſcripturæ, quibus Deo tribuitur memoria. Vt Geneſ. cap. 8. *Recordatus eſt Dominus Noè.* Pſalm. 8. *Quid eſt homo, quod memor eſt eius.* Et 19. *Memor ſit Dominus ſacrificij tui.* Et 110. *Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui.* Et 113. *Dominus memor fuit noſtri.* Ieremiæ, cap. 2. *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam.* Et alibi ſæpè. Tum quia de memoria loquitur quaſi Deo ſupervenerit ex tempore aſcendendo in memoriam, vel redeundo. Tum quia de memoria loquitur quaſi de re libera, quam pro libito Deus poteſt aſſumere, vel deponere: Tum denique: quia eodem modo loquitur de memoria, ac de oblivione, quæ Deo tantum metaphoricè poteſt tribui, quæ omnia ſonant impropriam attributionem memoriæ loquendo more hominum, quod explicuit D. Gregor. lib. 32. moralium, cap. 6. propè medium, ibi: *Dei memoria, nec oblivione rumpitur, nec recordatione ſarcitur, ſed dum aliqua deſerens permittit more hominum obliviſci dicitur, & cum poſt longum tempus, quæ voluerit, viſa at noſtræ mutabilitatis conſuetudine recordatus vocatur. Quo enim pacto divinitatis eius vim oblivio diſipat, cui ipſa quoque laudabilis memoria eſſentialiter concordat? Quomodo Deus præteritorum reminiſcitur cum ipſa, quæ in ſemetipſis præterierunt, eius nutui ſemper præſentia aſsiſtunt?*

27 Propter eandem rationem non vtor argumento, quod proponit Ruiz ex Patribus, qui dum explicant Trinitatis Myſterium, refugiunt metaphoras, & proprietatem verborum affectant, & nihilominus dicunt in homine Trinitatis imaginem eſſe memoriam intellectionem, & volitionem, ex quibus volitionem Spiritui Sancto, intellectionem Filio, & memoriam Patri accommodant: vnde videtur ſubinferri, quod ſicut in Deo verè, & propriè ſunt volitio, & intellectio, ſic verè, & propriè debeat eſſe memoria: quia clarè loquuntur de memoria provt contrapoſita actui ſecundo intelligendi, qua ratione formaliſsimè eſt intellectus, & principium cognoſcitivum; nec curant de memoria ſtrictiſsime accepta.

28 Efficacius mihi probatur authoritate D. Auguſt. libr. de prædeſtinatione, & gratia, cap. 5. circa medium: *Omnium*, inquit, *rerum, tàm præteritarum me-*

memoria, quàm imminentium scientia plenus est, nec reminiscens volvitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum. Vbi videtur S. Doctor memoriam vsurpare strictè, & propriè, tum quia eam accipit pro cognitione præteritorum, quæ apud omnes memoria est propriè, tum quia eam denudat ab imperfectione interruptionis, vt denotant illa verba: *Nec reminiscens volvitur in præteritum*, quæ non faceret, si de memoria tantùm impropriè, & metaphoricè sumpta procederet. Tum etiam: quia eodem modo videtur tribuere Deo memoriam, ac scientiam, & cognitionem futurorum: sed Deo convenit propriè, & strictè cognitio, & scientia futurorum: ergo similiter propriè, & strictè convenit memoria ex mente ipsius.

29 Ratione etiam probatur ex repetita regula nominum, quæ in proprio significato Deo conveniunt. Etenim memoria seclusis imperfectionibus includendi species distinctas, & accidentales: necnon recuperandi cognitionem habitam, & interruptam est potentia intellectiva retinens species eorum, quæ semel cognoscuntur, sub qua ratione habet specificativum proprium in ratione memoriæ, ex se dicens perfectionem meliorem quidem, quàm non ipsam; sed perfectio quæ nullam dicit imperfectionem, & est melior ipsa; quàm non ipsa Deo propriè convenit; ergo memoria in vero, & proprio sensu Deo convenit. Confirmatur: in divino intellectu, & ex determinatione ipsius dantur species obiectorum, quæ cognoscit ita permanenter, vt ea, quæ semel cognoscit, semper cognoscat indefectibiliter, & absque vlla interruptione: ergo in Deo datur non solùm potentia, in qua sunt species obiectorum, quæ cognoscit; sed potentia, quæ permanenter, & indefectibiliter habet species eorum, quæ cognoscit, & cognitionis, quam semel habet: sed potentia intellectualis retinens inamissibiliter species eorum, quæ semel cognoscit, & cognitionis, quàm semel habet, est cognitio perfectissima: ergo in Deo datur vera ratio memoriæ perfectissimæ.

30 Vrgetur. In creaturis quo minus interrumpitur cognitio semel habita est perfectior memoria: ergo habere cognitionem nullo modo interruptam est memoria perfectissima. Patet consequentia: quia in hoc nulla est ratio, vt sicut se habet simpliciter ad simpliciter non ita se habeat magis ad magis: ergo habere cognitionem non interruptam ex non interrupta excitatione speciei est vera, & propria ratio specificativa memoriæ perfectissimæ, seu potentiæ intellectualis tenacissimè conservantis species eorum, quæ semel cognovit; sed hic conceptus reperitur in Deo cuius intellectus non modo est species intelligibilis obiecti; sed adeo retentrix cognitionis, quam semel habuit, vt eam numquam amittat: ergo datur in Deo specificativum proprium potentiæ memorativæ. Adhuc explicatur: in Deo verè, & propriè invenitur non modo conceptus potentiæ intellectivæ ex se determinatæ ad cognoscendum, ac per consequens, quæ sit species intelligibilis omnium, quæ cognoscit; sed etiam potentia intellectiva ex se determinata ad cognoscendum semper, quæ semel cognoscibilia sunt, ac propterea, quæ sit species intelligibilis permanens, & inamissibilis omnium, quæ cognoscibilia sunt, & semel cognoscuntur: ast hoc secundum non habet nomen aptius quo explicetur, vt non est præcisè realiter illud primum, quod vocatur intellectus, seu potentia intellectiva; quam per nomen potentiæ memorativæ in proprio significato: ergo sicut Deo convenit ratio vera, & propria intellectus, & speciei intelligibilis, ita etiam convenit ratio vera, & propria memoriæ, seu potentiæ memorativæ.

CAPVT III.

Solvuntur argumenta contra propositas Conclusiones.

31 COntra primam assertionem obijcies primò plures Patres negantes in Deo potentiam, tàm respectu intellectionis, quàm volitionis cum quibus videtur esse D. Thomas, 1. part. quæst. 41. art. 4. ad 3. inquiens: *Respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantùm prout diversimodè significatur in Deo intelligere, & intellectus: cum tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia non habens principium*, & libr. prim. contra Gentes, cap.

cap. 45. ratione 4. vbi vt probet intellectionem Dei esse suam essentiam; sic arguit: *Intelligere est actus intelligentis: si igitur Deus est intelligens, & non sit suum intelligere, oportet quod comparetur ad ipsum sicut potentia ad actum, & ita potentia erit in Deo, & actus, quod est impossibile, vt supra probatum est.* & lib. 2. contra Gentes cap. 10. à medio de actionibus immanentibus loquens, ait: *Respectu harum non dicetur in Deo potentia nisi secundum modum intelligendi, huiusmodi actiones sunt intelligere, & velle.* Et post pauca: *Intellectus igitur, & voluntas in Deo non sunt, vt potentiæ; sed vt actiones*: ex quibus sic. Potentia, quæ tantum convenit Deo secundum nostrum modum significandi; & imperfectum modum cognoscendi, non est vera, & realis potentia existens à parte rei; sed potentia intellectiva iuxta Patres, & D. Thom. tantum datur in Deo ex modo nostro significandi, & intelligendi: ergo non datur in Deo verè realiter à parte rei, & independenter à nostris conceptibus.

32 Respondeo. PP. si quando dicunt, in Deo non dari rationem potentiæ intellectivæ nisi per nostros conceptus, loqui de potentia realiter activa distincta realiter ab intellectione, & actuabilis per ipsam, tanquam per quid realiter distinctum; non de potentia, quæ ita sit actus primus ad intelligere, vt secum identificet actum secundum intelligendi; nam hoc modo sumpta vera, & reali potentia intelligendi, tàm planè eam concedunt, ac concedunt intellectum verum, & realem in Deo existere, & ratio est: quia PP. eo modo excludebant in Deo potentiam, quo obstabat eius simplicitati: sed duntaxat obstabat eius simplicitati, prout dicit distinctionem realem à suo actu: ergo solùm excluserè potentiam intellectivam in Deo prout distinctam realiter ab actu secundo intelligendi: Pariter exponendus est D. Thom. cuius mens ex locis adductis pro nostra conclusione fit clara, vt tantùm intendens excludere potentiam realiter activam, aut receptivam intellectionis.

33 Obijcies secundò à ratione ex Aureolo. In nostra intellectione non datur prædicatum potentiæ realis ad exprimendum obiectum, sicut nec in actione, aut vnione prædicatum potentiæ ad agendum, aut vniendum: ergo neque in Deo datur potentia realis ad intelligendum. Probatur consequentia: Deus non minus est realiter sua intellectio; quam intellectio actio, & vnio sunt realiter id quod sunt; sed propter hanc identitatem intellectio actio, & vnio non sunt potentiæ reales ad exprimendum, agendum, & vniendum: ergo propter similem identitatem non erit in Deo potentia realis ad intelligendum. Insto argumentum. Animal Equi non est rationale: quia est præcisè realiter suum esse; sed animal hominis non est minus præcisè realiter suum esse, quam animal Equi: ergo animal hominis non est rationale. Deinde actio, & vnio realiter distinctæ ab agente, & extremis non habent potentiam realè ad se ipsas propter identitatem realem, quam secum habet: ergo neque actio identificata cum agẽte; & vnio cum extremis, erunt potentia realis agendi, & vniendi propter identitatem realem secum ipsis.

34 Respondeo: intellectionem actionem, & vnionem non esse potentias ad se ipsas, quando distinguntur realiter ab intellectu agente & extremo vnibili: quia tunc identitas est præcisè realiter ad se ipsas, vt intellectio actio, & vnio sunt: nihil autem habet potentiam plusquam logicam ad se ipsum præcisè realiter; at intellectio, & quæ realiter sit intellectus, aut actio, quæ sit agens, aut vnio, quæ sit vnibile non habent identitatem realem ad se præcisè realiter, vt intellectio actio, & vnio sunt, cum etiã realiter sint intellectus agens, & vnibile: vnde manet locus, vt includant rationem potentiæ verè, & realis. Vbi observandæ sunt hæ propositiones: *Intellectio non est aliud realiter ab intellectione*: *Intellectio est præcisè realiter intellectio*, quæ diversissimæ sunt: nam prima denotat identitatem realem omnium, quæ de intellectione possunt affirmari. Secunda verò in esse intellectionis excludit omne aliud affirmabile, quod non sit formaliter intellectio: potestque esse prima vera, & secunda falsa, vt constat in repetito exemplo actus contritionis, de quo verificatur non esse aliud realiter ab amore Dei, & est falsum esse præcisè realiter Dei amorem, cum etiam sit realiter peccati odium.

35 Ad formam igitur, concesso primo antecedenti, negatur consequentia. Ad cuius probationẽ distinguo maiorem: Deus non minus est realiter sua in-

intellectio, quàm intellectio, actio, & vnio ſunt realiter id quod ſunt *in quantum non eſt aliud realiter à ſua intellectione*, concedo maiorem: *In quantum ſit præcisè realiter ſua intellectio*, nego maiorem; & diſtinguo minorem. Propter hanc identitatem intellectio, actio, & vnio non ſunt potentiæ reales ad exprimendum, agendum, & vniendum: *In quantum non ſunt aliud realiter*, nego minorem, *in quantum* ſunt *id præcisè realiter* concedo minorem: & diſtinguo cõſequens. Propter ſimilem identitatem *in quantum ſit præcisè realiter ſua intellectio*, non erit in Deo potentia realis intelligendi concedo conſequentiam, & nego ſuppoſitum conſequentis, ſcilicet, quod detur in Deo talis identitas *in quantum non ſit aliud realiter ab intellectione*, nego conſequentiam. In idem recidit ſolutio, quam tradit Izquierdo dicens, quod ſemper ac alicui actui tanquam ſubiecto tribuitur actus eiuſdem rationis ex parte prædicati, ambo cenſentur vnus præcisè realiter, ideoque ibi non eſt ratio potentiæ realis, & actus, vt evenit in exemplis appoſitis; ſecus quando actus, qui ponitur ex parte ſubiecti non eſt præcisè realiter actus, qui ponitur ex parte prædicati. Vt quando dicitur *intellectus Dei eſt intelligens*, aut *intellectus Dei eſt ſua intellectio*. Tunc enim id quod ponitur ex parte ſubiecti eſt potentia realis illius, quod ponitur ex parte prædicati.

36 Obijcies tertiò. De conceptu potentiæ realis eſt diſtingui realiter ab actu cuius eſt potentia, cum nihil poſſit realiter ſe ipſum; ſed Deus nullam dicit diſtinctionem realem à ſua intellectione: ergo nullam habet potentiam realem ad actum intelligendi. Probatur maior: omnis ſpecies potentiæ realis, aut eſt activa, aut vnitiva, aut receptiva; ſed quælibet ex iis diſtinguitur realiter à ſuo actu: ergo de conceptu potentiæ realis eſt diſtingui realiter ab actu ſuo. Confirmatur: de ratione cuiuſvis actus phiſici eſt reſpicere ſubiectum, & terminum tanquam extrema à ſe diſtincta; ſed potentiæ reali correſpondet actus phiſicus: ergo de ratione potentiæ, quæ ſe habet, vt ſubiectum actus, eſt diſtingui realiter ab illo. Reſpondetur: nego minorem: ad cuius probationem negatur etiam maior: nam vltra illas ſpecies datur potentia realis, quæ cum non ſit ad ſe præcisè realiter, eſt capacitas ad actum ſecundum ſecum identificatum, reſpectu cuius ſe habet, vt quod verè, & realiter verificando: *intellectum intelligere*; *non intellectionem*, niſi in quantum intellectio eſt *realiter intellectus*: neque ad rationem potentiæ realis aliud requiritur, quàm determinabilitas vera, & realis per actum verum, & realem, qui non ſit præcisè realiter ipſa, quæ vt *quod* per talem actum denominatur: vnde non video, cur potentia realis, & phiſica rationabilius reſtringatur ad activam, paſsivam, aut vnitivam, quàm reſtringeretur ab aliquo, cui in mentem veniret dicere ſolam potentiam activam eſſe potentiam phiſicam, & realem: quia ſolà ipſa eſt, quæ ſtrictiſsimè verè, & propriè influit. Inde conſtat quid dicendum ad confirmationem, cuius doctrina, tàm facilè à nobis negatur; quàm ab adverſarijs aſſeritur.

37 Probatio illa implicita primæ maioris ſcilicèt *nihil poſſe ſe ipſum realiter*, conſtat ex dictis obiectioni precedenti quomodo vera ſit, & quomodo falſa. Nam ſi ly *ſe ipſum* denotet precisè non diſtinctum realiter, falſa eſt, vt conſtat in agente identificanti ſecum actionem ad terminum, quæ potentia realis eſt, tàm reſpectu termini; quàm actionis ſuæ, niſi velis aliquid produci phiſicè per actum logicum. Si vero ſignificet *præcisè realiter* vera eſt; ſed nihil probat, cum potentia intellectiva, nec ſit præcisè realiter intellectus; ſed etiam realiter intellectio, nec ſit præcisè realiter intellectio; ſed etiam verè, & realiter intellectus.

38 Obijcies quartò. Potentia, quam Deus habet ad intelligendum, eſt potentia, quam habet, vt ſit realiter ipſa intellectio, cum Deus intellectione ſibi identificata intelligat: ſed hæc eſt potentia purè logica: ergo in Deo nõ datur potentia realis, & phiſica intelligendi; ſed purè logica. Probatur minor. Ea potentia eſt, ſicut illa, quam habet quodvis prædicatum, vt ſit aliud realiter cum quo realiter identificatur; ſed hæc eſt potentia purè logica: ergo, & illa. Reſpondeo primò: negando maiorem ſiquidem potentia, quam Deus habet ad intelligendum non eſt præciſè realiter potentia ad identitatem cum intellectione, alias intellectio in creatis eſſet intelligens: quia eſt potentia ad identitatem ſecum ipſa: debet ergo ſuperadde-

re

re realem capacitatem, vt per ipsam denominetur non vtcũque habens intellectionem, sed effectum aut quasi effectũ ipsius, intelligendo per ipsam. Respondeo secundò permissa maiori negando minorem: nam cum potentia, quam habet intellectus divinus, vt sit identicè realiter intellectio, non sit potentia ad se præcisè realiter, non est potentia purè logica; sed phisica, & realis, qua ratione etiam quodvis prædicatum potest dici potentia phisica ad identicè realiter habendum aliud. Omitto acceptionem aliam potentiæ logicæ, quæ apud alios AA. reperitur, nolentes eam concedere vlli rei existenti; sed possibilitati tantùm prædicatorum, vel rerum purè possibilium, vel rerum antequam phisicè existant: qua acceptione servata, benè agnoscitur satis debilis vis argumenti propositi.

39 Objcies quintò. Deus non habet potentiam phisicam, vt sit Æternus, Immensus, Iustus, & Omnipotens: ergo neque habet potentiam phisicam, vt intelligat. Probatur consequentia: quia non minus Deus non est præcisè realiter sua natura; sed etiam sua attributa; quàm divinus intellectus non est præcisè realiter potentia intellectiva, sed insuper intellectio: ergo si Deus non habet potentiam realem, & phisicam, vt sit Æternus, Immensus, Iustus & Omnipotens, neque habet potentiam phisicam, & realem, vt sit intelligens in actu secundo. Concedit antecedens Quiròs, & negat consequentiam propter disparitatem, quam tradit dicendo neminem esse, qui non apprehẽdat plus operationis in Deo, quà intelligente, quàm in Deo, quà Æterno, Immenso, &c. & quę quidem nulla est, cum realitates non sint metiendæ penes nostrum modum apprehendendi, aliàs dicat intellectum divinum esse realiter potentiam realiter productivam intellectionis: quia eum apprehendimus ad modum. & per species intellectus creati? Quare melius negatur antecedens, cum Izquierdo, qui consequentius in vtroque casu concedit potentiam phisicam, & realem.

40 Objcies sexto. Vbi datur vera, & realis potentia, veruſque, & realis actus primus, datur ex parte rei aliquis ordo prioritatis ad actum secũdum; sed in intellectu divino saltem respectu sciẽtiæ, qua Deus se cognoscit, non datur ex parte rei talis ordo, cum nihil conveniat scientiæ necessariæ, quod non conveniat intellectui divino: ergo saltem respectu scientiæ necessariæ necessitate intrinseca, qua se Deus cognoscit, intellectus divinus non est vera, & realis potentia, nec verus actus primus. Nego maiorem: nã apud adversarios ipsos, potentia vnitiva est vera, & realis potentia, quin sit necessarium quod talis potentia habeat ex parte rei aliquem ordinem prioritatis ad actum secundum vnionis, vt constat semper ac extremum vnibile, nec producit, nec recipit vnionem sui ad aliud extremum: vel maiorem distinguo. Vbi datur vera, & realis potentia *pura*, veruſque, & realis actus primus *purus*, datur ex parte rei aliquis ordo prioritatis ad actum secundum concedo, vel permitto maiorem; potentia *non pura*, & actus primus *non purus* nego maiorem: & concessa minore, distinguo consequens: saltẽ respectu scientiæ necessariæ necessitate intrinseca, qua Deus se cognoscit, intellectus divinus non est vera potentia *pura*, nec verus actus primus *purus*, & *præcisè talis*, concedo consequentiam: potentia *non pura*, nec actus primus *non purus*, & *præcisè talis* nego consequentiam. Est dicere. Potentia, quæ ex se intrinsecè purè sistit in *posse*, sicut, & actus primus, transeat, quod dicat ordinem prioritatis ad actum secundum, quod falsum est propter exemplum adductum potentiæ vnitivæ; at intellectus divinus cum non purè sistat intrinsecè in posse intelligere, seu in actu primò intelligendi; verùm sit ipsissimum intelligere, nõ dicit aliquem ordinem prioris ad actum secundum.

41 Replicabis: non est locus actui primo, & secundo vbi non est locus successioni: nam vbi hæc non datur non est ratio, vt ex duobus vnum sit actus secundus alterius, quàm vt alterum sit actus secundus huius: ergo si inter intellectum divinum, & suam intellectionem, saltem necessariam, qua Deus se cognoscit, non datur successio aliqua prioritatis, & posterioritatis; non est ratio cur intellectio sit potius actus secundus intellectus divini, quàm hic actus secundus intellectionis. Insto argumentum in potentia vnitiva extremi, quod in se, nec recipit vnionem, nec illam producit: etiamque in causa, quæ secum identificat actionem, in qua datur ratio veri actus primi, & veri actus secundi: clariusque in actu primo logico respectu actus secun-

di logicè. Respondeo itaque : actum primum, & secundum ex se non requirere successionem aliquã ; sed duntaxat rationem potentiæ, quæ per actum exerceatur, & exercitij quod potentiam exercet, quæ vere, & realiter inveniuntur in Deo etiam respectu intellectionis necessariæ, qua se cognoscit: quia vere, & à parte rei est potens intelligere, & intelligens, vt *quod* per intellectionem, & verè à parte rei est etiam exercitium intelligendi, seu id, quo intelligit.

42 Objicies septimò. Id quod pertinet ad intellectum non est phisicum; sed intentionale: ergo cum potentia intellectiva in Deo pertineat ad intellectum: quia est ipse intellectus, dicenda erit potentia, & actus primus intentionalis; non phisicus, & realis. Sic arguit Quirós. Respondeo : hic sumi *phisicum* non prout contradistinguitur ab eo, quod pertinet ad intellectum, sed prout contraponitur *purè logicè*, aut purè habenti esse obiective in intellectu & non à parte rei, qua ratione intellectus dicitur potentia vera, & realis, quamvis sit etiam potentia intentionalis: quomodo intellectus noster etiam dicitur verè, & realiter producere, & efficere suam intellectionem veram, & realem, quamvis potentia, & actus sint intentionales.

43 Objicies octavò: ratio potentiæ veræ, & realis opponitur cum perfectione divina: ergo non datur in Deo potentia vera, & realis ad intelligendũ. Probatur antecedens. Ratio potentiæ opponitur cum ratione actus purissimi, cuius conceptus omnem potẽtialitatem excludit: sed divina perfectio est actus purissimus: ergo ratio potentiæ veræ, & realis opponitur cum perfectione divina. Rogo: an perfectio divina sit componibilis cum potentia logica, quam admittunt adversarij, aut cũ potentia generativa, & spirativa ad intra, sicut, & productiva ad extra, quę sunt potẽtialitates. Non ergo argumentum aliquid probat: quia nimis probat, vt observaverunt alij. Respondeo: cum conceptu actus purissimi eam solam potentialitatem opponi, quæ sit ad actum aliquem distinctum per quem mutetur, in quantũ per ipsum perficiatur, aut deterioretur ; at non excludere veras potẽtias ad suos actus perfectissimos internos, neque verã potentiam ad actus externos, quæ ex se nullam dicunt imperfectionem, sicut eam non dicit posse esse perfectissimè id quod perfectissimè est.

44 Quæ restant contra alias conclusiones, levioris momenti sunt. Contra tertiam objicies nono. Munus proprius speciei intelligibilis est suplere concursum obiecti: ergo vbi non sit obiectum, cuius concursum suplere possit species, neque est necessaria, nec datur : sed in Deo non est obiectum, cuius concursus suplere valeat species: quia obiectũ, vel est Deus ipse, qui cum cognitione realiter identificatur, vel est quid à Deo distinctum, & hoc nullum influxũ phisicũ præstare potest in id, quod per identitatem est Deus, vt est scientia, qua omnia extra se cognoscit: ergo in Deo non datur ratio speciei intelligibilis. Respõdeo: munus proprium, & specificum speciei intelligibilis non esse suplere concursum obiecti in cognitionem, vt constat: quia plurium obiectorum dãtur species, quin obiecta valeant concurrere; v.g. dantur in Angelo, & homine species rerum purè possibilium; nec tamen obiectum purè possibile potest concurrere, sicut nec impossibile, nec rerũ defectus, quę omnia cognoscibilia sunt à nobis per species: item dum cognoscimus abstractivè & per species alienas, non datur suplementum concursus illius, quod abstractivè cognoscitur: nam si illud concurreret, non concurreret ad cognitionem abstractivam sui; sed propriam : est ergo munus, vt diximus, proprium, & specificativũ speciei intelligibilis determinare potentiam quoad substantiam, & modũ cognitionis: quare cum potentia intellectiva Dei sit ex se determinata, tũm ad cognoscendum quidquid cognoscibile est, tum ad modum cognitionis scilicèt comprehendendo: per consequens datur in ipsa vera ratio speciei intelligibilis.

45 Replicabis ex Godoy : omnis species non evidens obiecti non determinat intellectum ad cognitionem obiecti: ergo munus proprium speciei intelligibilis non est determinare potentiam ad cognitionem obiecti. Probatur antecedens: omnis species non evidens obiecti ; v. g. species deservientes ad actum fidei non determinant intellectum ad sic cognoscendum, cum maneat indifferens, tàm quoad exercitium, quàm quoad specificationem, ita vt possit credere, vel non credere, aut discredere revelatis donec accedat voluntatis im-

imperium: ergo omnis ſpecies non evidens obiecti non determinat intellectu ad cognitionem illius. Reſpondeo: munus ſpeciei intelligibilis, ſecundùm totam ſuam latitudinem acceptæ, eſſe determinare aliquomodo ad cognitionem, & modum cognoſcendi obiectum, vel *poſitivè*, vel *negativè*, poſitivè ſi ſit ſpecies clara obiecti; negative ſi ſit obſcura, quæ determinatio negativa conſiſtit in eo, quod quamvis intellectus quoad cognitionem iudicativam ſubdatur imperio voluntatis, non poſsit voluntas vi illius ſpeciei exire extra ambitum illius obiecti, aut imperando, aut ſuſpendendo aſſenſum, aut determinando diſſenſum, quod explicari poteſt exemplo determinationis negativæ, qua quis determinat alium ad legendum vnum determinatum librum ex multis per ablationem reliquorum, in quo caſu quamvis ſic determinatus, ſit indifferens ad legendum, & non legendum, non eſt indifferens ad legendum hunc librum præ alio ſeu indifferentia verſante inter vnum, & alium librum: vel dic ſi placet: determinationem propriam ſpeciei intelligibilis in tota ſua latitudine non eſſe determinationem neceſsitatis; ſed determinationem poſitivæ aptitudinis proximæ ad ſubſtantiam, & modum cognitionis, quæ determinatio aliquando eſt ſeparabilis ab actuali obiecti cognitione, & modo illud cognoſcendi; aliquando verò inſeparabilis.

46 Inſiſtes: intellectus lumine gloriæ illuſtratus non manet indifferens; ſed determinatus ad viſionem claram Dei, & tamen indiget ſpecie intelligibili à lumine gloriæ diſtincta: item intellectus Angeli eſt determinatus ad cognitionem propriæ ſubſtantiæ, & nihilominus indiget ſpecie ſuperaddita: ergo determinatio ad cognoſcendum non eſt ſpecies obiecti. Nego vnum, & alterum. Primum: quia lumen in tantum determinat ad viſionem claram Dei, in quantum ſecum identificat conceptum, & rationem ſpeciei, quam ſi ab ipſo ſepares, falſum eſt eſſe inſeparabile à viſione clara Dei. Secundum: quia falſum eſt Angelum indigere, vt ſe cognoſcat, ſpecie aliqua intelligibili, aut concurſu aliquo obiectivo in ſui cognitionem; per ſe enim eſt determinatus ad ſubſtantiam, & modum cognitionis tendentis in ſe ipſum.

47 Contra quartam concluſionem obijcies decimò ex Ruiz D. Thomam conſtantiſsimè negantem Deo rationem habitus ſcientifici, tum in præſenti articulo 1. ad 1: & de veritate q. 2. ad 4. & 5. tum lib. 1. contra Gentes, cap. 56. & lib. 1. ſententiarum diſtinct. 35. quæſt. 1. art. 5. in fine corp. & ad 4. Tum quia generaliter loquendo de omni habitu affirmat ipſum Deo repugnare 1. 2. quæſt. 49. art. 4. corpore. Reſpondeo: D. Thomam in omnibus illis locis excludere habitum realiter diſtinctum, & qui ſit qualitas eomodo quo invenitur in creaturis; non verò habitum identificatum cum ipſa Dei ſubſtantia, & denudatum ab omni imperfectione. Nec obſtat, quod nunquam expreſſe; & in particulari conceſſerit Deo rationem habitus, ſicut concedit Deo rationem ſcientiæ, & ſpeciei intelligibilis: quia ſufficit regula generalis quam tradit in præſenti art. 1. ad 1. dicens: *Quod quia perfectiones procedentes à Deo in creaturas aptiori modo ſunt in Deo, oportet, quod quandocumque nomen ſumptum à quacumque perfectione creaturæ Deo tribuitur, ſecludatur ab eius ſignificatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ.* Contra hanc, & quintam concluſionem nihil eſt, quod à ratione obijci poſsit, quod in ipſa probatione non ſit ſolutum, aut facillimè ex ipſa ſolvi poſsit.

48 Rogabis primò: an ſicut in Deo datur vera, & formalis ratio potentiæ phiſicæ ad intelligendum, veruſque, & formalis actus ſecundus realis intelligendi, ſic etiam detur vera, & formalis ratio actionis realis intellectivæ. Reſpondeo negativè: Et vltra authoritatem D. Dioniſij de divinis nominibus cap. 7. ſibi obijcientis: *quo pacto aliquid eorum, quæ animo intelliguntur intelligis cum mentis actionibus careat?* Et reſpondentis: *Divina pro Dei dignitate accipienda ſunt: intelligentiæ enim, ſenſuſque vacuitas in Deo excellentia, atque præſtantia ponenda eſt.* Ariſt. lib. 10. Ethicor. cap. 8. dicentis de viventi præſtantiſsimo *Viventi igitur ei cui actio, & multo magis affectio non tribuitur*: S. Thom. de potentia quæſt. 1. art. 1. ad 1. & 1. part. quæſt. 41. art. 1. ad 2. nolentis concedere ſtrictam actionem realem formalem in divinis adhùc in actibus notionalibus generandi, & ſpirandi. Ratio id perſuadet: etenim vera actio realis formalis,

est verus influxus realis formalis, qui non datur nisi inter distincta realiter formaliter, vel vt distinctus realiter formaliter à principio; sed inter divinum intellectum, & intellectionem non datur distinctio realis formalis, neque influxus aliquis distinctus realiter formaliter ab intellectu: ergo nec datur verus influxus realis formalis, nec vera actio realis formalis: vnde si aliquando apud S. Thom. & alios PP. actus divini intelligendi, & volendi vocantur actiones immanentes, intelligendum est non de actione reali formali; sed de actione reali virtuali, vel alio sensu lato, & improprio.

49 Propter eandem rationem concedi nequit, esse passionem realem: tum quia vbi non datur actio realis formalis nec potest dari passio realis formalis: tum etiam: quia passio ex se clarissimè dicit imperfectionem subiecti in quo reperitur, in quantum minuit, aut auget perfectionem patientis: tum demum: quia vera realis formalis passio, est verus realis formalis influxus passivus: ergo si verus realis formalis influxus passivus inter realiter identificata dari nequit; nec vera realis formalis passio.

50 Rogabis secundò; si intellectio Dei non est actio realis formalis, quomodo est realis formalis operatio, vti inter probandum supposuimus? Videtur namque operationem realem formalem idem esse ac actionem realem formalem quare si hæc de intellectione non potest prædicari, neque illa. Respondeo ex Ruiz disp. 3. sect. 6. hæc nomina *operatio*, & *vltimus actus* communiter à Philosophis, & Theologis vsurpari magis abstractè, quàm *actio* significando tantummodo veram, & realem tendentiam in obiectum, qua ratione pugnat cum otio, somno, vel carentia vitæ intentionalis perfectissimæ, quę in perceptione, & appetitione obiecti consistit, cumque hæc verè, & realiter formaliterque inveniantur in Deo, neque aliquam distinctionem realem exposcant, sicut requirit actio realis formalis: ideo absque incommodo prædicatur de divina intellectione esse operationem realem formalem, secus actionem realem formalem, quæ sine reali distinctione nequit consistere.

CAPVT IV.

Vtrùm intellectus divinus sit à parte rei principium virtuale intellectionis, sivè necessariæ, sivè contingentis necessitate intrinseca, & extrinseca?

51 IN dubio vocali dissidio maximè subiecto, aliqua ante resolutionem notare expedit. Noto primò: vnum esse virtualiter aliud est illi realiter æquivalere, quin sit formaliter illud. Ratio est: quia nihil dicitur æquivalere ei, quod formaliter includit: Inde pro modo æquivalentię datur exclusio formalitatis in tali ratione, & quę conveniunt genericè, tantum possunt æquivalere, aut esse virtualiter specificè; quæ vero specificè, tantùm possunt æquivalere individualiter. Ex hac generali acceptione æquivalentię, seu virtualitatis descendit intelligentia principij virtualis, quod quidem est *quid realiter æquivalens principio reali; quin sit formaliter reale principium*. Cumque principium reale sit in duplici differentia, activum scilicèt, & passivum, sub eadem duplici consideratione intelligi valet principium reale virtuale, aut activum, aut passivum; activum erit, quod æquivaleat principio reali productivo absque formali ratione productivi; passivum vero, quod æquivaleat principio reali receptivo absque formali ratione principij receptivi. Contractius autem loquendo de principio virtuali intellectivo, tam activo, quàm passivo in divinis: id erit quod æquivaleat principio reali intellectivo, tam activo, quàm passivo absque formali ratione principij realis intellectivi, sivè activum sit, sivè passivum.

52 Noto secundò: æquivalentiam istam principij virtualis ad principium reale formale debere esse in ordine ad aliquod munus proprium principij realis formalis; sed non ad munus specificativum illius. Constat primum: nam nihil dicitur æquivalere alteri in eo quod ad ipsum non pertinet, neque

est

est illi proprium: ergo opus est pro æquivalentia principij virtualis ad principium reale formale æquivalere ipsi quoad munus proprium. Constat secundum: siquidem munus specificum principij realis formalis nō invenitur absque specificato, id est, absque ratione principij realis formalis: ergo si æquivalentia principij realis virtualis excludit rationem formalem principij realis formalis non potest esse quoad illud munus, quod sit specificativum principij realis formalis; aliàs esset virtuale ex vna parte, vt supponitur, & formale ex alia: quia haberet id in quo formaliter cōsistit ratio, & conceptus principij realis formalis: vtrumque explicari potest exemplo communissimo admittentium distinctionem virtualem ad conciliandas veritates fide certas, quę captum naturalis rationis superant, in quorum iudicio distinctio illa dicitur virtualis: quia æquivalet distinctioni reali formali quoad munus suscipiendi denominationes, & prædicata inter se opposita, non quoad munus specificum distinctionis realis formalis, scilicèt *vnum non esse aliud realiter ante intellectus operationem*; ne sic distinctio virtualis fieret distinctio realis formalis.

53 Hæc si dentur, benè potest vnum dici simpliciter, & absque restrictione æquivalens alteri, aut esse virtualiter illud, quin sit necessarium explicare munus æquivalentiæ, vt vult Herrera; nisi aut quando sumatur pro medio ad probandam virtualitatem, & æquivalentiam, aut quando fiat quæstio de munere, aut quando ex conventione restringatur virtualitas ad munus determinatum, vt constat in distinctione virtuali strictè tali, quæ ex vsu acceptionis inter defendentes, & impugnantes non aliter accipitur, quàm pro æquivalentia ad determinatum munus suscipiendi prædicata ex se contradictoria absque contradictione.

54 Noto tertiò: æquivalentiam in Deo solum posse esse ad ea, quæ involvunt imperfectionem; sivè positivam, sivè negativam in eo modo, & ratione respectu cuius datur æquivalentia, sivè virtualitas. Ratio mihi est clara: quia cum omnis conceptus neque dicens imperfectionem, aut positivam, aut negativam inveniatur in Deo formaliter; & æquivalentia tantum possit esse respectu illius, quod in Deo formaliter non invenitur: per consequens debet esse respectu illius, quod secundum id, quod involvit in suo conceptu formaliter in Deo non potest esse, quod idem est, ac esse formaliter imperfectū, cui æquivalet Deus, non quia imperfectionem illam in se contineat; sed quia sine imperfectione vlla facit, aut continet id, quod aliud sine imperfectione admixta nec facit, nec continet. Infero, & noto quartò: æquivalentiam, esse in Deo dari potest, non dici talem, quia tantum valeat, quantum aliud ibi sistendo, hoc est sine excessu; sed quia cum in excessu maioris valoris contineatur minor valor, dum plus valet, etiam tantum valet; quamvis non præcisè tantum.

55 Noto quintò: quod licet, vt principium aliquod sit virtualiter tale, & æquivalens principio reali formali, debeat æquivalere distinctis realiter, inquantum sine distinctione reali formali facit id, quod faciunt distincta realiter formaliter, & in hoc sensu distinctionem aliquam virtualem admittat; non tamen illam debet admittere, prout sonat æquivalentiam ad distincta realiter quoad munus suscipiendi prædicata opposita; vel quia talis virtualis distinctio apud nos repugnat, vel quia, etiamsi non repugnaret, vanus est recursus ad ipsam pro principio virtuali explicando; & concedendo. Quare displicent communiter AA. præcipuè RR. facientes dependentem hanc quæstionem *virtualis principij intellectivi*, ab ea acceptione distinctionis virtualis reijcientes virtualitatem principij vbi locum non inveniunt suæ virtuali distinctioni. Et ratio est: quia cum ad principium virtuale sufficiat æquivalere principio reali quoad munus proprium illius, intercedens inter ipsum, & terminum realiter distinctum; neque omne quod datur inter distincta realiter tale sit, quod respectu vnius absque inconvenienti non possit contingere, vt patet in multis quæ in pluribus inveniuntur sparsa, & etiam in vno conveniunt coadunata; v.g. virtus productiva lucis, & caloris, quę divisa est in calore, & luce, & in sole indivisa, & sine separatione existit; male propterea requiritur ad virtualitatem principij intellectivi in divinis distinctio virtualis sumpta in acceptione prædicta.

56 His positis, sit conclusio. Intel-

tellectus divinus tam quoad intellectionem quomodocumque neceſſariam; quàm quoad intellectionem contingentem, eſt principium virtualiter activum, ſeu æquivalens principio intellectivo realiter formaliter productivo intellectionis. Probatur facilè ex dictis: intellectum divinum eſſe principium virtualiter activum intellectionis neceſſariæ, & contingentis, eſt æquivalere quoad vtramque principio intellectivo reali formali activo in ordine ad munus proprium illius, quin ſit formaliter principium intellectivum reale activum: ſed intellectus divinus ſic ſe habet quoad intellectionem neceſſariam, & contingentem: ergo intellectus divinus reſpectu vtriuſque eſt principium virtuale activum. Probatur minor, ſola difficilis, cùm conſequentia ſit rectè deducta, & maior conſtet ex acceptione explicata principij virtualis. Intellectus divinus, qui non eſt principium activum reale formale neceſſariæ intellectionis, aut contingentis, æquivalet reſpectu vtriuſque principio intellectivo reali formali activo, quoad munus proprium ipſius conſtituendi ſe ab intrinſeco intelligentem, & viventem in actu ſecundo realiter, & verè propter veram, & realem identitatem, quam cum intellectione neceſſaria, & contingenti dicit: ergo intellectus divinus quoad intellectionem neceſſariam, & contingentem æquivalet principio intellectivo reali formali activo in ordine ad munus proprium illius quin ſit formaliter principium reale activum intellectionis neceſſariæ, aut contingentis.

57 Explicatur, & confirmatur primò. Proprium eſt principij intellectivi realiter formaliter activi producendo realiter ſuam intellectionem ſe conſtituere in actu ſecundo realiter vivens, & realiter intelligens: ergo potentia illa intellectiva, quæ abſque productione reali ſuæ intellectionis per ſolam identitatem realem cum ipſa conſtituit ſe intelligentem, & viventem realiter in actu ſecundo, & facit quod eſt proprium principij intellectivi realiter formaliter activi, & ex defectu productionis realis cuius non eſt capax, non eſt principium intellectivum realiter formaliter activum: ſed id, quod ita ſe habet eſt principium intellectivum virtualiter activum: ergo cum intellectus divinus reſpectu intellectionis neceſſariæ, & contingentis ita ſe habeat, erit per conſequens reſpectu vtriuſque principium intellectivum virtualiter, & æquivalenter activum.

58 Confirmatur ſecundò. Non minus eſt proprium principij intellectivi realiter formaliter activi facere, & conſtituere ſe in actu ſecundo realiter vivens, & intelligens per intellectionem realiter à ſe diſtinctam, nec magis pertinet ad eius conceptum poſſe influere realiter in ſuam intellectionem per realem diſtinctionem ſui ab illa; quàm eſt proprium diſtinctionis realis formalis poſſe ſuſcipere prædicata oppoſita, & pertinet ad eius conceptum eſſe vnius conſtituere extra eſſe alterius fundando negationem mutuam vtriuſque: ſed apud admittentes diſtinctionem virtualem ſtrictè talem, ſive in divinis tantum, ſive etiam in creatis, diſtinctio illa, quæ ſit capacitas ſuſcipiendi prædicata contradictoria abſque conſtitutione reali eſſe vnius formalitatis extra eſſe alterius, eſt diſtinctio ſtrictè virtualis, & verè æquivalens diſtinctioni reali formali: ergo ſimiliter potentia illa intellectiva, quæ verè, & realiter faciat, & conſtituat ſe intelligentem, & viventem in actu ſecundo per intellectionem abſque capacitate producendi eam realiter per realem diſtinctionem ſui ab illa, erit principium intellectivum virtualiter activum, & verè æquivalens principio intellectivo realiter formaliter activo.

59 Conſequenter dicendum eſt cum Izquierd. Arriag. Martinon, & alijs Recentioribus poſſe abſque ineonvenienti vllo admitti *informationem*, aut *receptionem* virtualem intellectionis neceſſariæ, & contingentis, ac proinde intellectum divinum eſſe non ſolùm principium virtualiter activum vtriuſque intellectionis; ſed receptivum. Probatur eodem fundamento: nam intellectus divinus faciendo ſibi intimam intellectionem neceſſariam, & contingentem, per realem identitatem ſui cum ipſis, habet aliquid proprium principij receptivi, nempè facere intimè dependens à ſuo eſſe, eſſe intellectionis neceſſariæ, & contingentis abſque conceptu principij realis receptivi formaliter talis: ſed hoc eſt intellectum divinũ eſſe principium intellectivum virtualiter, & æquivalenter receptivũ cuiuſvis ſuæ in-

re-

tellectionis: ergo intellectus divinus non modo est principium activum omnis intellectionis virtuale, & æquivalens; sed etiam principium receptivum sub tali consideratione. Eadem facilitate probatur *informatio virtualis* ex intimitate esse intellectionis ad esse divini intellectus absque formali conceptu vnionis, & incompletionis: in quo non est amplius immorandum.

60 Dicta confirmantur: esse principium virtualiter activum, & passivum omnis intellectionis est habere formaliter quidquid perfectionis est in principio reali formali *activo*, & *passivo* absque imperfectionibus illorum: sed habere formaliter quidquid perfectionis est in principio reali formali activo, & passivo absque eorum imperfectionibus ex terminis Deo non repugnat; sicut ei non repugnat habere formaliter quamcumque aliam perfectionem denudatam ab omni imperfectione: ergo Deo, & eius intellectui concedendum est esse principium virtuale, & æquivalens omnis suæ intellectionis necessariæ, & contingentis.

61 Obijcies primò. Si intellectus divinus non distinguatur virtualiter ab intellectione eo genere distinctionis, quæ vocatur strictè virtualis, & intrinseca, sonatque realem capacitatem suscipiendi prædicata opposita absque contradictione, quidquid convenit realiter intellectui divino, conveniet etiam realiter intellectioni, sive necessariæ, sive contingenti: ergo tam erit intellectus divinus principium virtuale suæ intellectionis necessariæ, & contingentis: quàm ipsa intellectio necessaria, & contingens principium virtuale sui; nec minus intellectio, quàm intellectus facier se intelligentem, & viventem in actu secundo, quod sine absurdo videtur dici non posse, cum sit confundere munera propria intellectionis, & intelligentis actus secundi, & primi principij, & termini: ergo absque distinctione virtuali stricta intellectus divinus non potest esse principium activum, aut passivum virtuale, & æquivalens intellectionis necessariæ, & contingentis.

62 Pro solutione adverrendum: in omnium sententia, sive detur, sive non distinctio strictè virtualis, & intrinseca inter intellectum divinum, & intellectionem esse concedendas has propositiones, *intellectio divina qualiscumque sit secundum suum esse reale est intelligens, & intellectio: est id quod intelligit, & id quo intelligit: est principium virtuale, & terminus virtualis*: insuper: *intellectus divinus est principium virtuale sui esse realis: quia est principium virtuale suæ intellectionis realiter cum ipso identificatæ*: ergo nullum est absurdum in eo, quod intellectio sit principium virtuale sui. Ad argumentum responderi potest dupliciter. Primò: concesso antecedenti negando consequentiam: quia licèt, quod convenit intellectui divino, conveniat realiter intellectioni, hoc non probat, quod si de intellectu divino verificatur esse principium virtuale suæ intellectionis, hoc etiam debeat verificari absolutè de intellectione; sed modificativè in *quantum intellectus divinus*: pro quo revocandum est in memoriam repetitum exemplum amoris, & odij; quæ licèt apud adversarios identificentur realiter virtualiter in actu contritionis, quòd de amore verificetur absolutè *esse Dei* non probat idem absolutè verificari de odio, ita vt de ipso absolutè possit dici *odium est Dei*; sed tantùm sub modificatione, & reduplicatione *est Dei amor*; non *Dei odium*: qua doctrina servata, dici etiam valebit loquendo de intellectu, & intellectione divinis *intellectus divinus est principium virtuale suæ intellectionis*; *intellectio divina non est principium virtuale sui absolutè*, nisi sub reduplicatione, & modificatione *intellectus*; ita vt redat hunc sensum: *intellectio est principium virtuale sui*, sic *intellectus*: *non principium virtuale sui*, sic *intellectio*.

63 Responderi potest secundò. Concedendo totum enthimema, & negando, vt absurda omnia ea, quæ ibi ponderantur. Ratio est: quia cum intellectio divina, tàm necessaria, quàm contingens non sit præcisè realiter intellectio; sed intellectio, & intellectus, non est inconveniens, quod in se realiter per identitatem habeat id, quod vtrique formalitati realiter convenit, cum non sit consideranda illa intellectio, sicut ceteræ, quæ sunt præcisse realiter intellectiones, quibus sicut repugnat esse realiter potentiam, à qua procedunt, sic etiam repugnat esse principium virtuale, & terminum virtualè sui ipsius, in quo nulla maior potest esse dissonantia, aut ponderatio: quàm in eo quod animal realiter sumptum, quod est in homine eo modo, quo est rea-

realitèr principium ſentiendi, ſit etiam principium ratiocinandi: quia non eſt præcisè realiter animal; ſed inſuper rationale de cuius conceptu reali eſt, cuicumque identicè adiungatur eſſe principium reale diſcurrendi, in quo, vt videtur, nihil eſt difficile, aut diſſonanti ponderatione dignum.

64 Obijcies ſecundò. Ratio principij realis eſt argumentum irrefragabile realis diſtinctionis inter principium, & terminum: ergo cum intellectus diuinus non diſtinguatur realiter à ſua intellectione, nequit eſſe principium reale virtuale eiuſdem. Antecedens conſtat ex argumento quo vſi ſunt PP. contra Sabelliũ per oppoſitum Arij confundentẽ perſonas in diuinis, ſicut ille diſcernebat perſonas, & eſſentias, vt illum conuincerent de diſtinctione reali Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ex eo, quod Pater ſit reale principium Filij, & Pater, & Filius Spiritus Sancti: ergo vbi ſit ratio principij realis; & diſtinctio realis debet intercedere. Reſpondeo: PP. non aſſumpſiſſe pro medio ad probandam diſtinctionem realem perſonarum in Trinitate, quamcumque rationem principij realis, ſed contractè rationem principij realis formalis, quomodo eſt argumentum ineluctabile diſtinctionis realis: intellectus autem in Deo non eſt principium reale formale intellectionis; ſed reale virtuale, quòd tantum diſtat, vt probet diſtinctionem realem inter principium, & principiatum, vt potius identitatem realem vtriuſque prærequirat.

65 Replicabis: principium reale abſolutè ſumptum eſt argumentum efficax diſtinctionis realis: ſed principium reale virtuale eſt principium reale abſolutè ſumptum: ergo vbi fuerit principium reale virtuale, erit ratio realis diſtinctionis. Probatur minor: id, de quo poteſt affirmari principium reale abſolutè, eſt principium reale abſolutè ſumptum: ſed de principio reali virtuali poteſt affirmari abſolutè principium reale: cum hæc conſequentia ſit bona: *eſt principium reale virtuale: ergo eſt principium reale*; nam à reſtricto ad non reſtrictum benè valet conſequentia affirmativè: ergo principium reale virtuale eſt principium reale abſolutè ſumptum.

66. Eadem forma poſſet probari, diſtinctionem virtualem eſſe abſolutè, & ſimpliciter diſtinctionem realem: hominem pictum eſſe abſolutè, & ſimpliciter hominem: album ſecundum dentes eſſe abſolutè, & ſimpliciter albũ: nam ſi obiecta conſequentia eſt bona, bonæ ſimiliter erunt, *eſt diſtinctio realis virtualis: ergo eſt diſtinctio realis; eſt homo pictus: ergo eſt homo; eſt album ſecundum dentes: ergo eſt album*: cum non minus in his quam in illa arguatur quoad ſpeciem à reſtricto ad non reſtrictum affirmativè. Conceſſa igitur maiori, nego minorem: ad cuius probationem negatur etiam minor: propterea quod nec illa conſequentia ſit bona, nec in ipſa arguatur à reſtricto ad non reſtrictum; ſed ab improprio, & alienato ad proprium: quomodo non benè valet conſequentia, vt dicent aduerſarij in conſequentijs redargutis, quibus premuntur, & quas omnino ineptas tenentur fateri.

67 Obijcies tertiò difficilius: ſi dicta ſufficerent ad productionem virtualem intellectionis, & vt intellectus diuinus diceretur principium virtuale, & æquivalens eiuſdem, inferretur, quod deberet etiam admitti in Deo: Primò: productio virtualis, aut virtualis emanatio Omnipotentiæ, Immenſitatis, Æternitatis, & aliorum attributorum à diuina natura. Secundò: compoſitionem virtualem inter diuina attributa, & formalitates Dei. Tertiò: accidens virtuale. Quartò: quod peius omnibus eſt, Deum eſſe virtualiter peccatorem. Hæc omnia, quæ ſine abſurdo concedi nequeunt, probantur facilè eodem tenore, quo probauimus principium, virtuale intellectiuum: quia ſicut inuenitur in Deo abſque productione formali id, quod ſine tali productione non datur in creatis, ita inuenitur in Deo abſque formali compoſitione, abſque ratione formali accidentis, & abſque ratione formali peccatoris id, quod in creatis non datur abſque ratione formali compoſitionis, accidentis, & peccatoris, ſcilicèt intelligere, velle, correſpondere loco, & tempori; necnon producere peccatum quoad materiale, & formale: ergo ſi ex tali fundamento per nos datur principium virtuale intellectiuum ex identitate fundamenti, ſequelas iſtas ſatis duras debemus concedere, vel propter has fugiendas, à noſtra concluſione deſiſtere.

68 Hoc argumentum, quod virtualitates, & æquivalentias Dei ad res creatas aliundè benè perceptibiles satis implicat ob dissonantiam alicuarum denominationum, sententiam omnem comprehendit, cum nulla sit, in qua virtualitas aliqua rei, seu conceptus imperfectionibus admixti non debeant concedi: nulla enim si erronea, & contra fidem non sit, subterfugere potest omnipotentiam, quæ est virtus præcontentiva omnium, quæ ab ipsa procedunt saltem quoad entitatem, cumque inter ea sint defectus tum physici, tum morales positivi, erit per consequens virtualiter quidquid imperfectum est. Vnde rogo: an sit absurdum dicere Deum esse virtualiter accidens, canem, equum, peccatum, & peccatorem; imò, & hæc in se præcontinere? Nec dicant: hanc esse aliam acceptionem virtualitatis: quia ex hac inevitabiliter infertur alia sumpta pro æquivalentia ad aliquod munus. Nam si omnia in sua virtute præcontinet non potest non æquivalere cuivis aliæ causæ præcontentivæ similium effectuum.

69 Idem specialiter & ex novo titulo tenentur asserere, quotquot dicant dari in divinis distinctionem stricte virtualem, contra quos vrgent obiectæ difficultates, vt sic ostendo: non minus est contra perfectionem Dei distinctio realis formalis inter attributa, sive absoluta, sive relativa ad divinam naturam; quàm ratio accidentis compositionis, & peccati realis formalis: sed Deus est virtualiter distinctio realis formalis absque inconvenienti: ergo etiam absque illo poterit esse compositio virtualis, accidens virtuale, & peccatum, seu peccator virtualis quoad munera scilicèt non dicentia imperfectionem physicam, aut moralem. Demum: cum, vt notavimus non detur in Deo virtualitas, & æquivalentia, nisi ad imperfectum, omneque dicens imperfectionem provt tale æque Deo repugnet, vel nulla, vel omnis virtualitas, & æquivalentia erit à Deo removenda.

70 Difficultati respondent Recentiores, emanationem virtualem attributorum ab essentia posse absque inconvenienti admitti in illis attributis, quæ virtualiter ab essentia distinguntur: vt sunt *relativa*; secus in aliis, quæ sic non distinguntur, vt sunt absoluta. Ratio exceptionis est: quia virtualis emanatio, & productio requirunt distinctionem realem strictè talem: idem censent de compositione virtuali, quam dicunt posse Deo tribui, cum præcisè significet dari in Deo absque formali compositione, id quod in creatis non datur absque tali compositione, scilicèt esse *substantiam intelligentem*, in quo nulla est imperfectio. Quoad accidens virtuale sequellam negant, propterea quod &si in creatis non reperiatur actualis intellectio absque ratione accidentis: attamen ratio formalis propter quam est actualis intellectio, non est ratio accidentis; sed consistit formaliter in eo quod sit formalis expressio, & repræsentatio obiecti, non enim est actualis intellectio: quia est *accidens*; verum quia est *intentionalis expressio obiecti*, præscindendo ab eo quod sit accidens, aut substantia. De peccato, & peccatore nihil dicunt: quia sibi illud absurdum non proposuerunt, colligitur tamen idem dicturos de hoc, quàm de accidenti præcipuè, si attendatur alia solutio, quam tradunt ex Aldrete, iuxta quam renuunt concedere in Deo virtualitatem, & æquivalentiam earum rerum, quæ ex suo conceptu dicunt imperfectionem, vt compositio, accidens, & alia huius generis.

71 Displicent primò propter dependentiam, quam ponunt ad emanationem, & productionem virtualem à virtuali distinctione stricta, quæ, vel non datur, vel si detur, omnino est impertinens ad principium virtuale, & ad virtualem emanationem. Arguo sic: per vos ideo quoad attributa distincta virtualiter ab essentia datur principium virtuale, & emanatio virtualis: quia absque principio reali formali, & emanatione formali habet essentia, & natura divina id, quod in creatis non stat absque principio reali formali, & emanatione formali: sed etiam quoad attributa absoluta, & per vos non distincta virtualiter ab essentia, habet essentia, & natura divina id quod in creatis non datur absque reali formali principiatione, & emanatione formali, scilicèt, esse *scientem*, *præsentem*, & *durantem*: ergo, vel in attributis virtualiter distinctis ab essentia non benè probatur virtuale principium, & emanatio virtualis, vel etiam in attributis absolutis, & virtualiter indistinctis vterque conceptus reperitur. Discursus est legitimus, & minor

nor videtur certa ; nam si illa non inveniuntur in creatis absque principio reali formali , & emanatione formali , & in divina essentia sunt absque ratione principij realis formalis : ergo habet essentia, quoad attributa absoluta sine ratione principij realis formalis , & emanationis formalis id, quod in creatis sine tali conceptu non invenitur. Iam maior constat ex doctrina eorum non aliter probantium, dari in Deo virtualem compositionem absque inconvenienti , nisi quia Deus habet sine reali compositione id , quod in creatis non datur absque reali formali compositione , nempè esse substantiam intelligentem.

72 Secundò : ex inefficaci motivo , quo reijciunt in Deo *accidens virtuale* , quod si haberet vim aliquam ad exclusionem accidentis virtualis , quod non admittunt, eandem haberet ad exclusionem principij virtualis, quod concedunt. Attende: ideo accidens virtuale in Deo non debet concedi : quia licèt in creatis non reperiatur actualis intellectio absque ratione accidentis ; attamen ratio formalis ptopter quam est actualis intellectio , non est accidentis ratio ; sed formalis expressio , & intentionalis repræsentatio obiecti: sed etiam licèt in creatis intelligere actualiter non detur absque ratione principij realis formalis , & emanationis formalis; tamen ratio formalis propter quam est intelligere actualiter , non est : quia intellectus sit principium reale formale, aut quia detur emanatio realis formalis ; sed quia actu exprimit *formaliter, & intentionaliter obiectum* , quomodo præscindit ab eo , quod sit , vel non sit *potentia intelligens* ; aliàs conceptus huius , quod est, intelligere actualiter non reperiretur formaliter in Deo: ergo vel illud fundamentum inefficax est omninò , ad excludendum à Deo *accidens virtuale* , quod non admittunt, vel æque excludit principium virtuale intellectivum intellectionis virtualiter distinctæ; quod defendunt.

73 Fortè responderet alius , ea omnia vera esse in rigore sermonis, scilicèt , *Deus est virtualis compositio , accidens virtuale , peccatum virtuale , & virtualis peccator*; cæterùm non omnes propositiones , quæ sunt veræ in rigore sermonis , possunt absolutè , & absque determinatione aliqua proferri , quando est periculum æquivocationis cum aliquo errore , vt videre est in hac propositione *Christus est Creatura*, quam veram profitentur omnes in rigore sermonis, cum Christus Dominus includat naturam humanam, quæ quid creatum est, & nihilominus non esse absque limitatione vsurpandam fatentur communiter AA. cum D. Thom. 3. p. quæst. 16. art. 8. propter periculum æquivocationis cum Arianis , qui Christum dicebant creaturam ad significandum etiam Verbum secundùm quod Verbum est, esse creaturam: quare restringenda semper est, & tantum proferendum: *Christum esse creaturam secundum naturam humanam*. Hæc solutio doctrinam veram continet; sed deficit: quia non explicat: cur potius debeat applicari *compositioni, accidenti, peccato* , & *peccatori* virtualiter acceptis, quàm distinctioni , & principio virtualibus : etenim tam repugnat Deo habere attributa realiter à se distincta, aut principium reale suæ intellectionis, quàm esse *accidens reale* , *& compositum reale* , *peccatum reale* , aut *realis peccator*: Item tam error est realem distinctionem, aut principium reale Deo tribuere vbi, & quomodo hæc in Deo implicant, quàm affirmare de ipso esse reale accidens realiter compositum, reale peccatum aut verum peccatorem : ergo vel de Deo nequit dici esse distinctum virtualiter , aut esse principium virtuale, nisi adhibitis limitationibus , vel omnia enumerata de ipso absolute , & absque restrictione possunt dici.

74 Vera difficultatis solutio observare debet distinctionem inter ea quæ de Deo possunt dici virtualiter , & æquivalenter absolutè, & sine restrictione vlla, & ea, quæ adhùc virtualiter , & æquivalenter non possunt de ipso affirmari nisi explicato munere , & modo virtualitatis , seu æquivalentiæ , itaque omnia illa , quæ ex suo conceptu formali non dicunt imperfectionem, ideoque formaliter inveniuntur in Deo , licèt prout contracta ad determinatam materiam , formaliter sumpta dicant imperfectionem , possunt dici de Deo virtualiter, & æquivalenter in tali materia , seu Deum esse illa virtualiter , & æquivalenter ; at omnia illa , quæ non tantùm, vt contracta ad determinatam materiam; sed ex suo formali conceptu secundum se sumpto dicunt imperfectionem , non possunt affirmari de

Deo

Deo adhùc virtualiter, & æquivalenter, niſi oſtenſo munere, & modo virtualitatis, & æquivalentiæ.

75 Pono exemplum: diſtinctio realis formalis ex ſe, & ex ſuo conceptu non dicit imperfectionem, niſi contrahatur ad abſoluta intra Deum, ideò inter relativa invenitur formaliter in Deo, in quo ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ cum vnitate; & identitate reali eiuſdem eſſentiæ, & extra Deum eſt realiter diſtinctus ab omni non ipſo. Pariter principium reale formale ex ſe non dicit imperfectionem, niſi contrahatur ad intellectum, & voluntatem reſpectu omnium ſuarum operationum, vel ad naturam reſpectu ſuarum proprietatum, & attributorum, qua propter in Deo datur formaliter principium reale, ſcilicet Pater realiter producens Filium, & Pater, & Filius realiter producentes Spiritum Sanctum, & quidquid poſitivum à Deo diſtinguitur, ab ipſo realiter producitur; accidens verò reale formale, compoſitio realis, formalis peccatum reale formale, ſicut, & peccator realis formalis ex ſuis conceptibus formalibus dicunt imperfectionem, ſecundum quam nullomodo in Deo reperiuntur. Ex his prima dicimus poſſe abſolutè affirmari de Deo virtualiter, & æquivalenter, vbi, & quando ipſi repugnant formaliter: non ſic ſecunda, quæ dumtaxat poſſunt de Deo dici adhùc virtualiter, & æquivalenter deſignato munere, & modo virtualitatis, ſeu æquivalentiæ, ſcilicet *Deus eſt virtualiter accidens intellectuale in quantum ſe conſtituit intelligentem actualiter*, ſicut qualitas intentionalis conſtituit intelligentem actualiter intellectum creatum: Deus eſt virtualiter compoſitus dum actualiter vult, aut intelligit, in quantum ſine compoſitione reali formali eſt actualiter volens, aut intelligens, ſicut ſubſtantiæ creatæ, quæ ſine reali formali compoſitione non intelligunt, aut volunt in actu ſecundo. Deus eſt virtualiter peccatum in quantum ipſum præcontinet æquivocè tanquam cauſa permiſſiva: Deus eſt virtualiter peccator in quantum phiſicè influit in peccatum licèt non per ſe, & determinativè; non aliter ac ſupra diximus de illa propoſitione: *Chriſtus eſt creatura* ex mente D. Thomæ.

76 Ratio horùm, & diſparitatis inter vnas, & alias denominationes alia non eſt, quam diverſitas illa conceptuum: quorum alij, cum ex ſe adhuc formaliter non dicant imperfectionem, nec prout tales, diſſonent Deo, multo minus debent Deo diſſonare ex eo, quod abſolutè prædicentur virtualiter, qua propter reſtrictione aliqua non indigent præter eam, quam ſecum ferunt termini *virtualiter*, & *æquivalenter*; alij verò cum ex ſe formaliter dicant imperfectionem, propter quam formaliter ſumpti a Deo relegantur, adhùc modificati per virtualitatem, & æquivalentiam, ſuſpicionem generant, ne ſub æquivocatione aliquam imperfectionem Deo admiſceant: ideo in Deo non ſunt admittendi, niſi ſublata omni deceptionis occaſione per explicationem muneris Deo non indecentis, & realis quæ ſecundùm ſanam doctrinam Deo abſque inconvenienti vllo poſsit attribui.

77 Replicabis inferendò: ergo malè ex dictis conceſsimus dari in Deo principium virtuale receptivum intellectionis, cum in Deo non detur conceptus principij realis receptivi ſtrictè talis, & ſumpti formaliter. Nego conſequentiam, quæ non infertur: ſed duntaxat non eſſe concedendum principium virtuale paſsivum abſque explicatione muneris, in ordine ad quod ſine ratione formali principij paſsivi ei æquivalet, id eſt, in quantum potentia intellectiva divina facit dependens eſſe intellectionis ab eſſe proprio, quod ex ſe præſcindit à dependentia per identitatem, per connexionem, per informationem, aut per ſtrictam receptionem. Hoc autem, vt per ſe patet, non eſt negare intellectui divino rationem principij virtualis paſsivi, & receptivi, quod ſolùm nobis obſtare poſſet, ſed concedere principium virtuale paſsivum, & receptivum cum aliqua diſparitate ad principium activum virtuale.

78 Rogabis: An principium virtuale, quod Deo tribuimus, eo modo quo diximus concedi poſſe, & deberi, diſtinguendum ſit in principium virtuale proximum, & remotum, vel tantum debeat dici proximum? Reſpondeo: id dependere à ſententia particulari identitatis, aut diſtinctionis rea-

lis potentiarum ſpiritualium cum anima: nam qui dixerit: eas eſſe realiter ſuperadditas, & diſtinctas, & inſuper animam ex tali ſuppoſitione non influere immediate cum potētijs in actus, qui ab ipſis procedunt, poterit dicere, Deum eſſe principium virtuale remotum ſuæ intellectionis, in quantum ſine formali conceptu principij formalis remoti facit ſibi intimum intellectum, & potentiam intellectivam, quæ intelligit. Si autem per oppoſitum aſſeratur; aut potentias ſpirituales eſſe realiter idem cum anima, aut licèt realiter dictinguantur, influere immediatè cum ipſa anima in ſuos actus, negandum eſt principium remotum virtuale. Ratio eſt: quia cum principium virtuale remotum in Deo ſit per æquivalentiam ad principium formale remotum, quod datur in creatis, quando in creatis deficit, vt deficit apud tuentes hanc ſententiam, non manet locus, vt detur in divinis virtualitas, & æquivalentia in tali linea, cum nihil realiter poſsit æquivalere ei quod realiter, & poſsibiliter non poteſt exiſtere.

CAPVT V.

Vtrùm intellectio ſit de eſſentia metaphiſica Dei?

79 SOLET hæc quæſtio ab AA. exagitari tractatu de eſſentia, & attributis, vbi propriam habet ſedem inveſtigatio eſſentiæ phiſicæ, & metaphiſicæ Dei; verùm cum directè pertineat ad ſcientiam divinam, prout de ipſa in particulari dubitatur: An habeat ſpecialem titulum; quare ad Dei eſſentiam metaphiſicam pertineat? Viſum nobis fuit eam in præſenti non omittere.

80 Monuit rectè Munieſſa diſput. 5. de eſſentia, & attributis, ſectione 1. acceptis verbis ex D. Hilario lib. de Synodis: *Quia frequenter nobis nuncupatio eſſentiæ neceſſaria eſt, cognoſcendum eſſe quid ſignificet eſſentia, ne de rebus loquuturi rem verborum neſciamus.* Ideo convenienter præmittendum eſt, quid per eſſentiam metaphiſicam Dei intelligamus, vt inde quæſtionis propoſitæ reſolutio clarè conſtet.

81 Quare notandum eſt primò cum Izquierdo, tom. 1. de Deo tract. 1. quæſt. 10. prop. 1. eſſentiam, ſubſtantiam, & naturam pro eodem conceptu debere accipi in Deo; cum hic ſit communis modus loquendi Conciliorum Patrum, & Theologorum indifferenter vtentium his nominibus, ac ſæpè ſub diſiunctione, vt denotent eundem omnino conceptum per illa ſignificare, dum de Deo ſermonem inſtituunt. Ita habetur in quinta Synodo generali Collatione 8. can. 1. *Siquis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam naturam, ſivè ſubſtantiam anathema ſit*, & Agatho Papa in ſua Epiſtol. Decretali Column. 3. quæ habetur in ſexta Synodo generali action. 4. loquens de tribus divinis perſonis inquit, *vt confitentes vnius eſſe Deitatis vnius naturæ, & ſubſtantiæ, ſivè eſſentiæ*, ſimilia habet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. ſcribens, prout habetur Cap. firmiter de ſumma Trinit. & fide Catholica: *Tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſeu natura divina ſimplex omninò.* Et paulò poſt cap. *damnamus: Subſtantia, eſſentia, ſivè natura divina*, conſonant Concil. Tolet. 6. cap. 1. & 11. in confeſsione fidei loquens de Deitate ſub diſiunctione: *natura*, vel *ſubſtantia, natura divinitatis eius, ſivè ſubſtantia*, quem morem loquendi obſervat Etiam Eugenius IV. in literis vnionis, quę habentur in Concil. Florentino necnon Calcedonenſe, & Epheſinum agentia de duabus Chriſti naturis.

82 De PP. dubitare non licèt, niſi eorum ſcriptis ignoratis frequentèr apud ipſos ſynonimè vſurpari hos terminos *ſubſtantia, natura, eſſentia, forma.* Ita inter alios, quos longum eſſet recenſere Athan. lib. de definitionibus colum. 3. dicens: *Natura, eſſentia, & genus, & forma idem ſunt.* Damaſcen. lib. de decretis primæ inſtitutionis incipit cap. 1. *Eſſentia natura, & forma, vt Ss. Patribus placet, idem valent.* Conformiter loquuntur Theodoretus, Euthymius, & Elias Cretenſis, quī in illam orationem Nazianzeni, quæ eſt in 1. Epiſt. ad Celedonium pagina penultima teſtatur: *Inter naturam, eſſentiam, & formam, nullum apud Eccleſiam diſcrimen eſt*: iam de Theologis Scholaſticis nemo negabit, ſi eos conſulere velit, tùm tractatu de

Tri-

Trinitat. & Incarnatione, tum quibusvis alijs locis, vbi de Dei subsistantia, & essentia sermo occurrat. Nec propterea nego esse AA. aliquos, vt Magister Cornejo, Andræas à Cruz, & noster Franciscus de Lugo apud Godoy tract. 1. de Deo, disp. 4, §. 2. qui nimis præcisivi, distingunt in Deo conceptum *naturæ*, & conceptum *essentiæ*, & pro quovis distinctum formale constitutivum, diversamque formalitatem assignant, in quo parum consentaneè ad mentem, & sensum Ecclesiæ PP. & Theologorum videntur procedere; propterea idem erit inquirere: an intellectio sit de essentia metaphisica Dei, ac inquirere: an sit de natura & substantia Dei metaphisicè acceptis?

83 Notandum est secundò: essentiam genericè, & in tota sua latitudine acceptam, prout comprehendit essentiam metaphisicam, & phisicam, esse illud, quo præcisè non intellecto, aut non posito in rebus, reliquis per possibile, aut impossibile intellectis, aut positis non intelligitur, aut non ponitur res: ratio est: quia essentia, & esse rei idem formalissimè sunt; sed præcisè non intellecto, aut non posito in rebus esse rei reliquis alijs quomodocumque intellectis, aut positis deficit res: ergo essentia in tota sua latitudine, & prout comprehendit essentiam metaphisicam, & phisicam, est illud quo præcisè non intellecto, aut non posito in rebus, reliquis per possibile aut impossibile intellectis, aut positis non intelligitur, aut ponitur res. Dixi *quo præcisè non intellecto, aut non posito non intelligitur, aut non ponitur res, & non: quo præcisè intellecto, aut posito, intelligitur, aut ponitur res*, vt sub illo conceptu comprehendam essentiam metaphisicam, & phisicam adæquatam, & inadæquatam, quæ conveniunt quoad non intelligentiam, aut defectum rei, per sui non intelligentiam aut positionem; discrepant vero in eo quod essentia adæquata saltem metaphisica, est id quo præcisè posito, aut intellecto, intelligitur, aut ponitur res; secus essentia inadæquata. Dixi etiam *quo præcisè non intellecto, aut non posito* per disiunctionem: quia sunt termini synonimi, siquidem id quo non intellecto, non intelligitur res, est formalissimè id quo non posito, non ponitur res, & è contra.

84 Iam essentia, prout contracta ad metaphisicam, illud est, quo præcisè non intellecto, aut non posito non intelligitur simpliciter, aut non ponitur res essentia verò phisica illud quo non posito, aut non intellecto præcisè non intelligitur, aut non ponitur res completivè tantum identicè: hoc est, quod si deficiat, aut non intelligatur, non sufficit, vt deficiat, aut non intelligatur simpliciter res, nisi intelligatur defectus alterius, quod sit identicè res. Dixi in essentia phisica *quo non posito, aut non intellecto non intelligitur tantum completivè*, vt excludam defectum rei simpliciter talem, qui defectui essentiæ metaphisicæ duntaxat correspondet; cum essentia metaphisica sit illud, per quod res simpliciter in esse talis constituitur. Addidi *identicè* ad excludendum connotatum extrinsecum, aut terminum connexionis à ratione essentiæ phisicæ per quorum præcisum defectum deficit res completivè; sed non identicè. Hanc explicationem essentiæ phisicæ, & metaphisicæ colligo ex verbis Apost. ad Colossenses, cap. 2. vbi loquendo de Christo Domino, inquit: *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis*, id est omnes perfectiones divinitatis, vt inde probant Athan. contra Gregales Sabellij post medium; & Ambros. de Fide ad Gratian. cap. 6. ergo ex mente Apost. aliquid addit plenitudo divinitatis formaliter quidem, quod non dicit divinitas, alias tantum dixisset esse in Christo divinitatem: sed perfectiones divinitatis non sunt plenitudo, & complementum divinitatis per realem distinctionē: ergo sunt complementum identicè: ergo in ipsa reali identitate prædicatorum Dei est locus, essentiæ simpliciter tali, & complemento, seu plenitudini essentiæ. Nec difficultatem ingerat in hac explicatione essentiæ phisicæ, & metaphisicæ, quod videatur involvere in quavis entitate denominationes oppositas convenientes rebus identificatis, ac proinde distinctionem virtualem: quia in re tales non sunt, vt constat ex sæpè inculcatis in hoc tractatu, vbi similes denominationes absque oppositione, & disconvenientia vlla composuimus.

85 Tam essentia metaphisica, quàm phisica potest considerari *adæ-*

quatè, & inadæquatè: eſſentia metaphiſica *adæquatè* eſt *id, per cuius præciſſam intelligentiam, aut exiſtentiam intelligitur, aut exiſtit res ſimpliciter*: inadæquatè, eſt id *per cuius præciſſum defectum, aut non intelligentiam non intelligitur, aut non ponitur res ſimpliciter.* Eſſentia phiſica *adæquatè* eſt id, *per cuius præciſſam intelligentiam, aut poſitionem intelligitur, aut ponitur res completivè identicè*: *inadæquatè* eſt id, *per cuius præciſſum defectum, aut non intelligentiam præcisè deficit, aut non intelligitur res completivè identicè.*

86 Haud inferre licet ex hac diſtinctione eſſentiæ metaphiſicæ à phiſica dari in re tot eſſentias metaphiſicas, quot ſunt formalitates, aut in quavis formalitate eſſe diſtinguendam eſſentiam metaphiſicam, & phiſicam; aut dari proceſſum infinitum in quavis entitate eſſentiarum metaphiſicarum, & phiſicarum in quantum ipſa eſſentia, tàm metaphiſica; quàm phiſica eſt definibilis: vnde rurſus habebit eſſentiam phiſicam, & metaphiſicam, & ſic deinceps. Siquidem non infertur primum: quia licèt quævis formalitas entis habeat ſuam quidditatem per quam quodammodo diſtinguitur à quidditate alterius, non ideo præbeti locum, vt in ipſa ſit eſſentia metaphiſica illius entitatis completæ, quam conſtituit; ſed ad ſummum ſui, modo quo proprietas tàm metaphiſica, quàm phiſica eſſentiæ licèt ſit eſſentia ſui, non tamen eſt eſſentia conceptus eſſentialis rei, quam conſequitur, & pars indiuiſibilis ſive phiſicè, ſivè metaphiſicè compoſiti, quamvis ſit indiviſibilitas, & non compoſitio ſui; non eſt indiviſibilitas, & non compoſitio compoſiti, quod conſtituit; nec ſecundum: nam ſicut diviſibile *metaphiſicè*, aut phiſicè non exigit, quod illud ex quo reſultat, ſit iterum diviſibile phiſicè, aut metaphiſicè, ſic etiam quod reſultat ex eſſentia phiſica, & metaphiſica non exposcit, quod quævis ex illis eſſentijs rurſus dividatur in phiſicam, & metaphiſicam. Nec tertium: tum quia non omnis conceptus definitivus debet eſſe iterum definibilis, cum perveniamus ad terminos ità claros, quorum vlterior explicatio eſſet confuſio: tum quia etiam ſi ſit definibilis illa definitio, non continet diverſam eſſentiam; ſed eandem clarius explicatam, pro quo non opus eſt multiplicare eſſentias phiſicas, & metaphiſicas. Tum denique: quia de ratione definitionis non eſt, conſtituere in re eſſentiam metaphiſicam, & phiſicam; ſed tantùm metaphiſicam.

87 Notandum eſt tertiò: eſſentiam phiſicam, prout ad Deum contrahitur, conſiderari poſſe philoſophicè, & Theologicè: eſſentia phiſica Dei philoſophicè accepta, claudit quid quid per realem identitatem eſt intrinſecum Deo, ideoque tàm ad prædicata abſoluta, & communia, quàm ad perſonalia, & notionalia ſe extendit. Eſſentia phiſica Dei Theologicè conſiderata nihil perſonarum proprium, & omnibus non commune involvit: quare ſolùm complectitur prædicata abſoluta, & communia. Vlterius in hac eſſentia Dei phiſica Theologicè eſt conſiderandum illud quo præcisè deficiente, & reliquis per poſsibile, vel impoſsibile manentibus, Deus deficeret, & illud, quo præciſsè deficiente, & reliquis manentibus per poſsibile, aut impoſsibile, Deus non deficeret, licèt incompletus identicè maneret. Ex quibus primum dicimus pertinere ad eſſentiam metaphiſicam, & ſecundum ad eſſentiam phiſicam Dei. Hoc notatum propono ex ſententia communi Eximij Suarij Vazquez; & plurium Theologorum nolentium concedere eſſentiam phiſicam Dei, etiam theologicè, dicere formaliter prædicata abſoluta, & relativa, quamvis oppoſitum defendant graviſſimi Theologi, vt ſunt Aureol, Cayet, Bañez, Zumel, Valentia, & Albiz, quibus favere videtur Godoy diſp. 4 de Deo apud Munieſſa ſect. 5. diſput. citatæ.

88 Noto quartò: non debere eſſe tam firmum, vt ſupponit Godoy diſp. citata §. 1. prædicata tranſcendentia omnem formalitatem, vel perfectionem divinam, quæ conſequuntur rationem entis divini, non poſſe Dei eſſentiam, vel naturam metaphiſicè ſumptam conſtituere, quod conſtare dicit, nam in præſenti non agitur de conſtitutione Dei ſub ea ratione, & conceptu, quo diſtinguitur à creaturis; ſed ſub ea ratione, & conceptu, quo eſſentia, & natura Dei diſtinguitur ab attributis, alijſque divinis formalitatibus; at prædi-

dicata sic transcendentia, licèt Deum à creaturis distinguant, non tamen distinguunt essentiam ab attributis, & alijs divinis formalitatibus: nam prædicatum in quo duo formaliter conveniunt, non potest illa distinguere, vt videre est in hoc prædicato *Animal*, quod non potest distinguere hominem ab Equo, cum in ipso vterque conveniat: ergo prædicata sic transcendentia non possunt Dei essentiam, aut naturam metaphisicè constituere.

89 Non inquam debet esse tam firmum, vel quia multi affirmant cumulum omnium perfectionum saltem absolutarum, quæ sunt in Deo esse de essentia metaphisica ipsius, in quibus clauduntur omnia illa prædicata, si quæ sunt transcendentia, vel quia falsò mihi assumit quæstionem de constitutione metaphisica Dei non esse per distinctionem ab omni non ipso; sed per distinctionem ab attributis; cum non aliter possit esse locus distinctioni essentiæ ab attributis, quàm constituendo Deum omni illo, quo formaliter, & primariò constituitur prout distinctus ab omni non ipso, scilicèt id, quod responderi debet roganti: quid est Deus? Non aliter ac essentia metaphisica hominis est id per quod respondemus roganti: quid est homo? Quo posito, inde cognoscimus quid se habeat in homine, vt essentia pure phisica, & vt proprietas metaphisica: vel quia licèt id, ita non foret, medium, quod proponit est inefficax ad probandam indistinctionem essentiæ, & attributorum: nam licet ea, quæ realiter identificantur mutuò non distinguantur; at quæ identificantur formaliter non semper mutuò formaliter non distinguntur, vt constat in conceptu entis, & differentiarum per quas contrahitur, quarum quælibet imbibit formaliter ens, quod contrahit; conceptus verò entis non imbibit formaliter differentiam vllam per quam contrahitur. Exemplum autem non favet: quia conceptus *Animal* est præcisè formaliter animal: vnde homo, & Equs sub illo non distinguntur; at attributum licèt includat formaliter essentiam; aut prædicatum transcendens, non ideo est præcisè formaliter essentia, aut prædicatum transcendens, vt videre est in differentia entis, quæ licèt sit formaliter ens; non est præcisè formaliter ens, aliàs substantiam non distingueret ab accidenti.

90 Ex his certum debet esse apud omnes: intellectionem actualem Dei esse de essentia phisica illius, quia realiter, vt vidimus, est ipse Deus, qui si constituatur phisicè sivè ex prædicatis absolutis tantùm; sivè ex absolutis, & relativis, eam semper phisicè claudit ex parte absolutorum. Certum est etiam apud omnes: intellectionem contingentem non pertinere determinatè sumptam ad essentiam Dei metaphisicam: quia cum essentia metaphisica illius sicut, & cuiusvis alterius entitatis debeat esse fixa, & permanens, tàm realiter, quàm virtualiter, & intellectio contingens aliquo ex his modis possit deficere, omninò excluſa manet à constitutivo essentiæ *metaphisicè* sumptę. Dixi *determinatè sumptam*: quia cum vagè scientia aliqua contingens Deo nec realiter, nec virtualiter possit deficere, non est tam certum, & indubitatum sub hac consideratione non posse pertinere ad essentiam Dei metaphisicam, cum sub tali consideratione, sit Deo necessaria. Vnde controversia, quæ remanet, est de constitutivo adæquato, vel inadęquato essentiæ metaphisicæ Dei, & inquirit: an intellectio necessaria constituat essentiam metaphisicam Dei, vel vt constitutivum adæquatum differentiale, vt dicunt, vel vt constitutivum inadæquatum, ex quo simul cum alijs integretur adæquata essentia metaphisica Dei?

91 Affirmant esse constitutivum adæquatum differentiale Deitatis Herice disp. 3. de Deo. Fasol. tom. 1. in 1. part. q. 4. art. 2. Lumbier, q. 5. art. 1. Platel 1. part. cap. 1. n. 22. Avendaño tom. 1. sect. 2. problemate 1. §. 2. Haunoldus num. 66. Alòs in selectis multos alios citans ex nostris, vt refert Munies. cum quibus est latissimus Hemelman 1. part. tit. 4. disp. 1. referens alios tum ex nostris, tum ex Thomistis apud Izquierdo. Idem sentiunt Aureol. apud Capreol. in 1. dist. 35. q. 1. art. 2. Ioan. à S. Thom. tom. 1. in 1. part. disp. 16. art. 2. Salmant. tract. 3. de Scient. disp. 4. dub. 1. & 2. & Gonet. cum alijs 1. part. disp. 2.

92 Esse constitutivum inadęquatum tenent quotquot affirmant: aggregatum omnium perfectionum absolutarum, quæ sunt in Deo, esse essentiam metaphisicam ipsius, pro quo a Fasolo citantur dub. 3. Molina, Valent. & Becanus, & apud Munies. disp. citata sect. 1. num. 11. Eximius Suar. Albiz, Ribaden.

Ruiz cum alijs multis, quos ipſe ſequitur ſect.6.& etiam, qui dicunt intellectionem ſimul cum volitione conſtituere adæquatè eſſentiam metaphiſicam Dei, vt ex noſtris Zuñiga, quem citat Martinus Perez cum alijs quos ipſe ſequitur diſput. 11. de Trinit.ſect. 6.

93 Negant quoad vtrumque omnes illi, qui aliud prædicatum ab intellectione aſsignant pro conſtitutivo adæquato eſſentiæ metaphiſicæ Dei; vt intellectivum radicale, vel ſolum, vel aſſociatum cum volitivo radicali, vel prædicatum entis à ſe, vel ſolum, vel vt coniunctum cum exiſtentia neceſſaria, vel per infinitatem radicalem, vel per abſolutum eſſe puriſsimum, & ſic ſimiliter, hos longum eſſet recenſere. Cum quævis ex his ſententijs ſuos habeat Patronos: videantur Izquierdo diſp. 1. de Deo, quæſt. 10. & Godoy citata diſp. 4. §. 2.

94 Huic vltimæ ſententiæ, vt mihi probabiliori ſubſcribo, & aſſero: intellectionem neceſſariam neque eſſe conſtitutivum adæquatum, nec inadæquatum eſſentiæ metaphiſicæ Dei; ſed tantum pertinere ad eſſentiam phiſicam illius. Prima pars propoſitionis probatur clariſsimè authoritate D. Thomæ qui in præfatione huius quæſt. 14. acturus de ſcientia Dei inquit: *Poſt conſiderationem eorum quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum de his, quæ pertinent ad conſiderationem ipſius, & quia operatio quædam eſt quæ manet in operante; quædam vero procedit in exteriorem effectum, primò agemus de ſcientia, & voluntate: nam intelligere eſt in intelligente, & velle in volente.* En intelligendi, & volendi actus, ait eſſe operationes, & de illis agendum eſſe poſt explicata ea, quæ pertinent ad divinam ſubſtantiam: Aliud ergo eſt iuxta ipſum ſubſtantia Dei formaliſsimè loquendo; aliud intellectio, quæ in Deo eſt tanquam operatio in operante: perſiſtit infra in q. 16 art. 1. corp. dicens: *In Deo non eſt aliud eſſe, & intelligere ſecundum rem; ſed tantum ſecundum intelligentiæ rationem.* Et inde infert beatitudinem, quæ eſt cognitio, convenire Deo non ſecundum rationem eſſentiæ; ſed tantùm ſecundum rationem intellectus, vt loquitur in ſolutione primi; & quæſt. 1. de potentia art. 1. ad 1. tenet *eſſentiam Dei non habere principium etiam ſecundum rationem; cognitionem verò Dei habere principium ſecundum rationem*: ergo indubitanter ponit cognitionem Dei extrà eſſentiam, & ſubſtantiam ipſius.

95 Favent etiam omnes illi PP. qui definientes Deum per prædicatum *entis à ſe*, actualem intellectionem extra eſſentiam metaphiſicam collocant. Hi ſunt Nazianz. orat. 36. vbi cum dixiſſet expresè omnia nomina, quæ de Deo à nobis dicuntur ſignificare non Dei eſſentiam; ſed quæ circa eſſentiam Dei ſunt, inquit column 3. *Quantum ergo nobis aſſequi eſt conceſſum ens, & Deus magis quodammodo eſſentiæ nomina ſunt: ex hiſque etiam entis vox ad illam iudicandam aptior eſt.* Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 12. *Videtur principalius omnium de Deo dictorum nominum eſſe (qui eſt) quemadmodum ipſe dans reſponſum Moyſi in monte inquit, dic filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos.* Bernardus lib. 5. de Conſideratione ad Eug. cap. 6. initio: *Nihil competentius æternitati, quæ Deus eſt, quàm hoc nomen, qui eſt, ſi Bonum, ſi Magnum, ſi Beatum, ſi Sapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur*: quaſi diceret reliqua omnia ad ſignificatum illius conſequi: Dionyſius cap. 5. de divin. nominibus: *Ex ipſo eſſe tanquam antiquiori alijs Dei bonis ipſe Deus celebratur*, id eſt tanquam à principio, fonte, & radice, quod amplius explicat proſequens: *Primum igitur ipſius eſſe munus cæteris præponens ſuprema illa bonitas ipſo eſſe vt antiquiſsimo, primoque omnium participationum potiſsimum celebratur.* In quibus nec Verbum vllum eſt de intellectione niſi ad ſignificandum eſſe quid conſequutum ad eſſentiam divinam.

96 Ratione probatur 1. Quia non datur maius fundamentum, vt intellectio ſit conſtitutivum adæquatum eſſentiæ metaphiſicæ Dei, quàm bonitas, æternitas, ſimplicitas, actualis amor, Omnipotentia, & alia, quæ per adverſarios extra eſſentiam ſunt: ratio eſt: quia ſicut intellectio eſt vltima actualitas in linea intelligendi, ita amor, eſt vltima actualitas in linea amandi, bonitas in linea amabilis, æternitas in linea exiſtendi, ſimplicitas in linea poſsidēdi, ſuũ eſſe, Omnipotentia in linea potentis operari independenter: ergo vel intellectio non eſt de eſſentia metaphiſica Dei, vel non eſt adæquatum conſtitutivum illius. Secundò, ex Raynaudo: differentia formaliter, & adæquatè ſpecificans rem debet importare formaliter determinativè omnia eſſentię com-

pe-

petentia, quatenus talis essentia est: sed divina intellectio, prout intellectio est, non importat plura, quæ ad divinam essentiam spectant, prout talis essentia est, cum ex ipsa non oriatur bonitas, omnipotentia, æternitas, simplicitas, immensitas, iustitia, misericordia, &c: ergo non est adæquatum constitutivum differentiale essentiæ.

97 Tertiò: vt intellectio sit adæquata perfectio, *intelligere* debet accipi non in abstracto; sed prout afficiens subiectum, & ipsum in actu secundo constituendo intelligens: ergo debet esse *intelligere* in concreto; sed *intelligere* in concreto dicit intellectum, non vt cumque; sed in recto: ergo si per aliquid pertinens ad lineam intelligendi divina essentia metaphisicè constituenda est, potius per intellectum, quam per intellectionem, aut saltem per coniunctum vtriusque esset constituenda. Confirmatur: priùs intelligitur potentia perfectissima, aut saltem non posteriùs, quàm actus perfectissimus, cum in tantum hic concedatur in quantum est ex debito potentiæ perfectissimæ, aut saltem simul intelligantur actus, & potentia perfectissima: sed si actus est ex debito potentiæ prius intellectæ, potius potentia constituit essentiam, vt pote radicans actum, aut si concomitanter se habent, non est ratio, vt actus potius, quàm potentia essentiam constituat: ergo vel potentia intellectiva est adæquatum constitutivum essentiæ, vel saltem ex æquo, & pariter per actum, & potentiam debet constitui.

98 Quartò: Aut intellectio constituit essentiam Dei in sensu in quo loquimur præcisè, quia intellectio est; vel quia intellectio à se incausaliter, vel quia intellectio à se identice, vel quia intellectio comprehensiva: sed non primum, nam sub præcisso munere intellectionis confunditur cum intellectione creata, & non potest specificare id, quod supra creatum est, & ab illo distinctum: non secundum: quia illo modo non tam intellectio, quam *asseitas* erit differentia specifica: vnde resultat, cur *asseitas* in intellectione, & non in alijs attributis sit constitutiva essentiæ: non tertium: quia tunc differentia vltimò constitutiva erit simplicitas, reditque difficultas tituli præcedentis: non quartum: quia comprehensio, quæ non sit infiniti, non distinguit infinitum à finito: quod si propterea dicas, debere esse comprehensivam entis infiniti, relinquitur inexplicata essentia entis infiniti: siquidem rogo: quid est illud infinitum, cuius est comprehensio, per quam cõstituis essentiam metaphisicam Dei? Et insuper cur potius cognitio cõprehensiva, quàm amor comprehensivus sit constitutiva saltem inadequatè essentiæ metaphisicæ Dei? præcipuè cum intelligere actualiter relinquat Deum incompletum in linea intentionaliter operantis, etenim vtramque lineam complent intellectus, & voluntas, intellectio, & volitio.

99 Quintò: inexplicabilis redditur essentia Dei si adequatè constituatur per intellectionem. Ratio est: quia intellectio, prout constituens essentiam, debet esse expressiva alicuius obiecti: iam, vel est expressiva ipsius essentiæ, vel attributorum? Si hoc secundum: quid ex terminis à veritate plus distans quàm ens perfectissimum, quod per cognitionem sui constituitur, non constitui per cognitionem illius, quod est essentialiter, & primariò; sed per cognitionem illius, quod est attributaliter, & secundariò. Si primum: ergo cum essentia nihil aliud sit, quàm cognoscere à se, in tantum erit cognitio essentiæ in quantum sit cognitio huius, quod est formalissimè cognoscere; quo reditur inexplicabilis essentia, & cognitio, cum talis sit, quæ nullum habet obiectum, formaliter præter se ipsam, prout exprimitur his terminis: *Cognosco me ipsam, aut cognosco me esse cognitionem.*

100 Aliter proponitur eadem ratio: intellectio non est conceptus essentialis metaphisicus Dei præcisè, quia est *intelligere à se*: Nam etiam intellectio contingens est *intelligere à se*, & essentiam Dei per te non constituit: nec quia est intelligere *à se* aliquomodo *necessariò*: quia etiam intellectio vnius, vel alterius contradictorij est intelligere aliquomodo necessarium eo modo, quo necessarium est non deficere vtrumque contradictorium: nec quia est intelligere *à se* determinatè necessarium: quia etiam cognitio cuiusvis quidditatis, & possibilitatis distinctæ à Deo, est intelligere determinatè necessarium, nec quia est intellectio illius, quod est necessarium: quia est Deus, cum etiam attributa sint necessaria, quia sunt Deus, & cognitio illorum non est intelligere constitutivum

vum divinæ essentiæ: nec denique: quia est *intelligere* illius necessarij, quod Deus est essentialiter metaphisicè, nam sic non explicatur, quid sit Deus essentialiter metaphisicè: ergo nullo modo intellectio est conceptus adequatus differentialis divinę essentię.

101 Sextò: id, quod distinguit Deum ab omni non ipso in quantum includit id, quod est commune alijs prædicatis, à quibus formaliter distinguitur, non est constitutivum differentiale Dei, provt ab alijs prædicatis distinguit: patet. Nam nihil, provt ab alio distinctum, habet, quod solum illi competit secundum convenientiam cum alio: sed intelligere *à se* in tantum potest distinguere Deum ab omni non ipso, in quantum imbibit esse ens à se, quod cum à nullo dependeat in essendo, à nullo etiam dependet in operando: ideoque à se, & per se potest habere operationem: ergo in tantum distinguit, & specificat Deum, in quantum habet prædicatum *entis à se* commune reliquis, à quibus distinguitur.

102 Septimò: quia non est tam certum intelligere *à se* esse proprium solius Dei, vt repugnet, attenta rerum possibilitate, creatura cum sua intellectione identificata, aut quæ cum sua operatione identificetur: Nam cum tota hæc repugnantia proveniret ex dependentia, quam creatura debet habere à Deo in operando, & hæc difficilè tollatur per identitatem cum operatione, nam tunc formalissimè dependentia à Deo in essendo esset dependentia à Deo in operando, propterea non apparet tam certum esse Dei proprium *intelligere à se*, quod alicui creaturæ non possit competere. Loquor de *aseitate*, provt significat simplicitatem quandam in operando; non de *aseitate*, quæ excludat dependentiam ab alio in essendo, in quantum sit quid incausabile: nam de hac certum est soli Deo posse convenire, & est prædicatum transcendens omnia Dei attributa, & prædicata.

103 Octavò: nam quis prudentissimè non iudicabit illud esse prædicatum adæquatè constitutivum Dei metaphysicè, adæquatèque ipsum specificans, quod Deus ipse tribuit rogatus: quid sit, aut quis sit? Illudque non pertinere ad metaphysicam Dei constitutionem, quod Deus sic rogatus omisit; sed rogatus à Moyse, Exodi, cap. 3. quod esset suum nomen, & quo modo esset definiendus, Israelitis respondit: *Ego sum qui sum, qui est, misit me ad vos.* Id est per prædicatum assecitatis, seu existendi per essentiam; non verò per prædicatum *intelligens à se, aut intelligere actualiter à se*: ergo iudicandum absque dubio est, & prædicatum expressum esse constitutivum metaphysicum, & primarium Dei; &, quod magis est præsentis instituti, intellectionem, seu intelligere Dei non pertinere ad essentiam metaphisicam Dei: vnde non mirum, si aliqui Patres dixerint perfectionem entis à se, & nullam aliam, esse quasi caracterem divinitatis, vt D. Nisenus, libr. de hominis opificio, cap. 16. & Cyrilus Alexand. lib. 7. dialogorum de Trinit. cum alijs, apud Raynaudum, tomo Theologiæ naturalis, dist. 6. art. 2. num. 15.

104 Secunda pars propositionis continens exclusionem intellectionis à constitutivo inadæquato essentiæ metaphisicæ Dei probatur etiam authoritate, & ratione. Authoritate quidem ex omnibus illis locis quę adduximus pro prima parte, quatenùs absolutè *scire divinum* extra essentiam Dei collocant: sed quod est constitutivum essentię, non ponitur extra essentiam: ergo quia iudicant adhùc inadæquatè non constituere essentiam. Addendi tamen sunt Damascenus, qui lib. 1. Fidei cap. 4. dicit: *Nam etsi bonum, si iustum, si sapiens, si quidquam tandem aliud dixeris non naturam dices Dei; sed quæ circa naturam.* Basilius contra Eunom. 1. colum. 11. *Quo pacto non irridendus sit si creandi virtutem substantiam esse dicat, si providentiam rursus substantiam: eodemmodo præscientiam, & omnem item operationem substantiam putet?* Chrisostom hom. 1. de incomprehensibili Dei natura. *Non sapientia substantia est: sed ex substantia sapientia.* Et generatim plures alij PP. quorum vna vox est, actus, qui de Deo dicuntur, esse extra essentiam illius, & substantiam; post quæ numerant inter divinos actus amorem, & scientiam. Igitur Dei intellectio omninò extra eius essentiam ex mente PP. primario, & metaphisicè loquendo, est iudicanda. Vbi obiter nota, quàm extra sensum, & iudicium PP. constituant alij divinam essentiam ex aggregato omnium perfectionum, quæ sunt in Deo.

105 Ex rationibus adductis pro prima parte, à quarta vsque ad octavam, etiam

etiam probant secundam, quæ vlterius ex eo probatur, quòd vel dicendum sit omnia prædicata saltem absoluta distributive sumpta, pertinere ad essentiam metaphysicam Dei, inadæquatè sumptam, ideoque ex collectione omniũ resultare conceptum metaphysicum Dei, seu definitivum adæquatè sumptum, vel non est specialis titulus, vt intellectio; potius quàm amor, aut alia perfectio ex his, quæ numerantur inter diuinæ essentiæ attributa, pertineat inadæquatè ad conceptum Dei metaphysicum, nec minus sit quævis perfectio vltima actualitas suæ lineæ, quàm intellectio lineæ cognoscitivæ. Si dicas: intellectionem radicare amorem: dicam ego potius intellectum radicare intellectionem: quod, si id renuas, propter actualitatem diuini intellectus; idem dicam propter actualitatẽ intellectionis comparativè ad amorem. Dicam insuper intellectionem non radicare amorem, nisi radicando potentiam volitivam, quam non radicat; alias vt obseruavit Granado, intellectio diceretur formaliter volens: cum non ob aliam rationem Deus dicatur volens, & intelligens, nisi quia radicat intellectum, & voluntatem.

106 Iam si propterea dicatur primum, scilicèt: collectionem omnium absolutarum perfectionum, quæ in Deo reperiuntur, esse essentiam metaphysicam ipsius adæquatè sumptam, quamlibetque in particulari esse constitutivum inadæquatum eiusdem: hoc non vacat incommodo, cum sit penitus auferre in Deo rationem attributi communis, & absoluti contra communem sensum Patrum, & Theologorum, & essentiam metaphysicam cum physica confundere. Cui non satisfacit Munieſſa, dicendo, attributa non ita contraponi ad essentiam, vt debeant esse extra conceptum adæquatum essentiæ etiam metaphysicè acceptæ; sed tantùm ita appellari, quatenus licèt pertineant ad essentiam Dei metaphysicam, non sunt prædicata ex genere suo essentialia: id est, quæ in omni re, in qua inueniuntur, pertineant ad essentiam, vt iustitia, sanctitas, sapientia, præsentia, & alia id genus, quæ in Deo ad essentiam pertinent; secus in creaturis in quibus extra essentiam sunt, ad distinctionem aliorum, quæ vbicumque reperiuntur, pertinent ad essentiam, vt ens, substantia, spiritus, &c. nec addens essentiam physicam solùm à metaphysica distingui posse ex modo nostro concipiendi, in quantum essentia metaphysica Dei, sit ipsa essentia physica, provt subest conceptui definitivo per genus, & differentiam adæquato. Vndè tantum differunt essentia metaphysica, & physica tanquam definitio, & definitum.

107 Non satisfacit in primo: quia vt videre est apud Patres, & Theologos, attributum sumitur provt essentiæ contrapositum, cuius dicitur attributum, quamque supponit aliunde constitutam: non quia sit ex genere suo essentiale, cuiusmodi non diceretur attributum Dei; sed attributum ex genere suo, id est prædicatum, quod ex suo conceptu abstracto, & generico componi potest cum eo, quod sit attributum alicuius essentiæ. Ratio est: quia eo modo, quo prædicatum est extra essentiam, & illam præsupponit, est attributum: sed per te tantùm est extra essentiam illamquè ex genere suo præsupponit: ergo tantum est attributum, non quidem Dei; sed ex genere suo: at Patres concedunt in Deo prædicata aliqua communia, quæ sunt attributa Dei, & essentiam metaphysicam constitutam præsupponunt; pro quo recolantur authoritates supra allegatæ: ergo concedere attributum sub illa explicatione pro voluntate, & arbitrio composita, est in re negare attributum Dei Theologicè, & in sensu Patrum. Contra deinde: quia si prædicatum, quod ex genere suo non est essentiale metaphysicè, potest dici attributum Dei metaphysicè sumpti, prædicatum, quod ex genere suo non est essentiale adhùc physicè, poterit dici attributum Dei physicè sumpti, ac per consequens plura attributa Deo communia significari, vt quid extra esse physicum Dei. Contra tertiò: quia si prædicatum, quod ex genere suo non est essentiale, potest dici attributum Dei, quamvis in Deo sit essentiale, prædicatum, quod ex genere suo permittit imperfectionem, quia potest inveniri in creaturis admixtum imperfectionibus, poterit dici imperfectum Dei permissivè, quamvis in Deo repugnet imperfectioni: sed hoc dici nequit: ergo nec illud.

108 Non satisfacit in secundo: nam entitas, provt definibilis, est definibilis physicè, & metaphysicè: sed si en-

entitas, provt ſubiacet conceptui definitivo, eſſet eſſentia metaphyſica, ſolùm eſſet definibilis metaphyſicè: ergo per illam explicationem non rectè explicatur diſtinctio eſſentiæ phyſicæ, & metaphyſicæ. Vlteriùs: magis diſtinguitur proprietas metaphyſica; v. g. *riſibile* in homine à definitione metaphyſica obiectivè ſumpta, quàm definitum ab eadem definitione: ſed proprietas metaphyſica pertinet ad eſſentiam phyſicam: ergo diſtinctio, quæ datur inter eſſentiam phyſicam, & metaphyſicam, maior eſt eâ, quæ datur inter definitionem, & definitum. Poſtremò: entitatem eſſe definibilem per hæc prædicata; potius quam per alia, aliquid realitatis habet ex parte obiecti, non diſſimilem ei, quæ ſignificatur per has propoſitiones. *Entitas, quia vera, non quia bona, eſt obiectum intellectus: entitas, quia bona, non quia vera, eſt obiectum voluntatis*; & ſi in eadem entitate realiter identificentur veritas, & bonitas: aliàs quævis prædicata apta eſſent ad definitionem, & primario diſcernerent rem ab omni non ipſa: ſed realitas illa non eſt præcisè ea prædicata eſſe explicationem aliorum, & alia eſſe definibilia per hæc, vt per ſe patet: quia per hunc conceptum non fit ſatis ly *potius*, quod eſt aliqua realitas reſpectivè ad entitatem vno modo obiectivo; non vero alio: ergo eſſentia metaphyſica, provt contradiſtincta à phyſica, aliquid plus eſt, quàm definitum, & definitio.

109 Vltra inconveniens ponderatum adeſt aliud non levioris momenti, ſcilicèt conſtituendam fore eſſentiam metaphyſicam Dei non modo ex complexo perfectionum abſolutarum; verum ex complexo perfectionum relativarum. Conſequentis abſurditas conſtat ex eo, quod videtur, tutò dici non poſſe eſſentiam metaphyſicam Dei non eſſe toti Trinitati communem, quomodo non eſſet, ſi eſſentia metaphyſica Dei includeret perſonalitates non communes. Rectitudo illationis probatur: Quia totum fundamentum, vt Deus conſtituatur metaphyſicè per complexum abſolutarum perfectionum, aliud non eſt; niſi quia quævis ex illis perfectionibus non intellecta, non intelligeretur Deus tam perfectus, ac dum ipſa intelligitur: ſed idem accidit in perfectionibus relativis: ergo vel eſſentia Dei metaphyſicè non reſultat ex abſolutis perfectionibus, vel reſultat ex perfectionibus abſolutis, & relativis. Maior certa videtur. Probatur minor, ex ſententia Ss. Patrum abſolutè proferentium apud Ruiz, diſp. 29. de Trinitate. Deum eſſe imperfectum, niſi eſſet Trinus: audiatur S. Athanaſius, orat. 2. contra Arianos, in medio: *Proles autem ſi non coæternaliter coexiſtat cum Patre, detrimentum affert perfectioni illius ſubſtantiæ.* Gregorius Nazianzen. orat. 37. quæ eſt 5. de Theologia, column. 2. *Quæ enim imperfectæ Deitatis vtilitas? Imò, quæ Deitas, ſi imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid deſideratur? Deſideratur enim ſi ſanctitate careat: hanc porrò quomodo habere queat, niſi Spiritum habeat?* Et poſt pauca. *Quaſi verò præſtiterit Deo aliquando imperfectum extitiſſe, ac Spiritus expertem.* Cyrill. Alexand. libr. 2. Theſauri, cap. 1. proprius ad principium. *Non poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi Filium habeat, & fructum ex ſe pariat.* Leo Magn. Serm. 5. de Nativit. Domini, cap. 3. poſt medium. *Si ideo Patri impar eſt genitus: quia vt tibi videtur, generando eum, qui non erat genuit, imperfecta erat etiam generantis eſſentia, quæ adhibendo, quod non habuit, generando par facit.* Sic etiam alij, qui videri poſſunt apud citatum authorem, & brevitatis cauſa omitto: ergo non minus ex defectu perfectionum relativarum; quàm abſolutarum conſtitueretur Deus imperfectus.

110 Quod ſi reſpondeas primò. Patres loquutos fuiſſe in ſenſu arguitivo non in ſenſu formali. Contra eſt: quia ſi Patres ſic procederent, non arguerent ex defectu perfectionum relativarum, Deum fore imperfectum; ſed Deum non fore: at non inferunt Deum non futurum; ſed futurum cum imperfectione: ergo quia non procedunt in ſenſu pure arguitivo; ſed in ſenſu formali. Si reſpondeas ſecundò: perfectiones abſolutas non ideò præcisè conſtituere eſſentiam Dei metaphyſicam: quia tales ſunt ſine quibus Deus non intelligeretur ſummè perfectus; ſed etiam quia ſunt perfectiones toti Trinitati communes. Contra iterum: Nam ſi ſolum prædicatum dicentis perfectionem taliter, vt ipſa deficiente non intelligeretur Deus ſummè perfectus, non eſt adæquata ratio, vt perfectio omnis abſoluta ſit conſtitutivum eſſentiæ metaphyſicæ Dei, nec prædicatum communi-

ni-

nitatis debet ipsam in tali ordine collocare. Ratio in promptu est ex eo quod de ratione proprietatis, quæ sit extra essentiam, non est alienum communicari omnibus quibus essentia communicatur: ergo si perfectiones absolutæ Dei ex eo præcisè, quod sint tales, vt sine ipsis non intelligatur Deus summè perfectus, non debent per sui complexum adæquatè constituere essentiam metaphisicam Dei, neque ex eo quod absolutæ sint, & communicabiles datur sufficiens ratio, vt ipsæ præ relativis sint de constitutione essentiæ metaphysicæ Dei.

CAPVT VI.

Fit satis contrarijs fundamentis.

111 CONTRA primam nostræ probationis partem arguunt contrarij primò ab authoritate ex testimonio Ss. Patrum, qui loquentes disertè de essentia, & substantia Dei, videntur eam constituere adæquatè per intellectionem. Ita S. Iacob. apud S. Clem. libr. 8. Constit. Apostolic. cap. 12. vbi Deum alloquens, inquit: *Tu es cognitio sine principio, sapientia non tradita à Doctore.* Gregor. Nisenus, homil. 7. in Cantica: *Dominus natura sua id ipsum, quod est veritatis, sapientiæ, potestatis, essentia est.* Iustinus Martyr apud Cyparissiotam, decade 7. cap. 4. *Deus mens perspicua semper est actu, nec aliud quidquam præter ipsum per se actum, est ipsa per se substantia.* S. Maximus apud eundem, cap. 7. *Deus secundum essentiam suam cognitio est ineffabilis.* Augustin. tom. 3. lib. 15. de Trinitat. cap. 7. *Hoc est Deo esse, quod sapere, & ea illi essentia est, quæ sapientia.* Anselm. in monolog. cap. 18. *Summè simplex natura, scilicet Dei non est aliud, quàm quod est sua intelligentia, quemadmodum id, quod est sua sapientia.* Et alij quos per longum syllabum adducit Hemelmam in sui favorem, tit. 4. disp. 1. cap. 5. vt refert Izquierdo, disp. cit. num. 241. quibus adiungere intendunt D. Thom. pro nobis adductum, quatenùs in articulo 4. huius quæst. rem discutiens ex professo concludit: *Patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino vnum & idem*, & in art. 2. dixerat *intellectum Dei, & id, quod intelligitur, esse idem omnibus modis.* Vbi notandæ sunt illæ particulæ *omninò, omnibus modis*, quæ sonare videntur plusquam identitatem realem. Idem habet primo contra gent. cap. 45. & 46. & prima part. quæst. 27. art. 2. & quæst. 8. de potentia, art. 1. corp. apud Granados, disp. 3. sect. 1.

112 In idem intentum proponunt omnes alios Patres, qui dicunt hoc nomine *Deus* significari divinam essentiam, nam cum illud derivetur à verbo græco, quod significat *videre*, aut *circunspicere* non aliter significare potest essentiam Dei, nisi quia essentia, & substantia Dei sit idem formalissimè, quod *videre intellectualiter, seu intelligere*, sicut & illos, qui putant Verbo divino, ex vi productionis æternæ, communicari immediatè à Patre divinam sapientiam, & propterea esse omninò simile Patri in natura, quod non dicerent, si sapientia, & cognitio non essent formalissimè divina essentia. Quæ omnia suum fundamentum desumunt ex scriptura, quæ passim vnigenitum Dei filium nominibus *scientiæ, Verbi, & sapientiæ* appellat, vt declaret eum esse verum Deum, & omninò similem Patri in natura, & ipsum Deum afferat vitam, & lucem intelligendo illa de vita, & luce intellectuali, quæ non faceret si essentia Dei metaphycè, & formalissime in *intelligere actualiter* non consisteret.

113 Communis, & vera solutio est: Patres loquutos fuisse in sensu reali, & identico, non curantes de subtilitate considerationis essentiæ Dei metaphysicè, & physicè sumptæ, in quo sensu reali, & minimè præcisivo verissimè affirmant de Deo, quod sit *sapientia, intellectus, oculus, mens, veritas*, & similia, sicut quævis alia perfectio. Hoc mihi clarissimè suadet, quod Patres iam hanc, iam illam perfectionem affirmant de Deo, eodem loquendi modo, quod non facerent, si in sensu formali procederent non admittente variationem prædicationis per diversas perfectiones: sic observarunt alij proponentes varia Patrum testimonia. Etenim S. Fulgentius, libr. primo ad Trasimum, cap. 8. ait: *Hoc est Deo videre, quod esse*: at respondens alibi ad Arianos ait: *Hoc*

in Deo, ſicut certum eſt, putatur eſſe, quod velle. S. Auguſt. ſæpè docet, quod in Deo ſapere eſt idem, ac eſſe, & nihilominus libr. 6. de Trinit. cap. 4. inquit: *Deo hoc eſt eſſe, quod eſt, fortem eſſe, aut iuſtum eſſe.* S. Anſelm. ait ſapientiam eſſe quidditatem, & ipſum eſſe Dei, & tamen in Monolog. cap. 4. de Deo dicit: *Summa natura, ſumma eſſentia, ſumma vita, ſumma ratio, ſumma ſalus, ſumma ſapientia, ſumma bonitas*: Pariter apud alios iam dicitur eſſe *bonitatem*, iam *ſapientiam*, iam *voluntatem*, & ſic percurrendo alias divinas perfectiones: ergo ſignum eſt procedere in ſenſu reali, non in metaphyſico, & præciſivo, pro quo legatur Granado, ſect. 3. diſput. cit.

114 In eodem ſenſu reali loquutus eſt D. Thom. accipiens eſſe Dei ſecundùm eſſentiam phyſicam, non ſecundùm primarium, & metaphyſicum conceptum, vt fecit in quæſt. 19. art. 1. in fine corporis, ibi: *Sicut ſuum intelligere eſt eſſe, ita ſuum velle*, & quæſt. 10. art. 2. *Deus ſicut eſt ſua eſſentia, ita ſua æternitas*, & quæſt. 6. art. 3. *quæ de alijs dicuntur accidentaliter, Deo conveniunt eſſentialiter, vt eſſe potentem, ſapientem, & huiuſmodi.* Et primo contra Gentes, cap. 45. in prima ratione argumentatur, *quidquid eſt in Deo, eſt divina eſſentia: intelligere ergo Dei eſt divina eſſentia.* Quare ſi dum S. Doctor loquitur de alijs imperfectionibus quæ intellectio non ſunt, de ipſiſque aſſerit ab eſſe Dei non diſtingui, accipitur ab adverſarijs de loquutione in ſenſu reali, non metaphyſico; vnde probabunt, quòd quando idem ſignificat, de intellectione non procedit in ſenſu reali; ſed in formali, & metaphyſico? Præcipuè quandò, vt ſuprà vidimus, tam clarè aſſerat intellectionem eſſe extra eſſentiam, quod non in ſenſu reali, ſed in formali poteſt intelligi, & habere veritatem. Nec amplitudo illa terminorum *omninò*: *omnibus modis* aliquid obſtat: quia quando conſtat reſtrictio ſenſus, in quo procedit verborum ſignificatio, particulæ illæ ſervant ſuam vniverſalitatem duntaxat accommodatam reſtrictioni ſenſus.

115 Patres autem illi, qui ex eo, quod verbum procedat per intellectum & intellectionem; inde inferunt eſſe Filium, præ Spiritu Sancto: id non inferunt: quia intellectio ſit formaliter natura divina; ſed quia eſt formaliter expreſsio intentionalis divinæ naturæ, quæ cum in Deo non ſit accidentalis; ſed ſubſtantialis, ideò facit debitam communicationem naturæ, & verbum procedit in ſimilitudinem ſubſtantialem naturæ; ideòque ex modo procedendi eſt *origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ*; ac per conſequens eſt Filius. Quæ ratio ſatis difficilis eſt, & alibi diſcutienda. Interim dicatur, graviſsimam illam difficultatem de proceſsione Filij diverſimodè componi, & explicari à Theologis, quorum ſententiæ multæ ſunt, & quæ vis ſatis fulcita authoritate Patrum; quare ex illa, nihil aliud contra nos poteſt convinci, niſi probabilitas contrariæ ſententiæ ex mente Patrum, quam nos non negamus.

116 Illud, quod additur de etymologia huius nominis *Deus* infirmum fundamentum eſt, quod D. Thom. infringit, quæſt. 13. primę partis, art. 8. dicendo: *Non eſt ſemper idem id, à quo imponitur nomen ad ſignificandum, & id ad quod ſignificandum imponitur: nomen lapis derivatur à lædendo pede, & ſignificat ſubſtantiam lapidis diſtinctam à læſione pedis.* Itaque: aliud eſt nomen *Deus*, quod à *ſcire*, & *videre* derivatur, impoſitum eſſe ad ſignificandum *eſſe* Dei: aliud quod ſignificet, eſſe Dei conſiſtere formaliter in illa perfectione, quam ſignificat verbum à quo derivatur. Primum habet nomen *Deus*; non ſecundum. Authoritates ſcripturæ in obijcientes retorquentur: nam ſi quia Deus proponitur vt lux, & vita intellectualis identicè, dicendum eſt formaliter conſtitui per intellectionem: quia ſimiliter proponitur *amor, iuſtitia, fortitudo, & poteſtas*, omnes hæ perfectiones dicendæ erunt pertinere ad conſtitutivum eſſentię metaphyſicæ Dei; quod negant.

117 Obijcies à ratione ſecundò: Eſſentia divina per id debet formaliter, & metaphyſicè cōſtitui, quod magis accedit ad rationem primæ, & perfectiſsimæ ſubſtantiæ, ac vitæ, actuſque puriſsimi: ſed id eſt ſola actualis intellectio: ergo ſola actualis intellectio adæquatè differentialiter conſtituit eſſentiam Dei metaphyſicam. Maior videtur conſtare: quia vnumquodque conſtituitur formaliter in ſua ſpecie per gradum perfectiſsimum omnium, quæ ſibi competunt. Minor autem probatur: quia inter omnes gradus entis, gradus vitæ ſubſtantialis intellectualis per-

fe-

fectiſsimus eſt, & in hoc gradu perfectior longè eſt actualis vita intellectualis, quàm facultas intelligendi: ergo ſola actualis intellectio eſt id vi cuius Deus accedit magis ad rationem primę, & perfectiſsimæ ſubſtantiæ, ac vitæ, actuſque puriſsimi.

118 Probat argumentum, ſi aliquid probat, eſſentiam Dei conſtituendam eſſe formaliter potiùs per aggregatum omnium perfectionum; quam per ſolam intellectionem: quia ad gradum perfectiſsimæ ſubſtantiæ accedit Deus non per ſolam perfectionem vnius lineæ; ſed per gradum perfectionis ſummæ in omni linea. Probat etiam, quòd ſi conſtituendus eſſet per gradum pertinentem ad lineam vitæ intentionalis, addendus foret actualis amor, quo completur tanquam per puriſsimum actum vitæ actualis ſubſtantialis, & intentionalis. Solutio ſit: eſſentiam divinam eſſe conſtituendam formaliter, & metaphiſicè per illud, quod magis accedit ad rationem primæ, & perfectiſsimæ ſubſtantiæ *determinativè*, id eſt, per illum gradum, qui faciat ſibi debitam perfectionem omnis lineæ, veluti radix metaphiſica illius; nec ſit operatio, aut actus; ſed ſubiectum radicativum omnis operationis, & actus: quomodo in phiſicis ſubiectum operationum, & actuum tantùm pertinet ad eſſentiam phiſicam; non vero operationes, & actus qui vocantur eſſentiæ proprietates: intellectio autem actualis, & eſt perfectio per modum actus, & etiam in determinata linea non faciens ſibi debitam perfectionem omnis lineæ: vnde per ipſam non poteſt adæquatè conſtitui Deus formaliter, & metaphiſicè.

119 Obijcies tertiò, recurrendo ad quinque capita motiva ex quibus intellectio deberet anteponi reliquis perfectionibus, & conſtituere adæquatè divinam eſſentiam. Primum: quia intellectio à ſe eſt conceptus non trãſcendens per omnes alias perfectiones. Secũdum: eſt conceptus adęquatus in aliquo gradu vitæ, nempè intellectualis. Tertium: eſt radix cœterorum. Quartum: eſt prior alijs conceptibus repertis in Deo. Quintum: eſt conceptus nobilior reliquis: ſed perfectio, in qua hæc omnia inveniuntur, debet eſſe præ reliquis adæquatum conſtitutivum eſſentiæ divinæ *formaliter*, & *metaphiſicè* ſumptæ: ergo intellectio à ſe eſt conſtitutivum adæquatum divinæ eſſentiæ.

120 Reſpondeo ad primum: non eſſe requiſitum ad conſtituendam eſſentiam, quòd ſit perfectio non tranſcendens; imò, ſi eſſet intellectio apud contrarios non conſtitueret eſſentiam; cum non aliter ipſam conſtituat, quàm prout eſt intellectio à ſe *incauſabiliter*, & *identicè*, qua ratione dicit in ſuo conceptu aſſeitatem, & ſimplicitatem tranſcendentem omnem aliam perfectionem; ſed demus eſſe requiſitum, quid inde? Cum etiam amor alias perfectiones non tranſcendat. Ad ſecundum: cur potius non conſtituunt eſſentiam per gradum vitæ intentionalis completæ; qua ratione complectitur intellectionem, & amorem, quàm per gradum vitæ intentionalis, quæ eſt vita incompleta. Ad tertium: quomodo probatur intellectionem eſſe radicem volitivi, licèt probaretur eſſe radicem volitionis: ſed nec hoc probatur: cum non omne, quod requiritur ad aliud ſit radix ipſius. Ad quartum negatur eſſe priorem omnibus alijs conceptibus in Deo repertis; cum id tantùm competat ei, quod ſe habet vt ſubiectum, & radix operationum. Ad quintum, negatur præſtantia illa nobilitatis tam libere aſſerta, vel quia omnes divinæ perfectiones ſunt formaliter æquales, vt aliqui dicunt, vel quia iuxta plures, gradus *volitivi* perfectior eſt formaliter gradu intellectivi; vel quia immeritò dicitur intellectionem eſſe nobiliorem formaliter aſſeitate, quæ cæteras omnes perfectiones elevat ad gradum infinitatis.

121 Obijcies quartò. Deitas, vt potè ſummum bonum, debet conſtitui vltimò per aliquid, quo ſit ſummè fœlix, atque beata non quidem *obiectivè* ſolùm, & *mortuo modo*, ſed *vitaliter* per beatitudinem, ſcilicèt formalem: ſed talis eſt clara viſio; ſeu intellectio Dei: ergo per hanc debet *formaliter* conſtitui. Confirmat Izquierdo. *Deitas* nequit non eſſe bonum infinitum omnium bonorum aggregatione perfectum: ſed tale bonum eſt beatitudo *formaliter* iuxta definitionem Boetij: ergo *Deitas* debet conſtitui ſua beatitudine *formaliter* in intellectione conſiſtente. Deficit argumentum ſi beatitudo *formaliter* conſiſtat in

intellectione, & amore, vt communis fert ſententia : quo caſu ex argumento amor eſſet conſtitutivum eſſentiç. Incidit etiam in aggregationem prædicatorum, & perfectionum Dei, quam excludit à conſtitutivo eſſentiæ ; nàm cum beatitudo completa dicat *obiectivam*, & *formalem*; & *obiectiva* includat omnem divinam perfectionem: per conſequens eſſentia Dei erit complexum omnium perfectionum : dicendum ergo Deitatẽ ſumptam pro eſſentia metaphiſica Dei, nec debere includere in ſuo conceptu formalem beatitudinem, neque eſſe bonum omnium aggregatione perfectum loquendo *formaliter* ; ſed tantùm *eminenter*, *radicaliter* ; & *determinativè* tanquàm ſubiectum, cui debentur actus, & operationes perfectiſsimæ, omneſque perfectiones, à quibus *formaliter* ſumptis, reditur formaliter infinitè perfectum.

122 Obijcies quintò. Illud debet eſſe formale conſtitutivum naturæ intellectualis, quod in ea linea intelligitur contrahere reliquos gradus ſuperiores : ſed ita ſe habet intellectus in linea *naturæ intellectualis divinæ* : nam contrahit gradus *entis à ſe*, *ſubſtantiæ*, *ſpiritus*, *viventis*, & *intellectivi* : ergo intellectio divina formale, & vltimum conſtitutivum eſt naturæ, ſeu ſubſtantiæ Dei intellectualis. Argumentum quidem omninò inefficax. Primò: quia, eadem obſervata forma, poſſet intendere divinam volitionem debere eſſe conſtitutivum adæquatum divinæ eſſentiæ : nam illud debet eſſe formale conſtitutivum naturæ volitivæ, quod in ea linea intelligitur contrahere reliquos gradus ſuperiores : ſed volitio ita ſe habet : ergo volitio divina formale, & vltimum conſtitutivum eſt naturæ, ſeu ſubſtantiæ Dei volitivæ. Secundo: non id ſolum ; ſed complexum perfectionum, quç ſunt in Deo ; propterea quod illud debet eſſe conſtitutivum formale ſubſtantiæ exiſtentis in omni linea, quod in omni linea contrahit gradus ſuperiores : ſed id, quod in omni linea contrahit gradus ſuperiores, eſt omnis perfectio, prout ſpecialiter eſt in Deo, quàm in creatura in omni linea: ergo omnis divina perfectio eſt conſtitutivum formale ſubſtantiæ, & eſſentiæ divinæ exiſtentis in omni linea. Tertiò: quia intellectio, vt ſupra diximus, in tantum contrahit gradus ſuperiores, in quantum eſt à ſe identicè, & incauſabiliter : ergo potius aſſeitas, & ſimplicitas ſunt conſtitutivum formale divinæ eſſentiæ, quàm intellectio.

123 Argumento reſpondet Izquierdo, permiſſa mai. negando min. quia contractio, inquit, non eſt poſſibilis, vbi non eſt conceptus magis, & minus communis : in Deo autem nullum eſt prædicatum magis commune, ſuppoſito quod ſint omnia divina, atque adeò increata infinita, & ſingularia. Sed contra : nam licèt comparativè ad omnia prædicata divina, ſint omnino ſingularia, vt proprium eſt prædicatorum cuiuſvis entitatis; at comparatiuè ad illud, quod Deus non eſt, penès cuius diſtinctionem eſſentia Dei metaphiſica conſiderari oportet, alia ſunt alijs communiora; nam per aliqua convenit eum creaturis ; per alia vero ab eis diſcriminatur quia oſtendunt differentiam quç eſt inter Deum, & creaturas : ergo potius in maiori, quam in minori eſt falſitas, & inefficacia obiectionis.

124 Reſpondeo per maioris diſtinctionem : illud debet eſſe formale conſtitutivum naturç intellectualis, vt *intellectualis*, quod in tali linea intelligitur contrahere gradus ſuperiores naturæ intellectualis infinitæ *in omni linea*: neg. mai. naturæ intellectualis non infinitæ *in omni linea* permito, vel concedo mai. & diſtingo min. id habet intellectio in tali linea *non vnica illius ſubſtantiæ* concedo min. in tali linea *vnica illius ſubſtantiæ* neg. min. & conſequentiam. Eſt dicere: quod ſicut adverſarij conſiderantes Deum, vt natura volitiva, debent dicere volitionem eſſe, quod in tali linea intelligitur contrahere gradus ſuperiores; nec ideo dicent eſſe conſtitutivum adæquatum divinæ eſſentiç: ſic licèt conſiderando Deum, vt eſt natura *intellectualis*, intellectio ſit, quç contrahit gradus ſuperiores ad ſpeciem perfectiſſimi intelligentis; non ideò debet dici differentia adæquata, & conſtitutiva ſubſtantiæ infinitæ in omni linea. Ratio eſt illa ſæpè tacta : ſcilicèt, quod reſpectu entis infiniti ſimpliciter, quomodo Deus eſt, illud debet cenſeri conſtitutivum adæquatum differentiale ſubſtantiæ, & eſſentiæ ipſius, quod ita contrahit rationem ſuperiorem, vt virtualiter

in

in se contineat perfectionem cuiusvis lineæ, in qua Deus est summè perfectus; cum autem intellectio sic non contrahat: quia tantùm contrahit formaliter in propria linea, & nullo modo virtualiter in alijs, ideò non habet modum contrahendi requisitum ad formalem constitutionem divinæ substantiæ, & essentiæ.

125 Objicies sextò ex Raynaudo: differentia constitutiva rei metaphisicè debet esse vltima, vt patet ex omnibus differentijs constitutivis creaturarum, quæ semper supponunt alias contrahentes rationes communiores, & vniversalissimas, donec vltimò restringatur conceptus, taliter, vt constituat determinatam speciem: sed in Deo nulla alia datur vltima differentia, quæ supponat iam alias in Deo nisi *intelligere à se*: ergo *intellectio à se* debet esse differentia constitutiva Dei. Benè quidem; sed quarè non erit amor divinus differentia hæc constitutiva vltimò, cum post intellectionem sit, & gradum intelligentis sicut, & volentis contrahat ad speciem volentis à se? Respondeo: ad rationem differentiæ constitutivæ rei metaphisicè non pertinere esse vltimam, sed esse sufficientem specificativam, & distinctivam rei, ipsam determinando ad omnem suam perfectionem, quomodo, si velis, poteris eam appellare vltimam virtualiter; quod sufficit, vt loquutionem illam Philosophorum *differentiam vltimam esse constitutivam rei*, non contemnas, nec ab ea exorbites.

126 Objicies septimò, proponendo multa commoda, quæ secum adducit sententia illa in ordine ad explicandam rationem imaginis in Verbo Æterno, & generationem ipsius præ Spiritu Sancto ex immediata communicatione intellectionis constitutivæ formaliter divinæ naturæ, ex quorum facilitate non levem commendationem sibi acquirit, & expeditior reditur alijs. Respondeo: hoc esse quærere patrocinium sententiæ difficilis, in alia difficiliori; quã pro modo nostro independenter ab his principijs cõponere tentamus sufficienti pondere authoritatis, & rationis, vt patebit legenti nostram quæstionem, *quare Verbum sit Filius*, nostraque sententia est: Processionem Verbi, præ processione Spiritus Sancti, esse generationem: quia ordine originis est prima, pro nihil nobis confert constitutivum essentiæ divinæ esse hoc, aut illud; sed cum independentia, & amplitudine quæstionem resolvimus. Præterquamquòd, vt dixit Izquierdo, sicut non sunt facienda mala, vt eveniant bona; ita non sunt statuendæ conclusiones falsæ ad propugnandas conclusiones veras; esse autem falsam contrariam sententiam probant nostræ rationes, quæ similiter probant, veritatem alterius conclusionis ab ea non dependere.

127 Objicies octavò. Donec assignetur differentia constitutiva divinæ essentiæ adæquatè, immeritò reijci intellectionem, cum pro hac exclusione videatur necessariò assignare aliquid aptius ad talem constitutionem; sed à nobis nondum designata est talis perfectio: ergo neque excludere possumus intellectionem à ratione differentiæ adæquatè constitutivæ divinæ essentiæ. Respondeo: nostri instituti non esse ostendere conceptum adæquatè metaphisicè constitutivum Dei; quod ad alium tractatum spectat; sed investigare: an id sit proprium divinæ intellectionis? vt vero non sit, sufficiunt nobis principia generalia quoad essentias metaphisicas rerum, quorum ductu nobis videtur alij perfectioni debere id competere, quænam vero hæc sit? Relinquimus ad proprium locum, ex quo accipe pro nunc *aseitatem*, quam vt differentiam constitutivam adæquatam Dei, metaphisicè sumpti, propugnabimus cum communi sententia nobis probabiliori; vbi quidquid contra prædictam conclusionem objicitur, solvemus.

128 Contra secundam partem objicies nonò Verba illa Exodi cap. 3. *Ego sum, qui sum; qui est misit me ad vos*. Iob. cap. 23. *Ipse solus est*. Ioan. cap. 8. *Ego sum* & cap. 13. *Vt credatis quia ego sum*. Quibus ex expositione multorum PP. quos adducit Ruiz, videtur significari: Deum quidditativè, & essentialiter comprehendere totum esse, seu quod est perfectio *simpliciter simplex*, *cuius esse* melius est quam non *esse*. Respondeo primò: Argumentum nimis probare, cum probet etiam perfectiones relativas pertinere ad essentiam metaphisicam Dei, quod tutò dici nequit. Respon. Deo secundò: communiorem expositionem Patrum ad relata verba esse de *aseitate*; non de omni perfectione;

quod ſi alij eam intelligunt cum illa vniverſalitate, comprehendunt ſenſum formalem, & arguitivum; ita vt velint dicere, in illis verbis contineri *aſſeitatem formaliter*, & cæteras perfectiones *arguitivè*, *& determinativè*, in quantum eſſentia Dei *metaphiſicè* accepta, continet *virtualiter* cæteras perfectiones, quas facit ſibi debitas. Vel tertiò: Patres illos loqui in ſenſu *identico*; non in ſenſu *formali*, & *metaphiſico*. Quomodo reſpondendum etiam eſt aliis authoritatibus, quæ obijci poſſunt, & ſignificant quidquid prædicatur de Deo, *eſſentialiter*, & in *quid* prædicari; non verò *accidentaliter*; & in *quale*, quod verum eſt loquendo de eſſentia *phiſica* Dei, non verò de *metaphiſica*.

129 Obijcies decimò. Id, quod eſt eſſentiale Deo *metaphiſicè* ſumpto, eſt de eſſentia Dei *metaphiſicè* ſumpti; ſed intellectio, ſicut, & quævis alia perfectio eſt eſſentialis Deo *metaphiſicè* ſumpto: quia ſine ipſa exiſteret repugnãter: ergo intellectio eſt eſſentialis Deo metaphiſicè ſumpto. Diſt. mai. id quod eſt eſſentiale *conſtitutivè* Deo *metaphiſicè* ſumpto, eſt de eſſentia Dei *metaphiſicè* ſumpti, concedo maiorem. Quod eſt eſſentiale *completivè* neg. mai. & diſtingo min. intellectio, ſicut, & quævis alia perfectio eſt eſſentialis *conſtitutivè* Deo *metaphiſicè* ſumpto, neg. min. *completivè* ſumpto, concedo minorem, & nego conſequentiam. Id eſt, *eſſentiale* dupliciter accipitur, vno modo pro eo quod conſtituit eſſentiam: altero pro eo quod ſupponit eſſentiam, & ab hac neceſſariò exigitur, modo quo in ſententia plurium, rerum poſſibilitas eſt eſſentialis Deo: intellectio non eſt eſſentialis Deo primo modo; ſed ſecundo; quare non eſt de eſſentia metaphiſica Dei.

130 Replicabis: intellectio eſt eſſentialis Deo metaphiſicè ſumpto non vt cumquè; ſed per identitatem realem; ſed id quod eſt eſſentiale Deo metaphiſicè ſumpto per identitatem realem, eſt de eſſentia metaphiſica Dei *conſtitutivè*, cum hæc conſtituatur per ſuum eſſe reale: ergo intellectio eſt eſſentialis Deo metaphiſicè ſumpto; non tantum *completivè*, aut neceſſariò; ſed *conſtitutivè*, *& formaliter*. Inſto in perſonalitatibus divinis, quæ realiter ſunt eſſentia metaphiſica Dei, & tamen non conſtituunt eſſentiam metaphiſicam Dei; imò, quod plus eſt, nec phiſicam in ſententia plurium; nè dicatur, eſſe phiſicum Dei, ſecundùm quod eſt phiſica eſſentia, non eſſe commune tribus perſonis: inſto etiam in quavis proprietate metaphiſica; v. g. *riſibile*, quę in homine cum ſit idem realiter cum re *metaphiſicè* ſumpta, non ideò conſtituit eius eſſentiam metaphiſicam. Reſpondeo pro omnibus iuxta notationem ſuprà datam de eſſentia phiſica, & metaphiſica. Ad conſtituendam eſſentiam metaphiſicam inadæquatè, vltra identitatem, requiri, quod ſic conſtituens ſit tale, vt ipſo ſolo deficiente, & reliquis per poſsibile, aut impoſsibile manentibus, deficiat res ſimpliciter; ad conſtituendam verò eſſentiam metaphiſicam adæquatè, quod ſic conſtituens tale ſit, vt ipſo præcisè intellecto, reliquis per poſsibile, aut impoſsibile deficientibus intelligatur, aut ponatur res ſimpliciter.

131 Obijcies vndecimò: intellectio, & amor ſunt quid eſſentiale Deo, & vltimò contrahens prædicata alia communiora & vniverſaliora, vi quorum Deus confunditur cum creaturis: ergo complexum intellectionis, & amoris eſt conſtitutivum adæquatum eſſentiæ metaphiſicæ Dei; ſed huius complexi eſt conſtitutivum inadequatum intellectio: ergo intellectio eſt conſtitutivum inadæquatum divinæ eſſentiæ *metaphiſicè* acceptæ. Reſpondeo primò: non quidquid contrahit prædicata communia, eſſe conſtitutivum eſſentiæ metaphiſicæ, ſed illud, quod ita contrahit, vt ſit ſubiectum faciens ſibi debitam omnem perfectionem, quæ exiſtit in entitate, quod non convenit complexo intellectionis, & amoris. Reſpondeo ſecundò: intellectionem, & amorem præcisè, quia amorem, & intellectionem, non contrahere prædicata communia; nam ſub his conſiderationibus relinquunt Deum confuſum cum creaturis: quare opus eſt addere ipſis *aſſeitatem*, & inde colligitur, hoc eſſe prædicatum verè contractivum, & ſpecificativum reliquorum prædicatorum, prout conſtituentium divinum eſſe. Reſpondeo tertiò, ex Izquierdo: potius illud prædicatum, quod primò contrahit prædicatum commune ad eſſe proprium Dei, quo diſcernitur ab omni non ipſo, eſſe con-

constitutivum adæquatum differentiale Dei; quàm prædicatum vltimò contrahens: nam hoc eo modo, quo supponit primum, supponit etiam Deum discretum ab omni non ipso, & comparatur ad primum tanquam proprietas metaphisica, vt videre est in *risibili*, & *admirativo* comparatis cum rationali.

132 Objcies duodecimò. Deus est ens per essentiam, & per se; sed talis non esset si attributa, à quibus denominatur *Iustus, Sanctus, Misericors, Omnipotens, &c.* essent extra essentiam, quæ propterea ei quodammodo accidèrent, & extra substantiam ipsius essent: ergo essentia metaphisica Dei constitui debet per omnia attributa, ac per consequens per intellectionem, quæ Deo tribuitur, & de ipso dicitur. Concessa maiori, distinguo minorem: talis non esset si attributa essent extra essentiam tàm *physicam*, quàm *metaphysicam*, concedo min. extra essentiam tantùm *metaphisicam*, neg. min. & consequentiam. Ad minoris probationem respondeo; attributa quamvis sint extra essentiam metaphisicam, nullatenùs ei accidere: quia in nullo sensu proprio accidit rei id, quod vltra necessitatem metaphisicam, qua ei est necessarium, habet realem, & strictissimam identitatem cum ipsa: sed attributa omnia, quæ sunt in Deo ita essentiæ Dei *metaphisicè* acceptæ sunt necessaria, vt vltra habeant identitatem strictam, & realem cum essentia metaphisica, constituendo essentiam metaphisicam illius: ergo in nullo vero sensu possunt Deo accidere.

JHS.

DISPUTATIO SEXTA.

DE OBIECTO MATERIALI Divinæ Scientiæ in communi.

SCIENTIAM Dei tum in se, tum ex parte cognoscentis consideratam, hucusque vidimus: modò ad eius obiectum exponendum transimus: vnde melius eiusdem Scientiæ natura innotescet, & vnde etiam graviores controversiæ huius Tractatus incipiunt.

CAPVT I.

Quid sit obiectum materiale Scientiæ Divinæ, & cui ratio talis conveniat.

1 QVOAD primum: aliqui obiectum divinæ Scientiæ, tàm latè, & confusè accipiunt, vt nolint id explicare, prout contraponitur obiecto formali; sed prout ab illo præscindit, & cum omni, quod ab intellectu divino potest attingi, confunditur: sic Herrera in præsenti, cuius latissimum modum explicandi nō probo, cum non videam fundamentum aliquod, vt obiectum materiale scientiæ divinæ prout tale formaliter, non debeat explicari; sicut post agentes omnes de obiecto formali ipsum, prout contrapositum obiecto materiali exponunt; quin obstet, an ratio vnius sine ratione alterius possit reperiri, sicut non obstat in homine, quod ratio *animalis* absque ratione *discursivi* nequeat existere, & è contra, vt quævis formalitas secundum proprium conceptum exponatur: præterquamquòd id videtur exigere quæstio præsens, in qua non solum, quid Deus cognoscat; verum quid in eo, quod cognoscit rationem obiecti sortiatur, investigationi subijcitur.

2 Ideo præsius accipientes rationem obiecti materialis per contrapositionem ad obiectum formale, dicimus: obiectum materiale divinę scientiæ esse omne illud, ad quod terminatur divina cognitio: quia sub ratione motiva, & specificativa divini intellectus comprehenditur. Probatur: illud est obiectum materiale actuum cuiusvis potentiæ, ad quod terminantur actus illius, quia sub ratione *motiva*, & *specificativa* talis potentiæ comprehenditur, vt constat in omnibus potentijs, & facultatibus: ergo illud erit obiectum materiale actuum divini intellectus, ac proinde scientiæ, & cognitionis divinæ, ad quod hæ terminantur: quia sub ratione motiva, & specificativa divini intellectus comprehenditur. In idem recidit modus generalis explicandi, scilicet obiectum materiale divini intellectus, & scientiæ, esse omne illud, quod a divino intellectu attingitur. Ratio est: quia cum omne, quod à divino intellectu per suos actus attingitur, ideo attingatur: quia ad talem attingentiam est proportionatum, nec aliter proportionetur, quàm quia sub ratione motiva, & specificativa divini intellectus comprehenditur; idem est, explicare obiectum materiale per illud, ad quod terminatur divina cognitio, quia sub ratione formali, & specificativa illius comprehenditur, ac dicere obiectum materiale esse omne illud, quod à divino intellectu attingitur; ea tamen differentia, quod nostra explicatio non tantum proponit obiectum materiale *materialiter*, & prout cum formali confunditur, quod etiam per actus divini intellectus attin-

attingitur; sed formaliter, & in quantum subit denominationem obiecti materialis, & non explicat rationem obiecti formalis, quæ non est præcisè id, quod terminat cognitionem; sed id vi cuius id, quod terminat, proportionatur, vt terminet.

3 An verò id, quod terminat diuinam cognitionem distinguatur à ratione, qua terminat, seu an ratio obiecti materialis distinguatur à ratione obiecti formalis, ita vt in aliquo inveniri possit, esse tantùm obiectum materiale diuinæ scientiæ absque ratione obiecti formalis? Pendet ex alijs in sequentibus dicendis. Intereà scire sufficiat, quod si Deus vnicè sit obiectum *formale* suæ diuinæ cognitionis, creaturæ, quæ abs dubio terminant diuinam cognitionem, per consequens erunt obiectum materiale separatim, & cum reali distinctione ab obiecto formali: inter ipsa autem diuina, vt sunt essentia, & attributa, tàm absoluta, quam relativa, si sola essentia habeat rationem obiecti *formalis*, & *motiui* diuinæ intellectionis, ratio obiecti materialis in absolutis & relativis invenietur sine ratione obiecti formalis, pro modo distinctionis, quam dicant ab essentia, scilicèt, vel *virtualiter*, vel *formaliter ex natura rei*, vel *formaliter per rationem* pro sententiarum diversitate: nullo tamen modo realiter, cum inter essentiam, & attributa, sive absoluta, sive relativa, distinctio realis *simpliciter* non intercedat.

4 Inde quoad secundum: ratio obiecti materialis diuinæ cognitionis convenit omni cognoscibili. Probatur: omne cognoscibile terminat diuinam cognitionem; sed omne, quod terminat diuinam cognitionem, est obiectum *materiale* illius: ergo ratio obiecti *materialis* diuinæ scientiæ convenit omni cognoscibili. Discursus est legitimus, & minor constat ex acceptione terminorum, scilicèt obiecti *materialis*: probatur maior: omne cognoscibile continetur sub obiecto *formali* motiuo diuinæ cognitionis; sed omne, quod continetur sub obiecto formali motiuo diuinæ cognitionis eam terminat: ergo cognoscibile terminat diuinam cognitionem. Minor constat: nam si omne contentum sub obiecto *formali* diuinæ cognitionis non eam terminaret, aliquid, quod esset scibile, & cognoscibile de factò ignoraretur à Deo, contra id quod ab authoritate, & ratione statuimus loquentes de amplitudine diuinæ scientiæ, & exigit summa, & infinita perfectio; cùm omnia nuda sint, & aperta oculis eius, vt dixit Apostol. ad Hebræos, cap. 4. Maior probatur: nihil in se cognoscibile, est incognoscibile à Deo; alias Deus non modò ignorans contingenter; verùm essentialiter ignorans constitueretur. Sed si aliquid in se cognoscibile non contineretur sub obiecto formali diuinæ cognitionis, aliquid ex se cognoscibile esset incognoscibile à Deo: cùm nulla potentia ferri valeat extra suum obiectum *formale*: ergo omne cognoscibile continetur sub obiecto formali motiuo diuinæ cognitionis. Huc etiam revocanda sunt omnia illa, quæ de amplitudine, & extensione diuinæ scientiæ diximus, quæ modo repetere vanum, & prolixum esset, præcipuè in re ex ipsa naturali ratione clarissima.

5 Ex propositione generali descendit primò: omne increatum, sivè Deum *adæquatè* sumptum, esse obiectum materiale diuinæ cognitionis: tum quia Deus *adæquatè* sumptus in se habet veritatem conformabilem cum repræsentatione sui: ergo est aliquod cognoscibile; sed omne cognoscibile est obiectum *materiale* diuinæ cognitionis: ergo Deus est obiectum *materiale* diuinæ cognitionis & quidem secundum omnia intrinseca, & à se indistincta: tum quia Deum secundum omnia sua, ac proinde seipsum *adæquatè* cognoscere, constat apertissimè ex Scriptura Math. cap. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, & Patrem quis novit nisi Filius.* Prim. ad Corinthios, cap. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Ad Hebræos 4. *Omnia nuda sunt, & aperta oculis eius.* Nec latuit hæc veritas Aristot. solo naturalis rationis ductu, libr. 12. metaphys. cap. 9. apud Godoy, *Seipsum ergo intelligit, si est quidem, quod optimum est.* Et eodem libr. text. 15. *Manifestum est, quod Deus illud intelligit, quod diuinissimum & honorabilissimum est*: alias Deus perfectissimus omnium ignorantissimus esset, cum per suum intellectum non posset attingere primum scibile, quod reliquis entibus limitatis, & finitis, ratione tamen gaudentibus, est aliquomodò manifestum; sed id, quod cognoscitur, est obiectum *materiale* cognitionis: ergo Deus *adæquatè* sumptus est obiectum materiale suæ cognitionis.

Ita

6 Ita tamen Deus est obiectum *materiale* sui intellectus, & cognitionis, vt non modò sit obiectum *materiale* quasi in *actu primo*, id est *potens cognosci*; sed in *actu secundo* in quantum *semper*, & *actualiter* necessariò terminat scientiam sui, necessitate metaphisica, quæ constat ex repugnantia metaphysica, vt Deus aliquando sit inscius, & ignorans: ex necessitate metaphysica, vt semper sit fœliciſsimus, qualis non esset si, interrupta aliquando cognitione sui, interrumperetur possessio intellectualis summi boni, in qua fœlicitas consistit: ex repugnantia metaphysica, vt vel *liberè*, vel *necessariò* careat cognitione sui: *necessariò*: quia esset necessariò ignorans: *liberè*: quia vltrà esse contingenter saltem insciũ, libertas ad carendum cognitione sui involvit ex parte actus primi cognitionem cognitionis Dei, quæ sine aliquali cognitione Dei nequit consistere; vndè esset libertas ad simul retinendam, & excludendam cognitionem sui, ex necessitate metaphysica, vt detur *Verbum* in divinis secunda Trinitatis persona, quod sine cognitione nequit stare qua Deus se ipsum perfectè, & adæquatè cognoscit, ex qua procedit ipsum verbum: est ergo metaphysicè necessarium, Deum adæquatè sumptum actualiter esse obiectum materiale divinæ scientiæ.

7 Nihilominùs quoad voces se opponit Herice in prim. partem, tractatu 1. disp. 4. cap. 1. vbi, & si catholicè fateatur, Deum suam essentiam, & seipsum cognoscere; tamen negat divinam essentiam esse obiectũ aliquomodo cognitionis divinæ, qua cognoscitur: quia, vt essentia esset obiectum cognitionis, quam terminat, opus erat, vt ab illa distingueretur distinctione aliqua saltem rationis cum fundamento in re, qualis non invenitur inter essentiam, & sui cognitionem: at vt aliquid dicatur cognitũm, opus non est tali distinctione, ideoque essentia divina rectè dicitur cognita, quamvis obiecti ratione careat: addit: attributa, personalitatesque divinas non tantum denominari cognita per diuinã cognitionem; sed etiam esse illius obiecta: quia distinguuntur secundum rationem cum fundamento in re, quia doctrina tradita, difficultatem illius maximè commendat, notans Theologos, quasi non benè penetrantes propriam vocis significationem, dum divinam essentiam vocant aliquomodo obiectum suæ cognitionis.

8 Per oppositum Arriaga difficultatem hanc, tactam ab Herice, quasi leviſsimi momenti contemnit, vt videas, vel inter doctiores qualia sint hominum iudicia. Cum Arriaga sentiunt reliqui iudicantes meritò quæstionem purè vocalem in re non dogmatica esse parvipendendam. Et quidem quoad acceptionem vocis *obiectum* pro eo, quod ab intellectu cognoscitur, quidquid sit: an ab intellectu, & cognitione aliquomodo distinguatur, vel non? Videtur esse de mente S. Thom. qui cum libr. 1. contra Gentes, cap. 48. dixisset: *Illa res solùm est primò, & per se cognita ab intellectu cuius specie intelligitur; sed id, quo Deus intelligit, nihil est aliud, quàm sua essentia: igitur intellectum ab eo primò, & per se nihil est aliud quam ipsemet*: postea concludit in vltima ratione, divinam essentiam esse obiectum divinæ sapientiæ dicens: *operatio intellectualis speciem, & nobilitatem habet secundùm illud, quod est primò, & per se intellectum: cum hoc sit eius obiectum*: sic notavit Aldrete, tom. 1. in prim. part. disp. 16. sect. 1. num. 2.

9 Deficit Herice cogitatio ex eo, quod contra ipsum probet: ad rationem obiecti non modò requiri distinctionem rationis cum fundamento in re; verum distinctionem realem. Ratio est: quia dum benè percipiat, & denominationem veri, & realis obiecti non fugiat in eo, quod realiter non distinguitur à sua cognitione; sed potius realiter est *esse* cognitionis, quid opus erit aliam distinctionem quærere, quæ identitatem realem obiecti, & cognitionis non temperat: vndè sic insurgo: per te id quod aliquomodo objicitur cognitioni, debet aliquomodo ab ipsa distingui: ergo id, quod objicitur cognitioni, vt obiectum reale, debet ab ipsa realiter, & non modò per rationem cum fundamento in re, distingui, nisi velis introducere aliam loquutionem, scilicèt obiecti realis, & obiecti per rationem. Deficit secundo: quia si ad rationem obiecti sat est distingui à cognitione per rationem cum fundamento in re, talis distinctio apud nos non excluditur inter essentiam, & cognitionem divinam; cum hanc per actuale intelligere Dei non constituamus: quod

erat

erat necessarium, vt inter divinam scientiam, & essentiam Dei distinctio rationis cum fundamento in re non intercederet. Deficit tertiò: quia pro præsenti quæstione sufficit investigare *cognitum materiale* divinę cognitionis, provt distinctum à *cognito formali*, & hoc quidèm asserimus esse Deum adęquatè sumptum, quod ipse non negat: iam quid momenti restat annotatione dignum!

10 Loquendum igitur est cum omnibus, & dicendum; de ratione obiecti non esse distinctionem inter ipsum, & cognitionem; sed duntaxat esse quid expressum, & repræsentatum per cognitionem, pro quo nulla est necessaria distinctio, vt constat in cognitione adhùc creata, quæ se ipsam formaliter manifestat hoc modo tendendi *omnis cognitio est actio immanens: aut est qualitas, & species expressa.* Si insistat: de ratione cognitionis est esse imaginem, & similitudinem sui obiecti: ergo distinctam ab obiecto, cum nihil sit similitudo, & imago sui. Instabo: de ratione cognitionis est esse imaginem, & similitudinem sui cogniti: ergo distincta à suo cognito, cum nihil sit similitudo, & imago sui ipsius. Quod si respondeat: aut non de ratione omnis cognitionis esse, quod sit imago, & similitudo sui cogniti; aut non de ratione imaginis, & similitudinis intentionalis, sed physicæ, quod distinguatur ab eo cuius est similitudo, & imago: modo quo similitudo intentionalis potest retinere suum conceptum, quamvis sit adęquata, perseverante distinctione reali inter similitudinem, & assimilatum; at similitudo physica non potest esse adæquata, retento conceptu similitudinis physicæ, & realis distinctionis: quia sic trāsiret in identitatem realem, idem accipiat pro sua comparatione, & similitudine inter obiectum, & cognitionem.

11 Opponunt alij secundò: vt probent Deum adæquatè sumptum non esse obiectum materiale suæ scientiæ, aliquid ad Deum intrinsecè pertinens non potest cognosci per divinam cognitionem: ergo Deus adæquatè sumptus non est, nec potest esse obiectum materiale cognitionis, qua Deus se cognoscit. Probatur antecedens: distinctio virtualis inter Personalitates, & essentiam est aliquid ad Deum intrinsecè pertinens; sed distinctio virtualis nequit per divinam cognitionem repræsentari: aliàs divinus intellectus cognosceret *præcisivè* essentiam, & Personalitates, cum nulla possit esse maior præcisio per intellectum; quàm cognoscere vnum, vt distinctum ab alio, quod realiter ab ipso non distinguitur: vndè divina mens partiretur in id, quod in se est individuum, & suam essentiam, & personalitates aliter, ac sunt in se, cognosceret: ergo aliquid ad Deum intrinsecè pertinens non potest cognosci, & repræsentari per divinam cognitionem.

12 Ante solutionem, rogo: an distinctio virtualis sit aliter cognoscibilis, quàm sub illo modo præcisivo essentiæ, & personalitatum, vel non? Si primum: quomodo ex conceptu ipso distinctionis virtualis arguunt modum illum imperfectum cognoscendi? Si secundum: quid peius erit, illud ignorare, in quo distinctio virtualis consistit, aut illud cognoscere; eo tamen modo, quo est cognoscibile? Præcipuè quando in tali casu non esset imperfectio intellectus divini non aliter cognoscere distinctionem virtualem, quàm eo ipso modo quo vnicè est cognoscibilis: nec modus cognoscendi cum aliqua obscuritate, aut præcisione arguit imperfectionem potentiæ, nisi quando obiectum in se aliter est cognoscibile.

13 Vlterius: quid specialius in distinctione virtuali, quod non inveniatur in distinctione rationis cum fundamento in re? Iam; aut Deus potest cognoscere ea, quæ in se distinguntur distinctione rationis cum fundamento in re, quin illa distinguat per rationem cum fundamento in re? Et si ita est, etiam poterit cognoscere, quæ distinguuntur virtualiter, quin illa vllo modo *subiectivè* ex parte cognitionis, aut actus divini distinguat; aut non potest cognoscere, nisi distinguendo per rationem? Vndè rursùs: vel sic cognoscere est imperfectio, vel cum perfectione infinita componitur? Si componitur: quid argumenti restat in distinctione virtuali. Si non componitur: ergo tam non cognoscit Deus. quæ in se ipso distinguuntur per rationem cum fundamento in re, quàm, quæ virtualiter distinguuntur. Demùm, data distinctione virtuali intrinseca, inter personalitates, & essentiam, conceptus ipsius non est minus realis, & obiectivus, quàm con-

cep-

ceptus distinctionis realis, qua distinguuntur inter se personalitates, neque istæ sunt minus partitæ virtualiter ab essentia, quàm sunt partitæ realiter inter se: ergo sicut cognoscere distincta realiter, quæ realiter distinguuntur, non arguit præcisionem aliquam ex parte divini intellectus, & scientiæ, sic cognoscere virtualiter distincta, quæ virtualiter intrinsecè distinguuntur non infert præcisionem aliquam ex parte divini intellectus, & scientiæ.

14 Propterea: mirùm quid est, quod aliqui Recentiores cum Capreolo in primum distinct. 8. quæst. 4. art. 3. apud Ribadeneyram, disp. 4. de Scientia, cap. 1. num. 10. negaverint, Deum cognoscere distinctionem virtualem suorum prædicatorum, si eam inter divina prædicata concedebant; nam si negabant, nihil est animadversione dignum in tanto Magistro, cum clarissimum sit, quod, qui negat posibilem in Deo talem distinctionem, vt nos facimus, negabit per consequens Deum illam in se cognoscere. Sed non in vi huius argumenti, quod nullius roboris est ad distinctionem virtualem intrinsecam impugnandam. Ideo admissa pro nunc ea distinctione, quam in divinis repugnare constat ex disput. 4. negamus Deum illam non posse cognoscere, ad cuius probationes dicendum nullam ex parte cognitionis repræsentantis distinctionem virtualem prædicatorum intervenire præcisionem, aut partitionem, quæ non sit in obiecto, & rationi, & conceptui distinctionis virtualis intrinsecæ non correspondeat; quare tota expressio, & repræsentatio distinctionis virtualis intrinsecæ in eo sistit, quod scilicèt proponat intellectui divino rem realiter indivisibilem æquivalentem esse rebus realiter divisibilibus, quoad munus suscipiendi prædicata ex se contradicentia, & quod talia prædicata distributione accommoda inter formalitates distribuat, itavt denominatio vnius non alij tribuatur; v. g. *Communicari*, quod est essentiæ non tribuatur personalitati; nec *non communicari*, quod est personalitatis tribuatur essentiæ. Id ipsum est, quod alijs terminis proposuit Ribadeneyra dicens, duplicem formalitatum precisionem esse hìc distinguendam: vnam *attingentiæ*, aut *repræsentationis*, in quantum ex parte cognitionis vna attingatur, non attacta alia, aut vna cognoscatur, alia non cognita; alteram *attributionis* in quantum prædicatum, quod vni formalitati tribuitur, non tribuatur alteri, ex his præcisionibus prima in *attingendo* non datur, quamvis Deus cognoscat distinctionem, & distincta virtualiter, quæ si daretur repugnaret, & argueret cognitionem imperfectam: secunda *in attribuendo* datur, & nullam imperfectionem cognitionis involvit, cum sit mentem divinam esse conformem in repræsentando obiecto suo in essendo.

15 Opponunt etiam alia de cognitione præcisè repræsentante seipsam, de comprehensione Dei incomprehensibilis, & de reflexionibus infinitis, quæ ex cognitione indistincta ab obiecto essent admittendæ, quæ iam sunt soluta suprà, disp. 2. cap. 3. opponitur etiam Aristot. lib. 2. magnorum moralium, cap. 15. apud Godoy, tom. 1. in prim. partem, disp. 25. §. 1. dicens: *Quid igitur inspicier* (Deus scilicèt) *nam si quid? nam aliud inspiciet, id erit melius, hoc verò absurdum est, vt se quidam melius habeat: Deus se igitur inspiciet; at hoc absurdum est: nam hominem, qui se suspexerit insanum iudicamus*: quibus verbis insinuare videtur, Deum seipsum non cognoscere, ac proinde nihil divinum esse obiectum materiale divinæ scientiæ. Respondeo ex ipso Godoy: Philosophum verba illa non ex propria mente, & sententia; sed provt ab alijs dicta protulisse, quod constat: nam ante relata verba hæc habet: *est quidam sermo iactus de Deo*, immediatè annectens verba obiecta, de quibus nihil resolvit, cum illi esset sermo tunc de homine *an amicis indigeat?* Et ideo illud aliorum effatum absque resolutione relinquit.

16 Descendit secundò: omne creatum esse obiectum materiale divinæ cognitionis, quomodocumque consideretur, sivè quidditativè, & essentialiter, sivè posibiliter, sivè existentialiter, & quidem non modo, & in actu primo; sed in actu secundo: hanc propositionem vltra dicta disput. 2. cap. 3. probat: quod omne creatum secundum omnem suum statum habet veritatem obiectivam in se conformabilem cum repræsentatione intellectus exprimente ipsum, provt est in se: ergo est verum obiectivum conformitatis. sed omne verum obiectivum conformitatis continetur in ratione *sub qua* intellectus divini ten-

tendentis actualiter in omne verum, vt omnem depellat ignorantiam: ergo omne creatum, quomodocunique consideretur, actualiter est obiectum materiale divinæ scientiæ. Vlterius: quidquid necessariò debet attingi per actus divini intellectus, continetur sub ratione qua, & motiva divini intellectus, cum nulla potentia ferri valeat extra suum obiectum formale: sed id, quod continetur in ratione sub qua intellectus divini, est obiectum materiale divini intellectus: ergo omne necessariò attingibile per actus divini intellectus est obiectum materiale illorum: at omne creatum eo modo, quo habet veritatem obiectivam, necessariò est attingibile, & repræsentabile per actus divini intellectus, id exigente perfectione divinæ scientiæ: ergo omne creatum in omni suo statu est obiectum materiale in actu secundo divinæ scientiæ.

17 Confirmatur: omne scibile eo modo, quo tale est, & habet proportionem vt sciatur, & necessariò scitur ab infinito sciente; sed omne creatum secundùm omnem statum scibile est: ergo vt tale, & habet proportionem, vt sciatur, & necessariò scitur ab infinito sciente, vt est Deus: ast omne, quod habet proportionem, vt sciatur, & necessariò scitur ab infinito sciente, continetur sub ratione proportionante ipsum ad scientiam infiniti scientis, quod idem est ac esse obiectum materiale scientiæ, qua gaudet infinitum sciens: ergo omne creatum secundum omnem suum statum obiectum materiale est scientiæ, quæ residet in infinito sciente, ac proinde scientiæ infinitæ Dei.

18 In contrarium sunt argumenta Averrois, seu commentatoris oppositum errorem tuentis, quamvis in expositione eius mentis diversitas sit apud AA. quorum aliqui, vt Gregorius, & Maior ferunt, mētem ipsius fuisse negare Deo cognitionem cuiusvis obiecti à se distincti, ita vt divina scientia intra Deum tantum contineretur. Alij, vt S. Thom. Durandus, & Cayetan. dicunt non negasse absolutè Deo scientiam creaturarum, cum concederet Deo scientiam illarum sub ratione communi, & vniversalissima entis; negata duntaxat cognitione earum distinctè in particulari. Sed quidquid de hoc sit argumenta, quæ adducit, si alicuius vis sunt probant exclusionem absolutam cognitionis divinæ tendentis in aliquid à Deo distinctum. Argumenta proponit Ruiz disput. 9. de Scient. sect. 1. quorum primum est.

19 Quia si Deus intelligeret aliquid aliud à se distinctum, consequens esset, vt divina substantia non esset intellectio ipsa; sed potius esset potentia intellectiva illius obiecti, cui superveniret intellectio contingenter, sicut supervenit veritas obiectiva, à qua intellectio contingenter existens dependet. Respondet ipse Ruiz argumentum convincere: si aliud à se cognosceret, vt obiectum formale, tunc enim intellectio penderet ab aliqua creatura, cum tamen ab illa non penderet divina substantia. Cæterum infringi: quia Deus cætera cuncta præter se ipsum intelligit tanquam obiecta materialia in ipsa divina essentia repræsentata. Hæc solutio falso nititur fundamento, scilicèt, quod creaturę nequeant esse obiectum formale scientiæ divinæ, vt post videbimus. Deinde: dato, quod sola divina essentia sit obiectum formale cognitionis, qua Deus cognoscit alia à se, quid hoc pro evitanda dependentia cognitionis à veritate contingente creata, sine qua existere non potest: quid pro evitanda potentialitate divini intellectus, ad intellectionem, & cognitionem, quam sicut potest deficere obiectum materiale ipsius, potest non habere. Melius respondetur: negando absolutè consequutionem illam, quam nullo modo probat: etenim neque quod obiectum distinguatur à cognoscente probat distinctionem cognitionis à cognoscente: nam licèt cognitio debeat commensurari cum obiecto in repræsentando; non tamen in essendo; aliàs nec arguens posset de Deo disserere, vt disserebat, nisi per cognitionem divinam, neque dependentiam aliam cognitionis ab obiecto cognito quàm connexionis, neque ex defectu obiecti contingentis infertur defectus simpliciter talis cognitionis, sicut neque ex supervenientia obiecti, supervenientia simpliciter talis cognitionis. Vt manet probatum supra disput. 4. dum egimus de constitutivo scientiæ contingentis.

20 Secundum Argumentum: quia si Deus intelligeret aliquid aliud à se, nobilius esset illud aliud, quàm ipse Deus. Sequela probatur: quoniam obiectum intellectum est perfectio intelligen-

gentis conferens illi ſuam perfectionem, quæ eſt intelligere; omne autem perfectionem conferens, in quantum tale, nobilius eſt, & perfectius illo, qui perfectionem recipit. Iterum inculcat ſuam ſolutionem obiecti formalis Ruiz citatus dicens; obiectum materiale, neque eſſe perfectionem intelligentis, nec conferre intelligenti ſuam perfectionem intelligendi: quia hoc competit tantùm obiecto formali, in quod, & propter quod intelligitur obiectum.

21 Vera ſolutio eſt, negare ſequelam, quæ falſiſsima eſt, ſivè procedat de exceſſu abſoluto nobilitatis obiecti cogniti ſupra cognoſcens, ſivè de exceſſu reſpectivo conſiderando ſcilicèt cognoſcens, vt *cognoſcens*, quod vtrumque evidentiſsimè fallit in ipſis creaturis, in quibus Brutum, quod cognoſcitur ab homine, nec *abſolutè* eſt illo nobilius, neque *reſpectivè*, cum potiorem partem habeat in cognoſcendo intellectus cognoſcens, quàm obiectum cognitum. Ad ſequelæ probationem negatur obiectum intellectum eſſe perfectionem intelligentis; ſed tantum id, circa quod verſatur perfectio intelligentis: modo quo terminus productus extra agens non eſt perfectio agentis; ſed id circa quod verſatur virtus productiva, quæ eſt perfectio agentis: neque obiectum confert intellectui ſuam perfectionem, quæ eſt intelligere pluſquam *argumentivè*, quando nihil accipit ab obiecto, per quod fecundetur ad cognoſcendum, vt accidit in intellectu divino ex ſe, & per ſe determinato ad cognoſcendũ quidquid eſt cognoſcibile. Inde quidquidſit: an omne perfectionem conferens, in quantum tale, nobilius ſit eo qui recipit perfectionem, quod tantùm verum eſſe poteſt in eo, qui purè recipit; non in eo, qui ſimul principalius concurrit ad ſuam perfectionem; id nullatenus habere poteſt locum in intellectu divino perfectiſsimo per ſe identicè intelligente quidquid intelligibile eſt, vnde nec accipit, nec recipit intellectionem ſuam ab obiecto, cui in repræſentando conformatur. Eodem modo ſolvitur tertium, & quartum argumentum inſiſtens in probanda dependentia, quã haberet cognitio divina ab obiecto à Deo diſtincto, à quo intellectus divinus moveretur, & pateretur intellectionem: nam ſtricta dependentia, motio, & receptio ſolum inveniuntur in intellectionibus phiſicè ab obiecto cauſatis, vel immediatè, vel media ſpecie ſui; non in intellectionibus indiſtinctis ab intellectu cognoſcentis, & ſubſtantia ipſius, vt eſt cognitio Dei incauſabilis, & obiecto non indigens aliter quam, vt puro termino connexionis, & ad ſummum, vt ratione intentionaliter motiva, & determinativa. Quintum deſumit ab infinitudine rerum creatarum, quaſi intellectus divinus non poſsit omnia ita pertingere, vt ad finem perveniat: ſed hoc quam inſulſum ſit comparativè ad intellectum infinitum, & illimitatum iam apparet: necnon quàm inconſequenter dictum; propterea quod concedat Deum poſſe ſe plene cognoſcere, cuius perfectio eſt ſupra infinitudinem rerum creatarum, & renuat concedere intellectum divinum eſſe ſufficientem ad id, quod eſt minùs.

22 In ſexto argumento ponderat: mentem divinam vileſcere ex eo quod minima, & imperfecta contempletur, quaſi melius ſit ea ignorare, quam ſcire, quod videtur deſumpſiſſe ex Ariſtotel. lib. 12. metaph. textu 51. vbi ſimilia habet. Cui reſpondendum eſt ex Doctor Eximio diſp. 30. metaph. ſect. 15. n. 42. Intellectum non vileſcere ex eo, quod vilia cognoſcat, quando cum independentia ea cognoſcit, & per cognitionem non acceptam, nec cum indigentia vlla, vt per talia obiecta perficiatur, aut ſe impediendo à cognitione perfectiorũ, quomodo Deus vilia cognoſcit, & ideò potius id commendat, quàm deprimit eius perfectionem, ſeu cognitionem primariò non tendentem in talia obiecta, verum ſecundariò, & ratione obiecti primarij, quod eſt ipſe Deus. Nec aliud voluit Ariſtot. ex interpretatione D. Thom. cui aliam adiungit ipſe Suarius dicens: Ariſtot. tantum voluiſſe excludere à Deo providentiam illam ſpecialiſsimam, erga minima, quam habet erga maxima; non vero ſcientiam ſpeculativam, quam habet rerum minimarum, quam multis locis conceſsit præcipuè 3. metaphiſicæ textu 15. & 1. de Anima text. 80. inferens, vt abſurdum contra Empedoclem, quod Deum ignarum aliquarum rerum conſtitueret.

CAPVT II.

Quid de impossibilibus.

23 DEscendit tertiò. Conceptus obiectivè impossibiles etiam sunt obiectum materiale scientiæ divinæ. Oppositum defendunt nonnulli Theologi sequuti Bernardinum Mirandulanum in prædicamentis, Maiolum in quodlibetis q. 7. & Valerium 1. philicor. controversiarum apud Aldrete disp. 20. sect. 2. cum quibus plures alij ex RR. probatur assertio. Id quod est vere scibile est proportionatum, vt sciatur præcipuè ab *habente omnium scientiam*, ad Ephes. 4. *Cognoscente omnia*. Psal. 138. *Et cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt*. Ad Hebr. cap. 4. Sed conceptus impossibiles vere scibiles sunt: ergo proportionati, vt sciantur à Deo, & per consequens contenti sub formali ratione divini intellectus: Probatur min. tum quia illud scibile est cuius notitiæ defectus arguit ignorantiam, cum ignorantia sit eorum, quæ sciri possunt: sed defectus notitiæ erga impossibilia argueret ignorantiam: ergo cõceptus impossibiles verè scibiles sunt. Probatur min. nam qui conceptus obiectivè impossibiles non cognosceret, nec possibilia perfectè cognosceret, vt potè, qui non discerneret ipsa ab omni non ipsis, & multa quæ impossibilia sunt in re possibilia existimaret: sed non cognoscere possibilia perfectè, aut reputare possibile, quod in re impossibile est, est ignorantia orta ex defectu cognitionis impossibilium: ergo defectus notitiæ erga impossibilia argueret ignorantiam.

24 Tum etiam: quia illud est verè scibile, quod in se habet veritatem obiectivam verè affirmabilem: sed conceptus obiectivi impossibiles habent in se veritatem obiectivam verè affirmabilem: ergo sunt verè scibiles: Probatur min. non minùs verè affirmabile est: *Impossibile non posse existere, aut necessariò deficere: non esse contingens in existendo: si existeret non excluserum suum contradictorium*: ac est verè affirmabile: *possibile posse existere; numquàm necessariò deficere; aut necessariò, aut contingenter existere, & si existat, excluserum suum contradictorium*: ergo conceptus obiectivi impossibiles habent in se veritatem obiectivam verè affirmabilem. Confirmatur primò. Non minùs verè scit Deus, se existere necessariò, ac alterum Deum, nec necessariò, nec contingenter posse existere: sed verè scire alterum Deum nec necessariò, nec contingenter posse existere, est verè affirmare alterum Deum esse impossibilem: ac per eõsequens, alter Deus impossibilis habet veritatem obiectivã in se correspondentem huic tendentiæ intentionali *alter Deus nec necessariò, nec contingenter potest existere*: ergo hoc impossibile *alter Deus*, habet veritatem obiectivam in se verè affirmabilem. Confirmatur secundò. Implicat verè negari de aliquo posse existere, quin verè sit in ipso impotentia, seu repugnantia ad existendum conformabilis cum hoc actu affirmante *repugnans est existere, seu impotens est existere*; at de quolibet impossibili verè negatur posse existere: ergo quodlibet impossibile habet in se repugnantiam ad existendũ verè affirmabilẽ.

25 Probatur secundò. Implicat aliquid sciri vt *necessarium*, quin eius oppositum sciatur vt *impossibile*; sed *necessarium*, vt tale, scibile, & cognoscibile est: ergo *impossibile*, vt tale, scibile, & cognoscibile est: Probatur mai. tum quia implicat aliquid sciri vt *contingens*, quin eius oppositum sciatur vt *contingens*, nec minùs dicit ordinem necessitas contradictorij vnius ad impossibilitatẽ alterius, quàm contingentia vnius contradictorij ad contingentiam alterius. Tum præcipuè: quia sciri aliquid, vt *necessarium* formalissimè est sciri, vt non habens contingẽtiam, nec necessitatem in deficiendo: sed non habere nec contingentiam, nec necessitatem in deficiendo est sciri oppositum, scilicet defectum, vt non habentem contingentiam, nec necessitatẽ in existendo; ac proinde esse conceptum impossibilem, vtpotè, qui, si daretur sine contingentia, aut necessitate existeret, ac per consequens tantùm repugnanter, & impossibiliter: ergo implicat aliquid sciri vt necessarium, quin eius oppositum sciatur, vt impossibile.

26 Probatur tertiò. Omnia possibilia, vt *omnia possibilia*, scibilia sunt; sed scire omnia possibilia, vt *omnia*, stare nequit, quin sciatur impossibile: ergo implicat benè, & perfectè scire, quod scibile, & cognoscibile est, quin sciatur, & cognoscatur impossibile. Maior est certa, loquendo de intellectu in tota sua latitudine comprehendente finitum, & in-

finitum. Probatur min. ſcire omnia poſſibilia, vt *omnia poſſibilia*, eſt ſcire vltra ea poſsibilia, quæ cognoſcuntur, non eſſe aliud poſsibile: ſed ſcire vltra ea poſsibilia, quæ cognoſcuntur, non eſſe aliud poſsibile, eſt ſcire impoſsibile: ergo ſcire omnia poſsibilia, vt *omnia*, nequit ſtare quin ſciatur impoſsibile. Maior eſt certa, nam quid aliud erit ſcire omnia poſſibilia vt *omnia*, quàm ſcire per ſuam cognitionem pervenire ad terminum, vltra quem non eſt aliud poſsibile, comprehendendo per cognitionem omnia. Probatur min. ſcire vltra ea poſsibilia, quæ cognoſcuntur non eſſe aliud poſsibile, eſt ſcire impoſsibile eſſe, quòd ſit aliud poſsibile, & non cognoſcatur; patet: nam ſi non ſciretur impoſsibile eſſe, quod ſit aliud poſsibile, & non cognoſcatur, ſciretur cognitionem illam permittere eſſe aliquod poſsibile incognitum, ac proinde non rederet ſecurum intellectum de eo, quòd cognoſceret omnia; ſed ſcire impoſsibile eſſe, quod ſit aliud poſsibile, & non cognoſcatur, eſt ſcire aliquod impoſsibile: ergo ſcire vltra ea poſsibilia, quæ cognoſcuntur non eſſe aliud poſsibile, eſt ſcire, & cognoſcere aliquod impoſsibile. Iam, ſi vnum impoſsibile ſcibile, & cognoſcibile eſt, nulla eſt ratio ob quam cætera cognoſcibilia, & ſcibilia non ſint: ergo cōceptus impoſsibiles proportionati ſunt, vt cognoſcantur ſaltem ab eo, qui ob ſuam infinitam ſcientiam, & perfectionem nihil ſcibile, aut cognoſcibile ignorare poteſt.

27 Confirmatur: ſcire omnia poſsibilia vt talia, & aliquod poſsibile incognitum relinquere, impoſsibile eſt: ſed qui ſcit omnia poſsibilia, vt talia, ſcit hoc impoſsibile: ergo qui ſcit omnia poſsibilia, vt talia, ſcit aliquod impoſsibile. Probatur min. qui ſcit omnia poſsibilia, vt talia, ſcit quod ſub tali modo cognoſcendi non eſt contingens nec neceſſarium aliquod poſsibile manere incognitum: aliàs ſi hoc non ſciret, nec ſciret omnia poſsibilia, cum aliquod poſsibile ſit, ſcire ſub tali modo cognoſcendi, *aliquod poſsibile ſub tali cognitione manere incognitum*, nec eſſe contingens nec neceſſarium; ſed aliquod poſsibile manere incognitum, nec eſſe contingens, nec neceſſarium, eſt formaliſſimè aliquod poſsibile manere incognitum eſſe impoſsibile, cum id, quod nec contingenter, nec neceſſariò poſsit exiſtere, neceſſariò deficiat: ergo qui ſcit omnia poſsibilia, vt talia, ſcit illud impoſsibile.

28 Dicunt: per hæc non probari impoſsibilitatem obiectivam aliquorum conceptuum; ſed tantum neceſsitatem aliquarum veritatum, & aliquarum falſitatum, quæ tantùm habent pro obiecto conceptus poſsibiles: ideo omnis impoſsibilitas reducitur ad impoſsibilitatem veritatis, non ad impoſsibilitatem entitatis; ita vt quoties vulgariter per propoſitiones vocales aliquid, vt impoſsibile ſignificatur, exponendum ſit ſecundum rigorem Scolaſticum, & Philoſophicum, vel per aliquam propoſitionem neceſſariò veram, vel per affirmationem neceſſariæ falſitatis in aliqua propoſitione. Doctrina huius ſolutionis, quam avidè, & ingenioſiſsimè defenſandam ſuſcepit Ribaden. in manuſcriptis, & cum ipſo alij RR. tam imperceptibilis ſemper mihi fuit, quàm ipſis obiectum entitativè impoſsibile.

29 Eam impugno primò. Quia ex hoc impoſsibili veritatis neceſſariò deveniendum eſt ad impoſsibile entitatis; aliàs impoſsibilitas illa veritatis, ſeu falſitatis neceſsitas, imperceptibilis, & inexplicabilis prorſus erit. Suadeo ſic, primò. Impoſsibilitas veritatis, eſt impoſsibilitas verificativi; ſed impoſsibilitas verificativi non poteſt reduci formaliter ad aliquod poſsibile: ergo impoſsibilitas veritatis aliquis conceptus obiectivus eſt eſſentialiter impoſsibilis: probatur min. impoſsibilitas verificativi aliquid facit non potens exiſtere; ſed omne quod intra poſsibile manet, poteſt exiſtere: ergo impoſsibilitas verificativi non poteſt reduci formaliter ad aliquod poſsibile. Min. eſt certa. & mai. mihi certiſsima probatur: nam ſi impoſsibilitas verificativi non redit aliquid impotens exiſtere, tàm verificativum, quàm falſificativum poſſet exiſtere: vnde non potiùs eſſet neceſſariò falſum, quā neceſſariò verum: ſicut vnum poſsibile non eſt magis neceſſarium, quàm aliud: ergo impoſsibilitas verificativi aliquid facit non potens exiſtere.

30 Explicatur: dum dicitur, hanc propoſitionem: *mendacium Dei exiſtit* eſſe impoſsibilis veritatis; & hanc *Deus exiſtit* eſſe neceſſariæ veritatis; vel agnoſcitur aliquid veritatis deficere in vna potius quàm in alia; vel non? Si ſecundum: cur potius vna, quàm altera propoſitio dicitur vera, quando

tàm

tàm in vnâ; quàm in altera non agnoscitur defectus veritatis : si primum: ergo aliquis defectus veritatis cognoscitur in hac propositione *mendacium Dei existit*, qui non cognoscitur in hac: *Deus existit*: iam ; vel id, quod cognoscitur deficere, potest existere, vel non? Si potest existere: ergo veritas propositionis huius: *mendacium Dei existit* potest existere modo, quo requiritur, vt propositio sit vera, quę proinde non erit necessariò falsa. Si existere non potest: ergo aliquid cognoscitur, quod essentialiter non est posibile; aliàs posset existere saltem contingenter. Si propterea recurrant ad expositionem huius impossibilitatis per aliam propositionem reflexam necessariò falsam, in ipsa instaurabitur argumentum, quin vnquam liquidò constet, cur vna propositio sit necessariò falsa, & altera sit necessariò vera.

31 Secundò. Dum agnoscitur necessaria veritas, & necessaria falsitas, cognoscitur falsitas repugnans, & veritas repugnans : sed falsitas repugnans non est aliquid posibile : ergo dum cognoscitur necessaria veritas, & necessaria falsitas aliquid cognoscitur, quod non est posibile. Minor est certa: nam nihil posibile repugnat. Probatur mai. dum cognoscitur necessaria veritas, cognoscitur oppositum veritatis, vt impotens existere, & dum cognoscitur necessaria falsitas similiter cognoscitur oppositum falsitatis, vt impotens existere : sed oppositum veritatis est falsitas, & oppositum falsitatis est veritas: ergo dum cognoscitur necessaria veritas, & necessaria falsitas cognoscitur falsitas repugnans, & veritas repugnans, Probatur mai. nam si dum cognoscitur necessaria veritas, & necessaria falsitas, non cognoscerentur opposita, vt repugnantia, cognoscerentur, vt impotentes deficere : sed quod non cognoscitur, vt impotens deficere non cognoscitur, vt necessariò existens: ergo dum cognoscitur necessaria veritas, cognoscitur oppositum veritatis, vt impotens existere, & dum cognoscitur necessaria falsitas, similiter cognoscitur oppositum falsitatis, vt impotens existere.

32 Tertiò. Per te impossibile veritatis potest cognosci; sed impossibile veritatis reducitur ad impossibile entitatis : ergo impossibile entitatis potest cognosci. Mai. apparet certa: nam eo modo, quo negas impossibile entitatis, concedis impossibile veritatis; sed negas impossibile entitatis, vt conceptum objicibilem intellectui : ergo admittis impossibile veritatis, vt conceptum objicibilem intellectui. Iam probatur min. impossibile veritatis reducitur ad impossibilitatem complexi actus, & obiecti eo modo, quo affirmatur per actum ; sed complexum actus, & obiecti eo modo, quo per actum affirmatur est complexum entitatis : ergo impossibile veritatis reducitur ad impossibile entitatis. Confirmatur : vel impossibile veritatis reducitur ad aliquam veritatem, aut falsitatem posibilem, vel non? Si non reducitur: ergo impossibile veritatis est extra omne posibile : vnde cum cognoscibile sit, per consequens aliquid extra omne posibile cognoscibile erit. Si reducitur ad aliquam veritatem, vel falsitatem posibilem : ergo tam debes negare impossibile veritatis, quàm impossibile entitatis: assumptum probo; ideo negas impossibile entitatis : quia omne, quod explicatur sub terminis impossibilitatis obiectivæ reduci debet ad aliquid posibile; sed omne quod à te explicatur sub terminis veritatis impossibilis, reduci etiam debet ad aliquam falsitatem; vel veritatem posibilem: ergo tàm debes negare impossibile veritatis; quàm impossibile entitatis.

33 Quartò : tàm dissonum est, omnia quæ dicuntur de impossibili explicari per necessarium, aut posibile; quàm ea, quæ dicuntur de necessario, aut posibili, explicari per impossibile; sed ea, quæ dicuntur de necessario, aut posibili, repugnat explicare, & reducere ad impossibile : ergo implicat ea, quæ dicuntur de impossibili explicare, aut reducere ad necessarium, & posibile. Min. est adversariorum, & mai. probatur. Tàm distat impossibilitas à posibilitate, & necesitate ; quàm necesitas, & posibilitas ab impossibilitate: ergo tam dissonum debet esse propositiones, & veritates quę proferuntur de *impossibili* reducere ad posibile, & necessarium; quam propositiones, quæ proferuntur de *necessario*, aut *posibili* reducere ad impossibile. Vrgetur : necessarium, & posibile non est tantùm necessarium, & posibile veritatis ; sed

neceſſarium, & poſsibile entitatis: ergo impoſsibile, & repugnans non eſt tantùm impoſsibile veritatis; ſed impoſsibile etiam entitatis. Probatur conſequentia: tàm verum eſt: *alterum Deum repugnare, & eſſe impoſsibilem*; quàm *Deum vnum exiſtere, & eſſe neceſſarium*: ſed illi veritati fit ſatis ex te per ſolum impoſsibile veritatis abſque vlla impoſsibilitate obiectiva entitatis: ergo huic veritati ſatis fiet per ſolam neceſsitatem veritatis abſque vlla neceſsitate obiectiva, & entitatis. Si dicant: neceſsitatem veritatis non poſſe eſſe abſque neceſsitate obiectiva: nam quomodo erit propoſitio neceſſariò vera, cuius obiectum in ſe non habet eſſe obiectivum neceſſarium: idem militat pro veritate impoſsibili, ſeu pro impoſsibili veritatis: nam quomodo erit propoſitio impoſsibiliter vera, ſi obiectum in ſe non ſit impoſsibile in verificando: quod ſi hoc benè percipiunt, percipiant, & illud, & negent, ſi placet, obiecta entitative neceſſaria, & poſsibilia.

34 Explico: pone aliquem negare obiectum entitativè neceſſarium, aut poſsibile, ſicut tu negas obiectum entitativè impoſsibile: pone inſuper concedere neceſſarium, aut poſsibile veritatis, ſicut tu concedis impoſsibile veritatis, quo poſito: quid tibi eſſet ſubſidij ad impugnationem talis abſurdiſsimæ ſententiæ? Nihil profecto: ſi quidē non ex vulgaribus loquutionibus circa ens neceſſarium, & poſsibile. quia ſimiles dātur erga impoſsibile, quarum veritatē ſalvas per ordinē ad neceſſarium, & poſsibile; non ex eo, quod contradictorium impoſsibilis ſit ex parte rei neceſſarium: quia ſicut negas, contradictorium rei neceſſariæ eſſe ex parte rei impoſsibile: ſic alter negaret contradictorium conceptus ex parte rei impoſsibilis eſſe ex parte rei neceſſariū; non quia concederet neceſſarium veritatis; aut poſsibile veritatis: vnde argueretur neceſsitas, & poſsibilitas obiectiva: quia ſicut tu concedis impoſsibilitatem veritatis abſque impoſsibilitate vlla obiectiva, ſic alter concederet neceſsitatē, & poſsibilitatem veritatis abſque neceſsitate, & poſsibilitate vlla obiectiva: non quia propoſitiones de neceſſariò, & poſsibili nō eſſent exponibiles per impoſsibile: quia ſicut tu exponis propoſitiones de impoſsibili, iam per propoſitiones neceſſariò veras, iam per propoſitiones neceſſariò falſas circa poſsibile: ſic alter etiam exponeret propoſitiones de neceſſario, & poſsibili, iam per propoſitiones neceſſariò veras, iam per propoſitiones neceſſariò falſas circa impoſsibile: ergo nulla eſſet impugnatio pro ſententia falſiſsima, cuius inſtantiā non pateretur tua doctrina: at doctrina quæ ex falſo redarguitur, falſa eſt: ergo negare conceptus obiectivos impoſsibiles falsū eſt.

35 Quintò; omnis impotentia obiectiva ad exiſtendum eſt impoſsibilitas obiectiva; ſed dantur multæ impotentiæ obiectivæ ad exiſtendum: ergo dantur multæ obiectivæ impoſsibilitates. Prob. min. impotentia obiectiva ad exiſtendū eſt quam habet duplex contradictoriū, vt ſimul ſit, vnde oritur principium inconcuſum: *Impoſsibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe*: quam habet fundamentum eſſentialis connexionis ad defectum termini: infinitè perfectum ad imperfectionem: eſſentialiter oppoſita ad cōiunctionem, & alia id genus, quæ ſi negentur, vel ad alios ſenſus diſtrahantur vix erit aliqua propoſitio firma, & quę intelligi debeat, vt ſonat: vnde inſuper concedendum erit homines conveniſſe in explicandis rebus ineptiſsimè, ita vt quando dicunt: impoſsibile eſſe, quod *ſi exiſtat implicabit* nihil minus voluiſſe ſignificare, quàm id ipsū, quod voces denotant, voluiſſe definire: & quando proferunt: *Neceſsitas ſimpliciter talis vnius contradictorij eſt impoſsibilitas alterius*, longiſsimè eſſe à ſignificatione vnius, & alterius contradictorij: cum vnū tantùm ſit conceptibile, ſicut, & à ſignificatione impoſsibilitatis, cum aliud obiectivè non ſit quàm neceſsitas exiſtendi, & falſificativum neceſſarium actus negantis exiſtentiam, in quibus nulla eſt impoſsibilitas. Propterea auderem dicere venia doctiſsimorum, qui oppoſitam ſententiam tuentur, multum apud ipſos commendari modum illum interpretandi, qui non niſi ad riſum circumfertur, ſcilicet *ſi*, id eſt, *non*.

36 Sexto. Aliqua ſunt, quorum impotentia Deus verè perficitur: ſed ea, quorum impotentia ſic perficitur, verè impoſsibilia in ſe ſunt: ergo aliqua ex parte obiecti dantur verè impoſsibilia. Min. eſt certa: nam per impotentiam illius, quod poſsibile eſt, Deus non perficitur; ſed deſtruitur ob potentiæ limitationem. Maior probatur: *mentiri, deſtrui, pati, & mutari* ea ſunt, quorum impotentia Deus verè perficitur: ergo aliqua ſunt, quorum impotentia Deus

verè

verè perficitur. Antecedens conſtat ex communi ſolutione Ss. PP. & Theologorum præſtita argumento, quo impetitur Omnipotentia Dei ex eo, quod plura non poſsit, vt ſunt enumerata, & ſimilia. Cui reſpondẽt: illa, quæ recenſentur, non poſſe, non minuere; ſed potius augere divinam potentiam, quæ per impotentiam illorum, quæ ſi exiſterent deſtruerent talem potentiam, potius perficitur; quàm deterioratur: videatur D. Thom. 1. part. q. 25. tum art. 3. ad 2. tum art. 4. in corp. vbi citat S. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum, cap. 5. dicentem: *quiſquis ita dicit: Si Deus Omnipotens eſt, faciat vt ea, quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt hoc ſe dicere: ſi Deus Omnipotens eſt, faciat, vt ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quòd vera ſunt, falſa ſint.* & Philoſoph. in 6. Ethic. cap. 2. *Hoc* ſolo *privatur Deus ingenita facere, quæ ſunt facta.* Vbi obiter notandum, quàm immemores, aut veritatum neceſſariarum, aut neceſſariæ falſitatis, per quas explicant impoſsibilitatem AA. quibus cum agimus. Auguſt. Thom. & Philoſoph. ea, quæ impoſsibilia dicuntur, expoſſuerint, planè concedentes impotentiam aliquam ex parte Dei ad ea, quæ ſi Deus faceret, eſſent, & non eſſent, & potentia Dei deſtrueretur.

37 Contra propoſitionem obijciunt primò. Si eſſet aliquis conceptus obiectivus impoſsibilis verè conceptibilis per intellectum, hic eſſet à Deo cognoſcibilis: ſed nullus conceptus obiectivus impoſsibilis, eſt à Deo cognoſcibilis: ergo nullus eſt conceptus obiectivus impoſsibilis. Maior eſt certa, ne aliter verificetur Deum poſſe habere ignorantiam alicuius verè cognoſcibilis. Min. probatur: apud Deum omnia enim poſsibilia ſunt, vt dicitur Marci cap. 10. & Mathæi cap. 19. ſed non omnia apud Deum eſſent poſsibilia, ſi apud ipſum aliquid iudicaretur impoſsibile, ſeu ſi Deus ipſe, qui falli non poteſt, cognoſceret aliqua eſſe ſibi impoſsibilia: ergo nullus conceptus obiectivus impoſsibilis, eſt à Deo cognoſcibilis. Reſpondeo negando primam minorem: ad cuius probationem dicendum: ibi non ſumi poſsibilia, prout contrapoſita impoſsibilitati ſimpliciter tali; ſed prout contrapoſita impoſsibilitati ſecundumquid, ſeu difficultati, quam habent, vt ab hominibus fiant, in quo ſenſu dictum eſt omnia poſsibilia eſſe apud Deum, id eſt ea, quæ apud homines difficiliа, aut impoſsibilia ſunt vt fiant, factibilia, & poſsibilia ſunt apud Deum: conſtat id ex ipſo textu in quo ante verba obiecta poſuit vterque Evangeliſta impoſsibilitatem reſpectivam apud homines dicente Mathæo: *Apud homines hoc impoſsibile eſt: apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt.* Et Marc. *Apud homines impoſsibile eſt; ſed non apud Deum: omnia enim poſsibilia ſunt apud Deum.* Per quæ non excluduntur aliqua eſſe impoſsibilia, tàm apud homines; quàm apud Deum: quia in ſe ſunt ſimpliciter impoſsibilia.

38 Aliter reſpondet Maldonatus tum hìc, tum ad verba alia Lucæ cap. 1. *Quia non erit impoſsibile apud Deum omne Verbum*, in quibus ſimile conficitur argumentum: dicit enim propoſitiones dictas eſſe cum exceptione accipiendas, quod contra vniverſalitatem, qua proponuntur non eſt: nam generalem regulam, quam Scriptura tradit, tenere nos opportet, & ab ea nihil niſi quæ aut Scriptura ipſa excipit, aut quæ illis quæ excipit ſimilia ſunt, excipere debemus; ſimilia autem ſunt, quorum cur poſsint, aut non poſsint fieri, ſimilis eſt ratio. Excipit Scriptura, quod *Deus ſe negare non poſsit.* 2. ad Thim. cap. 2. id eſt fidem ſuam violare. Excipit quòd *impoſsibile ſit eum mentiri*: ad Hebræos cap. 6. ergo ex Scripturis conſtant exceptiones aliquæ prædictarum propoſitionum, quibus adiungendæ ſunt aliæ, in quibus ſimilis ſit ratio, vt fieri à Deo non poſsint, ac proinde non ita accipiendæ ſunt, vt plura Deo impoſsibilia excludant. Reſponderi poteſt tertiò dicendo: omnia eſſe poſsibilia Deo, potentia *ſubiectivè* abſoluta, & *terminativè* conditionata; ſed non potentia *ſubiectivè*, & *terminativè* abſoluta, ex quo non infertur: Deum non cognoſcere aliquod impoſsibile; nam quòd Deus ſit ex parte ſua proportionatus ad omnia producenda, ſi omnia ad productionem ex ſe proportionarentur, non tollit, quòd cognoſcat plura eſſe abſolutè improportionata *terminativè*, ac proinde impoſsibilia.

¶ Obijcies ſecundo. Quod non eſt verum ens, non eſt cognoſcibile; ſed conceptus obiectivus impoſsibilis non eſt verum ens: ergo conceptus obiectivus impoſsibilis non eſt cognoſcibilis, nec obiectum materiale divinæ ſcientiæ. Min. eſt certa: ſiquidem id quod ex

ſuo conceptu non potiùs eſt, quàm non eſt; ex ſuo conceptu, nec habet integritatem prædicatorum, nec exiſtere aptum eſt, ſine quibus non ſtat realitas entis. Probatur mai. nam veritas, & cognoſcibilitas eſt proprietas omni, & ſoli enti reali conveniens: ergo quod non eſt verum, & reale ens, neque cognoſcibile eſt. Nec valet reſpondere, quod ens non verum, non eſt cognoſcibile intrinſecè, vt eſt verum, & reale ens; attamen eſſe cognoſcibile extrinſecè, in quantum cognitio poteſt terminari ad ipſum: quia hæc ſolutio, & ſupponit probandum, & doctrinam tradit imperceptibilem. Supponit probandum ex eo, quod argumentum intendit non poſſe cognitionem terminari ad obiectum: quia obiectum ex ſe eſt incapax propter incognoſcibilitatem intrinſecam, vt cognitio terminetur ad ipſum, & ſolutio conceſſa incognoſcibilitate intrinſeca aſſerit, & non probat cognitionem poſſe terminari ad ipſum. Tradit inſuper doctrinam imperceptibilem; nam vel cognitio quæ terminatur ad obiectum, terminatur ad obiectum ex ſe incapax, vt cognitionem terminet, vel ad obiectum ex ſe capax, vt cognitionem terminet? Si ad obiectum in ſe incapax, vt terminet cognitionem, terminatur ad id, quod terminare nō poteſt, quod ingens chymera eſt, nec minor, quam quod productio terminetur ad id, quod intrinſecè improducibile eſt. Si verò ad obiectum ex ſe capax terminandi cognitionem, eccè capacitatem, & cognoſcibilitatem intrinſecam, quæ negatur.

39 Inſiſto: non minus repugnat improducibile intrinſece eſſe extrinſecè producibile taliter, vt per productionē denominetur actualiter productum; quam quòd incognoſcibile intrinſecè, cognoſcibile ſit extrinſecè per cognitionē denominantem ipſum actualiter cognitū; neque enim potius vna, quàm altera denominatio requirit capacitatem in termino denominato: ergo ſi primum repugnat, ſecundum etiam impoſsibile eſt: igitur vel debet concedi cognoſcibilitas intrinſeca conceptui impoſsibili, vel abſolutè negare ipſum cognoſcibile.

40 Melius reſpondent alij; quorum ſolutio tenenda eſt, negando mai: ad cuius probationem, vel negandum abſolutè eſt antecedens, vel ſi placet diſtinguendum: veritas, & cognoſcibilitas *tranſcendentalis* eſt proprietas omni, & ſoli entitati reali conveniens, concedo antecedens: veritas, & cognoſcibilitas *formalis*, ſeu *conformitatis* eſt proprietas omni, & ſoli entitati reali conveniens, nego antecedens: & diſtingo conſequens: ergo quod ens verum, & reale non eſt, neque cognoſcibile *trāſcendentaliter eſt*, concedo conſequentiam: *formaliter, & per cognoſcibilitatem conformitatis* nego conſequentiam. Eſt dicere: duplex veritas in obiecto advertenda eſt: vna *tranſcendentalis*, & quæ conſiſtit in integritate prædicatorum, vi cuius non repugnat exiſtere obiectum, quia in ſuo conceptu non involvit eſſe, & non eſſe mutuò deſtructiva inter ſe, & hæc, ſicut intelligibilitas ipſi correſpondens, tantum convenit enti reali, cum hoc ſolum ſi exiſtat potius erit; quàm non erit: alia *formalis*, & *conformitatis* conſiſtens in eo, quod obiectum ſecundùm ſuum conceptum valeat terminare cognitionem formaliter veram, & inventientem in obiecto correſpondentiam admodum, quo ex parte intellectus exprimitur: & hæc veritas, ſeu cognoſcibilitas quamvis inveniatur in omni ente reali, tamen non illi ſoli convenit; ſed vlterius ad ens non reale extenditur, cum non minus verum ſit, ens chymericum tale eſſe, quàm ens reale realitatem habere. Vnde tàm vnum, quàm aliud terminare poteſt cognitionem veram proportionatam in repræſentando ſuo conceptui, quæ veritas, & cognoſcibilitas comparatur ad ens reale ſicut *poſsibile ad neceſſarium*; de quibus verum eſt *omne neceſſarium eſſe poſsibile*: ſecus *omne poſsibile eſſe neceſſarium*.

41 Obijcies tertiò. Si vltra conceptus obiectivos entis realis, aut poſsibilis darentur ex parte rei, & obiectivè conceptus impoſsibilis, aut plura, aut tot darentur ex ſuo conceptu impoſsibilia; quàm poſsibilia; ſiquidem de quolibet poſsibili apprehēdimus impoſsibile oppoſitum, & ex mixturis poſsibilium, & impoſsibilium inter ſe infinita alia reſultant: ergo tàm aut magis dicendus eſſet Deus impotens, quàm potens: probatur ſequella abſurda: ille tàm, aut magis in re dicendus eſt impotens; quàm potens, cuius potentiæ, aut plures, aut ſaltem tot termini repugnāt, quàm non repugnant; ſed ſi plura, aut tot darentur ex ſuo conceptu impoſsibilia; quàm poſsibilia, potentiæ Dei, aut plures, aut ſaltem tot termini repugnarent, quàm non re-

repugnarent: ergò si vltra conceptus obiectivos entis realis, aut possibilis darentur ex parte rei conceptus impossibiles, tàm, aut magis dicendus esset Deus impotens, quam potens.

42 Respondeo: quod in sententia nostra inconnexionis Dei cum possibilibus, & impossibilibus facilè eviatur sequela. Propterea quod in tali opinione adhùc respectu impossibilium Deus habet potentiam ex se, quæ ex sola improportione termini est irreducibilis ad actum: ideò Deus, & habet potentiam subiectivè, & terminativè absolutam respectu possibilium, & habet potentiam subiectivè absolutam, licèt terminativè conditionatam respectu impossibilium: habere autem potentiam vndequaquè completam ad omnia, quæ fieri absolutè possunt, & non habere omnimodam impotentiam ad ea, quæ fieri non possunt, non est esse aut plus, aut tam impotens; quàm potens, cum nec præponderet impotentia, nec æquet potentiam; sed potius hæc excedat transiliens terminos eorum, quæ fieri possunt, & pertingens ea, quæ fieri nequeunt. Propter hanc doctrinam, & fortè ob evitandam sequellam obiectam tenuit D Anselm. non tàm dicendum esse: Deum non posse facere impossibilia, quàm impossibilia non posse fieri à Deo: quia hoc secundum denotat imperfectionem termini; & illud primum indicat debilitatem potentiæ.

43 Absolutè tamen, & in omnium sententia, etiam neganda est sequela. Ad cuius probationem distinguenda est maior: ille iure dicendus est tàm, aut magis impotens, quàm potens, cuius potentiæ, aut plures, aut saltem tot termini repugnant; *ex non repugnantibus absolutè*, quàm non repugnant concedo mai. *ex repugnantibus absolutè* neg. mai. & disting. min. Si plura, aut tot darentur ex suo conceptu impossibilia; quàm possibilia, potentiæ Dei, aut plures, aut saltem tot termini repugnarent *ex repugnantibus absolutè*, quàm non repugnarent, concedo min. *ex repugnantibus respectivè* nego minorem, & consequentiam. Doctrina solutionis est; sequela illa *Deus, aut plus, aut tam impotens esset, quàm potens*, prout continet absurditatem diminutionis divinæ potentiæ, significat ex his, quæ fieri possunt, aut plura, aut saltem tot repugnare, quàm non repugnare eius potentiæ, in quo sensu absolutè neganda est; cum ex possibilibus nullum subterfugiat divinam potentiam, neque existere possit aliter quàm ex influxu ipsius: aut quod alteri causæ sit possibile, impossibile absolutè sit Deo; si vero dicant sequelam in hoc genere, seu sensu non accipere; sed prout continet comparationem inter extrema absolutè impossibilia, & absolutè possibilia; concedi potest sub declaratione prædicti sensus: ast tunc non est absurda; sed verissima, nec minus divinam potentiam lædens, quàm impossibilitas cuiuscumque impossibilis; nam semel quod imperfectio non sit non posse facere, quod fieri non potest, excessus quivis in tali linea ob excessum terminorum impossibilium nullam dicit imperfectionem, aut diminutionem potentiæ, cum semper verificetur *quidquid fieri potest à Deo fieri potest*, & solùm *quod non est absolutè factibile, facere nequit*.

44 Replicabunt: ergo saltem in eodem sensu dici poterit Deus *Nullipotens* non minùs, quàm dicitur *Omnipotens*. Ratio est: nam si restrictio illa potentiæ ad ea, quæ solum fieri possunt sufficit, vt Deus absolutè dicatur omnipotens; cur restrictio illa impotentiæ ad ea sola, quæ fieri non possunt, non sufficiet, vt absolutè vocetur *Nullipotens*? Respondeo: diversitatem consistere in eo, quòd idem conceptus *Nullipotens*, vtpotè negativus excludit omnem potentiam, quæ in Deo non deficit, cum sit verè potens ad ea, quæ possibilia sunt, & absolutè fieri possunt; ast alter conceptus cum positivus sit, præcisè requirit potentiam habere respectu omnium quæ fieri possunt, & possibilia sunt, quidquid sit; an simul impotentiam habeat ad ea, quæ absolutè fieri non possunt, & impossibilia sunt.

45 Objicere possunt quarto: Si esset conceptus aliquis obiectivè impossibilis, plura sequerentur absurda de facto: etenim etiam esset ex parte rei conceptus obiectivus incognoscibilis essentialiter impossibilis, extra omne impossibile: possibilis extra omne possibile: neque possibilis, neque impossibilis, & demùm, qui defacto contradictionem involveret: vndè essent defacto coniuncta, & vera plura contradictoria. Assumptum probatur: nam sicut possibiles sunt iuxta nos affirmatio-

tiones, aut negationes, ex quarum veritate, aut falsitate colligimus conceptus obiectivos impossibiles; sic sunt etiam possibiles affirmationes, aut negationes, ex quarum veritate, vel falsitate colligere debeamus conceptus obiectivos enumeratos: ergo non minus prædicti conceptus enumerati, quàm ille, qui à nobis dicitur impossibile obiectivum, essent admittendi. Probatur antecedens: possibiles sunt sequentes tendentiæ affirmativæ: *Incognoscibile est incognoscibile: impossibile vltrà omne impossibile, est impossibile: possibile vltrà omne possibile, est possibile: destructio omnis impossibilis, & possibilis, nequè est possibilis, nequè impossibilis: conceptus defacto se implicans, est impossibilis*; v. g. *Impossibile quod ex conceptu suo essentiali sit taliter impossibile, quod etiam impossibile non sit, est impossibile.* Iam, vel hæ affirmationes sunt veræ essentialiter, vel essentialiter falsæ? Si veræ: ergo habent obiectum eo modo, quo illud enuntiant; ac per consequens aliquid est obiectivum incognoscibile, & simul cognoscibile: aliquid impossibile vltra omnia impossibilia; aliquid possibile extrà omne possibile: aliquid, quod neque possibile, neque impossibile sit; sicut & aliquid, quod de facto se implicet: si essentialiter falsæ: ergo verificativum ipsarum ex parte rei est impossibile: vndè inter impossibilia obiectiva essent hæc obiecta, quæ sine duplici contradictorio defacto esse non possunt, vtpotè daretur cognitum incognoscibile: impossibile, quod non esset impossibile: possibile, quod non esset possibile: impossibile, quod neque esset possibile, neque impossibile: & impossibile, quod ex suo conceptu includeret defacto duplex contradictorium.

46 Respondeo: omnes illas tendentias esse possibiles, & respicere obiecta impossibilia: nam cum obiectum tale sit, quod si existeret, coniungeret in se duplex contradictorium, & de omnibus illis id verificetur, omnia illa reputanda sunt impossibilia: cæterùm ex hoc non infertur dari defacto duplex contradictorium in illis obiectis; sed tantùm esse quidditates determinatas, vt si existerent, includerent in se contradictorium: nam sicut vt possibile tale sit, non est necessarium excludere de facto suum contradictorium, vt constat in omnibus possibilibus, quæ nondum existunt, aut nunquam extitura sunt; sed sufficit, quod quando existat, illud excludat: sic vt impossibile tale sit, non est necessarium, quod defacto duplex contradictorium involvat, aut suum contradictorium non excludat; verùm duntaxat, quod si existeret duplex contradictorium involveret, & suum contradictorium non excluderet.

47 Inde percurrendo singula obiecta: *incognoscibile* est tale, quod, si existeret, esset incognoscibile; non vero, quod defacto sit incognoscibile. Sicut quodvis aliud impossibile est tale, quod implicaret: non quod implicet: *impossibile vltra omne impossibile* est impossibile, quod si daretur, esset, & non esset extra omne impossibile: ast de facto non extra omne impossibile; sed potius vnum ex illis: idem dicendum est de *possibili vltra omne possibile*, in quo minus vrget, aut saltem probat æquè, quod si daretur, esset possibile extra omne possibile: modò autem est impossibile determinatum ad talem contradictionem pro casu, quo foret: sicut extinctio omnis possibilis, & impossibilis defacto includitur præcisè intra omne impossibile, quamvis pro casu, quo daretur, esset extra, & intra omne possibile, & impossibile. Vltimum quod additur de conceptu de facto se implicante etiam nihil probat, cum sit vnum ex impossibilibus, in quo distinguendus est conceptus quidditativus, & existentialis. *Conceptus quidditativus* est ille, qui de facto verificat propositionem affirmantem *esse impossibile*, quin verificetur pro nunc opposita, scilicèt *non esse impossibile pro nunc*: *existentialis* est ille, ex quo verificaretur vtrumque contradictorium de ipso nempè *esse impossibile*, & *non esse impossibile*. Si autem roges, in quonam distingueretur hoc impossibile à reliquis? Respondeo in eo: quod alia impossibilia sunt quasi directa; & hoc quasi reflexum, cuius contradictio consisteret in eo, quod esset impossibile, & simul non esset impossibile, cum alia essent præcisè impossibilia, quamvis in alia linea essent, & non essent pro conditione prædicatorum ex quibus sunt compacta; quod si mille reflexiones fiant vltra, vel supra propositas, eodem modo sunt solvendæ.

48 Circa veritatem, aut falsitatem prædictarum propositionum scies: quod si omnes sumantur existentialiter, om-

omnes falsæ sunt, propterea quod denotent existere, & dari repugnantiam, seu contradictionem, quod falsum est; si verò sumantur quidditativè in sensu conditionato, omnes ita veræ sunt, vt simul in sensu conditionato verificetur oppositum, quod si faciant sensum absolutum, aliquæ veræ sunt, aliquæ falsæ; veræ sunt: *impossibile vltra omne impossibile, est impossibile: conceptus de facto se implicans, impossibilis est*: falsæ autem *incognoscibile est incognoscibile: Possibile, vltra omne possibile, est possibile: destructio omnis possibilis, & impossibilis neque est possibilis, neque impossibilis.* Non vero id, quod ex conceptu suo est incognoscibile, de facto esse cognoscibile, aut quod ex conceptu suo, neque est possibile, neque impossibile, de facto esse impossibile difficultatem ingerat; accipe exemplum in re innegabili; *decretum quo Deus decernat nihil ad extra producere, vel defectum omnis creaturæ* est ex conceptu suo irrevelabile: quia id quod connectitur cum eo, quod si existat, nullus sit audiens, per se etiam connectitur cum eo, quod non detur revelatio sui in eo, qui cordatissimè loquitur, vt *Deus*; & tamen pro nunc tale decretum est revelabile, cum possit Deus pro nunc revelare, & possibilitatem talis decreti, & eius intrinsecam irrevelabilitatem: iam sic: non minus opponitur ex conceptu suo irrevelabile cum revelatione, & revelabilitate sui; quam incognoscibile ex conceptu suo cum cognitione, & cognoscibilitate sui, & neque possibile, neque impossibile ex conceptu suo cum impossibilitate sui; sed non impediente illa oppositione, irrevelabile ex conceptu suo est de facto revelabile, & cum sui revelatione coniungibile: ergo non obstante altera oppositione, incognoscibile ex conceptu suo, & neque possibile, neque impossibile, ex suo conceptu cum cognitione, & cognoscibilitate sui, sicut & cum impossibilitate sui, defacto erunt coniungibilia.

49 Obijcies quintò: stat possibilitas veritatis absque possibilitate obiectiva: ergo etiam impossibilitas veritatis absque impossibilitate obiectiva. Cõsequentia videtur legitima à paritate rationis: nam si semel concedatur aliquid possibile in ratione veri absque possibilitate aliqua obiectiva, non est cur concedi, & concipi non debeat impossibile in ratione veri absque impossibilitate aliqua obiectiva. Antecedens probatur: nam de impossibili verificatur esse possibile in ratione impossibilis; tum quia impossibile in ratione talis est necessarium & omne necessarium possibile est; tum quia de impossibili verificatur esse potius impossibile; quàm non impossibile; aliàs defacto verificaretur duplex contradictorium absolutum circa impossibile; vndè id quod existere non potest, existeret; sed hæc veritas de possibilitate impossibilis in ratione talis est possibilitas veritatis absque possibilitate obiectiva; ne aliter dicatur, impossibile habere possibilitatem sui, ex qua potius dicendum foret possibile, sicut cætera possibilia, quam impossibile: ergo stat possibilitas veritatis absque possibilitate obiectiva.

50 Respondeo primò per instantiam: nam eodem modo possent probare, esse veritatem quandam verificationis, cui non correspondeat vlla obiectiva veritas; nam sicut de impossibili verum est in ratione talis esse possibile; sic de falsitate obiectiva verificatur in ratione falsitatis esse veram; sed falsitas non est veritas sui, aliàs obiectivè falsum, esset obiectivè verum; non minus ac reliqua obiectivè vera: ergo non minùs concedi debet veritas quædam sine obiectiva veritate, quam possibilitas veritatis, absque possibilitate obiectiva. Respondeo deinde absolutè; eo modo, quo fuerit verum, impossibile habere possibilitatem, seu esse possibile, eodem ipsissimo modo debet dari possibilitas aliqua obiectiva ex parte impossibilis; aliàs propositio id affirmans non esset vera, possibilitas autem, quæ de impossibili in esse talis verè dicitur, non est possibilitas positiva, *quæ in ratione existendi sine contradictione, si existat, consistit*: nam si hæc conveniret impossibili, impossibile non esset; sed possibile simpliciter; est igitur possibilitas alia negativa, quæ *in exclusione duplicis contradictorij de præsenti consistit*: in quantum impossibile ex suo conceptu potius est impossibile; quam possibile, seu non impossibile; seu potius est id quod si existeret implicaret, quam id, quod si existeret non implicaret, ex qua possibilitate non destruitur; sed potius roboratur impossibilitas impossibilis: nam esse possibile in ratione impossibilis, propriissimè est esse

impoſsibile, non ſecùs ac eſſe verum in ratione falſi, eſt propriſsimè eſſe falſum; & eſſe propriſsimum in ratione improprij, eſt eſſe quid improprium; v. g. eſſe propriſsimè *hominem pictum*, eſt eſſe hominem impropriè; vndè etiam colligitur: quomodo impoſsibile habeat poſsibilitatem, & neceſsitatem ſui, quin ſit abſolutè poſsibile; nam vt tale eſſet, non ſufficit habere poſſibilitatem negativam excludendi de facto contradictionem per verificationem ſui conceptus, potius determinati ad contradictionem; quàm non determinati ad ipſam pro caſu exiſtentiæ; ſed inſuper poſsibilitatem aliam poſitivam excludendi contradictionem pro caſu, quo exiſteret, quæ de impoſsibili obiectivo non verificatur.

51 Inſiſtunt: aliqua explicantur per terminos impoſsibilitatis, quæ in re per poſsibilia verificantur: ergo quod plura explicentur per terminos impoſsibilitatis, vt *impoſsibile eſt mendacium Dei, mors Dei*, & alia huiuſmodi, non debet eſſe nobis fundamentum ad impoſsibilitatem obiectivam: conſequentia videtur legitima ex defectu fundamenti ad vnum, ſemel quod concedatur ad aliud. Probatur antecedens. Impoſsibile reſultans ex ſolis extremis poſſibilibus inter ſe non oppoſitis explicatur ſub terminis impoſsibilitatis, dicitur enim *impoſsibile reſultans ex terminis poſsibilibus inter ſe non oppoſitis, impoſsibile eſt*; ſed hoc, quod ſub terminis *impoſsibilitatis* explicatur in re, & ex parte obiecti eſt poſsibile, & per poſsibilia tantùm verificatur: ergo aliqua explicantur ſub terminis impoſsibilitatis, quæ in re per poſsibilia verificantur. Probatur minor: ſi illud, quod vt impoſsibile, per prædictam propoſitionem explicatur in re, & ex parte obiecti, poſsibile non eſſet, aliquod eſſet impoſsibile obiectivum reſultans ex ſolis terminis poſsibilibus non oppoſitis: ac proinde aliquod coniunctum ex ſolis extremis poſsibilibus non oppoſitis *tale eſſet, quod ſi exiſteret repugnaret*; ſed nullum coniunctum ex ſolis extremis poſsibilibus inter ſe non oppoſitis eſt repugnans: ergo illud, quod ſub terminis impoſsibilitatis explicatur per illam propoſitionem, in re, & ex parte obiecti poſsibile eſt, & per poſsibilia tantùm verificatur, ſcilicèt, quod *poſsibile ſit poſsibile, & ab impoſsibili diſtinguatur*, in quo nihil impoſsibilitatis obiectivæ eſt.

52 Reſpondeo: quod ſicut contrarij non colligunt neceſsitatem, contingentiam, & poſsibilitatem, ex eo, quod aliqua ſub his terminis explicentur; ſed quia aliundè talia obiecta probantur ex eo, quod aliquæ veritates, aut falſitates ſine talibus obiectis eſſe non poſſunt: ſic nos impoſsibile obiectivum non inferimus ex eo præcisè, quod aliqua explicentur ſub terminis impoſsibilitatis; ſed quia aliquæ ſunt veritates, aut falſitates, quæ ſine impoſsibilitate obiectiva eſſe non poſſunt, namque veritas neceſſaria ſine falſificativo impoſsibili eſſe non poteſt, ſicut nec falſitas neceſſaria ſine verificativo impoſsibili; at ſunt aliquæ veritates neceſſariæ, & aliquæ falſitates neceſſariæ, vt *exiſtere Deum*; *exiſtere peccatum Dei*: *ergo non exiſtere Deum* eſt impoſsibile, vtpotè falſificativum primæ veritatis, & *exiſtere peccatum Dei* eſt impoſsibile, vtpotè verificativum ſecundæ.

53 Obijciunt ſextò: obiectum entitativè impoſsibile non ſtat ſine impoſsibili defacto exiſtenti: ſed nullum datur impoſsibile defacto exiſtens: ergo neque obiectum vllum entitativè impoſsibile. Probatur mai. obiectum entitativè impoſsibile tale eſt iuxta nos, cuius contradictorium ipſum excludens ab exiſtendo neceſſariò datur: Sed contradictorium obiecti entitativè impoſsibilis ipſum ab exiſtendo excludens, eſt impoſsibile defacto exiſtens: ergo obiectum entitativè impoſsibile non ſtat ſine impoſsibili defacto exiſtenti. Cætera conſtant præter minorem: quæ ſic probatur: contradictorium obiecti entitativè impoſsibilis ipſum excludens ab exiſtendo eſt excluſivum formale huius quod eſt *eſſe*, & *non eſſe*, quod includeret impoſsibile defacto exiſtens; ſed excluſivum formale huius, quod eſt *eſſe*, & *non eſſe*: ſimiliter *eſſe*, & *non eſſe* eſt, ac per conſequens coniunctum ex *eſſe*, & *non eſſe*, quod impoſsibile quoddam eſt defacto exiſtens: quia *eſſe* formaliter non excluditur, niſi per *non eſſe*; neque *non eſſe*, niſi per *eſſe*: ergo contradictorium obiecti entitativè impoſsibilis ipſum ab exiſtendo excludens, eſt impoſsibile defacto exiſtens.

54 Propter hoc argumentum tenui aliquando nullum eſſe obiectum entitativè impoſsibile eſſentialiter diſtinctum adæquatè ab omni poſsibili; ita, vt licèt concedendum eſſet impoſsibi-

bile obiectivum, vt nobis videntur probare argumenta supra facta, hoc tamen nunquam erat aliud, quàm coniunctum ex duplici contradictorio divisivè possibili, & in coniuncto tantùm denominativè, & constitutivè impossibili: vndè evitabatur inconveniēs argumenti propositi, propterea quod cum nihil esset in impossibili indivisibiliter *esse*, & *non esse*; sed compositum ex *esse*, & *non esse* secundum se possibili, & ad excludendum coniunctum divisibile ex *vero esse*; & vero *non esse*, sufficiat defectus huius, vel illius partis, qui in *non esse possibili* excludente *esse possibile*, vel in *esse possibili* excludente *non esse possibile* consisteret, nunquam erat de veniendum ad exclusivum formale illius, quod est *esse* & *non esse* indivisibiliter: ac per consequens, quod in se includeret *esse*, & *non esse* indivisibiliter; sed vel ad carentiam possibilem illius *esse*, quod poterat existere, vel ad *esse possibile* excludens *non esse*, quod poterat etiam suo modo existere, scilicèt ad disiunctum, vel Petri possibilis, vel carentiæ ipsius possibilis. Cæterum, re maturiùs considerata, video hanc doctrinam satis implexam, & multis inconvenientibus expositam, cum necessario sint deducenda aliqua impossibilia, in quibus non tenet locum divisibilitas per coniunctionem illam *esse possibilis*, & *non esse possibilis*; sed indivisibilis constitutio ex duplici contradictorio, quorum quodvis sit *esse*, & *non esse*.

55 Ostendo sic primò: quia si omnia possibilia fierent impossibilia, omnia essent impossibilia, & tamen tunc nullum esset possibile: ergo constitutio impossibilis perceptibilis est absque vllo possibili, & saltem de hoc impossibili scilicèt, *quòd omnia possibilia fierent impossibilia* videtur innegabile; sed hoc impossibile absque contradictione vlla defacto existente excluditur: ergo vt aliquid impossibile sine contradictione excludatur, opus non est esse indistinctum adæquatè ab omni possibili. Secundò: defectus entis necessarij, est impossibilis obiectivè; sed hoc impossibile distinctum est adæquatè ab omni possibili, vel saltem aliquid adæquatè distinctum includit, quod modò necessariò sit absque contradictione exclusum: nam defectus Dei; v. g. qui impossibilis obiectivè est; sicut Deus obiectivè necessarius; non est talis, qui si existeret, resultaret ex coniuncto Dei, & alterius possibilis, siquidèm nullum possibile est oppositum cum Deo; neque ex coniuncto Dei, & alterius impossibilis resultantis ex *esse*, & non *esse* alterius entitatis: siquidèm complexum resultans ex *esse*, & *non esse* alterius distincti à Deo non est formale exclusivum Dei: ergo solùm potest esse aliquid indivisibiliter implicans, & continens *esse*, & *non esse* Dei: iam ergo; quomodò hoc excludetur impossibile per Deum necessarium, & nullam includentem contradictionem? Non igitur vitatur difficultas per recursum ad impossibile resultans ex entitatibus possibilibus inter se oppositis.

56 Dicendum: quod & *si non esse possibile* non aliter excludi valeat, quàm per *esse*: & *esse possibile*, quàm per *non esse*: quia cum vtrumque sit contingens, vtrumque existere potest, non aliter quam excludens suum contradictorium etiam possibile, quod aut præcisè *esse*, aut præcisè *non esse* propterea esse debet; at *non esse impossibile* excludi etiam potest per *non esse necessarium*, & *esse impossibile* per *esse necessarium*: sic *non esse impossibile*, quod esset in altero Deo, si existeret, excluditur per carentiam necessariam illius de facto existentem, & *esse impossibile*, quod inveniretur in carentia huius Dei, si hic Deus, qui defacto datur, deficeret excluditur necessario per *esse huius Dei*, qui necessario existit. Et ratio est: quia cum conceptus *esse impossibilis* sit indivisibiliter *non esse*, & *non esse impossibilis*, sit *indivisibiliter esse*, id quod cum vno est formaliter incomponibile, alterum excludere necesse est. Vndè *esse necessarium* oppositum *non esse* excludit etiam *esse*, quia remanere non potest excluso *non esse*, cum quo idem est: & *non esse necessarium* oppositum cum *esse impossibili*, excludet etiam *non esse*, quod remanere non potest *exclusso esse*, cum quo idem est: ob dicta nolo excludere impossibile resultans ex solis possibilibus, vt est complexum duplicis contradictorij contingentis; sed tantùm ostendere non omnia impossibilia esse indistincta adæquatè à possibilibus, quod quid diversum est.

57 Replicabunt: duæ propositiones contradictoriæ non possunt defacto verificari, quin duplex contradictorium defacto existat; sed de obiecto impossibili duæ propositiones contradi-

dictoriæ defacto verificantur: ergo & duo contradictoria defacto ex impoſsibili deducuntur. Maior videtur certa: nam cum duæ propoſitiones contradictoriæ nō aliter poſsint verificari, quam per *eſſe*, & *non eſſe* obiecti eo modo, quo per actum repræſentatur, *eſſe autem*, & *non eſſe obiectum* eo modo, quo per actum repræſentatur, ſit duplex contradictorium defactō ex parte obiecti, inde conſtans apparet, duas contradictorias non poſſe defacto verificari, quin duplex contradictorium defacto exiſtat. Probatur minor: de quovis obiecto impoſsibili verificatur, quod *ſi exiſteret, exiſteret*; deinde verificatur etiam quod *ſi exiſteret*, non *exiſteret*, alias dum exiſteret obiectum impoſsibile *non exiſteret*, & *non exiſteret* proindeque ſi exiſteret, non implicaret, vndè nec eſſet impoſsibile; ſed verificari *quod ſi exiſteret, exiſteret obiectum A*, & *quod ſi exiſteret, non exiſteret obiectum A*, eſt de obiecto impoſsibili defacto verificari duas propoſitiones contradictorias: ergo de obiecto impoſsibili duæ propoſitiones contradictoriæ defacto verificantur. Vrgetur: duas propoſitiones contradictorias defacto verificari, eſt duas propoſitiones defacto falſificari; ſiquidem id, quod vnam verificat, falſificat alteram: ſed duas propoſitiones contradictorias eſſe de facto ſimul veras, & falſas, eſt defacto eſſe, & non eſſe ſimul veras, in quo contradictio de facto eſt: ergo cum ex obiecto impoſsibili veritas duplicis propoſitionis contradictoriæ inferatur defacto, etiam infertur dari defacto duplex contradictorium.

58 Reſpondent aliqui conceſſa maiori, negando minorem: nam licèt de obiecto impoſsibili verificentur hæ duæ propoſitiones *ſi exiſteret exiſteret*; *ſi exiſteret non exiſteret*: nō tamen ſunt contradictoriæ: quia in vna non anteponitur negatio copulæ principali alterius, vt erat neceſſarium ad ſe contradicendum: copula autem principalis in propoſitione affirmativa, *ſi exiſtat, exiſtet* eſt: *ſi*, quæ innegata relinquitur in altera propoſitione *ſi exiſteret, non exiſteret*; loquendo verò de propoſitionibus ſtrictè contradictorijs circa obiectum impoſsibile, vt ſunt *ſi exiſtat, exiſtet*; *non ſi exiſtat exiſtet*, vna tantùm vera eſt ſemper, nempè *ſi exiſtat exiſtet*; ſecus altera, quæ ſemper falſa eſt, nimirum *non ſi exiſtat, exiſtet*, pro cuius veritate erat neceſſarium, impoſsibile non eſſe illativum pro caſu exiſtentiæ *ſuæ exiſtentiæ*, quod nunquam verum eſſe poteſt, ſicut nec quod pro caſu exiſtentiæ non inferat duplex contradictorium, in quibus exiſtentia clauditur, quomodo etiam diſcurrendum eſt circa propoſitiones, quæ tendant in extremum negativum ſic: *ſi exiſtat, non exiſtet*; *non ſi exiſtat, non exiſtet*.

59 Sed contra: quia ſi primæ illæ propoſitiones, quas non dicunt contradictorias, verificantur de impoſsibili; etiam aliæ quæ apud ipſos contradictoriæ dicuntur, erunt ſimul veræ. Ratio eſt: quia non minùs opponuntur inter ſe *exiſtere*, *& non exiſtere*; quàm *inferre*, & non *inferre*; ſed quamvis *exiſtere*, & *non exiſtere* opponantur inter ſe, *exiſtere*, quod verificatur de impoſsibili pro caſu, quo exiſtat, non falſificat *non exiſtere*, neque non exiſtere, quod pro tali caſu de eodem verificatur falſificat *exiſtere*: ergo quamvis *inferre*, & non *inferre* opponantur inter ſe, *inferre exiſtentiam*, quod de impoſsibili pro caſu, quo exiſtat verificatur, non falſificat *non inferre* eiuſdem exiſtentiæ, neque *non inferre* exiſtentiam falſificat *inferre* eiuſdem exiſtentiæ. Iam ſic: in tantum verificatā de impoſsibili illa propoſitione *ſi exiſtat, exiſtet* non poſſet verificari altera *non ſi exiſtat exiſtet*, in quantum veritas ſecundæ inferret falſitatem primæ, & è contra; ſed neutra infert falſitatem alterius, ſemel quod de impoſsibili verificentur oppoſita: ergo nullum eſt fundamentum, vt ſi primæ illæ propoſitiones *ſi exiſtat, exiſtet*; *ſi exiſtat, non exiſtet* de impoſsibili verificentur, pro caſu quo exiſteret; ſecundæ aliæ *ſi exiſteret, exiſteret*; *non ſi exiſteret, exiſteret*, pro tali caſu de eodem impoſsibili non verificentur; quare in eadem difficultate remanent de verificatione duplicis propoſitionis contradictoriæ erga obiectum impoſsibile.

60 Reſpondent alij: diſtinguentes inter propoſitiones contradictorias abſolutas, & propoſitiones contradictorias conditionatas, & dicunt verum eſſe, quod ex verificatione duplicis propoſitionis contradictoriæ abſolutæ infertur exiſtentia duplicis contradictorij, ſivè obiectum, quod reſpiciunt ſit poſsibile, ſivè impoſsibile; non ſic in propoſitionibus contradictorijs conditionalibus de obiecto impoſsibili, quarum

rum veritas nõn infert duplex contradictorium defacto; sed duplex contradictorium, quod foret pro casu impossibili, quo existeret id quod existere non potest: nam sicut verum est, obiectum impossibile pro casu, quo existeret, inclusurum contradictionem, & repugnantiam ex *esse*, & *non esse*: sic verum debet esse nunc asserere, pro tunc *habiturum in se esse*, & *non esse*: sed id verum esse nequit pro tunc, quin simul sit verum, quòd *si existeret, existeret*, & quòd *si existeret non existeret*: ergo duplex conditionalis propositio tali obiecto correspondens, quæ, quia affirmat conditionaliter oppositа sub eadem conditione, contradictoria iure dicitur, debet esse nunc simul vera: inde planè concedunt: has duas propositiones conditionales de obiecto impossibili: *Si existat, existet, si existat, non existet*, & esse contradictorias, & esse simul veras absque implicatione, & contradictione aliqua, quæ sit: & solum cum repugnantia, & contradictione, quæ esset, si existeret impossibile impotens existere. Sic cum alijs Doctissimus nostrę Academiæ olim primarius P. Doct. Peynado in suo Cursu Philosophico.

61 Solutio hæc, & si verum quoad rem teneat, in quantum affirmat prædictas propositiones conditionales esse simul veras absque inconvenienti, cum nulla sequatur contradictio obiectiva de præsenti, neque absurdum sit affirmare oppositа de obiecto pro casu existentiæ impossibilis, quando obiectum ex se tale est, quod pro tali casu vtrumque contradictorium in suo esse implicaret; verum quoad voces placere non potest, ex quarum impropria acceptione videtur destruere id ipsum, quod intendit, scilicet duas propositiones contradictorias conditionales de obiecto impossibili esse simul veras, quod sine declinatione ad sensum impropriſsimum stare nequit: Ratio est: quia etsi prædictæ propositiones sint de obiecto impossibili, & pro suppositione impossibili existentiæ illius; sunt tamen veræ in casu possibili, cum nullam contradictionem obiectivam de præsenti inferant, neque aliquid aliunde repugnans absolutè detur: sed propositiones contradictoriæ in casu possibili, nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt, vt fert ipsa natura, & lex contradictoriarum: ergo, vel prædictæ propositiones non sunt contradictoriæ, vel si sunt, simul veræ esse non possunt.

62 Confirmatur: stricta contradictio propositionum in casu possibili est stricta disconformitas ipsarum quoad veritatem, & falsitatem: sed inter propositiones, quæ in casu possibili, & sine repugnantia possunt esse simul veræ, non datur stricta disconformitas, quoad veritatem, & falsitatem: ergo neque stricta contradictio. Nec recurrant ad contradictoria, quæ darentur, tum ex parte obiecti, tum ex parte propositionum, quando existeret impossibile, quæ quidem haberent strictam contradictionem cum simultanea veritate, & si velis cum simultanea falsitate: quia tunc contradictio esset in casu impossibili existentiæ impossibilis, nec contra rationem strictæ contradictionis esse potest, quod in casu impossibili daretur simultanea veritas, aut falsitas, cui repugnant; contradictio vero istarum propositionum, quæ controvertuntur, est in casu possibili, & dum nullum existit impossibile, in quo si non repugnet simultanea veritas, nulla erit contradictio: Vnde liquet, quod si significatio propria strictæ contradictionis sit obseruanda, prædictæ propositiones dici non possunt contradictoriæ. Ideo si contradictio in præsenti aliud significet, quod non nisi impropriſsimè contradictio sit, melius erit contradictionem negare, quàm vocem contradictionis sine ipsa retinere.

63 Ad argumentum: permissa, vel concessa maiori, negatur minor: ad cuius probationem concessa maiori negatur minor: nam etsi de impossibili verificentur illę duę propositiones *si existeret, existeret: si existeret non existeret*: nõ sunt contradictoriæ: propterea quod quamvis vna neget, quod altera affirmat; non tamen in casu possibili vna negat quod altera affirmat, ita vt per sui veritatem impediat veritatem alterius affirmantis, nec altera in casu possibilli ita affirmat, vt per sui veritatem impediat veritatem alterius negantis: vnde sicut duæ propositiones vniversales, quarum vna negat pleniſsimè, quod altera affirmat; v. g. *Omnis homo est albus*; *nullus homo est albus* non dicuntur contradictoriæ: quia quævis in casu possibili per sui falsitatem non impedit falsitatem alterius; sic etiam

duæ propoſitiones conditionatæ, quæ de obiecto impoſsibili verificantur, contradictoriæ non ſunt: quia quamvis vna neget, quod altera affirmat; non autem ita vna in caſu poſsibili negat, vt per ſuæ negationis veritatem impediat veritatem alterius affirmantis, neque è contra. Vnde ad vrgentiam permiſsis, vel conceſsis præmiſsis negatur ſuppoſitum conſequentis: nempè, quòd illæ propoſitiones, quæ de obiecto impoſsibili verificantur, ſint contradictoriæ. Si replices: propoſitiones, quæ affirmant duo contradictoria, contradictoriæ ſunt: ſed illæ propoſitiones affirmãt duo contradictoria: ergo contradictoriæ ſunt. Diſtinguenda Maior eſt; propoſitiones, quæ affirmant abſolutè, vel *conditionatè ſub conditione poſsibili* duo contradictoria, contradictoriæ ſunt, cõcedo maiorem: *conditionatè ſub conditione impoſsibili* nego maiorem, & diſting. minorem; illæ propoſitiones affirmant duo contradictoria *abſolutè*, vel *conditionatè ſub conditione poſsibili*; neg. min. *Conditionatè ſub conditione impoſsibili* concedo minorem, & nego conſequentiam.

CAPVT III.

Quid de ente rationis, & rerum carentijs ſeu negationibus.

64 DEſcendit quàrtò. Entia rationis eſſe obiecta materialia Scientiæ divinæ. Ita Arriag. tom. 1. in 1. part. diſp. 19. ſect. 8. Granado diſput. 2. de Scientia, num. 8. Izquierdo de Deo, tract. 9. diſp. 25. q. 5. prop. 1. & alij communiter. Probatur: entia rationis habent in ſe ſuum conceptum vere affirmabilem, ratione cuius diſtinguntur ab omni non ipſis, & cuius expreſsio conducit ad comprehenſionem eorum, quæ entia rationis non ſunt; ſed ita ſe habentia cognoſcibilia ſunt per divinum intellectum, & ſub ratione *quà motiva ipſius* continentur: ergo entia rationis obiecta materialia ſunt divinæ Scientiæ. Probatur maior. Nam vel entia rationis conſiſtunt in obiecto eſſentialiter repugnanti, & impotẽte exiſtere, quod dũ actu objicitur intellectui, denominatur ens rationis, vel in actu intellectus, fingente, & applicante obiecto intentionaliter, & repræſentativè, quod in re non habet, vt ſic comprehẽdamus ens rationis in omni ſententia? Si primum: ens rationis non diſtinguitur ab impoſsibili obiectivo, & cognitione tendente in illud, de quibus manet probatum habere in ſe conceptũ objicibilem intellectui, nec minus vere affirmari de impoſsibili *non poſſe exiſtere*, quàm de obiecto neceſſario, aut contingenti *poſſe exiſtere*. Si ſecundum: ens rationis non diſtinguitur ab actu fingente, & ab obiecto, de quo fingit intellectus per actum diſconformem ad eſſe illius, quæ omnia cognoſcibilia ſunt per divinum intellectum; tum diviſivè, tum complexivè, in quantum cognoſcit illud eſſe figmentum; non realitatem, quod tam verè affirmabile eſt; quàm ſunt reliquæ veritates reales: ergo entia rationis habent in ſe ſuum conceptum verè affirmabilem, ratione cuius diſtinguntur ab omni non ipſis, & cuius expreſsio conducit ad comprehenſionem eorum, quę entia rationis non ſunt.

65 Advertenda tamen eſt differentia, quæ intercedit inter vnam, & alteram ſententiam quoad ens rationis. Nam ſi pro ente rationis ſufficiat cognoſcere obiectum impoſsibile, prout eſt in ſe: quia id etiam ſufficit, vt illud, quod cognoſcitur, ſit tantum obiective in intellectu, vt exigit definitio vulgaris entis rationis: Deus non tantum cognoſcit; ſed facit ens rationis. Ratio eſt: quia in tali ſententia non diſtinguntur cognoſcere obiectum impoſsibile, & facere ens rationis; ſed Deus cognoſcit obiectum impoſsibile: ergo facit ens rationis. In altera verò cum pro ente rationis exigatur fictio intellectus, ſeu cognitio falſa, & diſconformis obiecto, prout eſt in ſe, diſtinguitur *cognoſcere ens rationis* ab hoc, quod eſt, *facere illud*, cum pro cognoſcendo ente rationis ſufficiat cognoſcere fictionem intellectus terminatam ad obiectum diſconforme, & pro faciendo vltra requiratur ipſa fictio ſubiectivè in intellectu faciente ens rationis: & propterea Deus, licèt cognoſcat entia rationis, non facit, nec poteſt facere ens rationis: ſicut nec habet, nec poteſt habere cognitionem falſam: vnde ſolùm cognoſcet intellectum finitum capacem fictionis, & cognitionis facere ens rationis, & per ordinem ad illud cognoſcit quidditatem, & conceptũ entis rationis.

66 Con-

66 Contrà propositionem, stando primæ sententiæ, quæ defendit ens rationis consistere in obiecto impossibili cognito, nihil difficultatis occurrit, quod non sit solutum cap. præcedenti, in quo de cognitione divina impossibilium egimus: neque id quod additur in præsenti, scilicèt: Deum iuxta eandem sententiam nō modo cognoscere; verùm facere ens rationis aliquid speciale contineat, cui satisfacere debeamus: nam cum facere ens rationis, supra cognoscere obiectum impossibile, prout in se est, nihil addat, neque vllam fictionem, aut falsitatem ex parte Divini intellectus in eiusdem cognitione contineat, omne caput imperfectionis removet, vndè solùm Deum facere ens rationis impeti posset, vt dissonum, & infinitati divinæ perfectionis repugnans.

67 Ast in altera, quæ ens rationis non nisi per fictionem constituit, objici potest. Aut Deum non cognosciturum ens rationis ab alio efformatum, aut ficturum, sicut alter fingit. Fundamentum esse potest: quia, vt Deus cognoscat fictionem alterius intellectus erga obiectum, est necessarium quod cognoscat obiectum, vt repræsentatur ab actu fingente; sed cognoscere obiectum, vt repræsentatur ab actu fingente, est fictio obiecti: ergo vel Deus non cognoscit fictionem erga obiectum, ac per consequens neque ens rationis, vel si illam cognoscit, fingit. Discursus est legitimus, & minor certa videtur: nam cognoscere obiectum eo modo, quo repræsentatur ab actu fingente, est cognoscere obiectum modo ficto, vt apparet in hoc actu fingente *alter Deus est possibilis*, cuius obiectum non potest cognosci eo modo, quo per talem actum repræsentatur, nisi cognoscatur *alter Deus, vt possibilis*, quod, quia cognoscit intellectus, in quo residet talis actus, fingit. Probatur Mai. si Deus non cognosceret obiectum cognitionis fingentis, eo modo quo per ipsam repræsentatur, non poterit ferre iudicium de tali cognitione, vt reputet ipsam potius fictionem, quàm non fictionem erga obiectum, cum clarum sit, quod qui ignorat, quid aut quomodo cognitio obiectum suum repræsentet, non potest similiter iudicare: an sit obiecto conformis, aut disconformis: ergo vt Deus cognoscat fictionem alterius intellectus erga obiectum, opus est, quòd cognoscat obiectum, vt repræsentatur per talem actum intellectus fingentis.

68 Probat Argumentum: nec nos posse cognoscere falsitatem, quæ est in intellectu alterius, quin similem falsitatem in nostro contrahamus. Vndè omnis, qui Catholicè impugnat errores, & hæreses alterius dùm causam veritatis agit, Hæreticus esset reputandus propter admissionem in suo intellectu errorum, quos in intellectu alterius extitisse, aut existere cognoscit: quòd si in nobis tàm apertè fallit, vt ipsa experientia cognoscendi errores aliorum absque errore proprio facilè ostendit: quid efficaciæ manebit pro intellectu divino?

69 Dicendum ergo est. Quòd sicut Deus cognoscit nostras intellectuales obscuritates, abstractiones, confusiones, dubitationes, & alios modos cognoscendi, qui sunt imperfectiones intellectus nostri; quin ideò ipse abstrahat, confundat, non discernat, aut dubitet: sic cognoscit nostras fictiones, quin fingat, aut det intentionaliter obiecto esse, quod in se non habet, quorum fundamentum est: quia ille modus imperfectè cognoscendi, qui in nobis est, se habet purè obiectivè, non subiectivè in mente divina; & ideò licèt cognoscat obiectum, vt à nobis fictum, illud non fingit: ex quo, ad formam, qua probatur assumptum, disting. mai. vt Deus cognoscat fictionem alterius intellectus erga obiectum, est necessarium, quod cognoscat obiectum, vt repræsentatur ab actu, ly *vt repræsentatur* habente se purè *obiectivè* in mente divina, concedo maiorem: habente se *subiectivè* in mente divina: nego maiorem, & disting. min. cognoscere obiectum, vt repræsentatur per actum fingentem, est fictio obiecti, si ly *vt repræsentatur* se habeat *purè obiectivè*: nego min. si se habeat *subiectivè* concedo minorem: & nego consequentiam. Indè facilè constat ad maioris probationem, quæ sub eadem distinctione est admittenda.

70 Instant: actus intellectus fingens; v. g. *Alter Deus est possibilis* dicit ordinem transcendentalem ad obiectum, eo modo quo illud repræsentat; sicut imago ad imaginatum, repræsentatio ad repræsentatum; sed implicat cognoscere ordinem transcendentalem ad terminum, incognito

termino : ergo implicat Deum cognoſcere actum illum fingentem, dicentem reſpectum tranſcendentalem ad alterum Deum, vt poſsibilem, incognito altero Deo, vt poſsibili: Aſt cognoſcere alterum Deum, vt poſsibilem, eſt fingere, cum non ob aliam rationem fingat intellectus creatus, niſi quia cognoſcit alterum Deum, vt poſsibilem: ergo implicat Deum cognoſcere fictionem, & entia rationis in fictione noſtri intellectus conſiſtentia, quin fingat.

71 Omiſsis ſolutionibus Alarcon, & Baſilij Legionenſis, quorum primus diſp. 3. cap. 8. num. 3. dicit, per cognitionem, qua Deus cognoſcit relationem, non cognoſcere terminum: quia alias abſtractivè cognoſceret, & ideò quamvis cognoſcat actum creatum terminatum ad ens rationis, non cognoſcere ens rationis. Secundus in quodlibetis quæſt. 8. Scholaſtica, cap. 4. in 2. concluſione affirmat, nullum actum intellectus dicere ordinem realem ab obiectum cognitum præcipuè, quando obiectum non eſt actu, vt repræſentatur per cognitionem intellectus, quæ difficilimæ ſunt, vt potè non benè cohærentes cum cognitione perfectiſsima, & comprehenſiva noſtrorum actuum, quæ Deo negari nequit: etenim, ſi Deus non cognoſcat illud, ad quod vna cognitio præ alia terminatur, quomodo poterit diſcernere inter actum verum, & falſum, quorum veritas, & falſitas deſumitur per ordinem ad conformitatem, aut diſconformitatem, quam habet cum obiecto eo modo, quo per ipſos repræſentatur? Quomodo poterit vnum cum altero non confundere, & actum, cuius obiectum eſt chymera, ſivè verè, ſivè falſò attacta, non reputare proportionatum obiecto poſsibili? Dicendum cum Turriano in ſelectis opuſculo 7. diſput. 4. dub. 8. approbato ab Aldrete diſp. 20. de Scientia ſect. 1. num. 13. Deum cognoſcere terminum illius cognitionis: propterea quod cognoſcat cognitionem dicentem ordinem tranſcendentalem ad ipſum, neque valeat cognoſci ordo tranſcendentalis ad terminum, quin cognoſcatur terminus, vt benè ſupponit inſtantia; cæterum non cognoſcere terminum ſiſtendo in illo iuxta modum cognitionis fingentis; ſed illi diſſentiendo eo modo, quo per talem cognitionem repræſentatur, prout explicatur his terminis: *Alter Deus, qui per hunc actum creaturæ repræſentatur, & proponitur, vt poſsibilis, non ita eſt; ſed impoſsibilis, & in re impotens exiſtere*, quomodo fictionem corrigit, & errorem, qui in alio intellectu eſt, depellit à ſe. Neque modus iſte cognoſcendi, ita ſpecialis eſt Deo, vt in nobis etiam non ſit perceptibilis: nam, vt iam notavimus, dum errores hæreticorum cognoſcimus; v. g. Arianam hæreſim *Filius eſt creatura*, cognoſcimus actum intellectus Arij, quò id iudicabat, & ſimul obiectum, & terminum, ad quem reſpectum dicebat cognitio falſa ipſius; quin propterea hæreſim Arianam admittamus, quam corrigimus per actum ſic tendentem: *Filius creatura, vt ab Ario putabatur, non exiſtit.*

72 Ad formam conceſſa maiori, diſtinguo minorem: implicat cognoſcere ordinem tranſcendentalem ad terminum, incognito termino, *ſivè per aſſenſum, ſivè per diſſenſum* concedo min. *determinatè per aſſenſum*: nego minorem: & diſtinguo conſequens. Implicat Deum cognoſcere actum illum fingentem cum reſpectu tranſcendentali ad alterum Deum, vt poſsibilem, incognito altero Deo, vt poſsibili, ſivè *per aſſenſum, ſivè per diſſenſum*, concedo conſequentiam; *determinatè per aſſenſum*, nego conſequentiam. Ad minorem ſubſumptam ſimiliter diſtinguo: cognoſcere alterum Deum, vt poſsibilem, *per aſſenſum*, eſt fingere, cum non ob aliam rationem, &c. concedo minorem; *per diſſenſum*, nego minorem, & conſequentiam.

73 Deſcendit quintò. Non entia, ſivè veritates negativæ, & excluſivæ entium poſitivorum ſunt obiectum materiale Scientiæ divinæ. Propoſitionem vltra illa generalia loca Scripturæ in quibus dicitur Deus *omniſcius* ſine vlla exceptione, probant ſpecialiter textus Apoſt. ad Rom. cap. 4. *Vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt*; id eſt videt, & cognoſcit tàm ea, quæ ſunt; quàm ea, quæ non ſunt, vt vertit noſter Cornelius ex communi interpretatione PP. & DD. ſed non poteſt videre ea, quæ non ſunt, niſi cognoſcat *non eſſe* earum: ergo cognoſcit Deus rerum poſitivarum *non eſſe* per quod ab exiſtendo excluduntur.

Eiuſ-

Eiusdem Apost. 2. ad Corinth. cap. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*, id est: qui fecit lucem tenebris succesisse, vt exponit. D. August. lib. 1. Contra adversarios legis cap. 8. apud eundem Cornelium in Genes. cap. 1. Sed qui sapientissimè inter extrema successionem constituit, debet cognoscere extrema: ergo si Deus cognoscit lucem, cognoscit etiã tenebras, sivè lucis defectum: Genes. cap. 1. *Et divisit lucem à tenebris, appellavitque lucem Diem, & tenebras noctem*; divisit, & appellavit providentissimè quidem: ergo cognovit ea quæ divisit; & ea, quibus nomen imposiuit; sed vnum ex cognominatis, & divisis, fuit defectus lucis, qui per tenebras, & noctem significatur: ergo cognoscit Deus defectum lucis, sicut & defectus reliquarum rerum, cum non sit potior ratio pro vno defectu rei positivæ; quàm pro defectibus reliquarum.

74 Ratione probatur: quia vt recte Izquierdo Prop. 2. q. 5. disput. citatæ non entia per se, & in se habent suo modo veritatem obiectivam, terminativamque cognitionis verę, eodem ipsissimo modo, quo verum obiective est *realiter non existere id, quod verè & realiter non existit*: ergo non entia, sivè rerum positivarum formalia exclusiva in se valent terminare cognitionem verè affirmantem de ipsis id, quod verè, & propriè obiectivè secundùm propriam naturam, & conditionem sunt: ac per consequens continentur sub ratione *quæ mativa*, & *determinativa* intellectus divini ad sui cognitionem, quod est esse obiectum materiale ipsius. Vlterius: non minus est per se, & in se verum: *Alterum mundum non existere, & alterum Deum esse impossibilem*; quàm est verum *existere hunc mundum, esse possibilem alium, & existere vnum Deum*; sed, quia hæc vera obiectivè in se sunt, reputantur obiectum materiale Scientiæ divinæ: ergo quia illa vera obiective in se sunt, inter obiecta materialia sunt reputanda.

75 Tertiò: quia secluso aliquo statu negativo exclusivo rerum positivarum, qui verè suo modo sit, & vt talis à nobis concipiatur, imperceptibile semper mihi fuit verificativum propositionis negantis existentiam; quod, si vnicè consisteret in existentia rei attactæ negativè per actum, daretur æqualiter quando res existit, ac quando res deficit, cum existente re, possit dari actus intellectus falsò negans existentiam illius, quod si tunc talis actus non est verus, quamvis detur existentia rei attacta negativè per actum, ideo est: quia pro sui veritate deficit aliquid ex parte obiecti ipsi, quod suo modo non existit quando existit entitas, & suo modo proportionato ad verificandum actum existit, quando deficit entitas; sed hoc, quod deficit, quando entitas existit, & existit quando entitas deficit, non est aliquid positivum: quia, vt positivum vnum deficiat, non est ex se necessarium existere aliud positivum: ergo status aliquis obiectivus exclusivus rerum positivarum est verè conceptibilis per intellectum, & verè pro modo ipsius affirmabilis per cognitionem.

76 Cum hac doctrina non compono, quid sibi velit citatus Izquierdo asserens ex vna parte non entia per se immediatè, & in se ipsis cognosci à Deo propria, & speciali cognitione, qua ratione sunt in se ipsis obiectivè vera, id benè probans fundamentis proximè relatis cum Vazquez, Tanero, Alarcon, Herice, Gaspar Hurtado, & alijs. Et ex alia: proposito dubio, qualiter Deus cognoscit negationes rerum, tàm possibilium, quàm impossibilium? Respondens: veras negationes, seu veritates negativas quibus omnes res tàm possibiles, quàm impossibiles excluduntur ab statu existentiali, eatenus cognoscere Deum, quatenus per iudicia negativa verè iudicat, ipsas res non existere, qualia sunt ista: *Petrus non existit, alter Deus non existit*, quæ quidem iudicia non in aliud, quàm in res ipsas tendunt modo quodam recessivo, seu exclusivo, eoque iure vera sunt, quia intentionaliter excludunt ab statu existendi eas res, quæ verè excluſæ ab illo, sivè non existentes sunt. Possibilitatem autem huiusmodi existentialium negationum rerum non aliter iudicare Deum, quàm iudicando posse res ipsas non existere; quippè possibilitas negationis cuiusvis rei, aliud non est re ipsa à potentia, quam ipsa res secum identificatam habet ad non existendum. Sic propositione 1. quæst. citatæ num. 52.

77 Ratio difficultatis mihi est: nam si non entia, & rerum negationes in se, & per se immediatè cognoscuntur à Deo propria, & speciali cognitione, qua ratione sunt in se ipsis obiectivè vera in se, & per se, prout sunt exclusio-

nes entis positivi, habent existentiam, & possibilitatem sibi proportionatam, in quas possit tendere divina cognitio accedendo ad ipsas, & non purè recedendo ab ente positivo, imò nec poterit recedere ab ente positivo, quin accedat ad non esse illius tanquam ad verificativum iudicij recessivi ab ente positivo, veluti ad quid suo modo distinctum ab ente positivo, aliàs nulla esset ratio, vt potius diceretur *non esse entis positivi, quàm esse entis positivi*: ergo si Deus cognoscit ens positivum deficere, & non per ipsum ens positivum; sed per non esse entis positivi ad alium conceptum obiectivum, vltra ens positivum; debet terminari accedendo intentionaliter ad ipsum, dum ab opposito ente intentionaliter recedit. Dicendum igitur est: semel statuto obiectivo conceptu *non entium*, seu negationum rerum positivarum, Deum ad eos conceptus obiectivos intentionaliter accedere tanquam ad verificativum iudicij negantis rei existentiam.

78 Explicatur: vel dum Deus cognoscit *Petrum deficere, esse verum* cognoscit præcisè, Petrum potentem deficere, & actum negantem illi existentiam; vel aliquid aliud vltra hæc? Si primum: ergo, vt Petrus vere deficiat, nihil aliud requiritur præter Petrum potentem deficere, & actum negantem illi existentiam; vnde quando cognoscit meum actum falsum, quo de Petro existente iudico *non existere*, cognoscet esse verum à Petro potente deficere, & ab existentia actus negativi. Si secundum: ergo aliquid aliud cognoscit: non positivum: quia vt deficiat positivum, necessarium non est positivum: ergo aliquid negativum, quod non sit ens, idque vt existens suo modo, qua ratione requiritur, vt propter suam incomponibilitatem cum ente, illud excludat. Demùm: si actus, quo Deus cognoscit negationes rerum, præcisè tendit ad ens positivum modo recessivo: vbi est illa specialitas cognitionis, qua Deus cognoscit non entia per se immediatè, & in se ipsis, qua ratione sunt in se obiectivè vera? Siquidem cognitio, quæ solum habeat pro obiecto ens positivum, immeritò dici valet cognitio specialis non entis obiectivi ab ente positivo suo modo distincti.

79 Contrà propositionem objiciuntur primò. D. Dionysius de divin. nomin. cap. 7. & D. Thom. 1. part. q. 14. art. 10. negantes privationibus, & negationibus cognoscibilitatem in se, & tantum concedentes in habitu, quem removent. Verba D. Thom. referentia D. Dionysium ea sunt: *Sic autem est cognoscibile vnumquodque secundum quod est: vnde cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum, quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala; sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Vnde dicit Dionysius 7. cap. de divinis nominibus, quòd Deus per se metipsum tenebrarum accipit visionem non aliunde videns tenebras, quàm à lumine.* Respondeo: doctrinam vtriusque verissimam esse, & non adversam nobis, quod non aliunde, quam ex ipsomet D. Thom. est comprobandum: asserit enim duo: Primum: non posse bonum à Deo perfectè, & comprehensivè cognosci incognito malo privativo, quo removeri potest, cum sit aliquid ad bonum pertinens, tanquam ipsi aceidens Audiatur in corpore articuli ante verba relata: *Respondeo dicendum, quòd quicumque perfectè cognoscit aliquid, oportet, quòd cognoscat omnia, quæ possunt illi accidere; sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, vt per mala corrumpantur. Vnde Deus non perfectè cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala.* Per hæc non excludit cognitionem mali privativi in se, sed potius confirmat ibi: *Vnde Deus non perfectè cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala.* Secundum: cum S. Dionysio. Privationem nisi per id quo privat, non posse cognosci, vt continetur in verbis obiectis, in quibus non negat privationes, & negationes habere cognoscibilitatem in se; sed duntaxat, quòd non possunt cognosci independenter ab eo bono, quo privant, & ad quod respectum dicunt. Consequenter quidem ad prius dicta: nam sicut dixerat D. Thom. bonum non posse perfectè cognosci à Deo, incognito malo privativo, à quo corrumpi potest, & in hoc sensu non nisi per malum privativum; sic post de malo privativo dicit non posse cognosci perfectè à Deo incognito bono, quo privat; & in hoc sensu cum S. Dionysio non nisi per bonum, quod excludit.

80 Objicitur 2. Arist. lib. 1. posteriorum cap. 2. docens *non sciri ea, quæ non sunt*; sed si non entia haberent statum obiectivum verè conceptibilem ab intellectu, quæ non sunt, scirentur: ergo non entia, seu negationes rerum positi-

va-

varum nequeunt iuxta Aristot. esse obiectum materiale cognitionis. Respondetur: Aristotelem non dixisse absolutè, *quæ non sunt, non sciri; sed quæ non sunt, non sciri esse.* Quia hoc modo non scirentur; sed potius ignorarentur per cognitionem ipsa attingētem aliter ac suo modo sunt; at quod cognoscantur, vt quæ non sunt in se positivè; sed vt pura exclusio illius, quod ens positivum est, non negavit Phylosophus, nec facilè ab aliquo potest negari, nisi negando defectus necessarios rerum impossibilium, & contingentes rerum contingentium.

81 Verùm, vt propositionem non *sciri ea, quæ non sunt* in sensu vniversali defendant, insistunt à ratione obijcientes tertio: quæ non possunt cognosci nisi falsò, inscibilia sunt: at quæ entia non sunt, non possunt cognosci, nisi falsò: ergo nec sunt scibilia. Maior est certa: nam quæ non possunt cognosci nisi falsò, non possunt cognosci, nisi aliter ac sunt, quod est ignorare; potius quam scire. Probatur minor: propositio, atque cognitio ab eo quod res non est, dicitur falsa: sed cognitio eorum, quæ non sunt entia, tenderet in id quod res non est: ergo ab illo semper falsificaretur, ac per consequens non nisi falsò sempèr cognoscerentur non entia. Respondetur concessa maiori negando minorem: ad cuius probationem rogo: per quid verificetur hæc propositio, *Petrus non existit*, quando in re Petrus non existit? Nam non *ab esse Petri*, per quod potius falsificatur; non *ab eo quod res non est*: quia per te, inde potius sumit falsitatem: ergo hæc propositio, *Petrus non existit* non existente Petro inverificabilis est: quare dicendum pro omnibus: illud axioma *ab eo quod res non est, propositio, & cognitio redduntur falsæ* intelligendum esse de *re*, provt significat obiectum, & de *non esse*, provt denotat disconformitatem obiecti ad modum, quo repræsentatur per actum, sivè hæc disconformitas ex parte obiecti constituatur per aliquid positivum, sivè per aliquid negativum, ita vt sensus sit: *ab eo, quod obiectum non se habeat, sicut repræsentatur per actum, propositio, & cognitio dicuntur, & sunt falsæ, sicut ab eo, quod obiectum se habeat conformiter, ad modum, quo repræsentatur per actum, propositio, & cognitio dicuntur, & sunt veræ.* Vndè nihil pro indeficiente falsitate cognitionis tendentis in non esse rerum positivarum.

82 Obijciunt quartò: Non ens in se nihil est: ergo Deus, & quivis alius cognoscens *non ens*, nihil cognoscit: sed nihil cognoscere, est non cognoscere: ergo nec Deus, nec quivis alius habet cognitionem non entium. Distinguo consequens enthymematis constituentis maiorem: ergo Deus, & quivis alius cognoscens *non ens*, nihil cognoscit ly *nihil* negante, tàm *esse actus*, quàm *obiecti* nego consequentiam: ly *nihil* negante tantum *esse obiecti*, concedo consequentiam, & distinguo minorem subsumptam: *nihil cognoscere*, est non cognoscere quando *nihil* negat *esse actus*, concedo minorem: quando negat præcisè *esse obiecti*, nego min. & consequentiam. Itaque nihil cognoscere in vulgari modo loquendi, non denotat, dari actum tendentem in nihilum obiectivum; sed potius nullum dari actum sive tendentem in positivum, sive in negativum, quod non verificatur in cognoscente nihil obiectivum, sive non esse entis positivi, quæ distingues benè, si placeat, per *nihil antepositum cognitioni*, & *nihil cognitioni postpositum*, ex quibus nihil *antepositum cognitioni* significat non cognoscere, & nihil *cognitioni postpositum* significat cognitionem tendere in nihilum.

83 Obijcies quintò: cognitio vera, & scientifica, qualis esse debet cognitio divina tendens in non entia positiva, debet esse similitudo positiva cum obiecto; sed similitudo positiva cū non ente, seu non positivo esse non potest: ergo neque cognitio in Deo vera, & scientifica non entium. Respondeo: similitudinem intentionalem non conformari quoad esse cum obiecto, cuius est similitudo, in quo differt à similitudine physica: sic cognitio in se non substantialis est similitudo intentionalis substantiæ, & quod in se divinum non est, vt visio beatifica est similitudo intentionalis Deitatis, nam cum videamus Deum facie ad faciem, tunc similes ei erimus: ergo licèt cognitio sit similitudo intentionalis quoad esse positiva, poterit intentionaliter exprimere obiectum, quod in se positivum non est.

84 Obijciunt sextò, inculcantes veritatem obiectivam, & cognoscibilitatem esse propriam passionem entis rea-

realis, quæ convenire non poteſt non enti, ſeu negationibus entis. Cui difficultati iam ſupra ſatisfecimus, dum pro impugnanda cognitione impoſsibilium obiectivorum fuit oppoſita, in quo nihil ſupereſt addendum: videantur ibi dicta, & vbi par eſt difficultas, par ſit etiam ſolutio.

85 Obijciunt ſeptimò: admittere conceptus obiectivos negativos verè ſuo modo cognoſcibiles, & verè ſuo modo exiſtentes, potius quam non exiſtentes, eſt concedere aliquid obiectivum, quod in quantum potius ſuo modo eſt; quam non eſt, participat rationem entis poſitivi, & quatenus aliunde nihil poſitivum eſt, ſe implicat chymæricè in ſuo eſſe coniungens prædicata entis poſitivi, & negativi, quo reditur innutile ad excludendum, ſivè impoſsibile, ſivè contingens, quæ non excluduntur, niſi vel per neceſſarium, vel per contingens, quale non eſt, quod in ſe implicat. Inſto: in poſsibilitate rerum contingentium, quæ dum pura poſsibilitas eſt, non exiſtit, & tamen cognoſcitur, & obiectivè potius eſt; quàm non eſt ſuo modo, ſicut entitas potius eſt poſsibilis, quàm non poſsibilis, aut impoſsibilis, nec ideo eſt conceptus chymæricus ſe implicans in ſuo eſſe, per admixtionem oppoſitorum in ſe. Deinde reſpondeo: conceptus obiectivos negationum, & privationum rerum poſitivarum, neque quia cognoſcibiles ſunt, neque quia in ſua linea potius ſunt, quàm non ſunt, participant aliquid ita proprium entis poſitivi, vt ſit ab illo mutuò inſeparabile: etenim quæ non ſunt eodem modo cognoſcit Deus, ac ea, quæ ſunt, & in eodem ſenſu, quo potius verificant; quàm falſificant actum tendentem in res, vt non exiſtentes, aut in non exiſtentias rerum, ſunt potius ſuo modo; quam non ſunt, quod tam longè eſt ab eo, quod ſint aliquid poſitivum proprium ſolummodo entis realis, vt potius ſi ita eſſent in ſuo modo exiſtendi, deſtruerentur: ſiquidem tantùm poſſunt exiſtere negativè, & in quantum verificant rem potius non exiſtere, quam exiſtere: in quo dum ſiſtunt, nihil contradictionis in ſuo quali quali eſſe includunt.

¶ Rogabis primò: qua ratione intelligendi ſint aliqui Authores, qui abſolutè proferunt eſſe de fide: Deum cognoſcere impoſsibilia, & rerum negationes, quando tanta controverſia eſt circa cognoſcibilitatem impoſsibilium, & non entium? Reſpondeo: prædictos Authores, nihil aliud velle ſignificare, niſi quod Deus cognoſcit quidquid veritatis correſpondet terminis, quibus ſignificamus aliqua, vt impoſsibilia, & alia vt non exiſtentia, quod veriſsimum eſt, & tam de fide, ac eſt, Deum nullam veritatem ignorare: cum quo cõponitur controverſia circa quidditatem talium veritatum, & circa obiectum eis correſpondens: non aliter, ac eſt de fide Deum benè operantibus conferre gratiam efficacem; verum qualis ſit hæc gratia efficax; an connexa intrinſecè; an tantùm extrinſecè? An in actu intellectus, & voluntatis conſiſtat: an verò in alia qualitate non vitali, ſiuè in decreto Dei? Controverſum manet apud Catholicos DD.

86 Rogabis ſecundò. An inter recenſita, vt obiectum materiale diuinæ cognitionis numeranda etiam ſint mala, quæ in triplici differentia conſiderantur, ſcilicèt: *mala naturæ, culpæ, & pœnæ*? Reſpondeo affirmativè: tum quia triplex hæc malorum ſpecies comprehenditur ab Scriptura ſub obiecto diuinæ ſcientiæ. Mala enim naturæ. Sapientiæ cap. 8. dum dicitur *Monſtra ſcit antequàm fiant.* Mala culpæ. Amòs cap. 5. *Cognovi ſcelera veſtra.* Et mala pœnæ eiuſdem Amòs cap. 3. *Si eſt malum in Civitate, quod non fecerit Dominus*, ac proinde non cognoverint. Tum ratione: Quia aut omnia mala iſta conſiſtunt in poſitivo, aut in privativo, aut partim in poſitivo, & partim in privativo? Si in poſitivo: cum reliquis poſitivis: ſi in privativo, cum reliquis privativis: ſi partim in poſitivo, & partim in privativo, partim etiam cum poſitivis, & partim cum privativis numerari debent, vtpotè, quæ ſive poſitiva ſint, ſive privativa, habent ſuam veritatem, & conceptum obiectivum, cui divina ſcientia poſsit ſe conformare in repræſentando, quo dato, ſi divini intellectus aciem ſubterfugerent, Deus ex parte ignarus conſtitueretur. Intereſt tamen diſcrimen obſervandum in his malis: quòd ea, quæ ſunt naturæ, aut pœnæ, non modo ſunt obiectum materiale ſcientiæ; ſed ſcientiæ approbativæ; aſt mala culpæ, & ſi ſunt obiectum materiale ſcientiæ; nunquam tamen ſcientiæ approbativæ, propter quam exceptionem ſæpè dicuntur in

ſa-

sacris litteris à Deo non cognosci, ita Abacuc cap. 1. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum.* Et Psalm. 100. *Declinantem à me malignum non cognoscebam*, non ad significandam exclusionem omnis notitiæ; sed talis determinatæ: nempè *approbativæ*, vt explicuit D. August. super prædictum locum Psalmi exponens: *Quid est non cognoscebam? Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoscere enim in Scripturis invenimus aliquando pro eo, quod est placere nobis.* Et libr. 2. quæstionum, quæst. 152. consequenter dixit: *Deus dicitur scire, quæ illi placent; nescire, quæ displicent; non quia ignorat ea; sed quia non approbat.*

CAPVT IV.

An conceptus obiectivi distincti à Deo, sint in se ipsis obiectum materiale divinæ cognitionis?

87 ID quod sub præfixo quæstionis titulo proponitur, idem est, ac quod alijs communiter dicitur, seu proponitur, scilicèt: Vtrum Deus cognoscat creaturas secundum suum esse proprium, & formale, & non solùm secundùm eminentiale, quod habent in Deo? Nam licèt dubitari apud Catholicos nequeat: Deum cognoscere non modo se ipsum; verùm alia distincta à se, vt manet in antecedentibus probatum, restat tamèn controversia cum vno, vel altero theologo, de modo, quo Deus distincta à se cognoscat: an, scilicèt, per cognitionem, cuius obiectum immediatum sint creaturæ, & reliqua distincta à Deo; an verò per cognitionem, cuius obiectum immediatum sit Deus tantùm, in quo reliqua omnia continentur?

88 Deum cognoscere creaturas non immediatè in se adhùc materialiter; sed solum in essentia divina præcontentiva earum tenet Aureolus apud Capreol. in 1. dist. 35. quæst. 2. taliter, vt creaturæ, & reliqui conceptus obiectivi distincti à Deo non aliter dicantur cogniti, quàm denominativè ab essentia, quæ sola terminat propriè, & strictè divinam scientiam. Ast Aureolum hoc non sensisse, defendunt alij, cum quibus Aldrete, disput. 18. de Scientia, sect. 1. Aureolum interpretatur, ita vt tantùm voluerit nihil distinctum à Deo secundum suum esse, & conceptum, ita terminare divinam cognitionem, vt sit obiectum motivum, & formale ipsius adhùc secundarium, in quo non discrepat à multis alijs Theologis in hoc sensu asserentibus: Deum non cognoscere creaturas immediatè in se ipsis, quibus ex nostris adhæserunt Molina, & Suarius: neque adhùc in modo loquendi multum distare ab Aureolo, Valentia, prim. part. disput. 1. quæst. 14. punct. 7. colum. 2. dicens, implicare contradictionem, vt ea, quæ à Deo nunquam causantur, qualia sunt purè possibilia, terminent obiectivè divinam scientiam secundum esse suum distinctum, distinctum à suis causis in quibus continentur.

89 Verùm ipse Aldrete post studium conciliandi mentem Aureoli cum sensu aliorum DD. fatetur, plura dicere quoad cognitionem creaturarum, quæ non facilem patiuntur explicationem: huiusmodi sunt ea, quæ habet in prim. distinct. 35. part. 2. art. 2. §. *Responsio ad ea*, ita habens: *Deus non intelligit creaturas terminativè, quod ipsæ terminent intuitum divinum, neque in esse reali, neque intentionali; sed alio terminante, videlicèt divina essentia, ipsæ dicuntur determinativè intelligi*: per quæ, & alia similia, quæ habet art. 1. videtur negare creaturas cognosci à Deo, non modo in se ipsis, eo sensu quo volunt alij Theologi, in quantum secundum esse proprium non sunt ratio motiva, & determinativa intellectus divini; sed insuper absolutè, in quantum nullo modo cognoscantur à Deo secundum proprium esse: vndè liquet, non adeò clarè manifestari impostoram Capreoli, vt aliqui intendunt, quando post benignam intelligentiam semper remanet dubia mens Aureoli dicente Mayrone, in prim. dist. 36. quæst. 4. quòd eius dicta possunt benè, & malè intelligi; pro cuius sententia rigidè intellecta, citat Herrera Pasqualigium, disput. 23. de Scientia, sect. 4. num. 28. quamvis de hoc Authore facilius credam, discessisse duntaxat in modo loquendi à reliquis Theologis.

90 Cuius fuerit hæc sententia intellecta, vt vulgus fert pro singulari iudicio, quo Aureolus à reliquis Theologis

gis se discrevit, negans omni distincto à Deo cognoscibilitatem in se, respectu divinæ cognitionis, non modo formaliter, & motivè; sed insuper materialiter, & terminativè, omninò reijcienda est tanquam malè audiens apud Doctos viros, & vt certum statuendum: Deum cognoscere creaturas, & omnia à se distincta in se ipsis materialiter, & secundum proprium esse, & conceptum, quomodo non sunt præcisè eminenter, & præcontentivè in essentia divina. Cōclusionem suadent omnia illa ex Scriptura, & Patribus non semel ponderata, ex quibus constat extensio, vniversalitas, distinctio, & claritas divinæ cognitionis, quæ si tantum ad Deum tanquam ad obiectum materiale terminaretur, vt indè alia extra se denominarentur cognita, absdubio diminuta, obscura, & inextensa remaneret; verùm specialiter, & maximè ad intentum præsens, sunt aliqua ex Scriptura expendenda, & ponderatione digna.

¶ Nam Genes. cap. 1. dicitur: Deus vidisse cuncta, quæ fecit in rerum exordio, reputando ea bona, tum particulariter, *& vidit Deus lucem quòd esset bona*, & sic de reliquis: tum etiam collectivè, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Iam sic: eodem modò vidit Deus cuncta, quæ fecerat esse bona, aut sygillatim, aut collectivè, quo ipsa erant bona, aut sygillatim, aut collectivè: sed creaturæ, & cuncta quæ Deus fecit, non modo erant bona præcontentivè in Deo; sed in se ipsis, & provt extra Deum posita: ergo non Deus solùm ea vidit, provt erant bona præcontentivè in Deo; sed provt erant bona in se ipsis, & extra Deum posita; sed videre ea bona in se ipsis, & provt extra Deum posita, est videre ipsa, non solùm secundùm esse eminētiale, quod habent in divina essentia, aut omnipotentia; verùm secundùm esse proprium, & formale, quod in se habent: ergo Deus cognoscit creaturas, non tantum secundum esse eminentiale, quod in ipso; verum secundum esse formale, & proprium quod in ipsis habent. Confirmatur. Aliquo speciali modo vidit Deus bona cuncta, quæ fecit, ac cuncta, quæ reliquit im producta, & potuit producere; sed cuncta, quæ improducta reliquit, & potuit producere, videbat bona secundum esse eminentiale, quod in ipso habent: ergo ea, quæ fecit, & de facto produxit, non vidit præcisè secundum esse eminentiale, & præcontentivum; sed secundùm esse formale, & præcontentum, quod in se habent.

91 Idem non leviter suadent verba illa Apostol. ad Hebræos, cap. 4. *Non est vlla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda sunt, & aperta oculis eius*: siquidem: quomodo non esset invisibilis creatura in conspectu Dei, quādo secundùm esse proprium creaturæ non esset visibilis; sed secundum esse eminentiale, qua ratione divinum quid est. Explico: Visio creaturæ eo tantùm modo, quo creatura non est, sicut redit creaturam non visam, sic arguit eam esse invisibilem in conspectu Dei, si aliter visibilis non sit Deo: sed visio creaturæ tantùm secundùm esse eminentiale, quod habet in Deo, est visio creaturæ eo tantùm modo, quo creatura non est: ergo, sicut redit creaturam non visam, sic arguit eam esse invisibilem in conspectu Dei, si aliter visibilis Deo non sit. Deinde, quomodo omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, si aliter quam involuta, & velata esse divino, à quo distinguntur, divinis oculis non patefiunt? Nudum videbitur, quod tantùm sub indumento, quod habet in esse divino conspicitur? Apertum erit quod duntaxat clausum in alieno esse, in quo continetur apparet? Debet ergo divina cognitio ad esse proprium creaturarum terminari, vt salva maneant, quæ de ipsa, & modo, quo Deus creaturas cognoscit, prædicat Apostolus.

92 Præsentissimus etiam debet esse ad intentum locus alter Ioann. cap. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat* posita virgula, seu distinctiuncula post *factum est*: iuxta lectionem quam approbant Cyril. August. Beda, Rupert. & alij apud Maldonat. in prædicto textu, ita vt sensus sit, quod factum est in tempore, antequam fieret in ipso, id est, in Deo vita erat; quod explicans D. August. libr. 5. de Genesi ad literam, cap. 14. & tract. 1. in Ioan. inquit: *Id ipsum, quod factum est, fuisse antequam fieret, & in se existeret, in mente divina, quæ Deus, & vita est, sicut Domus construenda in mente artificis*: ergo id ipsum, quod factum est eo modo, quo factum est, fuit in mente divina; sed factum est quidquid est factum secundum esse proprium, & non secundum esse eminentiale insactibile, & improducibile, sicut est ipse Deus, & di-

divina essentia: ergò quidquid factum est, in Deo ita erat antequàm fieret, in quantum secundum esse proprium existebat repræsentativè in divina cognitione, & mente, quod est formalissimè, Deum cognoscere creaturas secundum esse proprium, quod in se habent, prout contradistinctum ab esse eminentiali, quod habent in Deo.

93 Hùc expectare insuper videtur illud Psalmi 37. *Excelsus Dominus, & humilia respicit.* Et illud Sapientiæ cap. 7. *Attingit autem vbique propter suam munditiam: vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* In quorum primo proponitur, vt quid mirabile, divinam celsitudinem non deprimi ex eo, quod humilia, & vilia respiciat, ipsisque prouideat: ergo quia ipsa, vt humilia, & secundum esse proprium cognoscit: nam si tantùm secundum esse eminentiale videret, quid mirandum, aut cum divina celsitudine componendum? Etenim sic nihil humile conspiceret; sed se ipsum vnicè, in quo nihil est vile; imò potius omnia æquè sublimia, ac est ipse Deus, in quo continentur. In secundo occurritur difficultati, quæ aliquibus suboriri posset, censentibus divinam mentem quodammodò coinquinari ex eo, quod vilia quædam, & turpia conspiceret, quæ non solvitur per id, quòd divina Scientia ea in esse vili, & turpi non attingat; verum in esse purissimo in quo continentur; quomodo esset in promptu manifestare, vt difficultatem extingueret; sed potius supposita vilitate, & immunditia obiectiva, recurrit ad munditiam subiectivam ibi: *Attingit autem vbique propter suam munditiam*, & quia incapax est coinquinationis ex obiecto, *cum sit vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei sincera* (attende) *& ideo nihil inquinatum in eam incurrit*, quod ita accipiunt PP. vt non aliter, quàm exemplo puritatis subiectivæ radiorum solis explicent. Audiatur inter alios Nemesius Episcopus Emisenus lib. de natura hominis cap. 44. §. 4. apud Ruiz disp. 9. sect. 5. *Aut ob superbiam Deus imperium, & gubernationem rerum singularium despicit, quod dictu absurdissimum est, aut, vt ipsi loquuntur, quod inquinationem deuitet. Quod si cum radij solares vim habeant attrahendi humorem omnem, negant inquinari solem, eiusque radios cum cœno lucem inferunt; sed integros, & ab omni sorde puros manere dicunt: quomodo Deum rebus humanis profanari existimant.* Videant: an solis radij attingant cœnum, & vilia alia, quæ illustrant in esse alio nobiliori, vt non coinquinentur?

94 Ex PP. quorum vna, & eadem mens est. Vnum, vel alterum proponam, quorum primus sit Dionysius de divinis nominibus cap. 7. distinguens inter creaturas præcontentas in divina virtute, & existentes in se, & sub vtraque consideratione tribuens Deo scientiam earum. Sic loquitur: *Etenim si secundum vnicam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eam vnicam scivit omnia, & ex ipso existentia, & in ipso ante substituta.* Secundus sit Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 14. in fine proponens, Deum ita omnia sua scientia pertingere, vt se inserat in corda, & cogitationes hominum, quomodo non se insereret, si per cognitionem divinam tantum extra se maneret. Verba sunt: *Quomodo non potest intelligibilis Dei splendo in cogitationes hominum, & corda semet, quæ ipse creavit inserere; sed ea, quæ ipse fecit, non vidit, & fecit, vt meliora fiant, quæ facta sunt, & potentiora, quàm ipse est, qui ea fecit, vt possint quando volunt cognitionem sui operatoris latere? Tantam igitur virtutem, & potestatem inservit mentibus nostris, vt eas comprehendere cum velit ipse non possit?*

95 Tertius. Augustin. lib. 10. de Civitat. Dei cap. 14. approbans ex Plotino Scientiam Dei vsque ad terrena, & ima pertingere, quod non faceret si intra esse Dei cingeretur, inquit: *De providentia Plotinus Platonicus disputat; eamque à Summo Deo, cuius est intelligibilis, atque ineffabilis pulchritudo vsque ad hæc terrena, & ima pertingere floscularum, atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia, quasi abiecta, & velocissimè pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi forma intelligibilis, & incommutabilis simul habens omnia perseverat. Hoc* (prosequitur) *Dominus Iesus ibi ostendit vbi ait, considerate lilia agri.* Quartus. Petrus Damianus Epistol. 4. de Omnipotentia cap. 7. clarissimè docens Deum omnia secundùm proprietates ipsorum cognoscere, quod non congrueret rebus incognitis secundum proprium esse, & tantum patentibus secundum alienum.

num. Procedit ita: *Vnico duntaxat, ac simplicissimo præsentissimæ maiestatis intuitu simul omnia comprehendit; nec hoc confusè, ac inexplicatè; sed omnia discernit, atque iuxta proprietatem suam quoque distinguit.* Sufficiant hæc in re clarissima, qui plura velit PP. testimonia, adeat Ruiz, disp. 9. de Scientia.

96 Ratione probatur efficacissimè primò. Esse eminentiale creaturarum distinctum quid est à creaturis: sed Deus cognoscit esse eminentiale creaturarum: ergo dum illud cognoscit, cognoscit quid distinctum à creaturis. Discursus est legitimus, & minor continet doctrinam ipsam adversariorum, aliàs nec Deus cognosceret creaturas in se ipsis, neque in esse eminentiali, quod in eo habent. Maior probatur, quamvis clarissima; siquidem esse eminentiale creaturarum est virtus divina præcontentiva illarum, quæ, vt potè quid divinum, qua tale, non est quid creatum, ac per consequens distinguitur à creatura. Iam procedo: aut Deus cognoscens esse eminentiale creaturarum distinctum à creaturis, cognoscit illud, vt distinctum, vel non? Si secundum: ergo neque cognoscit propriè, & perfectè suum esse, cum illud non cognoscat, vt distinctū ab omni nō ipso. Si primū: implicat cognoscere perfectè distinctionem, incognitis extremis illius prout sunt in se: ergo vel Deus non cognoscit perfectè distinctionem inter se & alia à quibus distinguitur, vel cognoscit se, & alia, prout sunt in se, & secundùm esse formale, quod habent: at cognoscere alia à se secundum esse formale, quod habent, est per cognitionem transire ad esse formale ipsorum; non sistendo præcisè in esse eminentiali: ergo vel Deus non cognoscit perfectè se ipsum, vel cognoscit creaturas in se ipsis. Confirmatur: esse præcontentum distinguitur ab esse præcontinente: ergo vel Deus ignorat hanc veritatem, quod dici nequit, vel cognoscit esse præcontentum creaturarum, prout distinctum ab esse præcontinenti, & eminentiali; sed cognoscere esse præcontentum, prout distinctum ab esse præcontinenti, & eminẽtiali, est cognoscere esse præcontentum in se; ergo vel Deus est ignorans, vel cognoscit creaturas in proprio earum esse.

97 Secundò: Eo modo cognoscit Deus creaturas, quo potest eas facere, & facit; Sed non potest eas facere, & facit secundum esse eminentiale, quod habent in sua virtute; Sed secundùm esse formale, & proprium, quod habent in se: ergo cognoscit creaturas non solùm secundum esse eminentiale, quod habent in virtute divina; verùm secundùm esse formale, quod habent in se. Min. est certa: quia eo tantùm modo possunt fieri, & fiunt creaturæ, quo sunt factibiles, & producibiles; sed non sunt factibiles, & producibiles secundum esse eminentiale, quod est divinum: ergo non potest Deus eas facere, & facit secundùm esse eminentiale, quod habent in sua virtute; sed secundùm esse formale, & proprium, quod habent in se. Maior probatur. Nam si eo modo, quo Deus potest facere, & facit creaturas, eas non cognosceret improvidè tantùm, & casualiter eas posset producere, & produceret: ergo eo modo cognoscit Deus creaturas, quo potest eas facere, & facit. Confirmatur: eo modo, quo creaturæ sunt terminus divinæ virtutis, cognoscuntur à Deo; sed sunt terminus divinæ virtutis secundum proprium esse, & formale: ergo cognoscuntur à Deo secundum esse proprium, & formale: Minor est certa; maior probatur. Eo modo, quo creaturæ sunt terminus divinæ virtutis, sunt obiectum alicuius decreti; sed qua ratione sunt obiectum decreti, cognoscuntur à Deo, nè voluntas feratur in incognitum: ergo eo modo, quo creaturæ sunt terminus divinæ virtutis, à Deo cognoscuntur.

98 Tertiò. Deum cognoscere creaturas ad modum alterius esse, à quo maximè distant, est cognoscere creaturas impropriè, & prout non decet omniscium, & sapientem infinitum; sed Deum cognoscere creaturas duntaxat secundum esse eminentiale, est eas cognoscere ad modum alterius esse, à quo maximè distant: ergo eas cognoscit impropriè, & prout non decet infinitè cognoscentem. Prob. min. Cognoscere creaturas duntaxat secundum esse eminentiale, ita vt cognitio non terminetur ad esse proprium, est cognoscere illas in esse à quo maximè distant, & ad modum entis divini, à quo cognitæ denominantur secundùm suum esse finitum, & limitatum; sed cognoscere esse finitum tantum in esse divino, est cognoscere illud ad modum alterius esse, à quo maxime distat: ergo cognoscere creaturas tan-

tantùm secundùm esse eminentiale, est eas cognoscere ad modum alterius esse, à quo maximè distant. Explicatur. Tam improportionata, & impropria redditur cognitio per excessum, quam per defectum: ideoque tàm impropria esset cognitio proponens obiectum materiale admodum spiritualis, quàm proponens spirituale admodum materialis: ergo tàm impropria erit cognitio proponens finitum ad modum infiniti; quàm infinitum ad modum finiti; at cognitio repræsentans finitum in solo obiecto infinito cognoscit finitum ad modum infiniti: ergo est cognitio impropria circa finitum.

99 Quartò. Esse eminentiale creaturarum in Deo præscindit ex se ab esse actuali earum, cum tàm coniungibile sit cum esse actuali creaturarum, quàm cum defectu illius; sed id quod, vt obiectum præscindit ab alio, non est id, in quo tanquam in obiecto solitariè accepto cognoscitur aliud: ergo Deus in esse eminentiali, quod habent creaturæ tanquam in obiecto solitariè accepto non cognoscit esse, aut non esse actuale creaturarum: sed Deus veritates pertinentes ad esse, aut non esse actuale creaturarum perfectè cognoscit, ne scientia infinita, diminuta potius sit appellanda: ergo prædictas veritates aliter quàm in esse eminentiali Deus cognoscit, ac per consequens in se ipsis. Quintò. Deus cognoscit improportionem terminativam, quam habent impossibilia præ possibilibus, & proportionem terminativam, quam habent possibilia præ impossibilibus, vt ab ipso fiant; sed hæc improportio, & proportio, aliter quam in ipsis terminativè cognoscibilis non est à Deo: ergo aliquid, quod non est Deus, necessariò secundum proprium conceptum, & esse formale, quod in se habet, debet terminare divinam cognitionem. Probatur minor. Omne, quod subiectivum est in Deo æqualiter se habet ad possibile, & impossibile, dicentibus non semel Doctoribus cum D. Anselmo, & Thoma improportionem impossibilium, vt à Deo fiant, non esse subiectivam ex parte Dei, qui æqualiter se habet ad possibile, & impossibile; verùm terminativam ex parte ipsorum; sed obiectum æqualiter se habens ad possibile, & impossibile non est aptum, vt ipsum solum terminativè ostendat inæqualitatem proportionis, & improportionis, quæ se tenet ex parte possibilium, & impossibilium: ergo improportio, & proportio impossibilium, & possibilium, vt à Deo fiant, aliter quam in se ipsis terminativè cognoscibilis non est à Deo.

100 Sextò. Specialiter in nostra sententia in qua ita Deus ponitur absolutissimè independens & inconnexus cũ omni non ipso, vt quatenus est ex se permittat, ea quæ sunt de facto possibilia fieri impossibilia, & ea, quæ sunt impossibilia, fieri possibilia; imò quod omnis conceptus obiectivus extra se deficiat, quin sit conceptibilis: vnde nullũ respectũ transcendentalem, adhùc sine connexione cũ termino dicit ad aliquid, quod non sit ipse: quo posito, vt nobis semper fuit probabilius, ob excellentiam diuinę perfectionis, fit clarum: Deum nullam suscipere denominationem per ordinem ad alia distincta à se, quæ non sit semiextrinseca, & similis ei, qua denominatur formaliter coexistens rebus, quę de facto existunt: ac propterea non posse in se solo terminativè cognoscere creaturas in quantum cognoscat esse eminentiale earum ex eo quod tale esse sit respectivum ad creaturas, & prout sic aliquid vltra Deum obiective involvens, quo non terminante diuinam Scientiam, id quod remanet intrinsecum Deo non potest esse sufficiens, vt adhuc denominativè sit repræsentativa creaturarum cognitio, quæ ad esse Dei tantũ terminetur.

101 Tamen pro contraria sententia obijci potest primò ex authoritate SS.PP. quibus frequentissimum est asserere. Deum non cognoscere creaturas in se ipsis, neque notitiæ ipsarum; sed sui, qui modus loquendi videtur maximè conformis sententiæ, quæ tribuitur Aureolo, & in nihilo ab ipsa discrepare. Assumptum planè constabit relatis aliquorum verbis: inquit Dionysius de diuinis nominibus cap. 7. paulò post medium: *Non igitur propriam sui notitiam Deus habet; aliam autem, quæ communiter ac generaliter ea, quæ sunt, omnia comprehendit: ipsa enim se ipsam omnium causa noscens nullo prorsus modo, ea quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hac ergo Deus ea, quæ sunt, noscit* (attende) *non rerum notitiæ; sed sui.* Consonat August. lib. de Genesi ad liter. c. 13. dicens: Deum extra se nihil cognoscere. Verba sunt: *Quis ergo tam sit demens, vt dicat non ea Deum fecisse, quæ*

noverat. Porrò ſi noverat: vbi nisi apud ſe ipſum, apud quem erat Verbum, per quod facta ſunt omnia? Nam ſi extra ſe ipſum ea noverat, quis eum docuerat? Et cap. 15. eiuſdem lib. explicans illa verba Ioan. cap. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: docet: *In qua vita vidit omnia quando fecit, & ſicut vidit ea; ita fecit non præter ſe ipſum videns; ſed in ſe ipſo.*

102 Anſelmus in Monolog. cap. 32. ait: *Verbum, quo creaturam dicit, nequaquam ſimiliter eſt verbum creaturæ: quia non eſt eius ſimilitudo; ſed principalis eſſentia: conſequitur igitur, vt ipſam creaturam non dicat verbo creaturæ: ſi ergo nihil dicit verbo creaturæ, quidquid dicit verbo ſuo dicit.* Vbi videtur, eo modo, quo negat in Deo Verbum creaturæ, & concedit Verbum ſolius Dei, negare etiam cognitionem creaturæ in proprio eſſe, & conceptu, & concedere ſolummodo cognitionem Dei; ſeu terminatam vnicè ad Deum, in quo reliqua denominantur cognita. S. Thom. de veritate quæſt. 2. art. 3. ad 5. exponens Ariſtot. & Dionyſium, abſolutè profert: *Deus ſe ipſum tantum cognoſcit in ſe ipſo; alia verò non in ſe ipſis cognoſcit; ſed cognoſcendo eſſentiam ſuam, & ſecundum hoc, Philoſoph. dicit, quod Deus tantum ſe ipſum cognoſcit, cui conſonat Dionyſius in ſeptimo capite de divinis nominibus, Deus (inquit) exiſtentia cognoſcit, non ſcientia, quæ ſit exiſtentium, ſed quæ ſit ſui ipſius.* Et explicans illud Auguſt. lib. 83. quæſtionum q. 46. *Non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur.* Inquit ad 1. in præſenti quæſt. 14. *Id dici ſolum ex eo, quod Deus id, quod eſt extra ſe ipſum non intuetur, niſi in ſe ipſo;* necnon 1. contra Gentes cap. 49. tenet, vt proprium dictum Dionyſij ibi: *Quam quidem veritatem expresè Dionyſius tradit ſeptimo capite de divinis nominibus dicens non ſecundum viſionem ſingulis ſe immittit; ſed ſecundum cauſæ continentiam ſcit omnia;* quæ quidem adeo clara videntur pro ſententia Aureoli, vt vlteriori explicatione non egeant.

103 Reſpondeo: mentem expreſſiſsimam Ss. PP. eſſe, vt vidimus, cognitionem Dei non ſiſtere tanquam in obiecto in ſe ipſo ſolo; ſed ad alia extra ſe, prout ſunt formaliter in proprio eſſe terminari; imò nec poſſe cognoſcere perfectè vlrtutem præcontentivam creaturarum niſi ad alia, ad quæ virtus ſe extendit, etiam mens divina ſe extenderet. Ita expresè D. Thom. in præſenti art. 5. docens: *Deus ſe ipſum perfectè intelligit: ſi autem perfectè aliquid cognoſcitur, neceſsè eſt, quod eius virtus perfectè cognoſcatur. Virtus autem alicuius rei perfectè cognoſci non poteſt niſi cognoſcantur ea, ad quæ virtus ſe extendit: vnde cum virtus divina ſe extendat ad alia, eò quod ipſa eſt prima cauſa effectiva omnium entium, neceſsè eſt, quòd Deus alia à ſe cognoſcat.* Et in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 5. initio corporis: *Non poteſt cognoſci potentia niſi ſciantur potentiæ obiecta, & quidem ſecundùm eſſe proprium: nam ſi de ſolo eminentiali procederet, nihil in re adderet, & tantum doceret non poſſe cognoſci potentiam niſi ſciendo, & cognoſcendo potentiam*, quod alienum eſſet à ſeria explicatione Angelici Doctoris.

104 Propterea, ſi quando Patres dicunt: *Aut Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis, aut per viſionem non ſe immittere ſingulis, aut nihil extra ſe poſitum intueri*, intelligendi ſunt, non vt negantes ſcientiam Dei terminari ad eſſe proprium creaturarum; ſed, vt volentes ſignificare non cognoſcere creaturas ſecundum eſſe formale ipſarum per ſpeciem acceptam ab ipſis, & per cognitionem inde phiſicè provenientem, cum Deus ex ſe ſit ſpecies ſimpliciſsima omnium, & inſuper non egere ad productionem creaturarum exemplari aliquo externo, à quo dirigatur. Primum ex D. Thom. colligitur in præſenti poſt medium, corp. vbi hæc habet: *In ſe ipſo cognoſcitur aliquid quando cognoſcitur per ſpeciem propriam adæquatam ipſi cognoſcibili: ſicut cum oculus videt hominem per ſpeciem hominis.* Ecce acceptionem cognoſcendi aliquid in ſe, id eſt, *per ſpeciem ab illo acceptam*, vtpotè cum tali eſſe adæquatam, & ad alia extra ipſum non ſe extendentem, vt accidit in viſione oculorum, quomodo Deus non cognoſcit alia à ſe, vt potè, qui eſſentialiter eſt determinatus ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile eſt, & ideo per ſuum eſſe eſt ſpecies omnium cognoſcibilium, qua acceptione retenta, iure dicitur Deus non cognoſcere alia à ſe in ſe ipſis, nec per viſionem ſingulis ſe immitere; cæterum per id non excluditur Deus à cognitione aliorum à ſe in ſe ipſis; & ſecundum proprium eſſe eorum, & conceptum ſenſu ſignificante alia diſtincta à Deo ſecundum ſe ipſa, & prout diſtincta ab eſſe eminentiali, quod

quòd habent in divina virtute esse id quod obijcitur divino intellectui, & per eiusdem scientiam perfectissimam exprimitur.

105 Secundum expressit Anselmus in Monolog. cap. 10. parum à principio ita loquens de divina substantia effectrice omnium, quæ existunt: *Illa namque nihil omninò aliunde assumpsit; vnde, vel eorum, quæ factura erat formam in se ipsa compingeret, vel ea ipsa id quod sunt perficeret. Faber vero penitùs nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes ex aliquibus rebus aliquomodo iam didicit:* & post pauca concludit) *quare in hoc differunt ad invicem Ille, qui in creatrice substantia, & in Fabro suorum operum faciendorum intimæ loquutiones, quod illa nec assumpta, nec adiuta aliunde; sed prima, & sola sufficeret suo artifici ad suum opus perficiendum; ista verò nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum opus incipiendum.* Vndè planissimè constat, quo sensu nobis non adverso dixerint Patres cognitionem Dei intra se contineri, quin aliquid extra se positum intueatur. Quid verò dicendum sit de Sanct. Hieronymo in loco illo celebri super caput 1. Abacuc in hac quæst. à pluribus repetito, iam supra vidimus. Nec capio quomodo non extra rem in præsenti adducatur, cum S. Doctor nec quoad speciem neget Deo cognitionem rerum in se ipsis, sed tantùm cognitionem rerum minimarum, & de his nec verbum habeat quoad esse eminentiale, vnde denominativè cognoscantur in proprijs differentijs; imò si verba essent accipienda in cortice in id tendere videntur, vt potius omnem cognitionem earum removeat; quàm aliquam, nempè ad proprium esse earum terminatam.

106 Objcit secundò à ratione Valentia. Creaturæ possibiles saltem non possunt cognosci in se ipsis modo dicto, quin in se habeant realem aliquam cognoscibilitatem, & aliquod esse reale distinctum ab Omnipotentia: cum sit evidens consequentia: *Istud terminat cognitionem secundùm aliquod proprium esse reale: ergo istud habet aliquod proprium esse reale:* sed possibiles creaturæ non habent aliud esse reale, dum non existunt, quam in sua causa, alias daretur aliquod esse reale obiectivum distinctum à Deo ab ipso inproductum, siquidem ea, quæ remanent in statu puræ possibilitatis; v. g. *Alter mundus* nunquam à Deo producantur: ergo possibilia in se ipsis cognosci nequeunt; sed tantum in esse reali extrinseco, quod habent in causa. Instat argumentum Aldrete in cognitione possibilium in Deo, nam negari non potest, Deum cognoscere creaturas formaliter, & prout sunt distinctæ in se, quomodo non sunt in esse eminentiali, & virtuali, quod habent in Omnipotentia. Cæterum instantiam aliam non video, quàm puram suppositionem conclusionis impugnatæ per argumentum: etenim si hoc intendit, Deum non cognoscere possibilia in se ipsis formaliter; sed tantum virtualiter, & sub eadem ratione cognoscere ea, vt distincta, quæ erit instantia, purè proponere contra arguentem pro contraria sententia id quod nomine ipsius negat, scilicet Deum debere cognoscere creaturas formaliter, & distinctè plusquam virtualiter?

107 Respondent aliqui apud Amicum tract. de Scientia disp. 12. vt difficultatem fugiant, dicendo. Deum cognoscere possibilia non dicere realitatem aliquam cognoscibilitatis obiectivæ ex parte ipsorum; sed in quodam esse extrinseco obiectivo, quod Deus sibi proponit, & veluti substituit, quodque est obiectum terminativum divinæ cognitionis, quorum solutio omninò rejicienda est, vt continens plura falsissima, qualia sunt Deum cognoscere fingendo, & fabricando sibi entia rationis ficta, cognoscere creaturas possibiles nõ in se ipsis; sed in alio distincto, quod peius quid est, quàm cognoscere creaturas vnicè secundum esse eminentiale, quod habent in divina virtute, & demum Deum verè cognoscere fingendo, quod contra rationem fictionis est. Nec difficultatem vitant: nam de ipso esse obiectivo redit difficultas: quia vel creaturæ possibiles faciunt sibi debitum illud esse obiectivum, in quo cognoscũtur à Deo, vel non? Si non faciunt: cognitio possibilium non necessaria; sed contingens erit Deo; proindeque potuisset Deus non cognoscere possibilia hæc, quæ defacto cognoscit. Si faciunt: quomodo id, quod in se non habet realitatem, potest facere sibi debitum aliud existens? Deinde; aut dum Deus cognoscit illud esse,

cognoſcit aliud, de quo verè dicat potius eſſe poſsibile, quàm impoſsibile, vel nihil diſtinctum ab illo eſſe cognoſcit? Si primum: illud diſtinctum de quo dicit eſſe poſsibile, erit obiectivè in mente divina, & de illo formabitur argumentum, quod tentant ſolvere per eſſe ſubſtitutum. Si ſecundùm: ergo vel Deus fallitur, vel nihil vltra illud eſſe eſt poſsibile. Clarius: Aut Deus affirmans de poſsibilibus eſſe poſsibilia, habet aliquam conformitatem obiectivam, vltra illud eſſe, quod dicunt ſubſtituere, vel non? Si habet: quomodo conformatur obiective, quod obiectivè non eſt. Si non habet: ergo veritas omnium poſsibilium reducitur ad illud eſſe ſuppoſititium. Vnde, cum id ipſum, quod eſt poſsibile, ſit id quod exiſtit, omnia poſsibilia exiſterent in illo eſſe: & eſſent actualiter exiſtentia, quæ volunt eſſe purè poſsibilia.

108 Ad argumentum dicendum: in primis non probare generaliter Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis; ſed contractè procedere de ſolis purè poſsibilibus, vt per ſe patet: nam cæteræ creaturæ, quæ non remanent intra ſtatum puræ poſsibilitatis, cum exiſtant habent verum eſſe, & reale, in quo fundetur realis earum cognoſcibilitas. Probat deinde, ſi aliquid probat; Deum abſolutè non cognoſcere neque impoſsibilia, neque privationes, & negationes rerum poſitivarū. Ratio eſt quia, ex vna parte impoſsibilia, & negationes rerum, cum nō habeant realitatem in ſe, neque habebunt in ſe cognoſcibilitatem, & ex alia, cum non contineantur in virtute Omnipotentiæ, vt potè, quæ nequeunt exiſtere, non habebunt cognoſcibilitatē extrinſecam in eſſe eminenti ali virtutis Dei, præcontentricis eorum. Dicendum ſecundò, & ſit argumenti ſolutio: ad cognoſcibilitatem intrinſecam obiectivam non requiri realitatem, prout realitas opponitur non enti poſitivè exiſtenti; ſed prout opponitur *ficto*, id eſt incapaci verificandi propoſitionem, & repræſentationem in ſe tendentem per conformitatem cum illa, ſivè talis conformitas conſtituatur per *poſſe eſſe*, aut per *poſſe non eſſe*, aut per impotentiam exiſtendi, aut per excluſionem illius, quod poteſt eſſe, & non eſt: cuius ratio eſſe valet: quia, vt aliquid ſit verè cognoſcibile, ſufficit, quod ſit in ſe verè affirmabile, ſed non minus eſt verè affirmabile de eo, quod nequit exiſtere *non poſſe exiſtere*; & de eo quod poteſt exiſtere, & non exiſtit, *poſſe exiſtere, non tamen exiſtere*, & de eo quod alterum poſitivum tanquam non eſſe illius excludit *alterum poſitivum tanquam non eſſe illius excludere*; quàm de ente exiſtenti poſitivè, quod poſitivè exiſtat: ergo neque ſunt minus cognoſcibilia ea, quæ nequeunt exiſtere, aut quæ poſſunt exiſtere, & non exiſtunt, aut quæ ſunt purum non eſſe alterius, quam ea, quæ ſivè contingenter ſivè neceſſariò exiſtunt.

109 Vnde ad formam argumenti negato aſſumpto, ad illius probationem diſtinguo maiorem: creaturæ poſsibiles non poſſunt cognoſci in ſe ipſis, quin in ſe habeant realem aliquam cognoſcibilitatem, & aliquod eſſe reale diſtinctum ab Omnipotentia ſumpto ly *reale*, *prout opponitur ficto* cōcedo maiorem. Sumpto ly *reale*, *prout opponitur non poſitivè exiſtenti* nego mai. & diſtinguo minorē. Poſsibilia non habent aliud eſſe reale *prout reale opponitur ficto*, quàm in ſua cauſa nego minorem: prout *reale opponitur non poſitivè exiſtenti*; concedo minorem, & nego conſequentiam: ex quibus liquet, quod licet ſit bona conſequentia illa: *Iſtud terminat cognitionem ſecundùm aliquod proprium eſſe reale*: ergo *iſtud habet aliquod proprium eſſe reale*, in tantum bona eſt, in quantum *reale*, aut *realitas*, quæ ponitur in antecedenti eodem modo, aut ſenſu ponitur in conſequenti: nam ſi modus, & ſenſus realitatis diversè, & inconſtanter accipiatur, non bona, ſed peſsima erit. Conſtat vlterius: qua ratione verum ſit, nullum eſſe reale obiectivum extra Deum poſſe eſſe improductum ab ipſo, quod tantum tenet in eſſe reali, ſumpto reali prout opponitur *non poſitivè exiſtenti*, ſecus de ente reali, ſumpto *reali prout opponitur ficto*, & tantum ſignificat eſſe verificationis, quod cum impotentia exiſtendi poteſt coniungi, quomodo videre eſt in impoſsibilibus, & in defectibus, ſeu negationibus rerum poſitivarum.

110 Objicies tertiò argumentum, quod vocat Herrera ſemper moleſtum, ſemperque ob terminorum inopiam difficile ſi ad formæ iuſtas regulas redigatur; ſed meo iudicio, nec ſpecialius eſt præcedenti, nec maiore opera ſol-

solvitur? Sic se habet: quod verè, & simpliciter non est; sed esset, non est absolutè cognoscibile; sed esset; at purè posibilia non sunt simpliciter; sed essent: igitur nec sunt absolutè cognoscibilia, sed essent. Maior probatur. Tum, quia cognoscibilitas non distinguitur ab esse rei: ergo si simpliciter non datur esse rei, nec simpliciter potest esse cognoscibilitas. Tum etiam: quia ea ratione, qua res est, cognoscibilis est. Sed res purè posibilis absolutè, & simpliciter non est, sed esset: ergo non est absolutè cognoscibilis; sed esset. Confirmatur: posibilia eo tantum modo, quo sunt in se, vera sunt; sed purè posibilia in se simpliciter non sunt: ergo in se simpliciter vera non sunt: ast quæ vera simpliciter in se non sunt, cognoscibilia in se non sunt præcipue à Deo, qui non nisi verè cognoscere potest: ergo posibilia in se, dum purè posibilia sunt, non possunt cognosci à Deo.

111 Argumentum patitur instantiã in cõceptibus imposibilibus, & purè negativis, de quibus probat nullo modo posse cognosci adhùc extrinsecè, cum neque in se habeant esse simpliciter, neque in virtute prec̃õtentricè. Probat deinde, ni fallor, nihil finitum posse cognosci à Deo, nam sicut, quod non est simpliciter, per te, non potest simpliciter, & absolutè cognosci à Deo: quia pro modo, quo est esse, est cognoscibilitas; sic, quod non est simpliciter infinitè non poterit simpliciter infinitè cognosci à Deo; sed Deus quidquid cognoscit, cognoscit infinite simpliciter: ergo vel nihil finitum cognoscit, vel quod finitum est in esse potest esse infinite cognoscibile à Deo, quod si ad cognoscendum non opus est, vt esse cognitionis commensuretur cum esse obiecti, cur obiectum, quod in se non sit simpliciter; sed esset, non erit cognoscibile per cognitionem, quæ absolutè sit, & non tantum esset.

112 Neganda igitur absolutè est maior, vel si placet, distinguenda, quod verè, & simpliciter non est, sed esset, non est absolutè cognoscibile, sed esset, *cognoscibilitate propria existentium* concedo maiorem: *cognoscibilitate propria potentium tantum existere* nego maiorem: & distinguo minorem: sed posibilia non sunt *simpliciter verificativè* sed essent nego minorem: *simpliciter existentialiter* concedo minorem, & distinguo cõsequens: ergo nec sunt absolutè cognoscibilia; sed essent *cognoscibilitate propria existentium* concedo consequentiam; *cognoscibilitate propria potentium existere*, nego consequentiam: ad primã probationem concesso antecedenti distinguo consequens, si simpliciter non datur esse rei, nec simpliciter datur cognoscibilitas *existentialiter*, aut *propria existentium* concedo consequentiam; *verificativè*, aut *propria potentium tantùm existere*, nego consequentiam. Neque hoc est vllo modo contra identitatem inter esse simpliciter, & cognoscibilitatem dum non constet aliquid convenire vni, quod non conveniat alteri: Id autem non constat, imò potiùs oppositum, cum vtrumque deficiat *existentialiter*, & vtrumque existat *verificativè*, seu *posibiliter*.

113 Ad secundam. Probationem etiam maior est distinguenda: ea ratione qua res est, sivè *existentialiter*, sivè *verificativè* est cognoscibilis, concedo maiorem: *existentialiter* præcisè subdistingo *cognoscibilitate propria existentium* concedo maiorem: *cognoscibilitate absolutè tali*, nego maiorem, & distinguo min. Res purè posibilis absolutè, & simpliciter non est *existentialiter* concedo minorem *verificativè*, nego minorem. Et distinguo consequens: non est cognoscibilis *cognoscibilitate propria existentium* concedo consequentiam: *cognoscibilitate verificativa, & propria* potentium tantùm existere nego consequentiam. Ad confirmationem distinguo maiorem: posibilia eo tantum modo, quo sunt in se *posibilia*, vera sunt concedo maiorem, quo sunt in se *existentia* nego mai. Et distinguo min. sed posibilia in se non sunt simpliciter *existentia* concedo minorem: *posibilia* nego min. & distinguo consequens in se simpliciter vera non sunt *veritate existentium* concedo consequentiam: *veritate posibilium* nego consequentiam. Inde constat ad subsumptam minorem: quin termini indigeant maiori explicatione, cum sufficienter constent ex dictis.

114 In quorum confirmationem non est omittenda redargutio, quæ fieri potest contra adversarios: nam sicut existens habet simpliciter esse existens, sic posibile, aut purè posibile habet simpliciter esse posibile, aut purè posibile: sed quodvis secundùm quod est simpliciter in se, est absolutè cognoscibile: ergo purè posibilia, quæ in se sim-

pliciter ſunt purè poſsibilia, ſunt in ſe abſolutè cognoſcibilia. Confirmatur, & explicatur. Non minùs verus in ſe eſt ſtatus purè poſsibilitatis, quàm ſtatus propriæ, & abſolutæ exiſtentiæ, cum non minus verùm ſit dicere de purè poſsibili *eſſe purè poſsibile*; quàm de abſolutè, & propriè exiſtenti *eſſe abſolutè*, & *proprie exiſtens*; ſed quodvis verum in ſe eo modo, quo eſt verum ſimpliciter in ſe, eſt abſolutè cognoſcibile: ergo purè poſsibilia eo modo, quo talia ſunt, abſolutè, & propriè, etiam ſunt in ſe cognoſcibilia.

115 Objicies quartò. Deus ante productionem creaturæ tantum poteſt cognoſcere creaturæ poſsibilitatem: ſed creaturæ poſsibilitas adæquatè identificatur cum Deo, vt tenent multi ex Theologis, & Philoſophis: ergo Deus præſcindendo à productione, & exiſtentia abſoluta creaturæ, tantum poteſt cognoſcere quod adæquatè identificatur cum ipſo. Probatur mai. pro priori ad productionem creaturæ, & decretum de exiſtentia illius res videtur, & cognoſcitur à Deo ſecundum aliquem ſtatum: ſed non ſecundum ſtatum exiſtentiæ, aut impoſsibilitatis: ergo ſecundum ſtatum poſsibilitatis, cum non ſit alius: at cognoſcere creaturam ſecundum ſtatum poſsibilitatis, eſt cognoſcere tantùm eius poſsibilitatem: igitur Deus ante productionem creaturæ tantum poteſt cognoſcere poſsibilitatem ipſius.

116 Reſpondeo: quod adhùc in illa ſententia admittente poſsibilitatem diſtingui à rebus poſsibilibus conceditur id, quod eſt poſsibile diſtinctum à Deo, & forma, qua reditur poſsibile, quæ cum Deo identificatur: vnde cum Deus cognoſcit rem eſſe poſsibilem non modo cognoſcit poſsibilitatem ſecum identificatam; verùm etiam conceptum illum obiectivum, qui per ſe potius aptus eſt, vt ab omnipotentia denominetur poſsibilis, quàm impoſsibilis, nec perceptibile eſſe poteſt cognoſci perfectè formam, vt denominantem ſubiectum, & non cognoſci ſubiectum, vt denominatum, & potius aptum; quàm ineptum, vt per talem formam denominetur. Negant propterea, qui tale ſuſtinent, maiorem argumenti: ad cuius probationem diſtingunt mai. Pro priori ad productionem creaturæ, & decretum illius, res videtur, & cognoſcitur à Deo ſecundum aliquem ſtatum *completè ſumptum*, & prout dicit formam, aut quaſi formam, & ſubſtractum illius: concedunt maiorem: *incompletè ſumptum*, & prout dicit ſolam formam, aut quaſi formam, negant maiorē: & conceſſa min. diſtingunt conſequens ſub eiſdem terminis, quos etiam applicant ad minorem ſubſumptam negando vltimam conſequentiam. Itaque licèt hæc ſententia graves patiatur difficultates circa diſtinctionem poſsibilitatis à re poſsibili; tamen ex hoc capite denegandi Deo cognitionem poſsibilium in ſe ipſis, impeti nequit.

117 Hæc pro illa ſententia cuius multi ſunt ex noſtris, & ex extraneis: Contra quam, quæ objicit Herrera non labefactant ſolutionem præſentis difficultatis; ſed ſententiam, ex qua deſcendit ſolutio, cum eo tendant, vt probent ſubſtractum, quod deſignatur denominationi poſsibilis, aut nullum eſſe, aut convinci ex ſe habere poſsibilitatem diſtinctam ab ea, quam participat ab Omnipotentia. Abſolutè tamen, & expeditiùs, conceſſa, vel permiſſa mai. neganda eſt minor, falſa quidem in noſtris principijs, quibus oppoſitum ſemper defendimus, quod ſi aliorum ſententia eſt, ipſi videant, & ſolvant, quin nobis opus ſit ad propriam tuendam, onera contrariæ ſuſtinere.

118 Objicies quintò. Nequit Deus videre creaturas ſecundum eſſe proprium, niſi illas videat, vt in ſe ſunt, aliter in cognoſcendo falleretur; ſed creaturæ poſsibiles nihil in ſe ſunt, dum intra ſtatum puræ poſsibilitatis remanent: ergo creaturæ purè poſsibiles nequeunt in ſe ipſis cognoſci à Deo. Reſpondeo: hanc difficultatem, quæ generaliter cognitionem creaturarum in ſe ipſis non impugnat, ſed reſtrictè ad creaturas purè poſsibiles, & iam his, iam illis terminis moleſta repetitione proponitur, ſufficienter in antecedentibus eſſe ſolutam. Ex quibus conceſſa maiori: diſtinguo minorem. Creaturæ poſsibiles dum intra ſtatum puræ poſsibilitatis ſunt, nihil in ſe ſunt *exiſtentialiter* concedo minorem: nihil in ſe ſunt *veriſicativè*, & *prout potius in ſe ſunt purè poſsibiles; quàm non purè poſsibiles, aut impoſsibiles* nego minorem, & conſequentiam. Itaque rebus purè poſsibilibus non aliud eſſe tribuimus; quàm illud, quod nemo cordatus negare poteſt, ſcilicèt res purè poſsibiles id potiùs habere, quàm non ha-

habere: alias immeritò, & falsò tantùm dicerentur purè posſibiles, potiùs quam non purè posſibiles, aut impoſsibiles, quod ſi ita in ſe ſunt quoad ſuum ſtatũ; per conſequens ita affirmari de ipſis verum erit; ſed omne in ſe verè affirmabile, vt verè affirmabile, eſt cognoſcibile: ergo omne in ſe verè affirmabile, eſt cognoſcibile verè in ſe. Quo argumento videtur vſus D. Thom. in præſ. q. 14. art. 9. corp. & ad 1. dicens: *Poſsibilia eo modo quo ſunt in potentia, habere veritatem* (attende) *verum eſt enim ea eſſe in potentia, & ſic ſciuntur*: igitur ſi verum eſt poſsibilia in ſe purè talia, eſſe purè poſsibilia; potius, quàm impoſsibilia, aut non purè poſsibilia, in ſe etiam prout in ratione talium habent veritatem: verum eſt enim id ipſum de ipſis affirmare, & ſic ſciuntur. Nec videtur alienum à mente D. Pauli ad Romanos 4. dicentis: *Vocat ea, quæ non ſunt tanquàm ea, quæ ſunt*, id eſt tàm propriè cognoſcit ea, quæ non ſunt, & poſſunt eſſe; quàm ea, quæ ſunt: quia tàm verum de illis eſt *non eſſe, & poſſe eſſe*, quàm de his *eſſe, & exiſtere*.

CAPVT V.

Quodnam ſit obiectum materiale primarium, ſeu principale Scientiæ Diuinæ.

119 QVÆ Deus cognoſcat, & ſub ratione formali intellectus divini contineantur, ſintque proportionata, vt per ſcientiam ipſius reſpiciantur, hucuſquè vidimus. Nunc inter ipſa obiecta materialia quodnam comparetur ad perfectiſsimam Dei cognitionem, vt primarium, ſeu principale, in quæſtionem adducimus. Dixi *primarium*, ſeu *principale*, vt non contendam de nomine cum communi Theologorum, quos video per obiectum primarium ſcientiæ diuinę intelligere duntaxat obiectum motivum, ſeu rationem *qua* eiuſdem: cur autem id fecerint in præſenti materia, cum in aliis, quibus intercedit obiectum materiale, & formale locus ſit, vt ſine præiudicio obiecti formalis controvertere liceat: quodnam ſit obiectum materiale primarium virtutis, ſeu potentiæ, & actuum illius, vt videre eſt in ipſis agentibus de viſione beatifica, de Fide, Spe, & Charitate Theologicis, certè non capio? ſicut nec, quod præſens dubium his, vel alijs terminis apud ipſos non moveatur. Vnus tantum Magiſter Albiz diſp. 5. de Scient. ſect. 9. occaſionem aliquam præbere videtur, dum loquens de ipſo obiecto formali, quod vocant primarium, diſtinguit in ipſo obiectum, quod nominat principale, & obiectum, quod quamvis ſit immediatum, & directum, principalitatem non participat: quod ſi ita ſit, abs re non erit id ipſum in obiecto materiali conſiderare, præcipuè quando, vt diximus, & generale eſt aliis tractatibus, & in ipſis obiectis materialibus divini intellectus, & ſcientiæ inveniatur eadem ratio, ac in reliquis, vbi diſputatur, nempè inequalitas, & inferioritas in ipſis obiectis materialibus.

120 In qua quæſtione: ex his quæ docent Theologi circa obiectum motivum, quod vocant primarium divinæ Scientiæ, erui poſſunt diverſæ ſententiæ quoad principalitatem obiecti materialis eiuſdem. Prima ſententia eſſe poteſt eorum, qui dicunt: obiectum materiale principale, & in hoc ſenſu primarium Scientiæ divinæ eſſe complexum omnis ſcibilis, quodque ſcibile in particulari eſſe obiectum materiale non primarium, ſeu non principale, vt de obiecto motivo dixerunt Durandus in 1. diſt. 35. quæſt. 1. num. 9. Okamus, & Gabriel in eadem diſt. ille quæſt. 3. & hic art. 2. & debent dicere quotquot aſſerant non modo Deum, verùm etiam creaturas eſſe obiectum motivum, & primarium divinæ cognitionis. Secunda ſententia eorum qui per oppoſitum ſentiant ſolùm obiectum increatum eſſe obiectũ materiale principale, ſicut de obiecto primario defendit communis ſententia Theologorum, tàm ex noſtris, quàm ex alienis, vt videri poteſt apud Eximium Doct. lib. 3. de attributis cap. 1. & 2. Ruiz de Scientia, diſp. 5. ſect. 6. & Godoy diſp. 25. de Scientia §. 3. inter eos autem qui dicant: ſolum ens increatum eſſe obiectum materiale principale, ſeu primarium, adhuc poteſt eſſe diſſenſio, ſub qua ratione ens increatum ſortiatur principalitatem: an ſcilicèt complete ſumptum, id eſt, prout dicit eſſentiam, attributa, & relationes; vel vt dicit, ſolum eſſen-

essentiam, prout præscindentem ab attributis, & relationibus; vel vt dicit essentiam cum attributis absolutis, secùs cum relativis? Quomodo etiam dividuntur quoad obiectum motivum, & primarium, vt refert Godoy vbi supra. Nostrum autem in hac sententia Iudicium per varias conclusiones exponitur.

121 Prima sit: solùm ens increatum esse obiectum materiale primarium seu principale divinæ scientiæ. Probatur. Illud est obiectum materiale primarium, seu principale divinæ scientiæ, quod est nobilissimum inter ea, quæ attinguntur per ipsam; sed solum ens increatum est obiectum nobilissimum inter ea, quæ attinguntur per divinam scientiam: ergo solum ens increatum debet esse obiectum materiale primarium, seu principale scientiæ divinæ. Discursus est legitimus, & minor constat: quia sicut solum ens increatum excedit reliqua, quæ attinguntur per scientiam excessu non vtcumque; sed infiniti ad finitum: sic solum est obiectum nobilissimum inter ea, quæ attinguntur per scientiam divinam. Probatur mai. Tum, quia id præsefert nomen ipsum principalitatis per quod illud, quod præstantius est, in aliqua linea significamus. Tum præcipuè: quia in reliquis, in quibus datur obiectum materiale primarium sivè principale nulla est acceptio constantior, & quæ omni obiecto materiali primario conveniat.

122 Id autem probo. Nam ratio obiecti materialis primarij non consistit in eo, quod sit obiectum attributionis cæterorum, vt aliqui explicant: quia in his quæ non dicunt inter se talem ordinem, datur obiectum materiale primarium, vt in lucidis, & coloratis, quæ sunt obiecta materialia visus, quin vnū respiciat aliud, vt obiectum attributionis, idemque intercedit in obiectis materialibus reliquorum sensuum externorum, & respectu intellectus Angelici, & humani homo est obiectum materiale principalius Bruto, quin brutum, vt attactum per intellectum ordinetur tanquam ad obiectum attributionis ad hominem, vt attactum per eundem intellectum. Neque in eo, quod reliqua sint ordinabilia ad ipsum; secus ipsum ad alia: quia Deitas, & Christus prout per fidem attinguntur, mutuò sunt ordinabilia; in quantùm fides vnius conducit ad fidem alterius, & è contrà; cùm tamen solus Deus, aut Deitas dicatur obiectum materiale primarium fidei. Neque in eo, quòd comparetur, vt finis cæterorum: quia Deus est obiectum materiale primarium charitatis, quin comparetur prout finis assequibilis per media: quia prout sic consideratus, est obiectum spei, neque denique in eo quod reliqua attingantur propter ipsum, ipsum verò attingatur propter se: quia prima veritas in dicendo, prout dicens, & revelans, attingitur propter se ab actu, & habitu fidei, & non est obiectum materiale primarium ipsius, & divina essentia attingitur à fide propter attributum primæ veritatis in dicendo, quin obstet, vt sit obiectum materiale primarium fidei, quomodo tenet communis Theologorum sententia: ergo illud debet esse obiectum materiale primarium seu principale scientiæ divinæ, quod est nobilissimum inter ea, quæ attinguntur per ipsam.

123 Confirmatur: Id quod excellentius participat rationem sub *qua* intellectus divinus, & scientia illius attingunt sua obiecta, iure dicitur obiectum materiale primarium scientiæ divinæ; sed ens increatum tantum excellentius participat rationem sub *qua* intellectus divini, & scientiæ illius: ergo solum ens increatum debet esse obiectum materiale primarium scientiæ divinæ. Min. constat: quia id quod est excellentius verum obiectivum, excellentius participat rationem sub *qua* intellectus divini, & scientiæ illius: ergo cum ens increatum, vt potè primum verum obiectivum, sit excellentius verum obiectum, per consequens excellentius participat rationem sub *qua* intellectus divini, & scientiæ illius. Maior probatur. Obiectum materiale dicitur per ordinem ad participationem rationis formalis sub *qua*: ergo id quod præstantius, & excellentius participat rationem formalem sub *qua*, iure dicitur præstantius, & excellentius inter ea, quæ ipsam participant, ac proinde iure etiam dicetur obiectum materiale præstantius inteilectus, & actus, qui talem rationem formalem participant.

124 Probatur secundò. Solum ens increatum est principale cognitum Scientiæ divinæ; sed principale cognitum Scientiæ divinæ est obiectum materiale primarium, & principale illius:

ergo

ergo solum ens increatum est obiectum materiale primarium, seu principale scientiæ divinæ. Maior constat ex Div. Thoma, prim. contra Gentes, cap. 48. & 49. vbi docet, principale cognitum ab intellectu divino esse divinã essentiam, & aliunde constat ratione. Nam principale cognitum illud solùm dicitur, quod inter reliqua cognita primatum tenet: ergo si solum ens increatum inter reliqua cognita primatum ob excessum perfectionis continet, vt per se patet, solum ens increatum est principale cognitum. Minor probatur: cognitum ab intellectu divino per suam scientiam est formaliter, vt tale, obiectum materiale scientiæ divinæ: ergo principale, & primarium cognitum per scientiam divinam est principale, & primarium obiectum materiale ipsius. Cõfirmatur: id solum, cuius notitia in scientia repræsentante ipsum, & alia, æstimabilior redditur præ notitia reliquorum, est id, quod principale censetur in ratione cogniti: sed solum ens increatum est id, cuius notitia in cognitione Dei attingente ipsum, & alia, æstimabilior reditur præ notitia reliquorum: siquidem notitia ipsius, provt talis, est infinita: ergo solùm ens increatum est id quod principale censetur in ratione cogniti per Dei scientiam: subsumo: sed id solum, quod principale censetur in ratione cogniti per Dei sciẽtiam, est solum obiectum materiale principale ipsius: ergo solum ens increatum est obiectum materiale principale ipsius.

125 Probatur tertiò: Solum ens increatum inter reliqua, quæ attinguntur per scientiam divinam, est id, quod per sui esse identicè communicat esse scientiæ divinæ; sed id, quod per sui esse identicè communicat esse scientiæ divinæ, est principale attactum per ipsam: ergo solum ens increatum inter reliqua, quæ attinguntur per scientiam divinam, est principale attactum, ac per consequens principale obiectum materiale ipsius. Maior est certa: nam cum ens increatum sit in suo esse simplicissimum, non aliter, quam per se ipsum intelligit quidquid intelligit: ergo cum intelligat se ipsum, & alia per suum esse, dat esse cognitioni sui, & aliorum. Probatur minor: sicut nihil est, tàm principale respectu scientiæ divinæ, quàm suum esse, ita nihil est, tàm principale inter omnia, quæ attingit, & respicit, quàm id, quod respicit vt suum esse: ergo id, quod per sui esse tantum identicè communicat esse scientiæ divinæ, est principale attactum per ipsam. Confirmatur: id ad quod, vt cognitum inter reliqua, dicit principaliorem ordinem divina cognitio, est id, quod respicit, vt principale obiectum *quod*, seu materialiter attactum; sed tantùm ens increatum est id ad quod, vt cognitum, dicit principaliorem ordinem, scilicèt identicum, divina cognitio: ergo solum ens increatum est id, quod respicit, & attingit divina cognitio, vt principale obiectum, *quod*, seu materialiter attactum.

126 Probatur quartò: in his, quæ comparantur, vt obiecta materialia divinæ cognitionis illud est principale, & primarium, quod præ reliquis facit debitam cognitionem sui, & aliorum, sed solum ens increatum est, quod præ reliquis, quæ attinguntur à divina scientia, facit debitam cognitionem sui, & aliorum: ergo solum ens increatum est obiectum materiale principale, & primarium. Probo maiorem probaturus post minorem. Quod præ reliquis facit debitam cognitionem sui, & aliorum, vt attingibile per scientiam, virtute continet præ reliquis attingibilitatem sui, & aliorum; sed quod virtute continet præ reliquis attingibilitatem sui, & aliorum, est obiectum materiale cognitionis divinæ principale, & primarium: ergo in his, quæ comparantur, vt obiecta materialia cognitionis divinæ, illud est principale, & primarium, quod præ reliquis facit debitam cognitionem sui, & aliorum. Probo iam minorem: solum ens increatum est præ reliquis, quæ attinguntur à scientia, per se omniscium, & nihil cognoscibile ignorans, vt ex terminis constat, aliàs non esset per se infinitè perfectum; sed id, quod per se est omniscium, per se facit debitam cognitionem sui, & aliorum: ergo solum ens increatum est quod præ reliquis, quæ attinguntur à scientia divina, facit debitam cognitionem sui, & aliorum.

127 Nec dicas: creaturas provt attactas per scientiam divinam etiam facere debitam cognitionem sui, & aliorum, cum propter connexionem, quam dicũt cum Deo, attingi nequeunt per scientiam divinam sine sui cognitio-

tione, & Dei, quod est, non posse attingi sine cognitione omnium: quia non faciunt debitam rationem sui; sed ratione termini, cum quo connectuntur qualis est Deus, qui si per se non faceret debitam cognitionem sui, & aliorum, nec creaturæ facerent vi suæ connexionis: vndè primario sistendum est in Deo tanquam immediatè exigente ratione sui, qui si non exigeret, nec alia à se distincta exigerent.

128 Probatur quintò: id, in quo provt attacto sub ratione formali divini intellectus, & scientiæ, sistunt tanquam in centro, tàm intellectus divinus, quàm scientia, est principale *quod* contentum sub ratione formali vtriusque, ac proinde principale obiectum materiale; sed solum ens increatum, est in quo, provt attacto sub ratione formali divini intellectus, & scientiæ, sistunt tanquam in centro intellectus divinus, & scientia: ergo solum ens increatum est principale *quod* contentum sub ratione formali vtriusque, ac proinde principale obiectum materiale. Maior constat ex generali doctrina omnium potentiarum, & facultatum, quæ provt respiciunt obiecta contenta intra suam sphæram, habent vnum in quo finaliter quiescant, & per cuius adeptionem expleatur eius exigentia: quodque propterea dicitur obiectum primarium materiale ipsarum, cumque hoc imperfectionem non dicat, pariter iudicandum est de potentia intellectiva perfectissima, & de actibus ipsi correspondentibus. Probatur minor: solum ens increatum, vtpote infinitum, potest explere capacitatem infinitam divini intellectus, & scientiæ: sed id, quod solum explet capacitatem infinitam divini intellectus, & scientiæ, est solum id, in quo provt attacto sub propria ratione formali, sistunt divinus intellectus, & scientia tanquam in centro: ergo solum ens increatum est in quo, provt attacto sub ratione formali divini intellectus, & scientiæ, sistunt velut in centro, tàm divinus intellectus, quàm scientia.

129 Confirmatur primò à paritate divinæ voluntatis, cuius ens increatum tantum est centrum, in quo sistit, & principale *quod* divini affectus tendentis in ipsum, vt in principale contentum sub propria ratione formali; sed quoad hoc nulla est disparitas inter intellectum divinum, & voluntatem divinam: ergo etiã divinus intellectus habet solum ens increatũ, vt centrum, in quo sistat, & vt principale *quod* divinæ scientiæ tendentis in ipsum tanquam in principale contentum sub propria ratione formali. Confirmatur secundò: cognitio divina, provt tangens ens increatum, cognoscit infinitum infinitè: at cognitio divina, provt cognoscens infinitum infinitè, sistit in obiecto cognito tamquam in centro, cum nihil sit, in quod vt cognoscendum, progredi possit: ergo ens increatum est obiectum cognitum, in quo provt attacto sub propria ratione formali, sistit divina cognitio tanquam in centro. Si dicant divinam cognitionem, provt cognoscentem infinitũ infinitè, cognoscere etiam creaturas, quarum expressio necessaria est, vt obiectum infinitum comprehendatur, ac proinde, vt obiectum infinitum infinitè cognoscatur: vndè nõ sistit in ente increato, & infinito; sed in complexo entis infiniti, & finiti, Contra est: quia &si cognitio divina requirat cognoscere entia finita, seu creaturas, tamen non expletur eius capacitas infinita in quantum sunt cognitæ creaturæ per ipsam; sed in quantum obiectum infinitum est infinitè cognitum, ideòque totam denominationem *explet æ* iuxta suam capacitatem accipit ab obiecto infinito, & per ordinem ad illud, ita vt verificetur: *Dum divina cognitio cognoscit infinitum infinitè, ibi sistit, & nihil aliud cognoscit*, quod est propriissimè sistere in infinito, & increato tanquam in centro.

130 Probatur sextò, specialiter in nostra sententia non admittente connexionem vllam Dei absolutam cum alio à se distincto, ita vt Deus intelligatur æquè perfectus, ac modo est, omni alio conceptu à se distincto, vel extincto, vel immutato, quo posito sic argumentor. Id quo solo cognito per divinum intellectum, & cognitionem, persisteret perfectio divinæ cognitionis in esse infinitè exprimentis, & repræsentantis, est perfectius in esse cogniti, & in esse obiecti materialis repræsentati per scientiam: sed solum ens increatum est id, quo solo cognito per divinum intellectum, & cognitionem, persisteret perfectio divinæ cognitionis in esse infinitè exprimentis, & repræsentantis: ergo solum ens increatum est perfectius in esse cogniti, & in esse obiecti materia-

rialis repræsentati per scientiam infinitam Dei. Minor constat ex doctrina præsupposita, cuius fundamentum est independentia Dei ab omni non ipso. Maior probatur. Id, quo solo cognito per divinum intellectum, & divinam cognitionem, persisteret perfectio divinæ cognitionis, est id per ordinem ad quod præ alijs attactis sub ratione formali intellectus divini, & divinæ cognitionis, sumitur perfectio vtriusque; sed id per ordinem ad quod præ alijs attactis sub ratione formali intellectus divini, & cognitionis, sumitur perfectio vtriusque, est perfectius in esse obiecti, & in esse cogniti materialis per scientiam repræsentati: ergo id, quo solo cognito per divinum intellectum, & cognitionem, persisteret perfectio divinæ cognitionis in esse exprimentis infinitè, & repræsentantis, est perfectius in esse cogniti, & in esse repræsentati per scientiam: at perfectius in esse cogniti per divinam cognitionem est obiectum materiale principale ipsius; vt sæpè diximus: ergo solum ens increatum est principale obiectum materiale scientiæ divinæ.

131 Sit secunda conclusio: Deus completè sumptus, & non tantum secundum rationem essentię est obiectum materiale principale divinæ scientiæ. Probatur primò: obiectum completè nobilissimum inter ea, quæ attinguntur per scientiam divinam, est solum obiectum materiale principale illius; sed solus Deus complete sumptus, & non tantum secundum rationem essentiæ, est obiectum completè nobilissimum inter ea, quæ attinguntur per scientiam divinam: ergo Deus completè sumptus, & non tantum secundum rationem essentiæ est obiectum materiale principale scientiæ divinæ. Discursus est legitimus, & maior constat: nam sicut se habet in obiectis materialibus nobilius ad minus nobile, quod continetur sub eadem ratione formali potentiæ, & actus, sic se habet, & comparatur completè nobilissimum ad incompletè tale: ergo si inter obiecta materialia, quæ continentur sub eadem ratione formali nobilius est obiectum primarium, in ipso nobilissimo, completè tale præ incōpletè tali, erit illud in quo vltimò sistit potentia, & actus ipsius, ac per consequens obiectum materiale primarium simpliciter tale. Probatur minor: solus Deus completè sumptus, & non tantum secundum rationem essentiæ consideratus, est ita perfectus, vt non sit excogitabilis maior perfectio: sed obiectum ita perfectum, vt non sit excogitabilis maior perfectio, est obiectum nobilissimum: ergo solus Deus completè sumptus est obiectum nobilissimum. Probatur maior: Deus incompletè sumptus, aut secundum essentiam tantum, aut secundum attributa, sive absoluta, sive relativa, est id. quo melius, & perfectius excogitari aliquid potest; nempè essentia, cum suis proprietatibus, si consideretur ex parte essentiæ, aut proprietates cum sua essentia, si consideretur ex parte proprietatum: at Deus completè sumptus talis est, vt nihil melius excogitari possit: ergo solus Deus completè sumptus, & non tantum secundum essentiam consideratus est ita perfectus, vt non sit excogitabilis maior perfectio.

132 Reducitur iam difficultas ad probandam primam partem maioris huius vltimi sylogismi: nam de secunda, sicut etiam de minori non potest esse controversia. Probatur sic: tum doctrina generali: quia quævis natura exigit suas proprietates tanquam perfectiones sibi debitas; sed quodvis intelligitur perfectius cum perfectionibus sibi debitis, quam sine illis: ergo etiam natura divina perfectius, & præstantius quid intelligetur cum suis attributis, quæ sunt perfectiones sibi debitæ, quàm sine illis. Tùm specialiter: nam attributa præcipuè absoluta debita essentiæ divinæ, sunt perfectiones tales, quæ formaliter secluſæ, aut non intellectæ, Deus non esset infinitè perfectus, vt si non esset formaliter infinitè sapiens, aut æternus, aut immensus, & sic de reliquis: sed id, quo formaliter secluſſo, non intelligeretur Deus summè perfectus est sine quo formaliter intellecto, Deus talis esset, vt excogitari posset aliquid melius, scilicèt *summè perfectum*: ergo Deus incompletè sumptus secundum essentiam tantùm acceptus, est id, quo melius, & perfectius excogitari aliquid potest. Confirmatur: si essentia divina non melius se haberet cum suis attributis formaliter sumptis, quàm cum sola virtute radicativa eorum, non ea necessariò secum traheret; sed ad summum cum eorum possibilitate connecteretur: at ea necessariò secum trahit, & non tantum

cum

cum eorum poſsibilitate connectitur: ergo quia cum ipſis formaliter ſumptis melius, & perfectius ſe habet; quàm cum ſola virtute radicativa eorum. Probatur maior: quia omnipotentia non melius ſe habet cum creaturis exiſtentibus; quam cum ſola virtute præcontentiva earum, non eas ſecum trahit; ſed ad ſummum cum earum poſsibilitate connectitur: ergo ſi eſſentia divina non melius ſe haberet cum ſuis attributis formaliter ſumptis; quàm cum ſola virtute præcontentiva, & radicativa eorum, non ea ſecum traheret neceſſariò, ſed ad ſummum cum eorum poſsibilitate connecteretur.

133 Nec poteſt eſſe ſolutio, quod perfectiones attributales contineantur virtualitèr, aut eminenter in eſſentia divina: propterea que non contineri maiorem perfectionem in complexo eſſentiæ divinæ, & attributorum; quàm in ſola eſſentia: Quia eadem ſolutio poſſet dari pro quavis natura exigente, & radicante ſuas proprietates, & tamen fallit in reliquis, cum extra dubium appareat, quid perfectius eſſe naturâ cum ſuis proprietatibus formaliter, quàm cum ſuis proprietatibus radicaliter; aliàs ſine ipſis formaliter exiſtentibus non diceretur incompleta, vt eſſet anima ſi ſine ſuis potentijs formaliter ſumptis exiſteret. Tum etiam: quia intelligens formaliter, & radicaliter, aut eſt quid melius, & perfectius, quàm intelligens tantùm radicaliter, vel non? Si eſt quid melius: ergo dum non intelligitur intelligens formaliter, & radicaliter, non intelligitur id, quo melius nihil excogitari poteſt: quia non intelligitur formaliter, & radicaliter intelligens, quod eſt quid melius excogitabile. Si non eſt melius: cur eſſentia divina neceſſariò radicat intelligens formaliter, & non purè ſiſtit in potentia quadam præcontentiva ipſius, cui liberum ſit, iam eſſe intelligens formaliter iam non, vt in ſimili diximus de omnipotentia comparata ad creaturas ex quarum exiſtentia non perficitur; verùm ex ſola præcontentione earum. Si dicas iterùm: hanc eſſe conditionem cuiuſvis naturæ erga ſuas proprietates: iterùm etiam inſurgam ex eo, quod in tantum ſit conditio cuiuſvis naturæ, in quantum per ſuas proprietates formaliter ſumptas perficitur, quod ſi non perficeretur non eas neceſſariò, ſaltèm in agentibus rationalibus, quæ poſſunt ex electione operari, induceret.

134 Impugno aliter, & dicta confirmo: eſſe determinativè identicè eſſentiam, non eſt tam perfectum, quam eſſe determinativè identicè, & ſimul formaliter eſſentiam: ergo eſſe radicativè attributum, non eſt tam perfectum; quam eſſe radicativè, & formaliter attributum. Conſequentia videtur recta, ſiquidem non eſt minus præcontentiva eſſe formalis alterius determinatio ad illud identica, ſeu ad identitatem cum illo; quam determinatio radicativa præcontentiva eſt eſſe formalis radicati; imò ex terminis videtur maior determinatio ad identitatem cum alio in eſſe præcontentivo illius; quàm determinatio radicalis; quæ ex ſe identitatem non explicat inter radicans, & radicatum. Iam probo antecedens. Quodvis attributum, vel ſaltem attributum ſummæ ſimplicitatis in Deo, eſt ex ſe determinatum identicè ad divinam eſſentiam, & tamen non eſt tam perfectum, aut quodvis attributum, aut ſaltem attributum ſummæ ſimplicitatis, quàm coniunctum ex attributo, & eſſentia, aliàs ſecluſa eſſentia, formaliter intelligeretur Deus perfectiſsimus: ergo eſſe determinativè identicè eſſentiam, non eſt tam perfectum, quam eſſe determinativè identicè, & ſimul formaliter eſſentiam.

135 Confirmatur. Quia, vt tenet communis ſententia, quam ſequuntur graviſsimi Theologi relati ab Izquierdo, diſput. 16. de Deo, quæſt. 5. inter attributa ipſa divina datur inæqualitas ex conceptu formali; v. g. inter ſapientiam, & potentiam vt colligitur ex illo Sapientiæ, cap. 6. *Melior eſt ſapientia, quàm vires*; ſed quodvis attributum continet determinativè identicè aliud, cum ex ſe ſit determinatum ad realem identitatem cum alio: ergo cum determinatione identica vnius ad aliud, quæ ſtrictiſsima præcōtinentia eſt vnius in alio, ſtat nihilominus inæqualitas ex proprio conceptu vnius ad aliud, & quod complexum vtriuſque ſit quid perfectius ſingulis, ex quibus componitur: Stabit ergo etiam præcontinentia attributorum in divina eſſentia cum inæqualitate aliqua inter eſſentiam, & attributa, & cum exceſſu perfectionis in coniuncto eſſentiæ, & attributorum, qui non ſit in ſingulis quaſi partibus

eiuſ-

ejusdem complexi cum nulla apta appareat disparitatis ratio.

136 Probatur secundò conclusio: obiectum principale *quod* potentiæ perfectissimæ, & actus ipsi correspondentis, vt est divinus intellectus, & divina cognitio, est id quod, provt attactum ab ipsis, plenè posidetur: sed id solum, quod in ratione attacti per potentiam, & actum est complexum, plenè posidetur: ergo Deus, vt completus in ratione attacti, est tantum obiectum materiale principale intellectus divini, & actus illi correspondentis. Maior constat ex eo, quod obiectum principale in quod tendit potentia perfectissima, sit id, in quo sistit eius exercitium, nec sistit eius exercitium donec plenè posideat. Probatur minor: id solum, quod in ratione attacti per potentiam, & actum est completum est id, cuius nulla attingentia desideratur: sed in eo tantùm quod in ratione attacti per potentiam, & actum est completum, nulla desideratur attingentia: ergo id solum quod in ratione attacti per potentiam, & actum est completum plene posidetur. Confirmatur, & explicatur. Potentiæ completissimæ, & perfectissimæ in attingendo suo obiecto debet correspondere obiectum *quod* completissimum in ratione talis: sed solus Deus, vt completissimus in suo esse est etiam completissimus in ratione attacti, vt *quod* per divinum intellectum, & scientiam: ergo solus Deus complete sumptus est obiectum *quod* principale divini intellectus, & scientiæ. Maior est certa, cum completio potentiæ dicatur per ordinem ab obiectum completè attactum. Probatur minor: solus Deus, vt completissimus in suo esse est id in quo non restat *quod attingibile*; sed id solum, in quo non restat *quod attingibile*, est completissimum in ratione attacti: ergo solus Deus, vt completissimus in suo esse est etiam completissimus in ratione attacti, vt *quod* per divinum intellectum, & scientiam illi correspondentem.

137 Id quod dictum est de Deo completè sumpto, intelligendum est de Deo non solum, provt involvente essentiam, & attributa absoluta; sed provt involvente etiam attributa relativa seu relationes: quia militat eadem ratio, cum quid perfectius sit Deus, vt Trinus; quàm Deus consideratus formaliter solùm secundum essentiam, & attributa absoluta, quod suo loco dicemus dùm de perfectione relationum in propria sede tractemus. Interim tamen si ab hac quæstione velis præscindere, eam sustine conditionatè, & pro suppositione tantùm, quòd relativa addant perfectionem supra absoluta, quod idem potest extendi ad attributa absoluta comparata cum essentia.

CAPVT VI.

Solvuntur obiectiones, & ex occasione resolvitur, an complexum ex Deo, & alijs entibus, sit bonum malus, aut quid melius Deo solo?

138 OBIJCIES primò contrà primam conclusionem. Per nos obiectum nobilius in ratione attacti per scientiam divinam, & divinum intellectum est obiectum materiale primarium vtriusque: sed ens increatum tantum non est obiectum nobilius in ratione attacti per scientiam divinam, & divinum intellectum: ergo solum ens increatum non est obiectum materiale primarium scientiæ divinæ. Probatur minor. Nobilius est in ratione attacti per scientiam divinam complexum ex ente increato, & alijs entibus finitis à Deo distinctis, quàm ens increatum, aut Deus tantum secundum se consideratus: ergo ens increatum tantùm non est obiectum nobilius in ratione attacti per scientiam divinam, & divinum intellectum. Probatur antecedens. Perfectius quid est in ratione boni complexum ex ente increato, & creato, quàm solùm ens increatum; sed perfectius in ratione boni nobilius est in ratione attacti per scientiam divinam: ergo nobilius est in ratione attacti per scientiam divinam complexum ex ente increato, & alijs entibus finitis à Deo distinctis; quàm ens increatum, aut Deus tantum secundum

ſe conſideratus. Minor probatur prius: quia nobilitas obiecti in ratione *ſcibilis* commenſuratur cum nobilitate eiuſdem in ratione boni, & perfecti: etenim veritates obiectivæ entium ſecundum eſſe perfectiorum æſtimabiliores ſunt, & per ſui aſſequutionem magis illuſtrant, & nobilitant intellectum. Probatur deinde maior. Complexum ex ente increato, & creato, & includit plura bona, quàm ens increatum tantum, vt potè quod non eſt præciſè vnum bonum formale; ſed vnum, & aliud; & aliunde comparatur ad Deum, vt totum ad partem: de ratione autem totius eſt, eſſe maius quid in ratione talis ſua parte. Vnde ſi totum bonum eſt, per conſequens maius quid erit, quàm bonum pars illius, nempè Deus: ergo perfectius quid eſt in ratione boni complexum ex ente increato, & creato; quàm ens increatum tantum.

139 Tota argumenti difficultas reducitur, vt planè conſtat ad illam propoſitionem, in qua continetur medium probativum aſſumpti, ſcilicèt: an complexum ex ente infinito, & finito, ſeu ex Deo, & conceptu obiectivo quovis alio, ſit quid melius Deo tantum, & diviſim ab omni alio conſiderato? In qua omnes Authores ſupponunt, vt certum, Deum per coniunctionem cum alijs entibus, & conceptibus à ſe diſtinctis nullatenus evadere in ſe perfectiorem, aut in bonitate celſiorem, quàm ſine illis eſſet, quod conſtat ex Auguſt. lib. 6. de Trinitat. cap. 8. ibi: *Cum adhæreſcit creatura Creatori, illa fit maior, quam erat; non ille.* Et ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 34. art. 3. ad 2. vbi in examen adducens illam propoſitionem: *Illud, quod eſt optimum nullo addito poteſt fieri melius* concedit, illam procedere, & eſſe intelligendam abſolutè de *optimo ſimpliciter*, per cuius participationem omnia ſunt bona: vnde ex nullius additione fit melius, referente Izquierdo diſp. 16. de Deo quæſt. 4. propoſitione 1. Et vlterius ratione ipſa naturali demonſtratur: ſiquidem habere in ſe, & per ſe identicè omnem perfectionem excogitabilem, qua maior eſſe non poſſit, eſt aliquis gradus perfectionis, quo ſecluſo aliquid maius excogitari poteſt, ac per conſequens, quod tali gradu careat non erit perfectum in ſummo; ſed Deus non eſt aliud, quàm perfectum in ſummo: ergo Deus perfectibilis per aliquid à ſe diſtinctum, Deus non eſſet: tum etiam: quia quod per finitum perfectibile eſt, finitum in ſe quoad perfectionem manere neceſſe eſt: quia finitum additum, finito non facit infinitum perfectionis intenſivæ; ſed ad ſummum numeralis: ergo ſi Deus in ſe infinitum perfectionis intenſivæ quid eſt, per nihil finitum à ſe diſtinctum perfectibile eſt, ita vt in perfectione creſcere valeat ex ſibi adiunctis.

140 Controvertitur tamen: an licèt Deus quoad ſe non ſit perfectibilis per adiunctam bonitatem creatam, ſit ſaltem perfectibilis conſtitutivè, & in complexo, quatenus conſtituat aliquid perfectius ſe ſolo aliqua ratione? In reſolutione triplex datur ſententia. Prima affirmat: complexum ex Deo, & creatura eſſe aliquid perfectius ſaltem extenſivè Deo ſolo: pro qua citatur communiter Durandus in 1. diſt. 43. quæſt. 3. cui conſentire videntur Eximius Suarius lib. 1. de Deo cap. 5. numer. 3. Arriaga diſput. 27. de voluntate Dei numer. 77. & Cardinal. de Lugo diſp. 2. de Incarnat. ſect. 4. numer. 63. Concedentes: illud complexum eſſe extenſivè melius, non intenſivè, quibus adiungendi etiam ſunt omnes illi Recentiores, qui inæqualitatem aliquam perfectionis admittunt in electionibus divinis per ordinem ad obiecta inæqualia, quæ attingunt. Secunda ſententia per oppoſitum cenſet tale complexum non eſſe quid melius ſolo Deo, aut bono divino, neque intenſivè, neque extenſivè; ſed ita comparari inter ſe, vt Deus ſolus tantum bonum contineat intenſivè & extenſivè, quam illud complexum, & è contra illud complexum, quam ſolus Deus. Hæc ſententia communiſſima eſt inter Theologos pro qua refertur Sanct. Thom. in 3. diſt. 6. quæſt. 2. artic. 3. & quæſt. 5. de malo artic. 1. Div. Bonaventura in 1. diſt. 2. artic. 1. quæſt. 1. cum quibus Faſolus, Nazarius, Molina, Zumel, Trigoſſus, Recupitus, Bekenus, & Quirós, qui videri poſſunt apud Muniеſſam eandem amplectentem ſententiam diſput. 3. de eſſentia, & attributis ſect. 11. Nec deficiunt aliqui ex pro-

re-

tegentibus hanc secundam sententiam, qui putent potius esse quæstionem de solo nomine, aut de modo loquendi: quàm de re, quandoquidem omnes vtriusque sententiæ Athores debeant convenire in duobus, scilicèt quod tota bonitas creaturæ eminenter continetur in Deo, & quòd cum creatura nihilominùs etiam in se bona sit iuxta illud Geneſis 1. *Vidit Deus quod esset bonum, viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Deus, & creatura plura bona sunt, quam Deus solus: vnde disidium tantum supereſt: an complexum vtriusque; etsi propter primum dici nequeat intensivè melius, propter secundum dici valeat melius extensivè, quod videtur pertinere ad solas voces.

141 Tertia sententia, quam ingeniosè propugnat Izquierdo loco iam citato non media est inter præcedentes; sed vtrique opposita, quamvis secundæ magis faveat. Asserit enim complexum ex Deo, & creatura non continere aliquid melius, sivè intensivè, sivè extensivè solo Deo. Vnde ex diametro opponitur primæ declinans ex hac parte ad secundam, à qua discrepat vlterius asserendo: Deum non solùm continere perfectionem complexi; sed infinitè maiorem; at complexum ex Deo, & creatura non modo non excedere aliquomodo divinam bonitatem, quæ in Deo solo invenitur; verum etiam cum infinita distantia ad eam non pertingere; quomodo, inquit, se investigasse quæstionem apud alios non excitatam, qui curantes tantùm de excessu, aut æqualitate inter illud complexum, & Deum, solùm non vocarunt in examen excessum Dei ad tale complexum, & decrementum complexi comparativè ad Deum, pro quo non est imbecillior ratio dubitandi; quàm pro reliquis.

142 Fundamentum primæ sententiæ iam est propositum in ipsa obiectione: nempe ex pluralitate bonorum, & ex maioritate totius supra partem. Fundamentum secundæ ad negandum excessum in complexo ex Deo, & creatura sistit in eo, quod Deus solus eminenter in se contineat omnem bonitatem creaturarum in omni linea, & consideratione; non solùm eminentia virtutis; verum eminentia æquivalentiæ: ideò creatura nec intensivè, nec extensivè addere potest supra Deum aliquam bonitatem, & perfectionem, quod si in alijs complexis finitis, quorum partes, aut comparantur inter se tanquam causa, & effectus, vt *intellectus, & intellectio, arbor, & fructus*; aut non comparantur inter se tanquam causa, & effectus, vt *homo, & Angelus*; datur excessus aliquis saltem extensivus supra principaliorem partem: ideò est, quia quamvis vnum contineatur in alio, aut virtualiter, aut æquivalenter; non tamen supereminentissimè, & perfectissimè absque omni omninò imperfectione, qualiter Deus continet perfectionem omnium creaturarum; fundamentum verò ad affirmandum illud complexum continere in se tantam perfectionem, ac solus Deus illud est: quòd tale complexum imbibit in se ipsissimam perfectionem Dei consistentem in eius esse, & entitate: implicat autem continere in se eandem perfectionem, ac aliud, & non habere in se æqualem, & tantam perfectionem ac aliud: ergo complexum ex Deo, & creatura non minus esse potest quàm ipse Deus.

143 Fundamentum tertiæ sententiæ, in quantum convenit cum secunda quoad exclusionem excessus in complexo idem est ac relatum pro parte talis sententiæ; ast pro affirmatione maioritatis in solo Deo, & minoritatis in complexo ex Deo, & creatura sic procedit: id quod in se habet omne bonum excogitabile nulla imperfectione mixtum infinitè excedit aliud pluribus imperfectionibus permixtum, ac proinde bonum talibus imperfectionibus scatens infinitè minus est altero bono, vtpotè quod est finitum, cum aliud sit infinitum; sed Deus solus continet omnem bonitatem possibilem, & excogitabilem, & complexum ex Deo, & creaturis continet bonitatem pluribus imperfectionibus deturpatam, scilicèt imperfectionibus, quas in se admiscent creaturæ: ergo Deus solus, & secundum se consideratus maius quid est infinitè aggregato ex se, & creaturis, & complexum ex his, & Deo minus quid est infinitè, quam Deus solus, & secundum se consideratus.

144 Semper mihi placuit hæc tertia sententia. Tum propter illud,

in quo convenit cum ſecunda : tum etiam propter illud , in quo ab ea digniſsimè diſcrepat : eſt enim pro differentia tam pulchrum , & mihi ſolidum fundamentum , quidquid alij ſentiant , quibus frequentiſsimum eſſe ſolet vocare deluſiones ſophiſticas , quæ proprium iudicium impugnant , & non parum irretiunt , vt iure dixerit Izquierdo , non minus reputandum examine dignum , an complexum excedat, aut ſit æquale; quàm, an ſit minus.

145 Rationem minoritatis ſic propono vrgendo relatum fundamentum. Id quod, provt tale , & ſecundum eſſe proprium includit aliquid repugnans *eſſe Deum* , provt tale , & ſecundum eſſe proprium non eſt tantum ac ipſe Deus ; ſed infinitè diſtans quoad eſſe , ac proinde infinitè minus ipſo Deo : ſed complexum ex Deo , & creaturis , ſivè diviſim , ſivè collectivè acceptis , eſt id , quod provt tale, & ſecundum eſſe proprium includit aliquid repugnans *eſſe Deum* : ergo provt tale, & ſecundum eſſe proprium non eſt tãtum, ac ipſe Deus , ſed infinitè per defectum diſtans à ſolo Deo. Diſcurſus eſt legitimus , & maior certa ; ſiquidem id quod prout tale , & ſecundum eſſe proprium includit aliquid repugnans *eſſe Deum*, non poteſt *eſſe Deus* poſsibiliter; ſed tantum repugnanter : id autem, quod tantum repugnanter poteſt eſſe Deus poſsibiliter infinitè diſtat à Deo, cum ſi ſit,non Deus ; ſed aliquid diſtinctum à Deo ſit. Probo igitur minorem: complexum ex Deo,& creaturis ſivè diviſim,ſivè collectivè acceptis , provt tale, & ſecundum eſſe proprium includit eſſe limitatum, & imperfectum , quale eſt eſſe creaturarum quomodocumque acceptum; ſed eſſe limitatum & imperfectum, eſt aliquid repugnans *eſſe Deum*, vt per ſe patet, cum *eſſe Deum* , *& imperfectum* , non cohæreant: ergo complexum ex Deo, & creaturis , ſivè diviſim ſivè collectivè ſumptis eſt id quod provt tale , & ſecundum eſſe proprium includit aliquid repugnans *eſſe Deum.*

146 Confirmatur primò. Eo modo, quo aliquid non eſt Deus , non eſt tantum ac ipſe Deus ; ſed complexum ex Deo , & creatura , provt tale , & complexive acceptum , non eſt Deus: ergo neque eſt tantum ac ipſe Deus. Maior eſt certa : nam eo modo quo aliquid non eſt Deus , diſtinguitur à Deo , nihil autem diſtinctum à Deo, & cui denominatio *Dei* repugnat , poteſt eſſe tantum quantum Deus; aliàs Deus , prout talis , non eſſet ſuperior omni non ipſo: ergo eo modo , quo aliquid non eſt Deus , non eſt tantum ac ipſe Deus. Probatur minor: complexum ex Deo, & creatura , provt tale, eſt mixtum quoddam ex perfectione , & imperfectione; ſed mixtum ex perfectione, & imperfectione, prout tale, & complexivè acceptum , Deus non eſt : ergo complexum ex Deo, & creatura , provt tale, & complexivè acceptum , non eſt Deus. Probatur minor: mixtum ex perfectione, & imperfectione , provt tale, & complexivè acceptum, non eſt quid dicens omnem perfectionem , & excludens omnem imperfectionem , vt per ſe patet , aliàs excluderet creaturas , per quas conſtituitur ; ſed id quod non eſt quid dicens omnem perfectionem , & excludens omnem imperfectionem, Deus non eſt : ergo mixtum ex perfectione , & imperfectione , provt tale, & complexivè acceptum, Deus non eſt.

147 Confirmatur ſecundò. Complexum ex Deo, & peccato non eſt tam bonum; quàm Deus ſolus : ergo nec complexum ex Deo,& quacumque alia creatura,ſivè diviſim, ſivè complexivè cum alijs accepta. Conſequentia videtur bona : tum quia complexum ex Deo,& peccato, tàm includit Deum,& bonitatem eius infinitam ; quàm quodvis aliud complexum ex Deo,& quibuſcumque alijs creaturis: tum quia tàm repugnat Deo imperfectio cuiuſvis creaturæ; quàm imperfectio peccati : vnde ſi complexum ex Deo , & peccato non eſt tam bonum ac Deus , nec quodvis aliud complexum reſultans ex Deo , & creatura erit tam bonum ac ipſe Deus. Probatur antecedens : complexum ex Deo,& peccato turpiſsimum quid eſt, & rationi oppoſitum, cum contineat ipſiſsimam fæditatem , & contrarietatem rationi, quam includit ipſum peccatum: quia ſicut per adverſarios complexum illud , quia includit Deum, tam bonum eſt , quàm ipſe Deus: ſic quia includit peccatum tam turpe, fædum , & rationi oppoſitum erit, quam peccatum ipſum; ſed id quod eſt turpiſsimum , fædiſsimum, & rationi oppoſitum non eſt quid tam bonum , quam eſt ipſe Deus : ergo complexum ex Deo, & peccato non eſt tam bonum, quam Deus ſolus.

148 Con-

148 Confirmatur tertiò. Id quod tàm bonum est, quàm Deus solus eodem modo, prout tale, se haberet respectu voluntatis, tum Dei, tum clarè videntis, quàm Deus solus; sed Deus solus ob suam bonitatem infinitam ita se habet respectu voluntatis divinæ, & cuiusvis alterius clarè videntis, vt necessariò rapiat in sui amorem, qualiter constat in amore necessariò, quo Deus se amat, & in amore beatifico reliquorum beatorum: ergo si complexum ex Deo, & creaturis prout tale, tàm bonum est, quàm ipse Deus solus, tàm necessariò rapiet voluntatem Dei, & reliquorum beatorum, quàm Deus solus; sed hoc est falsum; aliàs Deus esset necessitatus ad productionem creaturarum, raptus in amorem efficacissimum constituendi complexum, quod ex se, & illis resultat, & beati similiter nullam libertatem exercerent in amandis creaturis: ergo quia complexum ex Deo, & creatura non gaudet, provt tale, tanta bonitate, qua gaudet ipse Deus solus.

149 Respondebunt immediatè: actus Dei liberos gaudere eadem bonitate, & perfectione infinita, qua gaudet Deus, quin ideò rapiant ad se divinam voluntatem necessariò: ergo quod complexum ex Deo, & creatura tantum valeat, quantum Deus solus, non probat, ob infinitam bonitatem, quam in se continet, debere necessariò ad se trahere divinam voluntatem per affectum efficacem procurativum illius. Sed contra: nam actus liberi Dei identicè adæquatè sunt ipse Deus: vndè bonitati infinitæ ipsorum iam est plenè satisfactum per amorem necessarium, quo Deus se amat, & ideo non rapiunt necessariò in sui amorem; at coniunctum ex Deo, & creaturis, prout tale, non est adæquatè realiter Deus, propter eaque eius bonitati, provt actualiter est bonitas coniuncti, non est satisfactum ex vi amoris necessarij, quo fertur in se ipsum. Imò ex ipsa solutione sumitur contra aduersarios argumentum: nam Theologi disputantes, tum tractatu de Incarnatione, tum in alijs tractatibus: quomodo Deus non sit necessitatus ad Incarnationem, vel ad quodvis, aliud obiectum, quod dicitur contingens, quando in eius productione intervenit decretum habens bonitatem infinitam dignam infinito amore? Respondent: bonitatem illam decretorum per respectum essentialem, quem dicit ad obiectum finitum, continere in se rationem limitativam, & retractivam diuini affectus impedientem necessitatem ad illum, & constituentem indifferentiam, vt Deus sic, vel aliter se gerat, quæ ratio nulla esset, si in complexo resideret eadem bonitas, quæ est in solo Deo, nullum permittens motivum limitans, aut retrahens à diuino affectu ob suam infinitam bonitatem, & perfectionem.

150 Probatur vlterius ab eversione fundamenti oppositi sub hac forma: non minus opponitur imperfectum cum perfecto simpliciter; quàm penetrabile cum impenetrabili, commensurabile cum incommensurabili, & possibile cum impossibili: deinde id quod resultat ex penetrabili, ex possibili, & commensurabili non minus habet in se penetrabilitatem, possibilitatem, & commensurabilitatem; quàm id quod resultat ex infinita perfectione Dei habet in se infinitam bonitatem, & perfectionem; sed id quod resultat ex penetrabili, ex commensurabili, & possibili, non habet, provt tale, non modo tantam penetrabilitatem, possibilitatem, & commẽsurabilitatem quàm habet pars, ex qua resultat, & per quam constituitur, imò nullam habet penetrabilitatem, possibilitatem, & commensurabilitatem, prout tale: ergo quòd complexum ex Deo, & creaturis resultet, & constituatur per infinitatem Dei, non modo non probat habere, provt tale, tantam bonitatem, quantam habet Deus solus, & secundum se; verùm nec vllam Dei bonitatem, & perfectionem. Maior est certa. Probatur min. Homo resultans ex anima rationali penetrabili, non modo non est tàm penetrabilis, quã anima rationalis; verùm absolutè impenetrabilis: æternitas resultans ex durationibus cõmensurabilibus, & numerabilibus non modo non est, tàm commensurabilis, & numerabilis, quã sunt durationes ex quibus componitur; verùm absolutè innumerabilis, & incommensurabilis: complexum ex contradictorijs diuisim, & secundum se possibilibus resultans non modo non est tam possibile, quam quodvis contradictorium, ex quo componitur; verum absolutè, & simpliciter impossibile: ergo id quod resultat ex penetrabili, ex commensurabili, & possibili non habet, provt tale, non modo tantam penetrabilitatem, possibilitatem,

& commenſurabilitatem, quam habet pars, ex qua reſultat, & per quam conſtituitur, imò nullam habet penetrabilitatem, poſsibilitatem, & commenſurabilitatem provt tale.

151 Dicent: tam bonus eſt Deus cum creaturis; quàm ſine ipſis, cum bonitas divina nec per conſortium creaturarum augeatur, nec per illarum defectum ſit in ſe minor: ergo Deus in coniuncto creaturarum tam bonus eſt, ac ipſe ſolus, & ſine tali coniuncto; ſed eſſe Deum tam bonum in coniuncto ſui, & creaturarum, quàm in ſe ſolo, eſt coniunctum Dei, & creaturarum habere in ſe tantam Dei bonitatem, quantam habet Deus ſolus: ergo coniunctum ex Deo, & creaturis, tàm bonum, & perfectum eſt, quàm Deus ſolus. Sed contra primò per inſtantiam: ſiquidem anima rationalis, tàm penetrabilis eſt in ſe coniuncta cum quovis alio, quàm ab ipſo ſeparata: duratio quævis, tàm numerabilis, & commenſurabilis eſt ex ſe coniuncta cum alijs, quam ab ipſis diviſa: contradictorium quodvis contingens, tàm poſsibile eſt ex ſe coniunctum cum alio, quàm ab illo ſeiunctum: ergo anima rationalis, duratio, & contradictorium contingens, tàm penetrabilis, commenſurabilis, & poſsibile ſunt in coniuncto aliorum, quàm ipſa ſola, & ſine tali coniuncto; ſed eſſe animam, tàm penetrabilem, durationem, tàm commenſurabilem, & contradictorium contingens, tàm poſsibile in coniuncto ſui, & aliorum, quàm ſunt in ſe diviſim conſiderata, eſt coniunctum quodvis ex anima rationali, ex duratione, & contradictorio contingenti habere in ſe tantam penetrabilitatem, commenſurabilitatem, & poſsibilitatem, ac habent illa ſecundum ſe conſiderata: ergo coniunctum quodvis ex anima rationali, ex duratione, & contingenti contradictorio, tàm penetrabile, commenſurabile, & poſsibile eſt, ac anima rationalis, duratio, & contradictorium contingens.

152 Contra ſecundò. Ex eo, quod male confundantur in ſolutione propoſitiones in quibus ad prædicationem ponitur ex parte ſubiecti ſolus Deus, ſivè conſideretur coniunctim, ſivè ſeparatim ab omni non ipſo, cum alijs, in quibus ad prædicationem ponatur ex parte ſubiecti coniunctum reſultans ex Deo, & quavis alia bonitate creata: itaque verum eſt: *Deum ſive in coniuncto, ſivè ſeparatim habere ſemper eandem bonitatem, & perfectionem infinitam, à qua inſeparabiliter conſtituitur*, at falſum eſt: *hanc bonitatem Dei infinitam eſſe bonitatem infinitam coniuncti, aut coniunctum gaudere tali bonitate infinita modo ſufficienti, vt ipſum denominet*, quomodò conſtat in exèmplis appoſitis in quibus immutata penetrabilitate, commenſurabilitate, & poſsibilitate partis, ita vt de ipſis poſitis ex parte ſubiecti ſemper verificetur, nihilominus falſificatur quoties ad complexum, vt tale, ex illis reſultans transfertur: non igitur debent reputari eiuſdem veritatis hæ duæ propoſitiones: *Deus habet infinitam bonitatem in coniuncto, ſicut habet ſolus; coniunctum habet infinitam bonitatem ſicut Deus ſolus.* Cum prima ſit vera ex conditione, & capacitate ſubiecti, cui attribuitur prædicatum *habendi bonitatem infinitam*: & ſecunda ſit falſa ex incapacitate ſubiecti, cui tribuitur prædicatum tale.

153 Hinc ad fundamenta primæ ſententiæ, omiſsis aliorum ſolutionibus reſpondendum eſt: Deum, & creaturam quamvis ſint vnum, & alterum bonum ſecundum ſe non conſtituere plura bona: quia ad hoc erat neceſſarium, quod bonitas Dei infinita eſſet reſpectivè ad complexum, qualiter non eſt, cum complexum, vt manet probatum non ſit bonum infinitum; ſed finitum, & imperfectum, modo quo etſi vnum contradictorium poſsibile, & alterum contradictorium poſsibile ſint vnum, & alterum poſsibile ſecundum ſe, non tamen ſunt plura poſsibilia: quia ad hoc erat neceſſarium, quod coniunctum ex duplici contradictorio participaret, vt tale, rationem poſsibilis, & quod poſsibilitas cuiuſvis eſſet reſpectiva ad coniunctum: ſimiliter coniunctum ex numeris infinitè multiplicatis; v.g. ex binarijs, aut ternarijs non continet, provt tale, plus numeri, aut plures numeros, quàm pars, aut partes aliquæ ipſius finitè conſideratæ: quia vbi, prout tali non eſt ratio numeri, neque plus, neque minus numeri eſſe poteſt. Ad aliud fundamentum *ex toto maiori parte* dicendum: quòd licèt verum ſit, totum ſemper eſſe maius ſua parte, nihil probat pro maioritate perfectionis in complexo Dei & creaturæ: quia complexum illud licèt ſit totum quoddam numerale; non tamen eſt totum in ratione bonitatis, cum non participet rationem bonitatis infinitæ, quæ

Deo

Deo competit, quasi superadditam bonitati finitæ creaturæ: quia huius est incapax; sed solùm bonitatem finitam, & limitatam creaturæ, cuius est capax, & cum qua commensuratur, vt quid æquale; non vt quid excedens, seu vt totum ad partem.

154 Ad fundamenta secundæ sententiæ dicendum: complexum illud ex Deo, & creatura continere perfectionem, & bonitatem infinitam Dei, vt bonitatem, & perfectionem infinitam ipsius; non vt perfectionem, & bonitatem infinitam complexi, modo quo constat complexum incommensurabile, vt est æternitas, & quodvis aliud complexum infinitum continere mensuram, & numerum cuiusvis partis non vt mensuram, & numerum sui; sed vt mensuram, & numerum partis, & complexum ex possibilibus oppositis continere possibilitatē eorum ex quibus coalescit, non vt possibilitatem sui, verum vt possibilitatem partium: si autem dicant cum Muniessa, bonitatem infinitam Dei esse illimitabilem: vndè per coniunctionem ad creaturam non deprimitur, sed remanet in eodem ipsissimo gradu æstimabilitatis, quem ex se habet. Respondebo: bonitatem, & perfectionem divinam esse infinitam, & illimitatam in ordine ad se, in qua linea nunquam deprimitur, aut deterioratur; cum quo benè componitur limitari, aut minui, quoad complexum resultans ex se, & creatura; quomodo apud ipsum, licèt sanctitas, & amabilitas Dei sit infinita, & illimitabilis quoad se; limitabilis tamen est, quoad humanitatem Christi Domini, quæ ex propria incapacitate per vnionem ad Verbum, & naturam divinam non reditur tàm sancta, ac tàm amabilis, vt est natura divina, & Verbum ipsum: necnon quamvis Deus in ratione obiecti fœlicitantis sit illimitatum in ordine ad se, & comprehensivam cognitionem, quam de se habet; limitatur tamen in tali linea ab incapacitate intellectus creati, qui quāvis possit Deum provt est in se cognoscere; non potest ab ipso infinitè fœlicitari, sicut non potest ipsum infinitè cognoscere, & comprehendere; præterquamquod (si velis) poteris dicere divinam perfectionem plusquam arguitivè non limitari in ordine ad coniunctum per aliquid creatum: nam formaliter ex se est limitata in ordine ad illud, quod nihil aliud est, quam esse formaliter perfectionem sui infinitam, & esse formaliter determinatam, vt non sit infinita perfectio alterius quomodolibet à se realiter distincti.

155 Insistent primo inferendo. Ergo Christus D. vt talis, propter creaturæ imperfectionem, quam dicit humanitas ex qua simul cum Verbo resultat, non erit tàm bonus, ac tàm amabilis, ac ipse Deus; sed potius infinitè minus in ratione boni, quam ipse Deus, infinitèque distans in amabilitate ab amabilitate ipsius. Concedit absolutè sequelam Izquierdo num. 79. prop. 3. At (si mavis) ad vitandam absurdam aliquam intelligentiam, distingui valet: Christus vt talis, &c. non erit tam bonus, ac tam amabilis *inadæquatè*, ac ipse Deus; sed potius infinitè minus, neg. sequelam: *adæquatè*, & *complexivè* sumptus concedo sequelam.

156 Insistent secundò. Christus, D. vt talis, est complexum ex Deo, & creatura; sed Christus D. vt talis, est Deus: ergo complexum ex Deo, & creatura, provt tale, est Deus: subsumitur; id, quod, provt tale, Deus est, provt tale, continet tantam perfectionem, & bonitatem, ac ipse Deus, cum quodvis eo modo, quo est Deus, sit id, quod est realiter Deus: sed complexum ex Deo, & creatura, provt tale, est Deus: ergo complexum ex Deo, & creatura, provt tale, continet tantam perfectionem, & bonitatem, ac ipse Deus. Prima minor, à qua cætera pendent, probatur. Tum: quia si in Christo Domino propter vnitatem suppositi divini, & communicationem idiomatum veræ sunt hæ propositiones: *Homo est Deus*, & *Deus est homo*, aut æqualiter, aut potiori titulo verum erit *Christum Dominum provt talem esse Deum*; tum quia, Christus Dominus provt talis, verè est, & non est creatura dicente Divo Thoma, 3. part. quæst. 16. art. 8. hanc propositionem, *Christus est creatura*, non esse concedendam: sed id quod, provt tale verè est, & non est creatura, provt tale Deus est, cum in his, quæ verè sunt, non detur medium inter *non esse creaturam*, & *esse Deum*: ergo Christus Dominus, vt talis, est Deus.

157 Concessa maiori, distinguo minorem: Christus Dominus, vt talis, est Deus *inadæquatè*, concedo minorem: est Deus

Deus *adæquatè*, aut *complexivè*, nego minorem, & diſting. conſequens: complexum ex Deo, & creatura provt tale, Deus eſt *inadæquatè*, concedo conſequentiam; *adæquatè*, aut *complexivè*, nego conſequentiam. Ad minoris primam probationem dico: quod ſicut illæ propoſitiones: *Homo eſt Deus*, & *Deus eſt homo*, in tantum ſunt veræ, in quantùm prædicationes appellant ſupra ſuppoſitum divinum; ſecùs autem ſuprà complexum ex natura, & ſubſiſtentia, ſenſu quidem ſignificante ſuppoſitum habens naturam humanam, eſt ſuppoſitum habens naturam divinam, ſic illa propoſitio: *Chriſtus, vt talis eſt Deus* non ſignificat, complexum illud *adæquatè*, & *complexivè* ſumptum eſſe quid divinum; ſed in illo complexo *adæquatè*, & *complexivè* ſumpto inveniri aliquid divinum, & continens infinitam bonitatem, & perfectionem Dei, quod noſtræ concluſioni non opponitur, per quam non negamus in complexo Dei, & creaturæ eſſe aliquid continens tantam perfectionem, & bonitatem, ac ipſe Deus, ſed duntaxat, quod denominatio illa, *tàm boni, ac tam perfecti, quàm eſt ipſe Deus* non appellat ſupra complexum; ſed ſupra partem illius.

158 Ad ſecundum reſpondendum: Div. Thom. non negaſſe Chriſtum dicendum creaturam; ſed tantum, quòd propoſitio illa *Chriſtus eſt creatura* proferatur abſolutè, & ſine reſtrictione, ſcilicèt *ſecundùm naturam humanam*, ne alitèr conſentire videamur loquutionibus Arianorum: audiatur S. Doct. in corp. citati art. inquiens: *Dicendum, quod ſicut Hieronym. dicit ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis: vndè cum hæreticis, nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur: Ariani autem hæretici Chriſtum dixerunt eſſe creaturam, & minorem Patre non ſolum ratione humanæ naturæ: ſed etiam ratione divinæ perſonæ; & ideò non eſt abſolutè dicendum, quod Chriſtus eſt creatura, vel minor Patre; ſed cum determinatione, ſcilicèt ſecundum humanam naturam*; per quæ vt conſtat, non excludit veritatem illius propoſitionis *Chriſtus eſt creatura*; ſed modum non reſtrictum illam proferendi.

159 Sine quo adhuc proferri poſſe, videntur tenere alij Patres, vt apud Cardin. de Lugo, diſp. 23. de Incarnat. ſect. 4. Div. Ambroſ. Serm. 5. in Pſalm. 118. vbi omnem removens ſcrupulum, ait: *Non vereor, ne quis dicat: creatum ergo Chriſtum aſſeris? Reſpondebo; ita creatum dico, quemadmodum factum legi, hoc eſt factum ex muliere, factum ſub lege.* Et Hieronym. in magnis commentarijs, epiſt. ad Epheſ. in illud, cap. 2. *Ipſius enim factura ſumus* (vbi ſic docet) *nos libere proclamamus, non eſſe periculum eum dicere creaturam*, (ſcilicèt Chriſtum) *quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota ſpei noſtræ fiducia confitemur.* Necnon Auguſtin. in Enchiridio, cap. 38. & de fide, & ſymbolo, cap. 3. & Serm. 12. de tempore, & Serm. 56. de verbis Domini, Vigilius, Fulgent. & Gregor. Magn. quorum verba videri poſſunt, apud Vazq. 3. part. diſput. 65. cap. 1.

160 His digreſsione non inutili conſtitutis ad obiectionem, quæ dubium movit ſupra, innitio capitis facilè reſpondetur, conceſa maiori, & negando minorem: ad cuius probationem, nego antecedens: & ad huius probationem nego maiorem; nam complexum ex Deo, & creatura non eſt perfectius quid in ratione boni; quàm Deus ſolus; ſed potius quid maximè diſtans per defectum à Deo ſolo, & ſecundum ſe conſiderato, vt probarunt fundamenta in anterioribus à nobis immediatè expenſa.

161 Obijcies ſecundò. Perfectior, & æſtimabilior reditur ſcientia divina ex eo quod repræſentet Deum, & creaturas; quàm ex eo, quod repræſentet ſolum Deum: ergo perfectius quid eſt in ratione attacti per ſcientiam complexum ex Deo, & creaturis; quàm Deus ſolus. Conſequentia legitima eſt: ſiquidem id per ordinem ad quod, vt attactum per ſcientiam æſtimabilior, & perfectior reditur ſcientia, eſt quid nobilius, & perfectius in ratione attacti per ipſam. Probatur antecedens. Per id reditur æſtimabilior, & perfectior ſcientia divina, per quod penitùs excludit ignorantiam illius, quod eſt cognoſcibile: ſed ſcientia divina ex eo, quod repræſentet Deum, & creaturas, ſive omnem veritatem à Deo diſtinctam, excludit omnem ignorantiam illius, quod eſt cognoſcibile, quam non excluderet ſi Deum ſolum repræſentaret: ergo perfectior, & æſtimabilior reditur ſcientia divina ex eo, quod repræſentet Deum,

&

& creaturas, quàm ex eo, quod repræsentet Deum solum.

162 Respondeo: quod in nostra sententia negante connexionem absolutam Dei cum omni alio à se distincto, perfectio divinæ scientiæ in repræsentando, & in essendo non dependet absolutè ab expressione omnium aliarum veritatum obiectivarum, quæ à Deo distinguntur; sed contineri intra suum obiectum infinitum, ita taliter, vt si omne aliud cognoscibile in esse talis deficeret, maneret æquè perfecta ac modo est repræsentando, tum Deum, tum alia ab ipso distincta, quomodo dicent adversarij de scientia divina comparata ad omnes veritates existentes, quæ vltra eas, quæ defacto existunt, esse possent per quarum defectum nullo modo in perfectione minuitur: dependet igitur scientia divina in essendo, & repræsentando ab omni alia veritate distincta à Deo, non absolutè; sed tantum ex suppositione, quod sit aliud obiectivum cognoscibile à Deo: vndè omnes hæ veritates iure excluduntur ab obiecto materiali primario talis scientiæ, cum illud solum sic dici debeat, à quo absolutè constantèr, & invariabiliter reditur perfectissima, propterea quod in possessione illius ita sistat tanquam in centro, vt exire extra repræsentationem illius pro sua perfectione, & plenitudine non indegeat. Hæc pro nostra sententia.

163 Absolutè tamen pro omnium sententia dicendum: scientiam divinam non redi perfectiorem, & æstimabiliorem, ex eo, quod repræsentet Deum, & creaturas: quia sic repræsentando extenditur vltra Deum, & excludit ignorantiam omnis cognoscibilis, quasi in hoc sistendo; sed quia per extensionem illam repræsentandi cognoscit perfectissimè, & comprehensivè Deum nihil de ipso ignorando, à qua repræsentatione, & modo excludendi ignorantiam reditur formaliter perfectissima in ratione repræsentationis, se habente tantum repræsentatione aliorum distinctorum à Deo tanquam arguitivo perfectionis, quam ex augmento penetrandi, & comprehendendi esse divinum formaliter accipit, ac per consequens hoc tantum debet esse obiectum primarium, & nobilissimum in ratione attacti, cum sit id, à cuius attactione, & repræsentatione scientia nobilitetur formaliter, ita vt omnis defectus repræsentationis alterius veritatis, nisi in defectum repræsentationis veritatis illius obiecti recideret, perfectionem scientiæ non minueret.

164 Obijcies tertiò contra secundam conclusionem. Per nos obiectum materiale principale, seu primarium scientiæ divinæ est principale cognitum ipsius; sed sola essentia divina est principale cognitum per scientiam Dei, & divinum intellectum, vt constat ex Divo Thoma, supra relato: ergo non Deus completè sumptus; sed tantùm secundùm essentiam consideratus est obiectum materiale primarium, seu principale scientiæ divinæ. Respondeo: Div. Thom. non incongruam interpretationem accipere si intelligatur de essentia divina non quomodocumque accepta; sed *completè*, qua ratione dicit atrributa, tàm absoluta, quàm relativa, & sub qua tantum ratione plenè possidet suum obiectum nobilissimum, provt decet potentiam perfectissimam, & actum perfectissimum illius.

165 Obijcies quartò: verba Div. Augustt. libr. 6. de Trinit. cap. 8. dicentis: *Cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, & Spiritus Sanctus, Patri, & Filio, non fit maior Deus, quam singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio*: vndè sic, si complexum ex essentia, & attributis absolutis esset quid perfectius sola essentia, aut complexum ex essentia, attributis absolutis, & relativis esset quid perfectius, quàm sola essentia cum attributis absolutis, vt nos dicimus: complexum ex tribus divinis personis esset quid perfectius, quàm solus Pater, & sic de reliquis Personis solitariè acceptis; sed complexum ex tribus divinis personis, scilicèt Patre, Filio, & Spiritu Sancto non est quid maius, quàm singuli eorum: alias deficeret dictum Augustt. & quando adhæret Patri æquali Filius æqualis, & Spiritus Sanctus, Patri, & Filio, fieret maior Deus, quàm singuli eorum, & esset, quo crescceret illa perfectio: ergo sola divina essentia, tantum quid est perfectionis, quam ipsa cum reliquis attributis, sivè absolutis, sivè relativis, ac per consequens sola ipsa erit obiectum primarium, vtpotè nobilissimum scientiæ divinæ.

166 Ante solutionem notare placet, quod si locus obiectus nobis oppo-

ponitur, etiam adversarijs minimè favere potest: probat enim, quodvis attributum relativum valere tantum quantum Deus, sicut ipse Div. August. docuit etiam de absolutis attributis in quæstiunculis decerptis ex libris de Trinitate, quæ sunt ad finem tertij tomi, ibi: *Deus eo ipso, quod est, vivit, & eo quo vivit, intelligit, & eo quo intelligit, potest, & eo quo potest, est.* Et Div. Anselm. cap. 16. Monologij, apud Quiròs, disp. 18. de Deo, sect. 2. *Idem est quodlibet illorum, quod omnia simul, vel singula*: vndè etiam probat quodvis attributum, sivè absolutum, sivè relativum, non minus quàm essentiam debere esse obiectum principale materiale scientiæ divinæ, sicut quodvis in se continet tantam perfectionem, & excellentiam, quantam continet ipsa essentia, & complexum ex ipsa, & reliquis attributis.

167 Respondeo: aliud esse quod cum datur divina essentia, vt modo datur, & necessario est, dari in tribus divinis personis, scilicèt Patre, Filio, & Spiritu Sancto non fiat maior Deus: *Quia adhæret æquali Patri Filius æqualis, & Spiritus Sanctus, Patri, & Filio, quam propter singulos eorum*; aliud: quod non sit maior Deus, qui defacto datur in tribus divinis Personis, illo, qui daretur in vna, aut duplici tantum persona. Primum dicit Augustin. & nos etiam dicimus. Secundum non negat Div. Augustin. nec videtur negare posse, & inde inferimus, Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse quid perfectius, quàm esse solum Deum, aut in vna, aut in duplici tantum persona; alias, si Deus esset conceptibilis tam perfectus sine Trinitate, ac modo est cum Trinitate, non esset ratio, cur esset determinatus ad Trinitatem, & cur non esset illi liberum esse Trinum; sicut ipsi liberum est decernere creaturas: stat igitur, tantum valere in Deo, qui defacto datur, quam cumque perfectionem ipsius, quantum complexum omnium: quia in ipso datur identicè omnis perfectio, & tamen, quod non tantum valeret, nec coniunctim, nec divisim, quantum modo valet, si deficeret aliqua ex his per quas defacto, & necessario constituitur.

168 Quod, nisallor, videtur insinuasse idem August. in cap. 7. eiusdem libri, vbi postquam docuit non esse dicendùm: *Patrem solum, aut Filium solum minorem, quàm simul Pater, & Filius*, concludit: *Quamquam non inveniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus, cum semper atque inseparabiliter, & ille cum Filio sit, & ille cum Patre, non vt ambo sint pater, aut ambo Filius; sed quia semper in invicem, neuter solus*: quasi dicat ly *solus Pater*, aut *solus Filius* tantum potest intellegi ex parte subiecti nostræ affirmationis, in quantum solum Patrem, aut solum Filium assumimus ad aliquid affirmandum, qua ratione dici nequit Pater, aut Filius minor Patre, & Filio; non sic si ly *solus* acciperetur ex parte rei, quomodo Pater propter inseparabilitatem, quam dicit à Filio, & qua semper in invicem Pater, & Filius esse debent, esset impossibilis.

169 Obijcies quintò: si essentia divina non esset tam perfecta formaliter ex se, quam ipsa, & attributa, sivè absoluta, sivè relativa, id quod est minus perfectum, contineret in se, quod est magis perfectum, scilicèt coniunctum sui, & attributorum; sed quod minus perfectum est in se, non potest continere, quod est magis perfectum: ergo essentia divina, tàm perfecta formaliter ex se est, quàm coniunctum ex ipsa, & attributis, sivè absolutis, sivè relativis. Instò argumentum in quavis natura, & essentia creata, vbi fortius adhuc vrget difficultas propter strictam efficiētiam, quæ ibi datur: etenim natura quævis cōtinet in se coniunctū ex ipsa, & propietatibus sibi correspōdentibus, quod quidē perfectius est, quā ipsa sola. Instò insuper in intellectu, & lumine gloriæ continentibus in se coniunctum ex intellectu, & visione beatifica, quod quidem perfectius est, quàm intellectus, & lumen. Instò demum in quavis extensione causæ, & effectus vnivocì, quam continet in se causa vnivoca; & tamèn quid maius est extensivè complexum causæ, & effectus, quàm ipsa causa.

170 Quare respondeo: quod in his, quæ continentur, aut partim identicè, & partim effectivè, & causaliter, aut adæquatè identicè, aut exigitivè, & connexivè, id, quod est maius, potest contineri in eo, quod est minus, vt constat in exemplis appositis, & insuper in determinatione ad identitatem, quam habent ea, quæ identificantur, quæ quidem determinatio minus perfecta est formaliter, quàm

quàm ipsa identitas ; & tamen continet in se identitatem. Denique creatura vilissima , & imperfectissima facit sibi debitam existentiam Dei , sine qua non potest existere , & quæ excedit ipsam infinitè , & vnio hypostatica facit sibi debitum connexivè complexum Dei hominis , quod est multo perfectius ipsa : ergo tantum valet , & est vera illa propositio : *Id quod est minus , non potest continere id , quod est maius* , in his , quæ adæquatè effectivè , & causativè continentur in alijs , quomodo non continetur in essentia divina complexum ex ipsa , & attributis , sivè absolutis , sivè relativis.

***

JHS.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE OBIECTO FORMALI Scientiæ Divinæ.

TAM Varia apud Authores eſt acceptio obiecti formalis, vt propterea non deſint, qui quæſt. graviſsimam de obiecto formali divinæ ſcientiæ vltimo ſiſtere in diſidio purè vocali ſuſpicentur. Ita Ribadeneyra, diſput. 3. de Scientia: nec longè ab eodem ſenſu eſt Ruiz, diſp. 10. dum monet lectorem opus habere ſubtiliori, & attentiori obſervatione in loquutionibus. Ideò, vt omnis obſcuritas à præſenti controverſia recedat, præmittere oportet acceptiones obiecti formalis, & inde quæſtionis ſenſum eruere.

CAPVT I.

Quid ſub obiecto formali veniat intelligendum? Quæſtionis ſenſus, & Authorum ſententiæ.

1 OBIECTVM formale intellectus ſolet cum obiecto primario, principali, & per ſe cognito illius confundi: vndè contractè ad divinum intellectum, & ſcientiam illud dicitur obiectum formale, quod primarium, principale, & per ſe cognitum reſpectu illius debet reputari. Vt autem ambiguitas, quæ ſub terminis *obiecti primarii, principalis, & per ſe cogniti* latere poteſt, auferatur, eam detegit Ferrara, libr. 1. contra Gentes, cap. 48. advertens in duplici ſenſu poſſe dici obiectum primarium principale primò, & per ſe cognitum. Vno: per modum rationis ſub *quâ* reliqua ad potentiam referantur: quia ſit titulus ea attingendi, in quantum ea coaptat, & proportionat, vt intra ſphæram potentiæ contineantur: quomodo ratio *coloris* dicitur obiectum primarium primo, & per ſe viſum, cum ſit ratio, ſub qua album, nigrum, & reliqua colorata ad potentiam viſivam ſpectant, & proportionem habent, vt per actus talis potentiæ attingantur; altero, per modum obiecti, quod non cognoſcitur in alio, aut per aliud; ſed in ſe ipſo, & per ſe ipſum, id eſt, quod cognoſcitur per ſpeciem propriam primò, & per ſe illud repræſentantem; ſecus per ſpeciem repræſentantem aliud prius, in quo cognoſcatur: in qua acceptione tantùm iuxta eundem Authorem dicit, ibi S. Thom. *ex præmiſsis apparet, quod Deus primo, & per ſe ſolum ſe ipſum cognoſcit*, quam etiam obſervans in prim. Sent. diſt. 35. quæſt. 1. art. 2. in corp. protulit: *Similiter intellectum primum eſt ipſa rei ſimilitudo, quæ eſt in intellectu, & eſt intellectum ſecundum, quod eſt ipſa res, quæ per ſimilitudinem illam intelligitur, ſi ergo conſideretur intellectum primum nihil aliud intelligit Deus niſi ſe: quia non reſpicit ſpecies rerum per quas cognoſcat; ſed per eſſentiam ſuam cognoſcit, quæ eſt ſimilitudo omnium rerum; ſed ſi accipiatur intellectum ſecundum, ſic non tantum ſe intelligit; ſed etiam alia.*

2 Qua diſtinctione ſenſuum ſuppoſita, alia oritur diverſitas vſurpationis erga obiectum formale, ſiquidem obiectum primò, & per ſe cognitum ſumpto pro *cognito per ſpeciem propriam*, & *in ſe ipſo* vocatur frequenter *obiectum formale motivum*; at ſumptum pro *ratione ſub qua attingit potentia ea, quæ per ſuos actus reſpicit*, dicitur *obiectum formale parè terminativum.*

3 Obiectum formale accipiunt alij pro ſola *ratione formali ſub qua* ten-

tentiæ, quomodo dicunt distingui ab obiecto materiali, penes cuius contrapositionem tantum debet vsurpari obiectum formale: itaque sicut obiectum materiale intellectus est id, quod cognoscitur, seu *cognitum vt quod*; sic obiectum formale ipsius debet esse *ratio attingendi cognitum, vt quod*, seu *cognitum, vt quo*. Ab obiecto vero primario, & principali secernunt, quia iudicant rationem *obiecti primarij* esse communem *obiecto materiali*, & *formali*, taliter, vt inter *obiecta materialia*, seu *cognita, vt quod*, illud dicendum veniat *primarium*; quod est perfectius, & æstimabilius: pariterque inter obiecta formalia, seu cognita *vt quo* illud, quod inter reliqua ob perfectionis excessum eminet.

4 In hac acceptione obiecti formalis distingui solet *intrinsecum*, & *extrinsecum*. *Intrinsecum* dicitur, *quod per eundem actum cum materiali attingitur*. *Extrinsecum* verò, *quod per distinctum præviumque tangitur*: Ex his primum distinctionem actuum non requirit, cum sit obiectum, quo determinatur intellectus; v. g. ad ipsum simul, & alterum cognoscendum per eundem actum; ast secundum distinctionem actuum requirit, propterea quod sit obiectum, quo intellectus determinatur ad ipsum simul, & alterum cognoscendum per diversos actus. Nec desunt, qui hanc divisionem non admittant, illud tantum reputantes obiectum *formale*, quod sit *intrinsecum*. In obiecto *formali intrinseco* observat Izquierdo discrimen, quod datur inter ipsum, & obiectum *materiale*, scilicèt, quòd *formale* potest dari absque *materiali*, at *materiale* non potest dari absque *formali*: rationem primi tradit: quia potest vnum obiectum determinare potètiam ad actum sui solius, quo casu erit illud obiectum *formale* sine *materiali*: rationem secundi: quia nullum obiectum potest tangi per actum, seu terminare illum, quin ab ipso, vel ab alio determinetur potentia ad talem actum: vndè, vt vides colligitur apud hunc Authorem tunc non dari obiectum materiale actus, quando licèt terminet actum, non distinguitur realiter à ratione, qua terminat.

5 Explicant alij tertio: obiectum *formale* per idem, ac obiectum *specificativum*, id est, rationem illam per ordinem ad quam, tàm actus, quàm potentia sumit speciem, vt constat in actu, & habitu fidei theologicæ, qui specificantur in esse talium à prima veritate in dicendo, eandemque respiciunt, vt obiectum formale, seu rationem sub qua attingendi, quod per fidem creditur: vnde cum specificativum in *intrinsecum*, & *extrinsecum* dividatur, proinde obiectum formale iuxta hanc vsurpationem in *intrinsecum*, & *extrinsecum* veniet dividendum; eritque obiectum formale *intrinsecum* actus, & potentiæ, quod cum actu, & potentia realiter identificatur, & *extrinsecum*, quod ab actu, & potentia realiter distinguatur, licèt per actum attingatur, quomodo obiectum *formale* erit *intrinsecum*, iuxta alium sensum iam explicatum.

6 Quarto alij, vt Pater Herrera, obiectum formale cum motivo confundunt explicantes obiectum *formale* esse illud, quod dum est obiectum cognitionis, movet ad illam, vt sic distinguatur ab obiecto *materiali*, quod purè terminat cognitionem, quin ad illam moveat: obiectum autem *motivum* dupliciter considerant, scilicèt, vnum *motivum phisicè*; alterum *intentionaliter motivum*. Obiectum motivum *phisicè* illud est, à quo in genere phisico cognitio habet suum esse, vt quando quis cognoscit obiectū, quod vel per se, vel per speciem sui concurrit phisicè ad cognitionem: addens Rivadeneyra ad hanc motionem phisicam non esse necessarium determinatè tribuere obiectum esse cognitioni per influxum phisicum; sed vel per influxum phisicum, vel per phisicam identitatem: modo quo Deus phisice identice tribuit esse cognitioni, qua se secundum absoluta, & relativa cognoscit, & quævis alia cognitio etiam creata, quæ se repræsentet, & supra se reflectat. Obiectum intentionaliter *motivum* respectu alicuius actus illud est, quod attingitur per ipsum, vt ratio assentiendi obiecto, ad cuius assensum movet, vel vt ratio attingendi obiectum; ad cuius attingentiam intentionalem movet. Vt autem explicent, quid sit rationem assentiendi esse, vel attingendi obiectum, ad cuius assensum, vel attingentiam intentionalem movet, subdividunt obiectum *intentionaliter motivum* intellectionis, & assensus.

7 In obiectum *intentionaliter motivum terminativè*, & in obiectum *inten-*

t*onaliter motivum determinativè* ; non quia *determinativè* excludat *terminativè*; ſed quia *terminativè* poteſt ſeparari à *determinativè*. Tunc enim obiectum movet purè *terminativè* quando obiectum ipſum, in quod tendit intellectus actus, eſt ratio obiectiva in qua quieſcit intentionalis tendentia ex modo proprio tendendi, quin indigeat aliunde, & extra obiectum, quod reſpicit, alia ratione obiectiva impellente ad attingendum, vt accidit quando intellectus aſſentitur primis principijs per ſe patentibus ; v. g. *quodlibet eſt, vel non eſt*, quo caſu dicunt, id quod ſe habet, vt ratio formalis motiva actus, nullum influxum, nec obiectivum quidem præſtat in actum, ad quem movet, vndè motio in hoc ſenſu tantum explicat modum tendendi, quo intellectus quieſcit in obiecti veritate, & id tantùm ſignificat ly *propter*, quo vtimur dum dicimus *intellectum veritati per ſe conſtanti aſſentire propter ipſam* : quod abſque vllo influxu, ſive reali, ſive obiectivo componitur.

8 Tunc vero obiectum movet *determinativè* quando ita movet ad cognitionem ſui, vt aliqua vera ratione *cognitio potius ſit, quia datur obiectum ; quàm obiectum : quia datur cognitio*, qua ratione communis vox eſt Patrum Eccleſiæ: *Res non ideo eſſe futuras : quia à Deo videntur ; ſed potius à Deo videri : quia futuræ ſunt*, & ita expediunt quæſtionem de cohærentia divinæ præſcientiæ cum libertate creata : vndè colligitur obiectum aliquando non modò movere ad cognitionem ſui, in quantum hæc ſit propter ipſum ; ly *propter* ſignificante modum tendendi innitentem ipſi rei ; verum ſignificante influxum obiectivum rei in ſui cognitionem per præcedentiam quandam ad illam in genere obiectivo determinativo, & facientem potius eſſe verum : *Exiſtere cognitionem ; quia exiſtit obiectum ; quàm exiſtere obiectum ; quia exiſtit cognitio*. Addit Izquierdo, influxum obiectivum determinativum ſtare non poſſe, niſi intellectus influat, vel realiter, vel virtualiter in ſcientiam, & cognitionem obiecti, à quo determinatur : quia nullo modo poteſt intelligi obiectum ad ſcientiam movere, & determinare motione non phiſica ; ſed obiectiva, niſi in quantum per ſui veritatem obiectivam, aut etiam per ſui præviam notitiam tanquam per quandam conditionem, intellectui aliquomodo adiunctam, adiuvet ipſum, aut cogat, & determinet ad dandam ipſi ſcientiæ exiſtentiam, & quoddam modo, vel realiter, vel virtualiter producendum eſſe cognitionis determinatæ à veritate obiecti, in quod tendit.

9 Quintò : ſingulariter Hurtado Complutenſis, diſp. 2. de ſcientia in prooemio taliter meditatur rationem obiecti formalis, vt divinum intellectum ſubterfugiat, & in intellectu creato vix, niſi quoad actum fidei reperiatur. Iudicij à communi reliquorum exorbitantis nullam aliam rationem redit in præſenti, niſi quia Deus nullo motivo formali, quaſi ducitur ad intelligendum, imò neque nos, niſi ad actum fidei vt dictum eſt tractatu de fide in initio, diſp. 1. ante omnem difficultatem, ibi autem tantum aſſerit: eſſe diſcrimen inter actus appetitus, tàm ſenſitivi, quàm rationalis ex vna parte, & inter actus potentiæ apprehenſivæ, tàm ſenſitivæ, quàm intellectivæ ex altera, quod quamvis ad omnes actus appetitus ſit ſemper motivum aliquod formale, nempè bonitas obiecti materialis appetiti; non tamen ad omnes actus potentiæ apprehenſivæ ; imò ad nullum excepto actu fidei : quia omnes actus, tàm intellectus, quàm ſenſus, excepto actu fidei, verſantur circa obiectum materiale abſque motivo aliquo formali, ob quod elliciantùr à ſuis potentijs, quod eſt concluſionem ſine probatione relinquere, aut ipſam concluſionem pro ratione tradere.

10 In tanta loquutionum, & acceptionum diverſitate, certa ab incertis ſeparare convenit, vt detur locus controverſiæ, & ſenſus illius innoteſcat. Itaque certum debet eſſe primò : nihil extra Deum eſſe obiectum primò, & per ſe cognitum ab intellectu divino. Ratio eſt : quia illud ſolum eſt primo, & per ſe cognitum ab intellectu divino, cui debetur per ſe primò cognitio immediata ipſius, & cognitio propria reliquorum, quæ attinguntur per intellectum divinum ; ſed ſolum ens infinitum tale eſt, aliàs cognitum finitum perfectius eſſet cognito infinito, & perfectiſſimo : ergo nihil extra Deum eſt obiectum primo, & per ſe cognitum ab intellectu diuino. Id ipſum eſt, quod explicat D. Thom. ſupra citat. ſub termi-

minis *Primi intellecti* dicens : tantum Deo competere, vt obiecto suæ cognitionis infinitæ : quia in cognoscendo se non recipit species rerum, per quas cognoscat ; sed per essentiam suam cognoscit, quæ est similitudo omnium rerum, id est, in quantum se cognoscit, facit debitam cognitionem aliorum ; non secus in quantum cognoscit alia facit debitam cognitionem sui. Quod videtur desumptum ex D. Dionysio cap. 7. de divinis nomin. paulò post medium ibi: *Ex se in se per causam omnium rerum cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet*; & post pauca, *se ipsam ergo noscens divina sapientia, novit omnia sine materia, ea quæ ex materia constant: sine divisione, ea quæ dividua sunt : multa coniuncta, dum ipso vno omnia, & noscit, & procreat.*

11 Certum debet esse secundò: nihil extra Deum posse esse obiectum physicè motivum intellectus divini. Constat clarè, siquidem illud solum dicitur obiectum physicè motivum intellectus, quod vel immediatè per suum esse, vel mediatè per aliquid à se immediatè productum, tribuit esse cognitioni: sed nihil extra Deum, vel immediatè per suum esse, vel mediatè per aliquid à se immediatè productum, potest tribuere esse cognitioni divinæ: cum non identicè : quia nihil creatum identificatur cum aliquo divino ; non effectivè : quia scientia divina est improducibilis realiter, & physicè ; & insuper : quia intellectus divinus non eget concursu obiectivo ad intelligendum ea, quæ sunt extra se, propterea quòd per suum esse sit fæcundatus specie ad intelligendum quidquid intelligibile est, itavt *Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia ; sed sui* iuxta effatum D. Dionysij cap. 7. de divin. nomin. ergo nihil extra Deum potest esse obiectum physicè motivum intellectus divini.

12 Certum debet esse tertiò. Solum Deum esse obiectum specificativum intrinsecũ cognitionis divinæ. Patet: obiectum taliter specificativũ illud dumtaxat est, quod intrinsecè identicè pertinet ad esse cognitionis eam constituendo in esse talis : sed Deus solus est obiectum intrinsecè identicè pertinens ad scientiam divinam eam constituendo in esse talis, cum ab omni, quod Deus non sit, realiter distinguatur : ergo solus Deus est obiectum specificativum intrinsecum cognitionis divinæ. Inde liquet quarto: quod si obiectum formaliter accipiatur in aliqua ex prædictis acceptionibus, nempè aut pro *primo*, & *per se cognito*, aut pro *obiecto motivo physicè*, aut pro *obiecto specificativo intrinseco*, nihil creatum potest esse obiectum formale scientiæ divinæ, sivè terminatæ ad esse proprium Dei, sivè terminatæ ad esse proprium creaturarum.

13 Certum debet esse quintò ex Izquierdo contra Hurtado Complut. Scientiam, sivè divinam sivè humanam non posse carere aliquo obiecto formali, & motivo, sumpto obiecto formali, & motivo pro *ratione sub qua* attingendi illud, quod per scientiam repræsentatur, sivè talis ratio, & motivum sit, vel non sit comitatum alio obiecto aliquomodo distincto, & quod se habeat, vt obiectũ materiale. Ratio est: quia neque intellectus divinus, neque creatus potest per suos actus tendere in obiectum, quin hoc sit proportionatũ, vt per illos attingatur: sed ratio proportionãs obiectum, vt per actus alicuius potentiæ attingatur, est obiectum formale, & motivum potentiæ, & actuum illius : ergo neque scientia divina, neque humana carere potest aliquo obiecto formali, & motivo sumpto pro *ratione sub qua* attingendi illud, quod per scientiam repræsentatur. Confirmatur. Implicat, intellectum, sivè divinum, sive creatum tendere in obiectum, quin ex parte huius sit aliqua obiectiva ratio ipsum determinans, tum, vt potius sic, quam aliter illud representet, tum vt potius per actus intellectus, quàm per actus voluntatis attingatur: sed obiectum, quod sic se habet respectu cuiuscumque intellectus est ratio obiectiva *sub qua* illius, ac proinde obiectum formale, & motivum in hac acceptione : ergo implicat intellectus, sivè divinus, sivè creatus carens omni obiecto formali motivo.

14 Certum debet esse sextò ex Ribadeneyra: quod ad obiectum formale intellectus, sivè physicè, sivè intentionaliter motivum duo requiruntur; non tamẽ sufficiunt. Requiritur primò: quod sit cognitum. Secundò: quod cognitio sit ab illo, vel physicè, vel intentionaliter, provt fuerit motivum, aut physicè, aut intentionaliter, quæ quidem non sufficiunt : nam potest quis iudica-

re, ſe habere intellectum realiter diſtinctum, vel indiſtinctum ab anima, ductus præcisè ex fundamentis probabilibus opinionum verſantium circa identitatem, & diſtinctionem illius ab anima, quo caſu iudicium hoc ſic tendens, aut in identitatem, aut in diſtinctionem ipſius ab anima habebit pro obiecto ſuo facultatem intelligendi, & ab illa ſuum accipiet eſſe; quin ideò intellectus ſit obiectum formale motivum talis cognitionis; ſed alia fundamenta, quibus innititur intellectus ad aſſentiendum. Tum etiam: quia per actum ellicitum ab habitu fidei valet quis motus ex divino teſtimonio, tanquam ex motivo, credere ſe habere habitum fidei præbendo aſſenſum tali veritati, quo eventu, vt benè percipitur, habitus fidei erit obiectum cognitum per talem aſſenſum, vt potè per ipſum creditum, habebitque inſuper aſſenſus eſſe ab habitu, à quo effectivè procedit: neque ideò habitus erit obiectum formale motivum aſſenſus; verùm divina revelatio propter quam creditur veritas revelata,

15 Aliud ergo requiritur vltra illa duo ad rationem motivi, ſivè *phiſici*, ſivè *intentionalis*, quodnam hoc ſit? Iam explicat, ſcilicèt, quod obiectum illud ſic oſtendat veritatem, vt cognitam, cui intellectus per ſuum actum adhæret, vt in illa quatenus ita cognita, ſtet, ſeu innitatur ſecuritas, certitudo, & adhæſio ſubiectiva intellectus circa talem veritatem, cui præbet aſſenſum; idque eſſe, quod communiter ſignificare intenditur quando dicitur: obiectum formale *Eſſe rationem propter quam intellectus aſſentitur obiecto.* Vndè concludit, tria eſſe neceſſaria ad rationem obiecti formalis motivi, videlicèt: *Eſſe cognitum; eſſe id, quod aliquomodo præſtet eſſe cognitioni, & eſſe id, cui innitatur intellectus ad aſſentiendum*, quæ præcipuè locum obtinent loquendo de obiecto ſtrictè motivo.

16 His pro claritate ſuppoſitis plura in examen veniunt. Primum: quodnam ſit illud obiectum, quod movet intellectum divinum, & eius ſcientiam per modum ſpeciei impreſſæ? Secundum: an ſcientia divina habeat aliquod obiectum phiſicè motivum? Tertium: quodnam ſit obiectum formale intentionaliter motivum ſcientiæ divinæ, ſeu quænam ſit illa ratio obiectiva, cui innititur ſcientia Dei ad aſſentiendum? Quartum: an ſit aliquod obiectum ita obiectivè influens in ſcientiam divinam, vt potiùs ſit verum: *Scientiam, & cognitionem Dei eſſe quia obiectum ſe habet in ſe, ſicut repræſentatur*; quàm è contra: *obiectum ſe habere in ſe, ſicut per ſcientiam, & cognitionem Dei repræſentatur; quia exiſtit ſcientia, & cognitio divina taliter ipſum repræſentans*? Hæc ſunt, quæ in controverſia hac inconſtantiſsima veniunt expedienda.

17 In primo dubio affirmant, ſolam divinam eſſentiam, provt diſtinctam virtualiter ab attributis abſolutis, & relativis, gerere munus ſpeciei impreſſæ, & in hoc genere eſſe obiectum motivum divini intellectus, Cornejo. Salmantic. Andræas à Cruce, & ex noſtris Eximius Suarius libr. 3. de attrib. cap. 1. & 2. & libr. 9. de Trinitat. cap. 5. num. 4. & 6. Vazquez diſput. 142. in 1. part. Granado controv. 2. de Scientia Dei tract. 1. diſp. 2. & Alarcon tract. 2. de Scientia Dei, diſput. 2. cap. 1. cum quibus Illuſtriſsim. Godoy quæſt. 16. de Scientia tract. 3. diſp. 25. §. 5. Iudicant alij per oppoſitum non tantum divinæ eſſentiæ id competere; ſed complexo eſſentiæ, attributorum, abſolutorum, & relativorum, pro quo citantur Albelda diſp. 35. Molina in 1. part. q. 14. art. 5. & 6. diſput. vnica, concluſ. 2. & Ruiz de Scientia, diſput. 5. ſect. 6. Excludunt alij tertiò à tali munere attributa relativa comprehendentes eſſentiam, attributaque abſoluta, quam ſententiam etſi proponat Godoy, nullum Authorem pro ea nominatim refert.

18 In ſecundo affirmat: aliquid divinum eſſe obiectum phiſicè motivum Scientiæ divinæ Ribadeneyra, diſput. 3. de Scientia cap. 3. & eſt communis ſententia Thomiſtarum, quibus adhærere debent omnes illi, qui concedunt, intellectum divinum eſſe principium virtuale intellectionis. Negat Herrera tract. de Scientia, quæſt. 4. ſect. 2. ſi de motione phiſica ſtrictè tali reali, vel virtuali ſenſus procedat. Conſequenter quidem ad ſuam doctrinam de virtualitatibus, qua ductus negat omne principium virtuale in divinis, tàm reſpectu intellectionis neceſſariæ, quàm contingentis

19 In

19 In 3. Prima sententia docet, solum obiectum increatum habere rationem obiecti formalis intentionaliter motivi intellectus divini, ac per consequens cætera cognoscibilia extra Deum habere tantum rationem obiecti materialis. Pro qua adducitur Dov. Thom. in præsenti quæst. 14. art. 5. & 6. & prima contra Gentes, cap. 38. Tenent insuper ferè omnes antiqui, quibus accedunt ex nostris Exim. Doct. Vazq. Molina, Valentia, Arrubal, Granado, Alarcon, Ruiz, & Fasolus cum alijs multis Discipulis subtilis D. qui omnes videri possunt apud Godoy, & Ribad. loc. cit. Aſt cum non loquantur sub terminis *obiecti formalis intentionaliter motivi*, sed sub solis terminis *motivi* timendum est non omnes procedere in eodem sensu, præcipuè quando innituntur principijs diversis, quibus videtur incommodare vnus, & idem sensus: secunda sententia tenet, ens, provt comprehendit Deum, & creaturas, seu omne cognoscibile, esse obiectum formale intentionaliter motivum intellectus divini: Hanc propugnat Ochamus, in prim. distinct. 35. quæst. 3. Gabriel, in eadem distinct. artic. 2 Durandus in prim. dist. 35. quæst. 1. num. 9. cum quibus Albiz. tract. 1. de Scientia, disput. 5. sect 9 Herice, disp. 3. de Scientia, cap. 4. Becanus, prim. part. cap. 10. quæst. 4. num. 4. Sphorcia libr. 1. num. 38. & 39. Raynaudus in Theologia naturali, dist. 8. quæst. 1. art. 1. Monceus disp. 3. selectarum, cap. 11. Arriaga, disp. 19. sect. 4. Martinon, disp. 10. de Deo, sect. 1. Franciscus de Lugo, libr. 1. disp. 28. Rivas, disp. 4. cap. 3. Ribad. disp. 3. cap. 3. Izquierdo, disp. 23. de Deo, quæst. 8. propositione 2. Herrera, tract. & quæst. citatis, sect. 5. Iunius, de Providentia, sect. 4. cap. 4. num. 8. & alij Recentiores, ex nostris frequentissimè.

20 In 4. Influxum obiectivum, & prioritatem quandam aliquorum obiectorum ad Dei cognitionem, qua exprimuntur, concedit Herrera sect. 4. sibi tribuēs distinctionem obiecti formalis intentionaliter motivi *terminativè*, & *determinativè*, id est, obiecti, quod secundùm suam veritatem obiectivam purè sit ratio, cui innitatur scientia Dei, & obiectum, quod vltra addat præcedentiam aliquam obiectivam, ex qua obiectum sit ratio existendi cognitionem, non *physicè*, sed *intentionaliter*, quam etiam sæpè insinuat Izquierdo, disp. 23. 25. & 28. sed quidquid sit de vocibus, videtur concedenda ab omnibus, qui scientiam visionis esse causam rerum negant; sicut, & ab omnibus, qui scientiam conditionatam contingentem propugnant, & benè explicant assignando pro obiecto determinativo talis scientiæ veritatem ipsam conditionalem contingentē, vt videbimus agentes de scientia futurorum, quā specialitatem influxus obiectivi non negant Sapientissimi RR. huius Academiæ Primarij, quamvis disp. 2. de scientia, cap. 5. intendant contra Herrera, omne obiectum formale *intentionaliter motivum* scientiæ divinæ, *terminativè* etiam esse in aliquo sensu *obiectum formale intentionaliter motivum determinativè*.

CAPVT II.

Quæstionum præcedentium resolutio.

21 PRIMA conclusio: nihil, sive creatum, sive increatum quomodocumque ab intellectu divino distinctum, ipsum movet per modum speciei impressæ: vnde in hoc genere nullum extra se quomodocumque acceptum, habet intellectus divinus obiectum formale. Probatur consequenter ad ea, quæ iam sunt insinuata in præsentibus: intellectus divinus per se formaliter est species omnium cognoscibilium; sed quod per se formaliter est species omnium cognoscibilium, nihil habet extra se, quod comparetur ad ipsum tanquam species impressa: ergo nihil quomodolibet distinctum ab intellectu divino, comparatur ad ipsum per modum speciei impressæ. Discursus est rectus, & certa minor: nam in eo, quod per se est species omnium cognoscibilium, sicut non indiget specie alicuius, sic omnis species, quæ ab alio, vtcumque proveniret, esset per se superflua, ac proinde repugnans. Probatur maior. Intellectus divinus, vtpotè in proprio genere perfectissimus, est per se determinatus ad cognoscendum quid quid cognoscibile est eo modo, quo cognoscibile est; sed intellectus ita per se determinatus, per se formaliter est

ſpecies omnium cognoſcibilium: ergo intellectus divinus per ſe formaliter eſt ſpecies omnium cognoſcibilium. Probatur minor. Munus ſpeciei impreſſæ tantum eſſe poteſt, aut applicare obiectum potentiæ, aut determinare potentiam ſuppoſito obiecto ad cognoſcendum illud, tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum; ſed intellectus per ſe determinatus ad cognoſcendum omne cognoſcibile, ea ratione qua eſt cognoſcibile, per ſe etiam, & eſt aplicatus ad obiectum, & eſt determinatus, vt ſuppoſita veritate obiectiva eam cognoſcat omni eo modo, quo cognoſcibilis eſt: ergo intellectus ita per ſe determinatus, per ſe formaliter eſt ſpecies omnium cognoſcibilium.

22 Confirmatur primò. Ideò Deus in omnium ſententia non indiget ſpeciebus immiſsis à creaturis, vt eas cognoſcat: quia ipſi nec deficit applicatio ſufficiens ad obiecta creata, nec determinatio ad ea cognoſcenda ſemel, quod obiectivè ſint proportionata; ſed intellectui divino, per ſe formaliter, nec deficit applicatio, ad quodcumque obiectum repræſentandum, nec determinatio ad illud ſecundum omnem ſuam obiectivam cognoſcibilitatem attingẽdum: ergo intellectus divinus non indiget aliquo, vtcumque extra ſe gerẽte munus ſpeciei impreſſæ. Confirmatur ſecundò. Intellectus divinus formaliter, vt intellectus perfectiſsimus, eſt tota ratio cognoſcendi perfectiſsimè quidquid cognoſcibile eſt etiam infinitè; ſed ſi per ſe non eſſet ſpecies intellectualis omnium, per ſe formaliſsimè non eſſet tota ratio cognoſcendi omnia: ergo intellectus divinus per ſe formaliter eſt ſpecies omnium cognoſcibilium. Minor apparet certa, nam ſi per ſe non eſſet ſpecies intellectualis omnium, indigeret extra ſe aliquomodo ſpecie, quæ aliqua ratio eſt cognoſcendi obiectum: vndè nec eſſet per ſe formaliter adæquata ratio cognoſcendi omnia. Maior probatur, ex argumento Cyrili, libr. 11. Theſauri in fine dicentis: *Ipſe quidem* (id eſt Deus) *vt intellectus ſupremus, atque optimus ſe ipſum optimè cognoſcit*, inferendo cognitionem perfectiſsimam, etiã ipſius entis infiniti, & perfectiſsimi tanquam ex adæquato antecedenti, ex ſola perfectione divini intellectus, quod non faceret, ſi hæc ſola per ſe formaliter non ſufficeret ad cognoſcendum in actu quidquid in ſe cognoſcib ile eſt.

23 Probatur ſecundò. Intellectus diuinus, vtpotè infinitus, & perfectiſsimus in ſua linea, debet continere omnem gradum perfectionis pertinentem ad talem lineam: ſed eſſe per ſe ſpeciem intelligibilem omnium, quæ cognoſcit, eſt gradus perfectionis pertinens ad talem lineam intellectualem: ergo intellectus divinus per ſe formaliter debet eſſe ſpecies omnium intelligibilium. Maior conſtat à paritate reliquorum attributorum, quæ quia infinitè perfecta in ſuo ordine continent per ſe quidquid perfectionis attinet ad talem ordinem, vt videre eſt in æternitate, immenſitate, &c. Probatur minor: eſſe per ſe fœcundum ad omnem intellectionem eſt genus perfectionis pertinens ad lineam intellectivam, cum ex defectu fœcunditatis ad intelligendum minuatur, & deterioretur perfectio intellectiva; ſed ſpecies intelligibilis eſt fœcunditas intellectus ad intelligendum, vt in cõfeſſo eſt apud omnes: ergo intellectum eſſe per ſe ſpeciem omniũ cognoſcibiliũ eſt gradus perfectionis pertinens ad lineam intellectualem: quia eſt eſſe per ſe fœcundum ad intelligendum.

24 Confirmatur. Eſſentia, & natura divina, & ſi infinita, & perfectiſsima in eſſe talis, quamvis ſe radicet, & inferat attributa ſecundum perfectionem formalem ipſorum, quam in ſe virtualiter continet, non tamen complet formaliter attributa, vt conſtat percurrendo reliqua attributa ab intellectu diſtincta: ergo nec complet intellectum formaliter in propria linea attributali intellectiva; ſed ſi compararetur, vt ſpecies ad intellectum, quomodo intendit contraria ſententia, compleret intellectum formaliter in propria linea attributali: ergo intellectus divinus per ſe formaliter eſt completus in tali linea, ac proinde per ſe etiam eſt ſpecies omnium intelligibilium. Roboratur: ſicut Deus eſt ens. quo nihil melius excogitari poteſt, ſic attributum Dei illud ſolum reputatur, quo nihil melius in proprio gradu valeat excogitari: ſed ſi intellectus divinus per ſe formaliter tale attributum eſt, vt non ſit completiſsimus ad cognoſcendum, ac per conſequens ſpecies omnium, quæ cognoſci valent, non eſſet talis, quo in proprio gradu non eſſet aliquid melius excogitabile, cum excogitabilis eſſet intellectus

tus non indigens specie extra propriam lineam: ergo vt intellectus divinus Deo tribuatur, sicut decet, munus speciei in se continere debet.

25 Ex præsupposita conclusione per se fluit: solum intellectum divinum movere se ipsum tanquam speciem ad scientiam, & cognitionem scibilium. Ratio est facilis: quia illud dici valet movere se ipsum ad cognitionem obiecti cognoscibilis, quod ex vna parte comparatur, vt vera potentia, & verum principium virtuale cognitionis, & aliunde per se est determinatum ad cognitionē; sed intellectus divinus, & comparatur ad intellectionem, vt vera potentia, necnon, vt verum principium virtuale, iuxta constituta disp. 5. & aliunde est per se determinatus ad cognitionem, vt in præsenti manet probatum: ergo iure dici potest solum inter Dei prædicata movere se ipsum tanquam speciem ad scientiam, & cognitionem scibilium.

26 Secunda conclusio: quodcumque prædicatum Dei, sivè absolutum, sivè relativum, sivè contingens, vel necessarium est obiectum formale physicè *motivum* scientiæ divinæ *sibi formaliter correspondentis*. Probatur: illud est obiectum formale physicè motivum scientiæ divinæ quod provt cognitum, est ratio, cui innititur scientia ad assentiendum, & physicè præbet esse cognitioni; sed quodcumque prædicatum divinum, sivè absolutum, sivè relativum, sivè contingens, vel necessarium est id quod, provt cognitum, est ratio, cui innititur scientia ipsi correspondens, & insuper physicè præbet esse tali scientiæ: ergo quodcumque prædicatum Dei sivè absolutum sivè relativum, sivè contingens sivè necessarium est obiectum formale physicè motivum scientiæ divinæ sibi formaliter correspondentis. Maior est ipsa acceptio obiecti formalis physicè *motivi*. Probatur minor, in qua est difficultas: quodcumque prædicatum divinum modo dicto est id quod, prout attactum per scientiam sibi formaliter correspondentem, habet dignitatem obiectivam ad talem assensum, & deinde physicè identicè præbet esse tali scientiæ; sed provt cognitum, & attactum per scientiam ipsi formaliter correspondentem habere dignitatem obiectivam ad talem assensum, & deinde physicè identicè præbere esse tali scientiæ, est provt cognitum esse rationem, cui innitatur scientia ipsi correspondens, & insuper physicè præbere esse tali scientiæ: ergo quodcumque prædicatum divinum, sivè absolutum, sivè relativum, sivè contingens, vel necessarium, est id quod, provt cognitum, est ratio, cui innititur scientia ipsi formaliter correspondens, & insuper physicè præbet esse tali scientiæ. Maior est certa: siquidem quodcumque prædicatum, provt attactum per scientiam sibi formaliter correspondentem habet veritatem obiectivam in se correspondentem expressioni scientiæ, quæ est obiectiva dignitas, vt per talem scientiam attingatur, & aliunde cum secundum suum esse tali scientiæ identificetur, physicè identicè præbet id quod est eidem scientiæ.

27 Probatur minor quoad vtramque partem: quoad primam. Dignitas obiecti ad assensum sibi correspondentem, est ratio obiectiva cui, provt cognitæ, innititur scientia tali obiecto correspondens: nam in tantum cognitio tendens in obiectum illud eo modo exprimit, in quantum ex parte obiecti invenit correspondentiam ad eam expressionem potius, quàm ad aliam: ergo obiectum, prout cognitum, habere dignitatem obiectivam ad talem assensum, est, provt cognitum, esse rationem, cui innititur scientia ipsi formaliter correspondens. Quoad secundam. Ab omni illo habet physicè esse cognitio, independenter à quo, vt physicè identicè eodem, non potest existere esse cognitionis; sed independenter physicè identicè ab obiecto divino sibi formaliter correspōdenti non potest existere esse cognitionis tali obiecto divino formaliter correspondentis: ergo obiectum divinum physicè identicè præbere esse cognitioni sibi formaliter correspondenti, est physicè præbere esse eidem cognitioni. Confirmatur hæc vltima pars: ab omni illo habetur physicè esse, si non influxive; saltem formaliter, à quo est physicè constitutivè: sed ab omni illo, sine quo, vt identificato, non potest habere esse physicum cognitio, est à quo habet cognitio esse physicè constitutivè: ergo ab obiecto, sine quo vt identificato secum, non potest existere physicè cognitio, habet suum esse physicè cognitio.

28 Dixi *cognitionis sibi formaliter cor-*

correſpondentis: nam licèt omnia prædicata Dei realiter ſint idem cum ſcientia divina in tota ſua latitudine accepta, & propterea ſcientia *adæquatè* ſumpta illis correſpondeat *materialiter*, *& identicè*, non tamen omnia debent reputari motivum formale phiſicum ſcientiæ divinæ quomodolibet acceptæ, vt videre eſt in prædicatis contingentibus Dei comparatis cum ſcientia neceſſariorum, reſpectu cuius nequeunt dici obiectum formale phiſicè motivum; v. g. ſcientiæ, qua Deus ſibi exprimit neceſſaria; v.g. *Propriam eſſentiam*, & *attributa ſibi indefectibilia*, quamvis hæc ſcientia realiter idem ſit cum ſcientia contingentium. Ratio eſt: quia nequit dici vnum habere eſſe ab alio adhùc formaliter, & identicè, quod ita in eſſendo præſcindit ab identitate cum altero, vt tali, vt ſine exiſtentia alterius, & identitate cum ipſo ſub propria ratione poteſt exiſtere; ſed ſcientia neceſſariorum Dei ita in eſſendo præſcindit ab identitate cum prædicatis contingentibus redupli cativè, vt talibus, vt ſine exiſtentia illorum, & identitate cum ipſis, modo, ſcilicèt, reſpectivo poſsint exiſtere: ergo ſcientia neceſſariorum ita in eſſendo eſt independens à contingentibus, vt hæc nequeant dici obiectum formale phiſicè motivum ipſius.

29 Hæc tamen doctrina nullatenus extendenda eſt ad *relativa* comparata cum abſolutis, quidquid in contrarium reclamet Ribadeneyra, nolens prædicata relativa eſſe obiectum phiſicè motivum ſcientiæ abſolutorum; imò nec ſcientiæ ſibi formaliter correſpondentis, propter obſcurum ſatis fundamentum aſſumptum ex diſtinctione intrinſeca virtuali, qua diſtinguitur ſcientia neceſſariorum communis toti Trinitati, à perſonalitatibus, ſeu prædicatis relativis. Ratio diverſitatis ea eſt: quòd licèt prædicata abſoluta intelligantur prius quam relativa; necnon cognitio abſolutorum, ſicut, & relativorum etiam intelligatur prius quam relativa, non tamen neque abſoluta, neque cognitio ipſis, & etiam relativis correſpondens, intelliguntur cum independentia abſoluta in eſſendo ab identitate cum eſſe relativorum; imò potiùs in ſuo ſigno habent determinationem abſolutam, vt ſint pro poſteriori relativa ſecum identificata: ergo eſſe abſolutorum, & cognitionis, tum ipſis, tum relativis correſpondens, non eſt independens in eſſendo ab eſſe identico relativorum, ac per conſequens cum aliunde relativa ſint ratio obiectiva cognitionis prædictæ, quæ ſimul abſoluta, & relativa repræſentat, habent quidquid eſt neceſſarium, vt iure dicantur non ſolum obiectum formale phiſicè motivum cognitionis ſibi formaliter correſpondentis; ſed etiam cognitionis abſolutorum quæ eadem omnino eſt cum cognitione repræſentante relativa pro diverſo ſigno, ſeu pro poſteriori ad abſoluta.

30 Tertia concluſio: cunctæ veritates, ſivè creatę, ſivè increatę, & generaliter omnis conceptus obiectivus ad quem poteſt terminari ſcientia divina, ſunt obiectum formale intentionaliter motivum eiuſdem ſcientiæ. Probatur primò. Nihil aptius, vt ſit ratio obiectiva, cui nitatur ſcientia divina ad aſſentiendum, quàm ipſa veritas cognoſcibilium per ſe patens intellectui divino; ſed veritas cuiuſcumque cognoſcibilis per ſe patens eſt intellectui divino: ergo veritas cuiuſcumque cognoſcibilis eſt ratio, cui innititur ſcientia divina; ac per conſequens obiectum formale ipſius. Minor eſt certa: nam intellectui per ſe determinato ad cognoſcendum, provt eſt in ſe quidquid cognoſcibile eſt, & habet obiectivam veritatem, per ſe patens eſt veritas cuiuſcumque cognoſcibilis. Probatur maior: nihil magis connexum, aut magis identicum cui vis obiectivæ veritati, quàm ipſa veritas ſecum ipſa; ſed connexum, aut identicum veritati obiectivæ pro modo connexionis, aut identitatis cum veritate obiectiva aptum eſt, vt ſit ratio obiectiva, cui innitatur ſcientia divina ad aſſentiendum: ergo nihil aptius, vt ſit ratio obiectiva, cui innitatur ſcientia divina ad aſſentiendum; quàm ipſa veritas cognoſcibilium per ſe patens intellectui divino.

31 Confirmatur, & explicatur: prædicatum illud divinum, quod ab adverſarijs aſsignatur pro obiecto formali intentionaliter motivo, & ratione, cui innititur ſcientia divina ad exprimendum obiectum, non ob aliam rationem poteſt exercere tale munus, niſi, vel propter identitatem, vel propter connexionem, quam habet cum re aſſerta; ſed nihil magis identicum, aut connexum cum veritate obiectiva, cui

per

per divinum intellectum præstatur assensus, quàm ipsa veritas obiectiva secum ipsa: ergo quævis veritas obiectiva, cui assentitur intellectus divinus, est per se ratio obiectiva, cui innititur divina scientia, & obiectum formale intentionaliter motivum ipsius. Confirmatur secundò: Sicut terminatur cognitio divina ad naturam divinam & attributa Dei, provt sunt in se, ita etiam terminatur ad quamcumque aliam veritatem obiectivam distinctam à Deo, provt est in se, & provt ex sua quidditate sine se esse non potest; sed quia divina cognitio terminatur ad naturam, & attributa Dei, provt sunt in se, aut natura sola, aut natura, & attributa sunt obiectum formale intentionaliter motivum scientiæ divinæ: ergo quia eadem scientia terminatur ad quamvis aliam obiectivam veritatem distinctam à Deo, provt est in se, & provt ex sua quidditate sine se esse non potest, quævis veritas obiectiva distincta à Deo erit obiectum formale intentionaliter motivum ipsius.

32 Probatur secundò. Id quod ex parte obiecti se habet, vt ratio discernens cognitionem veram à falsa, est optima ratio obiectiva intellectus divini ad assentiendum; sed veritas obiectiva, sive creata, sive increata est ratio obiectiva discernens cognitionem Dei à quavis alia cognitione falsa: ergo veritas omnis obiectiva, sive creata, sive increata sit, est optima ratio obiectiva intellectus divini ad assentiendum. Minor constat ex proloquio recepto ab omnibus ex Aristotele, *ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*; sed ab eo, à quo, vt obiecto, dicitur vera, vel falsa discernitur cognitio vera à falsa: ergo veritas obiectiva, sive creata, sive increata, est ratio obiectiva discernens cognitionem Dei à quavis alia cognitione falsa. Probatur minor: id, quod ex parte obiecti se habet, vt ratio discernēs cognitionem veram à falsa, est regula, & mensura obiectiva veritatis cognitionis; sed regula, & mensura obiectiva veritatis cognitionis, est id obiectivum, cui innititur intellectus ad assentiendum, cum extra veritatem ferri non possit: ergo id, quod ex parte obiecti sic habet, vt ratio discernens cognitionem veram à falsa, est optima ratio obiectiva intellectus divini ad assentiendum.

33 Confirmatur: Deus cognoscit omnem veritatem obiectivam, vt inseparabilem ab eo modo obiectivo, quo exprimitur à scientia, & cui præstatur assensus per divinum intellectum; sed ratio obiectiva inseparabilis ab eo modo obiectivo, quo exprimitur à scientia, & cui præstatur assensus per divinum intellectum, est ratio obiectiva, cui innititur intellectus ad assentiendum: ergo omnis obiectiva veritas, quæ à Deo cognoscitur, in se habet rationem obiectivam, cui innititur divinus intellectus, & est per se obiectum intentionaliter motivum scientiæ eiusdem.

34 Probatur tertiò: omne distinctum à veritate obiectiva, cui Deus per suam scientiam assentitur, est fundamentum arguitivum tantùm veritatis obiectivæ existentis in se, eo modo, quo cognoscitur per scientiam; sed ex terminis dissonat, fundamentum arguitivum dumtaxat posse esse titulum obiectivum ad assentiendum excluso fundamento formali, quod intimius est veritati obiectivæ, cui præstatur assensus: ergo non modo id, quod distinguitur à pluribus veritatibus, quas Deus cognoscit, & cum alijs identificatur, vt sunt, vel sola essentia, vel reliqua prædicata divina; sed insuper omnes veritates, secundum id, quod in se, & per se formaliter habent, sunt titulus obiectivus, vt in illas intellectus diuinus intentionaliter tendat. Cætera probatione non indigent præter maiorem, quæ sic probatur. Omne distinctum à veritate obiectiva, cui Deus per suam scientiam assentitur, est fundamentum tantum connexionis ducens ad assensum veritatis obiectivæ: sed fundamentum tantum connexionis ducens ad assensum veritatis obiectivæ est fundamentum tantum arguitivum veritatis obiectivæ: ergo omne distinctum à veritate obiectiva, cui Deus per suam scientiam assentitur, est fundamentum tantum arguitivum veritatis obiectivæ existentis in se eo modo, quo cognoscitur per scientiam.

35 Probatur quartò: intellectus divinus, vtpotè infinitus, & perfectissimus suo modo cognoscendi exhaurit totam cognoscibilitatem obiecti, ita vt omni modo, quo est cognoscibile obiectum, absque imperfectione cognoscatur à Deo; sed veritas quævis, sivè creata, sivè increata est cognoscibilis non tantum in se; sed propter se absque im-

imperfectione vlla ex parte cognoscentis: ergo Deus omnem veritatem, & conceptum obiectivum, sivè creatum, sivè increatum, cognoscit non modo in se; sed propter se, & tanqnam rationem obiectivam, cui innititur divinus assensus. Probatur minor: nam ea sola imperfectio impedire posset, quod obiecta creata attingerentur propter se ab intellectu divino, scilicèt: quia si essent obiectum intentionaliter motivum divinæ scientiæ, hæc acciperet suum esse ab obiecto creato, & distincto à Deo: sed imperfectio hæc non daretur, cum neque influxivè phisicè, neque constitutivè, & formaliter haberet esse ab obiecto, quod non phisicè, cuius propria sunt illa munera; sed purè intentionaliter moveret: ergo veritas quævis, sivè creata, sivè increata, est cognoscibilis non tantum in se; sed propter se absque imperfectione vlla ex parte cognoscentis.

36 Per hoc fundamentum præoccupata manet solutio communis in id tendens, vt tribuat disparitatem inter intellectum divinum, & creatum, vt iste possit habere pro obiecto intentionaliter motivo veritates distinctas à Deo, secus ille propter imperfectionem, quam ille repellit ob suam infinitatem, & iste admittit ob suam finitudinem. Cuius inefficatia constabit amplius ex solutione argumentorum.

37 Quintò, & vltimò: esse contingens Dei indistinctum à Deo innititur phisicè veritati obiectivæ distinctæ ab ipso, itavt si non daretur esse obiectivum contingens distinctum à Deo, non daretur phisicè esse contingens Dei intrinsecum, & indistinctum ab ipso: ergo potiori titulo esse contingens Dei indistinctum à Deo poterit inniti intentionaliter veritati obiectivæ distinctæ ab ipso, taliter, vt si non daretur esse contingens obiectivum à Deo distinctum, non daretur intentionaliter esse contingens Dei intrinsecum, & ab ipso indistinctum. Consequentia apparet legitima, cum ex terminis plus sit inniti phisicè; quàm inniti intentionaliter. Antecedens probatur: in scientia Dei contingentium indistincta à Deo innitente ita phisicè veritati obiectivæ distinctæ à Deo; v.g. *Existere Petrum*, quam affirmat, vt si non daretur in se eo modo, quo affirmatur, non existeret scientia contingens quoad esse illi, provt tali, correspondens: ergo esse contingens Dei indistinctum à Deo inititur phisicè veritati obiectivæ distinctæ ab ipso, itavt si non daretur esse contingens obiectivum distinctum à Deo, non daretur phisicè esse contingens Dei intrinsecum, & indistinctum ab ipso.

38 Quarta conclusio. Cunctæ veritates obiectivæ distinctæ à cognitione divina sivè realiter, sivè formaliter, & quæ sunt, aut purè contingentes ipsi Deo contingentia independente à libertate divina, & creata, aut quæ sunt contingentes ipsi Deo contingentia electionis, & libertatis, sivè divinæ, sivè creatæ habent aliquam præcedentiam obiectivam, & in eo genere obiectivum influxum ad divinam scientiam sibi formaliter corrrespondentem. Probatur primò conclusio quoad omnes suas partes generaliter. Cunctæ veritates obiectivæ modo dicto se habentes sunt conditiones obiectivę determinantes actum primum intellectus divini ad actum secundum scientiæ formaliter correspondentis prædictis veritatibus; sed conditiones obiectivæ determinantes actum primum intellectus divini ad actum secundum scientiæ sibi formaliter correspondentis, habent aliquam præcedentiam obiectivam, & in eo genere obiectivum influxum ad divinam scientiam: ergo cunctæ veritates obiectivæ dicto modo se habentes, dicunt aliquam præcedentiam obiectivam, & in eo genere obiectivum influxum ad divinam scientiam. Minor est certa: ex eo quod determinatio se tenens ex parte actus primi, ad actum secundum sit determinatio præcedens, sicut præcedit actus primus ad actum secundum. Probo maiorem: actus primus per se formaliter non liber, vt est intellectus divinus, est actus primus aliter quam determinatus ex parte ipsius non procedens ad actum secundum, cum hæc sit differentia versans inter actum primum liberum, & non liberum, seu necessarium; sed intellectus divinus ex se est indifferens ad actum secundum scientiæ cuiusvis veritatis contingentis: ergo vt se transferat ab actu primo ad secundum, indiget aliqua determinatione ad actum secundum cognoscendi contingentia: Ast hæc determinatio non est ipse actus secundus cognoscendi contingenter: tum, quia cum talis scientia sit ex se indifferens ad existendum, aliundè debet determinari, vt potiùs existat, quam non existat: tum etiam:

etiam: quia est determinatio non se tenens ex parte actus primi, vt deberet esse pro priori operanti non liberè: ergo sola veritas obiectiva contingens erit determinatio, & conditio obiectiva, vt intellectus divinus se transferat ab statu potentis cognoscere, seu actus primi cognoscendi ad statum actus secundi actualis cognitionis, ac per consequens cunctæ veritates obiectivæ modo dicto se habentes, erunt conditiones obiectivæ determinantes actum primum intellectus divini ad actum secundum scientiæ, formaliter ipsis correspondentis.

39 Explicatur hæc ratio': intellectus divinus ob suam infinitatem tantùm est determinatus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est, & eo modo, quo cognoscibile est: ergo si aliunde sit indifferens, vt aliqua, quæ de facto aliquomodo cognoscibilia sint, tali modo de facto cognoscibilia non sint, indigebit extra se tanquam conditione obiectiva determinante, vt se transferat ab actu primò potentis cognoscere tali modo ad actum secundum cognoscendi tali modo ipsa cognoscibilitate passiva obiecti, qua sit proportionatum in se, vt ab intellectu divino cognoscatur tali modo: at cunctæ veritates obiectivæ contingentes modo dicto sunt tales, quæ, vt de facto cognoscibiles sunt, nullam habeat intellectus divinus determinationem ex se ad ipsas: ergo cunctæ veritates obiectivæ contingentes modo dicto sunt conditiones obiectivæ contingentes, quibus intellectus divinus extra se indiget tanquam determinantibus, vt se transferat ab actu primo potentis eas cognoscere, vt sunt, ad actum secundum eas cognoscendi eo modo, quo sunt.

40 Confirmatur, & penitus vis rationis exponitur. Id quod, vt obiectivum, aufert indifferentiam intellectus divini ad cognoscendum, & aliunde est ratio determinativa, vt actus secundus cognoscendi ex se indifferens ad existendum, & non existendum potiùs existat; quàm non existat est conditio obiectiva aliquomodo præcedens ad actum secundum cognoscendi, & se tenens ex parte actus primi intellectus divini, vt determinans ad actum secundum: sed cunctæ veritates modo dicto, vt quid obiectivum, auferunt indifferentiam intellectus divini ad cognoscendum, & aliundè sunt rationes obiectivæ determinantes, vt actus secundus cognoscendi ex se indifferens ad existendum, & non existendum potiùs existat, quam non existat: ergo cunctæ veritates obiectivæ modo dicto sunt conditiones obiectivæ præcedentes, & determinantes ad scientiam sibi formaliter correspondentem.

41 Dixi in propositione *veritates contingentes Deo purè contingentia independente à libertate divina, & creata*; vt sic comprehendam veritates possibilium, & impossibilium, quæ in nostra sententia inconnexionis Dei cum ipsis, sunt veritates contingentes Deo, contingentia ipsi intrinseca in quantum ex se permittit, aut possibilia fieri impossibilia, & è contra, aut vtraque in suo conceptu extingui; nec ideo habet libertatem, sicut nec habet vlla creatura; vt ea immutet, perdat, aut minuat propter necessitatem extrinsecam Deo, quam habent conceptus possibiles, & impossibiles in se, vt semper ijdem invariabiliter permaneant. Dixi etiam: *Veritates distinctas formaliter à cognitione*, vt sic excludam cognitiones ipsas contingentes, quæ in quantum reflectunt supra se, sunt obiectum formale sui ipsius, quin tamen vllo modo præcedant obiectivè determinando ad se ipsas propter identitatem realem, & formalem, quam secum habent, ex qua idem est intelligi obiectivè, ac intelligi formaliter in se, & intelligi directè, ac intelligi reflexe, vt facile ex terminis ipsis constat.

42 Sub hac forma melius mihi videtur probari conclusio, quàm per discursum factum ab Herrera. Arguit sic in favorem eiusdem intenti. Habere rem veritatem obiectivam in signo diverso a cognitione, & non posteriori obiectivè ad divinam cognitionem, est habere vim determinandi obiectivè Deum ad divinam rei cognitionem; sed creaturæ, prout distincte realiter à Deo, habent veritatem obiectivam in diverso signo, & non posteriori obiectiuè ad divinam cognitionem: ergo creaturæ habent vim determinandi obiectivè Deum ad earum cognitionem. Probatur maior. Vt intellectus ex se necessitatus ad cognoscendum omne cognoscibile determinetur ad aliquid de facto cognoscendum, sufficit prædictum obiectum esse cognoscibile, eamque cognoscibilitatem habere in signo non impe-

pedito ad exercendam eam determinationem ; sed signum non impeditum ad eam determinationem exercendam est signum distinctum à signo cognitionis,& non posterius illa in genere obiectivo: ergo, vt res possit determinare Deum ad sui cognitionem, sufficit habere veritatem obiectivam pro signo distincto à signo cognitionis, & non posteriori ad prædictæ cognitionis signum.

43 Displicet tamen ex debilitate medij assumpti ad probandam præcedentiam obiectivam veritatis ad divinam scientiam, qua intellectus divinus cognoscit eandem veritatem. Ratio est: quia,quòd veritas obiectiva sit in signo diverso à cognitione, & non posteriori obiectivè ad eandem cognitionem,non rectè concluditur præcedentia requisita ad determinationem,de qua loquimur; sed vel præcedentia, vel comitantia: etenim ex antecedenti vagè connexo cum vno è duobus extremis non rectè colligitur determinatè vnum, nisi excluso alio: sed quod veritas obiectiva sit in distincto signo à cognitione, & non posteriori ad illam est antecedens vage connexum, vel cum præcedentia, vel cum comitantia, quarum quælibet satisfacit exigentiæ antecedentis:ergo donec probetur excluſa comitantia veritatis obiectivæ ad sui cognitionem, non rectè concluditur præcedentia, vt erat necessarium ad convincendam præcedentiam obiectivam, quæ assumitur probanda. Eodem defectu laborat maioris probatio, in qua sola signorum distinctio, & non posterioritas vnius ad aliud intenditur sufficiens ad evincendam aptitudinem præcedendi,quæ non residet in veritate rei, si hæc tantum concomitanter se habeat ad cognitionem illius. Nec te moveat quod comitantia duorum non videatur stare posse cum diversitate signorum: cum ea,quæ comitanter se habeant, reputentur in eodem signo: quia id verum tenet in his,quæ non se habent disparato quodam modo,vt quando duæ virtutes, aut causæ sine præcedentia vnius ad alteram causant suos effectus distributione accommoda,& absque influxu indivisibili vtriusque: vnde ergo probatur Scientiam,& veritatem obiectivam non sic se habere,quomodo vitabitur præcedentia vnius ad aliam.

44 Probatur secundò specialiter quoad veritates obiectivas,sivè pendentes à libertate divina sivè à creata. Omne non formaliter liberum connexum mutuò cum exercitio libero, & est impedibile,& est determinabile per exercitium liberum eo modo, quo fuerit liberum : sed scientia formaliter correspondens veritatibus obiectivis dependentibus, sivè à libertate divina, sivè à creata, est quid non formaliter liberum connexum mutuò cum prædictis veritatibus obiectivis, quæ sunt exercitia libera : ergo est impedibilis, & determinabilis per eas veritates obiectivas, quæ sunt exercitia libera. Discursus est legitimus dummodo constent præmissæ. Probatur maior priùs: formaliter non liberum connexum mutuò cum exercitio libero, si non sit impedibile,& determinabile per potestatem exercitij liberi, cum quo mutuò connectitur, erit antecedens determinatio ad vnum,nempè,si non existat,ad *carentiam exercitij liberi* cum quo mutuo conectitur, cum sit requisitum, & nequeat adquiri, & determinari; si vero existat,ad *exercitium liberum*, cum quo connectitur ex eo, quòd nequeat impediri,vt constat ex generalibus principijs libertatis in nostra Schola : ergo non formaliter liberum connexum mutuò cum exercitio libero, & est impedibile,& est determinabile per exercitium liberum eo modo, quo fuerit liberum. Probatur iam Minor. Scientia correspondens veritatibus obiectivis dependentibus, sivè à libertate divina, sivè à libertate creata, est actus potentiæ non liberæ, scilicèt *intellectus*: deinde, vt potè infalsificabilis,connexa cum veritate, quam repræsentat, quæ dum est eo modo, quo affirmatur, non potest esse sine tali scientia, vt potè connexa cum eo,quod Deus cognoscat quidquid cognoscibile est : ergo scientia correspondens veritatibus obiectivis dependentibus, sivè à libertate divina, sivè à libertate creata,& est quid non formaliter liberum,& etiam mutuò connexum cum prædictis veritatibus,quæ sunt exercitia libera.

45 Iam sic. Id, quod per sui non esse liberum impedit esse alterius non formaliter liberi,& per sui esse liberum alterius esse formaliter non liberum determinat,est vera ratio à priori existendi illud, cum vera impeditio, & determinatio requisita ad salvandam liber-

ta-

tatem in nostris principijs non alia sit, quàm à priori: sed veritates obiectivæ dependentes, sivè à libertate divina, sivè à creata sunt id quod per sui non esse liberum impediunt esse, & per sui esse determinant esse scientiæ sibi formaliter correspondentis, & formaliter non liberæ: ergo tales obiectivæ veritates sunt vera ratio à priori existentiæ scientiæ sibi formaliter correspondentis: ast non sunt vera ratio à priori physicè: ergo tantum obiectivè, & eo modo, quo respiciuntur à scientia, ac per consequens sortiuntur rationem determinativi obiectivi à priori eiusdem scientiæ. Ne vero ad antecedentiam purè logicam recurras, præterquam quod ad libertatem tuendam est omninò inutilis, vt constat in consensu prædeterminato, à quo ad prædeterminationem datur antecedentia logica, sicut monstrat hæc consequentia: *Exiſtit conſenſus: ergo & illius prædeterminatio.*

46 Hanc prioritatem, & antecedentiam obiectivam, quam res debent habere in scientiam sibi correspondentem, satis clarè insinuat Scriptura toto 1. cap. Gen. vbi post res factas, statutumque atque perfectum cuiusque diei opus toties repetitur, *& vidit Deus quod esset bonum*, vt nos doceret antecedentiam, quam res contingentes, & Deo liberæ dicunt ad scientiam, qua videntur, & cognoscuntur, ita vt sit verum potius *res videri à Deo, quia sunt*; quàm *res esse, quia à Deo videntur*: sed eo modo, quo est verum, *res videri: quia sunt*, & non est verum *res esse, quia videntur*, res obiectivè præcedunt scientiam, & hæc est illis posterior: ergo veritates contingentes, & quæ sivè à divina libertate sivè à creata dependent, ita determinant suam scientiam, vt aliquem influxum obiectivum in illam præstent. Quod tam altè insedit Ss. PP. mentibus, vt sit in ipsis axioma frequentissimum verbis vniversalibus multoties expressum inter res, & scientiam divinam eum ordinem esse servandum, *vt scientia sit: quia res sunt; non verò res sint, quia exiſtit ſcientia.* Imò nec renuant aliquando proferre, *rerum exiſtentiam esse causam præscientiæ*, quod sano modo, vt debet, intellectum, significat esse rerum, & veritatem obiectivam ipsarum esse rationem à priori determinativam scientiæ, secluſa omni imperfectione causalitatis.

47 Accipe ex Ruiz disp. 33. de scientia, & Fasol. in 1 p. q. 14. art. 8. dub. 3. Iustinum Martyrem in explicatione quæst. 58. ex his, quas Gentes Christianis ponunt. *Nec causa est eius, quod futurum est prænotio; sed quod futurum est, causa est prænotionis: neque enim prænotionem sequitur quod futurum est, sed quod futurum est, prænotio.* Origenem lib. 7. in Epist. ad Rom. multò post medium exponentem illa verba cap. 8. *Quos autem prædestinavit, hos, & vocavit*, & dicentem, *neque in præscientia Dei, vel ſalutis, vel perditionis noſtræ cauſa conſiſtit: nam & ſi communi intellectu de præſcientia ſentiamus, non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo, antequam fiat: nam etſi* v.g. *fingimus, Deum non prænoſcere aliquid futurum, ſine dubio erat, quod ita ut puta, Iudas proditor factus eſt.* Hieron. c. 16. Isaiæ paulò ante finem: *Non quod præſcientia Dei cauſam vaſtitatis attulerit; ſed quod vaſtitas futura Dei maieſtati prænota ſit.* Et vniversalius de quolibet effectu in cap. 26. Hieremiæ paulò post principium: *Non ex eo, quod Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt Deus novit.* Et Dialogo 3. adversus Pelagianos multò post principium: *Neque enim ideò peccavit Adam: quia Deus hoc futurum noverat; ſed præſcivit Deus quaſi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.*

48 Cyrilum lib. 9. in Ioann. cap. 10. in fine: *Non ergo; vt adimpleatur Scriptura, neque iſta de cauſa facta ſunt in quibuſdam, quæ Scriptura prædixit; ſed contra: quoniam ita nonnulli ſponte facturi erant, idcirco præſciens Spiritus Sanctus futura prædixit.* Augustl. lib. 5. de Civit. cap. 10: *Neque enim ideò peccat homo: quia Deus illum peccaturum præſcivit, imò ideò non dubitatur ipſum peccare, cum peccat: quia ille cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud; ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit, qui ſi nolit omninò non peccat, ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.* Vbi rectè notat Fasol. citatus ab illa particula *imò* ne videatur Augustl. affirmare id quod immediatè ante negaverat, sensum esse ita accipiendum: *Non peccat homo, quia præſcit Deus; ſed propter liberi ſui arbitrij naturam, quam præſcit Deus, non à ſua præſcientia, non à fato, non ab aliquo alio; ſed ſolum à ſe ipſo moveri, ſeu determinari.* Vnde contraria illa propositio, quam tenet Iustinus, Hieronym. Origenes, & alij PP. *Sed quia homo erat peccaturus, ideò*

præscivit Deus, non continetur in prædictis verbis; sed in sequentibus, *qui si nolit, omninò non peccat*; *sed si peccare noluerit etiam hoc ille præscivit*, in quibus sicut *non peccatum* ponitur, vt ratio sciendi *non peccaturum*; sic à contrario *peccatum* ponitur, vt ratio determinativa scientiæ, qua Deus cognoscit *hominem peccaturum*. Clariùs adhuc de Genes. ad liter. cap. 32. *Cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant.* Et paulò post *præcedit cognitionem quidquid cognosci potest, nisi enim prius sit, quod cognoscatur; cognosci non potest.*

49 Damascenum Dialogo contra Manichæos non multò ante finem: *Vis Dei præsciens à nobis causam, haud quaquam habet; at verò, vt ea quæ facturi sumus, præsciat, à nobis proficiscitur: nam si facturi non essemus, neque ipse quidem quod futurum non esset, prænosceret, & quidem Dei præscientia vera atque inviolabilis est; verum ipsa haud quaquam causa est, cur omnino fiat, quod futurum est, quin potius: quia hoc vel illud facturi sumus, id circò prænoscit.* Boetium lib. 5. de consolatione Philophiæ prosa 3. refert, ex aliorum sententia: *Non ideò quid esse eventurum quoniam id providentia futurum esse perspexerit; sed è contrario potius, quoniam quod futurum est, divinam providentiam latere non possit,* quam sententiam ipse approbat prosa 4. addens divinam præscientiam esse signum, *quod tantum quid sit, ostendit; non verò efficit, quod designat.* Quare iure apud Arrubal in 1. part. disp. 32. cap. 3. num. 12. asseruit Franciscus Romæus præclari Ordinis Dominicani Generalis Magister, & vnus ex PP. Concilij Tridentini lib. de libertate operum veritate 8. circa finem: *Illud non est prætereundum, quod si ad antiquos DD. te convertas, reperias ferè omnes in hanc vnam consentire sententiam* (non ex eo quod Deus scit aliquod futurum id circo futurum est; sed quia futurus est, Deus noscit, qui est præscius futurorum) *sic enim loquuntur Hieronym. Augustin. Origenes, & Chrysostom. & plerique alij orthodoxi Doctores.*

50 Ratio autem, quæ PP. movit vt hanc præcedentiam obiectivam veritatis cognitæ ad scientiam statuerent, & repetita locutione vniversalissima per illam adversativam: *Non res sunt, quia cognoscuntur; sed potius cognoscuntur, quia sunt*, se explicarent, ea fuit: quia aliter non putabant iura libertatis servari illæsa, nec bene cohærere posse veritates pendentes à libertate cum divina præscientia earum. Itaque medium vnicum censuere præcedentiam explicatam veritatum obiectivarum ad scientiam, vt contra Ethnicos, & Hæreticos ostenderent scientiam divinam rebus necessitatem non imponere; verùm quæ à libertate pendent liberrimas relinquere: benè ergo nos eorum sensum observantes, & tenentes diximus specialiter præcedentiam obiectivam ad scientiam sibi formaliter correspondentem in veritatibus obiectivis dependentibus, sivè à libertate creata, sivè à divina probari taliter, vt verificetur: *res cognosci: quia sunt eo modo, quo cognoscuntur.*

51 Duo tamen ad extremum notanda sunt pro pleniori intelligentia dictorũ. Vnum: quod licèt aliqua obiecta habeant explicatam præcedentiam ad scientiam; hæc tamen semper modificanda est per terminum *obiectivam*, qui semper addi etiam debet, quoties per modum conditionis ad actum secundum cognoscendi eam velis explicare: ast fugiendum semper est nomen *causæ* absolutè prolatum: nam, vt monuit D. Bonaventura in 1. dist. 38. quæst. 2. *Quoniam hoc nomen causa semper importat honorabilitatem respectu cuius dicitur causa, & quandam superpositionem; ideò non videtur illud adhùc omninò sanum dicere, quòd sit causa sine qua non.* In quo sensu absolutissimo, & non temperato tantùm processit, dum dixit in eadem quæst. post medium corporis: *Nullo modo præscita possunt esse causa præscientiæ secundum rationem essendi*, quod idem intendit D. Thom. dum exponens illud Origenis: *Ideò præscit Deus aliqua: quia sunt futura*, docuit: *Non esse intelligendum secundum causam essendi: quia res futuræ non sunt causæ, quod Deus sciat.*

52 Alterum: quod, sicut loquentes de obiecto materiali diximus: non Deum solum, sed alia distincta à Deo esse obiectum materiale divinæ scientiæ, cum omne cognoscibile sub tali ratione comprehendatur; tamen inter obiecta ipsa materialia solum Deum adæquatè sumptum, id est secundùm perfectiones absolutas, & relativas, simul cum natura esse obiectum materiale principale, seu materiale primarium: pariter dum sub ratione obiecti formalis intentionaliter motivi omnem veritatem ob-

obiectivam, sivè increatam, sivè creatam, & quidquid verè affirmabile est, comprehendimus ens, increatum duntaxat dicendum est obiectum formale principaliter motivum, seu obiectum formale primarium, adhùc in linea obiecti formalis intentionaliter moventis. Ratio est: quia, vt talem denominationem accipiat, sufficit, quod in tali linea sit æstimabilius, & perfectius; sed ens increatum in linea moventis intentionaliter æstimabilius, & perfectius est quavis alia veritate creata, seu à se distincta, nam æstimabilitas, & perfectio in esse intentionaliter moventis ad sui cognitionem commensurari debet eum æstimabilitate, & excellentia veritatis obiectivæ, quæ ex vi motionis intentionalis posidetur ab intellectu per repræsentationem illius: ergo ens increatum debet esse obiectum formale principale intentionaliter motivum, seu obiectum formale primarium in linea intentionaliter moventis.

53 Similiter Deus solus, seu obiectiva veritas increata solummodò appellanda est absolute obiectum specificativum scientiæ increatæ, vt benè observarunt Doctissimi Recenciores, cuius motivum est: siquidem illud inter scientiæ obiecta debet dici specificativum scientiæ, quod vnicè inter reliqua tribuendo esse scientiæ, constituit speciem illius sub tali esse; sed solum esse increatum inter reliqua obiecta respecta per scientiam increatam est illud obiectum, quod tribuendo esse scientiæ constituit speciem illius sub tali esse, cum sit id, quod vnicè physicè identicè est ipsa scientia, ipsamque constituit in ratione specifica scientiæ infinitæ: ergo solus Deus, seu obiectiva veritas increata duntaxat appellanda est absolutè obiectum specificativum scientiæ increatæ; alia vero entia creata, seu conceptus obiectivi distincti ab esse increato, & divino, & si respiciantur ab eadem scientia, & ideò dicat ad ipsa aliquam habitudinem, tantum restrictè dici valent specificativa, scilicèt extrinseca, & secundum quid.

CAPVT III.

Argumenta contra primam, & secundam conclusionem solvuntur.

54 CONTRA primam conclusionem obijcies primò D. Thom. Tum 1. contra Gentes distinct. 35. quæst. 1. art. 2. in corp. ibi: *Si ergo consideretur intellectum primum, nihil aliud intelligit Deus nisi se: quia non respicit species rerum per quas cognoscat; sed essentiam suam cognoscit, quæ est similitudo omnium rerum.* Tum in hac quæst. 14. artic. 5. ad 3. *Dicendum, quòd intelligere non specificatur, per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur: in tantum enim ipsum specificatur per obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis, nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est operationis principium, sicut calefactio per calorem: vnde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu, & hæc est species principalis intellecti, quæ in Deo nihil est aliud, quàm essentia sua.* In quibus clarè videtur asserere munus speciei impressæ, qua se, & alia cognoscit, tantum competere essentiæ divinæ; secus intellectui increato, vt nos diximus.

55 Quam incertum sit, quid nomine *essentiæ* voluerit D. Thom. significare, fatetur Godoy disput. 25. §. 4. num. 72. asserens ambiguum valde esse: an sub *essentia* comprehendat omnia, quæ in Deo formaliter reperiuntur absoluta, & relativa; an vero solam naturam Dei, provt distinctam, aut formaliter, aut virtualiter ab attributis, & relationibus. Quod si ita est, expedita manet expositio verborum, quæ obijciuntur: dicendo S. Doctorem processisse de *essentia* sumpta realiter, quomodo etiam dicit intellectum divinum, cui si conveniat ratio speciei intelligibilis, necesse etiam est convenire essentiæ divinæ realiter, & identicè acceptæ provt significatur his vocibus: *Essentia per suum esse reale est species intelligibilis*: Vnde nihil contra nostram assertionem potest probari.

56 Absolutè respondeo: mentem D. Thom. esse colligendam ex his quæ docet quæst. hac 14. art. 2. in corp. vbi inquit: *Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat; sed sit actus purus, oportet, quod in eo intellectus, & intellectum sint idem omnibus modis, ita scilicèt, vt neque careat specie intelligibili; sicut intellectus noster, cum intelligit in potentia, neque species intelligibilis sit aliud à substantia intellectus divini; sicut accidit in intellectu nostro, cum est actu intelligens; sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus, & sic se ipsum per se ipsum intelligit.* Expēdātur attentius vltima verba scilicèt: *Sed ipsa species intelligibilis est ipse* intellectus divinus, quæ sensum formalem; potius quàm purè identicum videntur innuere, præcipuè quando immemor alterius esse, aut formalitatis, rationem speciei tribuit intellectui divino. Inde probabile satis apparet, quod si in alijs locis rationem speciei intelligibilis essentiæ divinæ tribuat, debet intelligi de specie sumpta *radicaliter* non sumpta *formaliter*, & eo tantum modo, quo ratio formalis attributorum potest dici de *essentia* sumpta formaliter, scilicèt esse radicaliter, & determinativè omnipotentiam, intellectum, voluntatem, &c.

57 Objc. secundò. Aristot. lib. 12. metaph. cap. 7. Text. 39. vbi tractans de intellectione divina, & eam esse substantiam Dei ostendens inquit: *Ipsa verò intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est, & quæ maximè est eius, quod maximè est: se ipsum verò intellectus intelligit assumptione intelligibilis.* Quæ vltima verba de specie *intelligibili* exponunt interpretes, & præcipuè S. Thom. ibi lect. 8. litt. C. apud Ruiz disp. 4. de Scientia, sect. 2. num. 5. quasi dicat: intellectionem divinam esse principaliter illius, quod in Deo maximè est; & inde intellectum divinum assumere intelligibile, seu speciem, vt per intellectionem se ipsum plenè & totaliter secundum suum esse intelligat; sed id quod in Deo maximè est, & veluti principalissimum reputatur, est divina essentia: ergo ab hac tanquam à principali, & primario cognito assumit intellectus intelligibile, id est, speciem, qua se adæquatè & perfectissimè comprehensivè cognoscat, quòd est formaliter essentiam divinam esse speciem vniversalissimam, & fœcunditatem intellectus divini, vt se, & alia cognoscat.

58 Respondeo. Intentum Arist. in citato loco tantum esse ostendere primum intelligibile debere esse etiam primum intelligens, pro quo necessarium est, quod attingat se ipsum, aliàs perfectius quid esset secundum intelligens, quàm primum, cum illud ignoraret primum, & nobilissimum cognoscibile, per cuius cognitionem vera, & perfecta fœlicitas constituitur, quod istud cognosceret ab ipso fœlicitatem capiens. Addit etiam: primum cognoscibile ita esse per se cognoscens, vt excludat omnem potentialitatem in cognoscendo. Vnde non assumit in se intelligibile, sicut assumit cognoscens secundum, scilicèt per admissionem formæ intelligibilis, seu similitudinis rei cognitæ, quæ distinguatur ab ipso intellectu cognoscente; sed per suum esse susc̄ipere in se intelligibile tàm primum, quàm secundum, ideò per suam substantiam, & esse est actu intelligens, & vivens; per quid autem sui esse formaliter constituatur primum cognoscens in ratione assumētis in se intelligibile, non definit Philosoph. vt erat necessarium ad probandā oppositionem cum nostro iudicio; nec mirum quando id erat omnino impertinens ad assumptum probandum. Legatur D. Th. ad expositionē textus obiecti.

59 Objc. tertiò. Obiectum perfectissimum in linea intelligibilis est ex se determinatum, vt perfectè cognoscatur ab intellectu potente perfectè illud cognoscere: ergo Deus, qui est perfectissimus in linea intelligibilis, est ex se determinatus, vt perfectè cognoscatur ab intellectu divino, qui vnicè est potens illum perfectè cognoscere; sed id quod, vt obiectū divini intellectus est ex se determinatum, vt ab intellectu cognoscatur, est quod gerit munus speciei intelligibilis respectu divini intellectus: ergo essentia divina, quæ est obiectum perfectissimum in linea intelligibili, est quæ gerit munus speciei intelligibilis respectu intellectus divini,

60 Respondeo: difficultatem hanc, si aliquid probat, probare quidem non solam essentiam divinam; verum totum Deum adæquatè sumptum habere rationem speciei intelligibilis: quia sic tantum est obiectum perfectissimum in linea intelligibilis: sicut sic tantum est obiectum perfectissimum quoad se; quare dicendum est: non quamcumque determinationem ad intel-

telligendum esse propriam speciei intelligibilis, verùm illam quæ sit formaliter, & proximè determinatio, vt intellectus cognoscat perfectè suum obiectum: hæc autem tantum conuenit formaliter intellectui in sua linea perfectissimo, qui propterea est ex se formaliter determinatus, vt quodcumque cognoscibile cognoscat quantum cognoscibile est; reliquis vero prædicatis diuinis, & etiam essentiæ tantum conuenit arguitivè, in quantum sunt determinata ad intellectum perfectissimum, in quo residet formalis determinatio; modo, quo singula prædicata diuina, & essentia ipsa sunt determinata ad attributum Omnipotentiæ, aut Sapientiæ, nec ideò, aut ipsis, aut essentiæ conuenit formaliter ratio Omnipotentiæ, aut Sapientiæ.

61 Obiic. quartò. De ratione obiecti intelligibilis est concursum obiectivum conferre in sui cognitionem: ergo de ratione obiecti perfectissimè intelligibilis, vt est diuina essentia, erit conferre concursum obiectivum, saltem virtualiter, in sui cognitionem. Consequentia videtur constare, cum id quod est de ratione intelligibilis, non valeat deficere in perfectissimo intelligibili, vt est essentia. Antecedens probatur ex illo communi axiomate desumpto ex Magno Parente August. lib. 9. de Trinitate, cap. vltimo, *ab obiecto & potentia paritur notitia*: sed obiectum simul cum potentia parere notitiam, est obiectum intelligibile concursum aliquem obiectivum conferre in sui cognitionem: ergo de ratione obiecti intelligibilis est cõcursum obiectivum cõferre in sui cognitionem. Iam sic: obiectum intelligibile cõcurrere obiectiuè in sui cognitionẽ, est præstare concursum speciei in sui cognitionem, cum obiectum non aliter influat in sui cognitionem, quàm vel mittendo speciem sui, quando est distans à potentia, vel immediatè per se determinando potentiam, quando est illi approximatum, quod est idem ac facere per se, quod facit species: ergo si diuina essentia concurrit obiectiuè, saltem virtualiter in sui cognitionem per se gerit munus speciei formaliter quoad diuinum intellectum.

62 Hoc argumentum etiam non minus, quàm præcedens, probat, aut totum Deum habere rationem speciei intelligibilis indiuisibiliter sumptum, aut quamvis formalitatem, non minùs quàm essentiam diuinam tale munus exercere. Respondetur absolutè negando primum antecedens: non enim est de ratione obiecti intelligibilis conferre concursum obiectivum in sui cognitionem, vt constat in omnibus obiectis creatis relatè ad cognitionem diuinam, & in pluribus obiectis, siuè possibilibus, siuè existentibus relatè ad intellectum Angelicum. Ad probationem ex axiomate desumptam dicendum est cum Izquierdo: aut solum habere locum in obiecto, quod verè physicè, & realiter, siuè immediate per se, siuè mediatè per speciem sui realiter influit in suam cognitionem, aut generaliter si de omni obiecto sit intelligendum duntaxat, significare obiectum ad existentiam notitiæ conducere, siuè per modum causæ immediatæ, aut mediatæ, siuè per modum conditionis, siuè vt materia circa quam versatur cognitio; vel aliter distinguo antecedens; de ratione obiecti intelligibilis est cõferre concursum obiectivum in sui cognitionem, *respectu intellectus ex se determinati ad cognoscendum obiectum eo modo, quo fuerit cognoscibile*, nego antecedens; *respectu intellectus non determinati*, permitto antecedens, & nego consequentiam. Ad antecedentis probationem explicandum est dictum August. in eodem sensu, nempè de obiecto comparatiuè ad intellectum non determinatum ex se ad cognoscendum obiectum eo modo, quo fuerit cognoscibile, vt regulariter accidit in nobis; secus de intellectu determinato ad sic cognoscendum, qualis est intellectus diuinus.

63 Obiic. quintò. Concursus obiectivus in sui cognitionem, seu facultas ad illum perfectio est, sine imperfectione aliorum obiectorum; sed omnis perfectio sine imperfectione non debet negari Deo enti perfectissimo: ergo concursus obiectiuus, saltem virtualis in sui cognitionem non debet negari essentiæ perfectissimæ, aut debet concedi Deo indiuisim sumpto, qui est perfectissimus, ac per consequens munus speciei intelligibilis, quod in tali concursu consistit, non debet tribui vnicè diuino intellectui formaliter; sed vel diuinæ essentiæ, vel saltem Deo indiuisibiliter formaliter accepto.

64 Respondetur distinguendo mai. Concursus obiectivus in sui cognitionem, seu facultas ad illum est perfectio-

ctio sine imperfectione relatè ad intellectum *non determinatum* ad cognoscendum obiectum cognoscibile, trasеat maior: relatè ad intellectum *determinatum* negatur: & concessa minori negetur consequentia. Permissi maiorem propter sententiam multorum, qui tenent Deum præstare concursum obiectivum in visionem creatam sui, qua videtur à Beatis, sivè iste concursus competat soli essentiæ divinæ, sivè essentiæ, & reliquis formalitatibus, quam ego refelli cum pluribus alijs Tract. de Visione, & à qua modo præscindo, sicut ab eo, quod munus speciei intelligibilis sit influere cum intellectu in cognitionem, quod etiam falsum iudico, ex eo, quod nullum aliud sit officium speciei intelligibilis; quàm auferre indifferentiam intellectus ipsum determinando ad substantiam, & modum cognitionis supposito obiecto, vt sæpè insinuavi, & ineptitudo ipsa aliorum munerum videtur suadere.

65 Contra secundam conclusionem obijcies sextò. Inter ea, quæ realiter idem sunt, datur mutua communicatio formalis, & identica in esse: ergo inter ea, quæ realiter identificantur, non datur potior ratio, vt vnum præstet alteri esse phisicè identicè; quàm vt ab illo phisicè identicè recipiat; sed in divinis quodvis obiectum identificatur realiter cum scientia sibi formaliter correspondente: ergo non datur maior ratio, vt obiectum præstet phisicè formaliter, & identicè esse cognitioni sibi formaliter correspondenti; quàm, vt accipiat phisicè formaliter, & identicè esse, quod habet à cognitione sibi formaliter correspondente: at tota ratio per nos, vt obiectum divinum, sivè necessarium, sivè contingens, sit obiectum formale phisicè motivum cognitionis divinæ sibi formaliter correspondentis est, quia phisicè identicè præstat esse tali cognitioni: ergo si non datur potior ratio, vt obiectum præstet esse phisicè identicè cognitioni, quàm vt ab illa phisicè identicè recipiat, deficit fundamentum, vt quodvis divinum, sivè necessarium, sivè contingens, sit obiectum formale phisicè motivum cognitionis divinæ sibi formaliter correspondentis.

66 Respondeo: Mutuam communicationem in esse, quæ invenitur inter ea, quæ identificantur non obstare, vt è singulis verificetur præstare alijs cum quibus realiter identificantur phisicè identice esse reale, quod habent, imò id fert de suo, conceptus mutuæ communicationis in esse, in qua id, quod phisicè identicè donat esse, phisicè identicè, etiam accipit ab illa formalitate, cum qua realiter identificatur: inde cum ad rationem obiecti motivi phisicè tantum posset esse impedimento ea acceptio, esse quod habet obiectum à cognitione, cui non correspondere redonatio phisica identica esse cognitionis ab esse obiecti eo modo, quo per cognitionem repræsentatur, datur quidquid necessarium est, vt cum cætera existant ex parte obiecti ad rationem phisicè moventis cognitionem ex hoc capite non deficiat à munere movendi phisicè cognitionem sui.

67 Nec inferas: per id etiam probari, tàm cognitionem esse motivum phisicum obiecti, quàm obiectum esse motivum phisicum cognitionis ob mutuam communicationem in esse, quæ ex identitate mutua resultat: nam ad rationem motivi phisici alia requiruntur vltra dare esse: vndè licèt verum sit: *Id, quod movet phisicè, dat esse*; non propterea est verum *omne quod dat esse, movet phisicè*, cum vltra requiratur esse rationem obiectivam, cui innitatur expressio intentionalis, idque non convenit cognitioni, provt formaliter expressio est; verum provt est formaliter quid cognitum, & intentionaliter expressum.

68 Obijcies septimò. Quævis divina cognitio repræsentans prædicatum, aut formalitatem Dei, vtpotè essentialiter vera, est determinata, vt sit obiectum eo modo, quo per ipsam repræsentatur: sed quævis determinatio, vt sit obiectum eo modo, quo per actum repræsentatur, est ratio, cui innititur divinus intellectus ad assentiendum: ergo non minus divina cognitio, quàm obiectum divinum respectum per ipsam, est obiectum formale phisicè motivum divinæ scientiæ. Præmissæ clarè constant: constat enim maior. Nam cognitio, eo modo, quo est essentialiter vera, est inseparabilis à veritate obiecti, eo modo, quo per ipsam repræsentatur; sed eo modo quo est inseparabilis, est determinata ad existentiam illius, à quo separari nequit: ergo eo modo, quo est essentialiter vera, est determinata, vt obiectum sit eo modo, quo per ipsam repræsentatur. Constat etiam minor,

nor, propterea quod quævis determinatio metaphisica, vt est, quæ reperitur in cognitione essentialiter vera, ad obiectum quomodo per ipsam repræsentatur, est antecedens logicum infalibiliter inferens correspondentiam obiecti ad modum ipsum taliter repræsentandi: ast antecedens logicum, infalibiliter inferens correspondentiam obiecti ad modum ipsum repræsentandi, est optimum fundamentum obiectivum, cui innititur divinus intellectus ad assentiendum: ergo quævis determinatio, vt sit obiectum eo modo, quo per actum repræsentatur, est ratio, cui innititur divinus intellectus ad assentiendum; iam probatur consequentia: id est obiectum formale phisicè motivum cognitionis, quod & dat esse phisicum identicè cognitioni, & est insuper ratio obiectiva, cui innititur intellectus divinus ad assentiendum; sed cognitio divina dat sibi esse formaliter, & identicè, vt per se patet, & insuper, vt est determinatio ad obiectum, est ratio obiectiva, cui innititur intellectus divinus ad assensum obiecti eo modo, quo per actum repræsentatur: ergo non minùs divina cognitio; quàm obiectum divinum respectum per ipsam, est obiectum formale phisicè motivum divinæ scientiæ.

69 Respondeo. Cognitionem divinam posse considerari sub duplici respectu, vno *directo*, *reflexo alio*, respectus directus est tendentia intentionalis, quam habet cognitio divina ad illud, quod repræsentat, & non est formaliter ipsa cognitio; v. g. ad æternitatem, aut immensitatem, quas Deo convenire cognoscit: respectus reflexus est tendentia intentionalis, quam habet supra se ipsam, in quantum non modo representat, Deum esse immensum, aut æternum; verùm dari cognitionem immensitatis, & æternitatis, ita vt Deus non solùm cognoscat esse se æternum, & immensum; sed insuper cognoscere se *æternum*, & *immensum*. Primus respectus directus habet pro obiecto formali phisicè motivo obiectum illud, quod formaliter repræsentat, id est immensitatem, & æternitatem, vel vt rationes obiectivas, quibus innititur ad assentiendum. Secundus respectus reflexus, provt talis, habet pro obiecto formali phisicè motivo ipsam cognitionem, à qua habet esse formaliter identicè, & vltra est optimum fundamentum obiectivum ad præstandum assensum, vt per se constat: nam quid aptius obiective erit, vt divinus assensus ei innitatur ad assentiendum reflexè huic veritati, *Deus cognoscit se esse æternum, & immensum*; quàm ipsa cognitio, ex qua formaliter ea attributa, & prædicata in se cognoscit. Quando igitur dicimus: obiectum divinum esse formale phisicè motivum cognitionis, sibi formaliter correspondentis, loquimur de cognitione divina considerata secundum respectum directum; immò inde infertur, quòd quando tendit reflexè in se ipsam, ipsa erit obiectum formale phisicè motivum sui ipsius, cum non minus sit ipsa obiectum respectus reflexi, quem in se habet, quàm quodcumque aliud obiectum, in quod respectus directus eiusdem cognitionis tendat.

70 Insistunt: ergo illud, quod non est obiectum formale phisicè motivum cognitionis, erit obiectum formale in tali linea, & illud, quod est obiectum formale phisicè motivum, aut tale non erit, aut saltem non magis erit obiectum formale, quàm materiale: vtraque pars sequelæ facile constat. Prima: quia cognitio non est obiectum formale phisicè motivum sui ipsius in ordine ad assensum obiecti; erit tamen: quia provt reflexè se cognoscit connexam cum obiecto, invenit in se ipsa motivum obiectivum ad assentiendum obiecto, ac proinde erit ratio obiectiva, cui innititur assensus obiecti. Secunda quia id, quod se tenet ex parte obiecti, vt respecti per tendentiam directam, aut est id, cui assentitur præcisè propter cognitionem cognitam per tendentiam reflexam, quomodo erit præcisè obiectum materiale, aut saltem, erit id, cui non assentitur præcisè propter se; sed propter se, & propter aliud, qua ratione, tàm erit obiectum materiale, quàm formale, vel non potius erit obiectum formale, quam materiale. Tenet ergo illatio.

71 Ante solutionem præmitto instantiam, sicut & argumentum, vnde originem ducit, non esse specialia contra obiectum formale phisicè motivum; sed æquè impetere obiectum formale intentionaliter motivum, & generaliter quancumque cognitionem, qua cognoscatur obiectum in se, & in alio. Respondeo: nullum esse inconveniens

in

in eo, quod id, cui competit esse obiectum formale physicè motivum secundum vnum respectum, sit obiectum materiale secundum alium, &. è contra: sicut non repugnat idem esse fundamentum obiectivum sufficiens, vt ei præstetur assensus, & simul coniungi, cum alio fundamento obiectivo sufficienti ad eundem assensum: etenim Deus in se est sufficiens fundamentum obiectivum, vt ei præstemus hunc assensum: *Datur Deus*, & simul creatura quævis est etiam sufficiens fundamentum obiectivum ad eundem assensum. Inconveniens verò esset, si sub eadem ratione, sub qua obiectum denominatur *formale physicè motivum* esset obiectum *purè materiale*; nam sic de ipso verificaretur, *esse rationem, cui innititur obiectivè intellectus ad assensum*, & simul *non esse sufficiens fundamentum obiectivum, vt ei præstetur assensus*, quod repugnat.

72 Vndè pro casu argumenti dicendum: obiectum directum cognitionis Dei, quæ divina prædicata attingit, esse fundamentum obiectivum, tum vt ei, tum vt cognitioni ipsius præstetur assensus, & sub hac conditione denominari obiectum formale physicè motivum divini assensus, provt tendentis, tàm in illud obiectum, quàm in se ipsum, & quidquid propter hoc fundamentum attingitur, denominatur obiectum materiale. Deinde obiectum reflexum prædictæ cognitionis, quod ipsa cognitio est in quantum attingitur per ipsam esse fundamentum obiectivum, tum ad prædictæ cognitioni assentiendum, tum obiecto directo illius, sub qua consideratione obiectum directum est obiectum materiale, & ipsa cognitio obiectum formale physicè motivum, tàm sui ipsius, quàm obiecti directi, quod per eam repræsentatur. Id verò brevioribus terminis aliud non est, nisi quod obiectum attingitur, tum propter se, tum propter cognitionem, & cognitio, tum propter se, tum propter obiectum, & quodvis eo modo, quo est ratio obiectiva attingendi aliud, esse obiectum formale, & eo modo quo propter aliud attingitur, esse obiectum materiale in quo nulla est repugnantia.

73 Ad formam argumenti distinguo consequens: illud quod non est obiectum formale physicè motivum cognitionis, erit obiectum formale in tali linea, & illud, quod est obiectum formale physicè motivum, aut tale non erit, aut saltem non magis erit obiectum formale; quam materiale *sub eadem consideratione*, & *sub eodem respectu*; nego consequentiam: *sub diversa consideratione*, & *respectu*, concedo consequentiam: in quo nihil continetur absurdum, & quod in obiecto formali intentionaliter motivo, aut in primario terminativo non sit admittendum ab omnibus, qui has rationes comprehendere non solum essentiam divinam; verum quodcumque aliud prædicatum, aut formalitatem Dei defendant.

74 Objicies octavo. Ratio obiecti formalis physicè motivi sumitur penes influxum realem, aut virtualem, quem præstat obiectum in cognitionem; sed non omne obiectum divinum præstat influxū realem, aut virtualem in cognitionem sibi formaliter correspondentem, vt constat in ipsa cognitione reflectente supra se, quæ per modum obiecti nullum influxum realem, aut virtualem habet in se ipsam: ergo non quodcumque prædicatum divinum, sive contingens, sive necessarium est obiectum physicè motivum cognitionis, sibi formaliter correspondentis. Nego maiorem; nam pro ratione obiecti formalis strictè talis sufficit, quod, vt cognitum, præbeat esse cognitioni, cum aliunde sit ratio obiectiva, cui innitatur ipsamet cognitio ad assentiendum. Ratio est clara, propterea quòd ad rationem obiecti formalis physicè motivi strictè talis, nihil aliud desiderari valeat, nisi quod sit ratio obiectivè alliciens ad assensum, præbendo simul physicè cognitioni esse, quod habet: sed vltra allicientiam obiectivam præbere esse cognitioni physicè identicè est strictior communicatio, quam per influxum: ergo ad rationem obiecti formalis physicè motivi, non est necessarius influxus realis, aut virtualis obiecti in cognitionem.

75 Replicabis. Ratio obiecti formalis physicè motivi sumitur à Theologis in divinis per analogiam ad obiectum formale physicè motivum creatum: sed in creatis omne obiectum formale physicè motivum præstat aliquem influxum in sui cognitionem: ergo in divinis ibi tantum erit concedenda ratio obiecti formalis physicè motivi, vbi interveniat aliquis influxus obiecti in cognitionem, si non realis; saltem virtualis. Conce-

ceſſa maiori, nego minorem: Nam in creatis cognitiones reflectentes ſupra ſe habent ſe ipſas pro obiecto formali phiſicè motivo; quin detur locus influxui alicui eiuſdem ad ſe, vel aliter diſtinguo maiorem: Ratio obiecti formalis phiſicè motivi ſumitur à Theologis in divinis per analogiam ad obiectum formale phiſicè motivum creatum, *quoad omnia*, nego maiorem; *quoad aliqua* concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaque tota correſpondentia, & ſimilitudo ſtat in ſubſtantia, vt ita dicam, tribuendi eſſe; non in modo communicationis, ſcilicèt per influxum, cum efficatior ſit communicatio per identitatem, qualis eſt communicatio inter obiectum divinum, & cognitionem ſibi correſpondentem.

CAPVT IV.

Argumenta contra tertiam Concluſionem proponuntur.

76 CONTRA tertiam concluſionem obijc. nono, ex his, quæ propoſuit Herrera. In cognitionibus divinis debet evitari inordinatio, & ſuperfluitas; ſed ſi cunctæ veritates obiectivæ, quæ terminant cognitionem divinam eſſent obiectum formale intentionaliter motivum, in cognitionibus divinis eſſet inordinatio, & ſuperfluitas: ergo cunctæ veritates obiectivæ, quæ terminant divinam cognitionem, non ſunt obiectum formale intentionaliter motivum illius. Probatur minor. Superfluitas, & inordinatio eſt in divinis cognitionibus, quòd creaturæ, ſeu conceptus obiectivi diſtincti à Deo, moveant intentionaliter ad id, ad quod ſolus Deus intentionaliter ſufficientiſsimè movet; ſed ſi cunctæ veritates obiectivæ, quæ terminant divinam cognitionem, eſſent obiectum formale intentionaliter motivum illius, creatura, & conceptus obiectivi diſtincti à Deo eſſent obiectum formale intentionaliter motivum divinæ cognitionis, aliunde ex Deo ipſo ſufficienter determinatæ: ergo ſi cunctæ veritates, quæ terminant divinam cognitionem, eſſent obiectum formale intentionaliter motivum illius, in cognitionibus divinis eſſet inordinatio, & ſuperfluitas.

77 Inſto argumentum ſervando formam eandem. Inordinatio, & ſuperfluitas debent vitari in divinis cognitionibus; ſed ſi Deus omnia, quæ cognoſcit, cognoſceret propter ſe vnicè intentionaliter motivè, in divinis cognitionibus daretur inordinatio, & ſuperfluitas: ergo Deus non omnia, quæ cognoſcit, cognoſcit propter ſe vnicè intentionaliter motivè. Probatur minor: inordinatio, & ſuperfluitas eſt in divina cognitione ad conſpectum *formalis obiectivi*, quo nihil ipſi intimius, aut ab ipſo inſeparabilius moveri intentionaliter ex obiectivo, quod purè *arguitivum* eſt *formalis* relicto *formali*; ſed ſi Deus omnia, quæ cognoſcit cognoſceret propter ſe vnicè intentionaliter motivè, in divinis cognitionibus daretur, quod divina cognitio ad conſpectum *formalis obiectivi*, quo nihil ipſi intimius, aut ab ipſo inſeparabilius eſſe poteſt moveretur intentionaliter ex *obiectivo*, quod purè arguitivum eſt *formalis*, relicto *formali*: ergo ſi Deus omnia, quæ cognoſcit cognoſceret propter ſe vnicè intentionaliter motivè, in divinis cognitionibus daretur inordinatio, & ſuperfluitas. Probatur minor: Deus obiective ſumptus tantum eſt *formale obiectivum* ſui ipſius, & *arguitivum* omnis alius conceptus obiectivi diſtincti à ſe, vt per ſe patet, cum nihil ſit formaliter id, à quo realiter diſtinguitur: ergo ſi Deus omnia, quæ cognoſcit, cognoſceret propter ſe vnicè intentionaliter motivè, in divinis cognitionibus daretur, quod divina cognitio ad conſpectum *formalis obiectivi*, quo nihil ipſi intimius, aut inſeparabilius eſſe poteſt, moveretur ex *obiectivo*, quod pure *arguitivum* eſt *formalis*, relicto *formali*.

78 Nec dicas: inordinationem fore, ſi obiectivum formale illius, quod diſtinguitur à Deo haberet aptitudinem, vt moveret intentionaliter divinam cognitionem; ſecus ſi illam non habeat, vt defacto non habet propter ſuam imperfectionem, qua licèt ſit proportionatum, vt moveat intentionaliter intellectum creatum, vtpotè imperfectum, & finitum; non ſic, vt moveat intellectum infinitum, & omnem excludentem imperfectionem, in quo motivum, ſicut & cognitio debent eſſe eiuſdem infinitæ perfectionis.

Quia

79 Quia in hac doctrina ſupponitur. Imperfectionem entitativam motivi intentionaliter moventis redundare in cognitionem, & intellectum innitētes tamquā rationi obiectivæ tali motivo, quod falsū eſt, & declinare debet, nifallor, vſque ad ſententiam, quæ tribuitur Aureolo, negantem, Deum cognoſcere conceptus obiectivos diſtinctos a ſe in ſe ipſis. Ratio eſt: quia ſicut à te dicitur, imperfectionem obiecti intentionaliter motivi ita afficere cognitionem, & intellectum cognoſcentem, vt ex finitudine motivi finitudo, & limitatio cognitionis, & intellectus debeat commenſurari: ſic ex ſententia Aureoli dicitur cognitionem, & intellectum terminari ad imperfectum in ſe ipſo arguere imperfectionem in cognitione, & intellectu cognoſcente; & ſicut cognoſcibilitatem motivam creaturarum, & conceptuum obiectivorum, qui à Deo diſtinguūtur, facis reſpectivam ad intellectum ſolùm finitum, & limitatum: ſic alius pro Aureolo eadem facilitate cognoſcibilitatem materialem, quam in quocumque conceptu obiectivo, etiam diſtincto à Deo propugnas: vndè arguis eſſe attingibilem per divinum intellectum non modo in Deo; verùm in ſe ipſo, faciet reſpectivam ad intellectum creatum, & imperfectum: quare concludet Deum nihil extra ſe cognoſcere non tantum motivè; verum nec terminativè.

80 Sit ſolutio. Conceſſa maiori, negare minorem. Ad cuius probationem poteſt ex communi ſententia, concedi maior, & negari minor: nam vel Deus nō connectitur cum poſsibilitate poſsibilium, vel ſi connectatur cum eorum poſsibilitate, ſaltem non connectitur cum exiſtentia contingentium: vnde vel non eſt determinatus ex ſe ad conceptus obiectivos, qui extra ipſum ſunt, vel ſaltem ad aliquos, vt ſunt veritates obiectivæ contingentes, nullam habet determinationem: ergo aliunde, quàm ex ſe debet Deus determinari ad cognoſcendos, vel omnes, vel ſaltem plures conceptus obiectivos diſtinctos à ſe ipſo. Reſponderi aliter etiam poteſt, & quidem conformius ad noſtra principia, negando maiorem ſyllogiſmi probativi: quia licèt Deus ſit ex ſe determinatus ad cognoſcendos conceptus obiectivos, qui extra ſe ſunt, non eſt ſuperfluitas; ſed perfectio, & infinitas virtutis cognoſcitivæ determinari etiam à veritate obiectiva, quam reſpicit, vt ita ſe extendat ad cognoſcenda omnia obiecta, quæ ſunt cognoſcibilia eo omni modo, quo cognoſcibilia ſunt, quod tantum diſtat ab imperfectione, vt potius oppoſitum, vt benè advertit Herrera, eſſet imperfectio, & limitatio cognoſcitivæ virtutis quæ non ſe extenderet in cognoſcendo obiecto ad omnem modum cognoſcibilitatis, quem in ſe habet, & qua ratione abſque imperfectione vlla cognoſcibile eſt. Pro cuius confirmatione iterum reddit inſtantia cognoſcibilitatis terminativæ, quam habent obiecta creata, tum in ſe, tum in Omnipotentia, in qua continentur, quin vna cognoſcibilitas officiat alteri, nec Deus, quia cognoſcit creaturas præcontineri in ſua Omnipotentia, deſinat cognoſcere creaturas etiam in ſe ipſis.

81 Obijcies decimò. Cognitio, qua Deus cognoſceret creaturas & conceptus obiectivos diſtinctos à ſe innitendo illis tanquam obiecto formali intentionaliter motivo, eſſet ex multis titulis imperfecta: ergo divina cognitio non habet pro obiecto formali intentionaliter motivo aliquid diſtinctum à ſe. Probatur antecedens: ſiquidem eſſet finita, tàm ex parte obiecti materialis, quàm formalis, ac proinde ſimpliciter finita: inſuper haberet imperfectionem aſſentiendi propter vile motivum, quale eſt, quidquid à Deo diſtinguitur comparativè ad ipſum. Demum: quia quod movetur ex alio, habet eſſe ab illo: ſed actus infinitus non poteſt habere eſſe à finito: ergo vt haberet, opus eſt, vt decreſceret divina cognitio ab eſſe infinito ad finitum: ergo cognitio, qua Deus cognoſceret creaturas, & conceptus obiectivos diſtinctos à ſe ipſo, innitendo illis tanquam obiecto formali intentionaliter motivo, eſſet ex multis titulis imperfecta.

82 Reſpondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem dicendum, quod ſi ex limitatione, & finitudine obiecti penſanda eſſet perfectio cognitionis, cognitio infinita non modo non permitteret obiectum formale intentionaliter motivum limitatum, & finitum; verum nec obiectum materiale: quia ſicut malum ex quocumque defectu, ſic finitudo in linea cognoſcibili ex quacumque finitudine per-

pertinente ad talem lineam, vt est cognoscibilitas obiecti materialis : igitur perfectio scientiæ, & cognitionis non arguenda est ab extrinseco obiecti, sive formalis, sive materialis ; sed ab esse intrinseco cognitionis : sicut accidit in nostris cognitionibus, quæ neque à materialitate obiecti formalis, aut materialis, evadunt materiales, neque à substantia, aut divinitate obiecti materialis, aut formalis substantiales, aut diuinæ. Ad secundam probationem constat ex dictis, vilitatem motivi in esse entitativo non refundi in cognitionem dummodò vilitatem non habeat in ratione moventis titulo separabilitatis ab obiecto materiali, quod obiectivè suadet alliciendo ad firmum assensum. Ad tertiam respondeo : aliquod creatum dare esse purè inclinativè, & motivè actui divino non esse contra rationem actus divini, vt patet in intentione diuina, quam movet finis intentus creatus, & in decreto præmiativo procedenti ex motione meritorum, quæ ex suo cõceptu creata sunt. Est igitur tantum contra rationem actus divini, & infiniti accipere esse ab aliquo creato per influxum phisicum, aut per influxum moralem involventem aliquam actionem phisicam : quod non invenitur in obiecto formali intentionaliter motivo, quod inclinativè præcisè dat esse scientiæ sibi formaliter correspondenti, provt explicatur per tendentiam ipsius actus quiescentis in ipso tanquam in ratione cui innititur ad assentiendum.

83 Objicies 11. Cognitio creaturarum habens pro motivo intentionali ipsas creaturas non est summè perfecta : ergo est imperfecta, & Deo non conveniens. Probatur antecedens. Perfectior est cognitio creaturarum habens pro motivo intentionali formali aliquid divinum, cum ea cognitio æquet in obiecto materiali alteri cognitioni, & superet in obiecto formali: ergo cognitio creaturarum habens pro motivo intentionali ipsas creaturas non est summè perfecta. Respondent Ribadenevra, & Herrera per recursum ad identitatem realem, & virtualem inter scientiam divinam tendentem in creaturas propter ipsas, & simul propter Deum : vndè tantùm restat consideratio maioris, aut minoris perfectionis secundùm sensum formalem, in quo non debet reputari inconveniens, vnum actum præcisivè sumptum esse perfectiorem, aut minus perfectum alio, sicut à multis dicitur, attributa Dei formaliter sumpta esse inæqualia in perfectione, & ab omnibus singula attributa formaliter sumpta præscindere à perfectione aliorum. Cæterum licèt hæc solutio locum habere possit in eorum sententia, quoad creaturas possibiles cum quibus Deus metaphisicè connectitur ; non sic quoad existentes, præcipuè si actus liberi sint ; in quibus iuxta eorum sententiam nihil datur ex parte Dei connexum cum existentia illorum ; & ne ad prædefinitiones forte recurrant, ponant obiectum cognitum esse peccatum incapax vllius prædefinitionis; ideò independenter ab identitate reali, & virtuali quærenda est solutio.

84 Propter eandem rationem reijciendi sunt alij, qui parum curantes de identitate virtuali per solam identitatem realem argumẽtum solvere procurant, cum nunquam valeant explicare, quodnam sit illud divinum, in quo Deus cognoscat creaturas existentes propter se ipsum, nisi incidant in decreta efficacia antecedentia tot titulis nostræ Scholæ adversa; neque adhuc his admissis, vim argumenti eluderent, si simul dicerent, Deum cognoscere creaturas existentes, tum propter se, tum propter decretum: quia iam tendentia intentionalis divina aliquomodo considerata, id est, in quantum attingeret creaturas propter se, non esset tam perfecta ex genere suo, ac est tendentia respiciens creaturas propter aliquid divinum, & ideò non esset in Deo admittenda, ne propter imperfectionem, quam diceret, provt respicit motivum creatum, vitium aliquod induceret in se ipsam, provt respicit creaturas ex motivo divino.

85 Respondendum in primis: Similem formam arguendi satis transcendentem esse solvendam ab omnibus, si fiat comparatio inter cognitionem divinam, qua Deus se propter se cognoscit, & cognitionem eiusdem, qua creaturas etiam ob motivum divinum cognosceret : tunc enim probare posset, cognitionem Dei, qua creaturas propter se ipsum cognoscit, non esse summè perfectam : quia non esset, tàm perfecta, ac cognitio, qua se ipsum propter se ipsum cognoscit, siquidem hæc cognitio æquaret alteri in obiecto formali,

&

& ſuperaret ipſam in obiecto materiali. Quod ergo huic modo arguendi reſpondeatur, reſpondendum erit obiectioni propoſitæ.

86 Deinde pro omnibus dicendum. Cognitionem creaturarum propter ipſas non eſſe ſummè perfectam formaliter; imò eſſe imperfectam formaliter purè negative, in quantum formaliter non habet tantam perfectionem, ac habet formaliter altera tendentia, quæ attingat creaturas ob motivum divinum; aſt conſtitutivè eſſe ſummè perfectam formaliter: quia ſub illo modo tendendi integrat in Deo vnam ſcientiam formaliter perfectiſsimam. In quo nihil diſſonum, aut ſpeciale invenitur; ſed id ipſiſsimum, quod in alijs prædicatis divinis contingit, vt cernere licet in exemplo repetito prædicati *voluntarij*, quod tribuitur actibus divinis, vbi voluntarium neceſſarium eſt perfectius ex genere ſuo voluntario libero, aut voluntarium liberum voluntario neceſſario pro ſententiarum diverſitate; aſt conſtitutivè tàm voluntarium liberum, quàm neceſſarium ſunt æquè formaliter perfectiſsima ex reſultantia voluntarij perfectiſsimi, quod integrari debet ex libero, & neceſſario, cum augmento in vno, & decremento in alio: Similiter ratio *entis neceſſarij* ex genere ſuo perfectius quid eſt formaliter; quàm ratio entis contingentis, verùm ratio actus contingentis, & neceſſarij conſtitutivè eſt æqualiter perfecta adhùc formaliter ex ente perfectiſsimo, quod reſultat per formalitates neceſſarij, & contingentis, ſcilicèt, Deus exigens ad ſuam perfectionem infinitam, eſſe in ſe aliquid neceſſarium, & aliquid contingens: quomodo in alijs, quæ quiſque poteſt diſcurrere ſine diminutione aliqua perfectionis divinæ, quæ potius deficeret, ſi omnia, quæ includit conſtituenda forent in eodem gradu, & æqualitate perfectionis formaliter.

87 Obijcies duodecimò. Bonum, provt includens creatum, & increatum, non poteſt eſſe obiectum formale voluntatis divinæ: ergo vetum, provt comprehendit creatum, & increatum, nō poteſt eſſe obiectum formale adhùc intentionaliter motivum intellectus divini. Conſequentia videtur conſtare à paritate rationis, & antecedens ſupponitur ex ſententia multorum tractatu de voluntate id probantium ex imperfectione, quæ daretur in divinis affectibus, ſi moverentur ex aliquo creato.

88 Reſpondeo primò, negando antecedens: quia, vt dicemus agentes de motivo voluntatis divinæ, id minimè repugnat perfectioni infinitæ ipſius. Reſpondeo ſecundo independentius. Permiſſo antecedenti, negando conſequentiam ob infirmitatem paritatis ex vna potentia ad aliam, quam probant. Primò: Deum non teneri ad amandum bonum finitum; teneri tamen ad cognoſcendum verum finitum ſaltem quidditativè. Secundò: aliquod obiectum poſſe eſſe ſaltem materiale divinæ cognitionis, quin poſsit eſſe obiectum materiale divinæ voluntatis, vt conſtat in peccato ſaltem pro formali. Tertiò: apud multos ex adverſarijs Deum non poſſe adhùc materialiter attingere per voluntatem creaturas poſsibiles, & poſſe eas reſpicere, vt obiectum materiale per intellectum. Quartò: poſſe Deum ita reſpicere per voluntatem aliquod obiectum, vt hoc non ſit eo modo, quo intenditur, conſtatque in affectibus inefficacibus; & tamen non poſſe reſpicere per intellectum aliquod obiectum, ita vt non ſit eo modo, quo repræſentatur. Quintò: Divinam voluntatem poſſe habere affectum ſimplicem, id eſt, complacentiam ſimplicem; & divinum intellectum non poſſe habere apprehenſionē ſimplicem. Sextò: apud prædeterminantes voluntas divina poteſt præſcindere in amore entitatem à malitia, & non poteſt præſcindere per intellectum vnam ab alia: quæ omnia oſtendunt parum fidendum eſſe argumentis, quæ ex voluntate ad intellectum, vel è contra formentur. Nihilominus pro præſenti dici poteſt, diſparitatem eſſe, quod bonum finitum, ſicut non rapit divinam voluntatem in ſui amorem, ſic nec ad omnem modum amandi, qui ſit poſsibilis; at veritas etiam finita, ſicut rapit divinum intellectum in ſui cognitionem, ſic etiam rapit in omnem modum cognoſcendi, qui exhauriat omnem cognoſcibilitatem paſsivam obiecti, vt exigitur ab infinita perſpicacia intellectus divini.

89 Obijcies decimotertio argumentum præcipuum contrariæ ſententiæ. Cognitio ſpecificatur ab obiecto formali in quod tendit: ergo ſcientia divina, quæ cognitio eſt, à ſuo obiecto formali ſpecificatur: ſed nihil fi-

ni-

finitum, & limitatum potest specificare infinitum, & illimitatum: ergo nihil finitum, & limitatum potest esse obiectum formale intentionaliter motivum scientiæ divinæ infinitæ, & illimitatæ. Maior est certa ex communi consensu Scholasticorum tribuentium speciem potentiæ, & actibus ipsi correspondentibus ex ratione, seu obiecto formali, quod respiciunt. Probatur minor. Specificare est dare speciem, & perfectionem, quæ in specie specificati continetur: sed nihil finitum, & limitatum potest dare perfectionem infinitam, & illimitatam: ergo neque potest specificare infinitum, & illimitatum in suo esse. Confirmatur: specificativum, quod distat infinitè ab alio non potest communicare speciem, & perfectionem specificato, nisi cum infinita distantia ab alio: quia non potest communicare perfectionem supra se, aut quam non habet: sed specificativum creatum distat infinitè ab specificativo infinito, & increato: ergo scientia illa, cui communicet speciem, & perfectionem, non potest non distare infinitè à scientia quoad perfectionem infinita, & illimitata; ac per consequens scientiam habens obiectum formale creatum, non divina, & infinita; sed finita, & tantum conveniens creaturæ erit secundum esse, & perfectionem speciei, in qua per ordinem ad tale obiectum formale constituitur.

90 Vim argumenti, si quam habet, fugere non potest contraria sententia per suum obiectum formale divinum. Ratio est: quia semper debent concedere illius, quod divinum est, aliquod specificativum creatum: Suadetur sic. Scientia divina, provt est scientia creaturarum, quid divinum est; sed scientia creaturarum, provt talis, specificatur ab ipsis creaturis: ergo aliquid divinum, provt tale, specificatur ab aliquo creato. Maior est certa: nam scientia divina secundum omnem suam formalitatem divina est; sed esse scientiam creaturarum aliqua formalitas est scientiæ divinæ: ergo scientia divina, provt est scientia creaturarum, est aliquid divinum. Iam probatur minor. Scientia creaturarum, provt talis, discernitur à scientia non creaturarum per respectum ad id quod potius, creatura; quàm non creatura est; sed id per ordinem ad quod discernitur à scientia non creaturarum, est id per quod specificatur in ratione scientiæ creaturarum: ergo scientia creaturarum, provt talis, specificatur ab ipsis creaturis. Discursus apparet legitimus, & maior, si in ipsa sit aliqua difficultas, facilè probatur. Scientia creaturarum, provt talis, discernitur à scientia non creaturarum per ordinem ad id, ex quo denominatur potius scientiam creaturarum; quàm non creaturarum: sed id per ordinem ad quod denominatur potius scientia creaturarum; quàm non creaturarum est id, pod potius creatura; quàm non creatura est: ergo scientia creaturarum, provt talis, discernitur à scientia non creaturarum per respectum ad id quod potius creatura; quàm non creatura est.

91 Communis, & vera solutio est. Scientiam Dei habentem pro obiecto formali creaturam specificari tantum extrinsecè ab ipsa, id est, habere talem speciem, & naturam relate ad obiectum formale, quod respicit, sicut eandem habet relatè ad obiectum materiale, in quod tendit, cum non minus sit intrinsecè respectus ad obiectum materiale, cui assentitur, quàm ad obiectum motivum, in quo fundatur assensus. Inde tamen non efficitur, scientiam Dei evassuram finitam, & limitatam, aut aliquomodo imperfectam in suo conceptu; siquidem restat aliud specificativum efficacius, vnde sumatur species, & perfectio actus: scilicèt intrinsecum, & formale, quo constituitur in ratione actus divini, qui qualecumque obiectum formale respiciat, semper remanet æqualiter perfectus; nec secus, ac dicitur de respicientia ad obiectum materiale, quæ per inferioritatem huius non decrescit, nec per excellentiam illius augetur, semper remanens in eodem perfectionis gradu. Ratio fundamentalis est: quia cognitio non accipit perfectionem ab obiecto, aut formaliter, aut causativè; sed duntaxat illativè, & arguitivè: ex quo malè concluditur mensurandam esse perfectionem cognitionis ex perfectione obiecti, sivè formalis, sivè materialis;

lis; non ſecus, ac malè inferretur in noſtra cognitione ex non vitalitate obiecti non eſſe vitalem, aut ex ſubſtantia obiecti eſſe ſubſtantialem.

91 Neque ratio aliqua congrua aſsignari poteſt, vt ſpecificativum extrinſecum, & arguitivum cognitionis maiorem vim habeat, ad menſurandam perfectionem cognitionis, quàm cætera ſpecificativa extrinſeca, & purè illativa, quæ etiam comparativè ad divina non ſunt regula menſurandi perfectionem ſui ſpecificativi. Videmus enim ex communi ſententia Omnipotentiam Dei ſpecificari extrinſece à poſsibilibus, quæ factibilia ſunt, ad quæ dicit intrinſecum, & eſſentialem reſpectum; poſſibilia autem, quæ factibilia, & effectus eſſe poſſunt, finitum quid, & limitatum ſunt. Videmus etiam decreta Dei ſpecificari in eſſe talium, ex reſpectu intrinſeco, quem dicunt ad non neceſſaria, & contingentia, vtpote, quæ in neceſſaria, non poſſunt tendere, ne fatua ſint: omne verò non neceſſarium, contingens, in quod poſsit exercere decretum efficaciam ſuam effectivam, finitum quid eſt. Quod ſi in his ſtat ſpecificatio intrinſeca ſine præiudicio perfectionis intrinſecæ ſpecificati, cur in ſpecificatione extrinſeca cognitionis ex motivo formali creato ſimile non eveniet; niſi quia ex libito vnum velis ſecus aliud.

93 Ad obiectionis formam: diſting. maiorem. Scientia divina, quæ cognitio eſt, à ſuo obiecto formali ſpecificatur *extrinſecè* concedo mai. *intrinſecè* neg. mai. & diſting. min. Nil finitum, & limitatum poteſt ſpecificare infinitum, & illimitatum *ſpecificatione extrinſeca* neg. min. *intrinſeca* concedo minorem, & nego conſequentiam. Ad minoris probationem: diſtinguo mai. Specificare, eſt dare ſpeciem, & perfectionem, quæ in ſpecie ſpecificati continetur, vel *formaliter*, vel *cauſativè*. vel *purè arguitivè*, & *illativè* concedo mai. eſt dare determinatè *formaliter*, aut *cauſativè* neg. mai. & diſt. min. Nil finitum, & limitatum poteſt dare *formaliter*, aut *cauſativè* perfectionem infinitam, & illimitatam concedo minorem: poteſt dare *purè illativè*, & *arguitivè* nego min. & conſequentiam. Vnde ad confirmationem diſtinguenda eſt maior: ſpecificativum, quod diſtat infinitè ab alio non poteſt communicare ſpeciem, & perfectionem ſpecificato *cauſativè*, aut *formaliter*, niſi cum infinita diſtantia ab alio: concedo maiorem: purè *arguitivè*, & *illativè* nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Scientia illa, cui communicat ſpeciem, & perfectionem, *cauſativè*, aut *formaliter*, non poteſt non diſtare infinitè à ſcientia quoad perfectionem infinitam, & illimitatam concedo conſequentiam; cui communicat ſpeciem, aut perfectionem purè *illativè*, aut *arguitivè*, non poteſt non diſtare infinitè à ſcientia, quoad perfectionem infinita, & illimitata nego conſequentiam, & ſubillationem adiunctam.

94 Obijcies decimo quartò. Actus ſcientiæ habens pro obiecto formali creaturam non tangit formaliter quidquid à Deo eſt cognoſcibile, cum Deus ſit cognoſcibilis, & ipſum formaliter non attingat: ergo non eſt infinitus in ratione cognitionis, nec Deo poſsibilis. Conceſſo antecedenti nego conſequentiam: quia ad genus cuiuſvis actus ſcientiæ, provt condiſtincti ab alijs, tantum attinet, attingere illud obiectum, cuius actus eſt; non verò obiecta aliorum ex quibus ſcientia ampliſsima, & vniverſaliſsima Dei coaleſcit: ſic ſcientiæ neceſſariæ, non competit formaliter exprimere contingentia, aut ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quæ pertinent ad ſcientiam viſionis; quin ex eo inferri valeat, aut ſcientiam neceſſariorum, aut ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe diminutas, & imperfectas: quia non repræſentant contingentia, aut quæ ad ſcientiam viſionis ſpectant. Vnde benè notat Izquierdo differentiam notandam inter intellectum, & actum intelligendi: nam intellectus, vt ſit perfectiſſimus in primo genere, debet ſe extendere ad omne cognoſcibile, & ad omnem modum cognoſcendi: at actus intellectus, vt ſit perfectiſsimus in ſuo genere, tantum debet attingere, quæ ſunt propriæ lineæ, in qua eſt actus, vel pro ſigno in quo intelligitur, vel pro qualitate obiectorum, ex quibus ſcientia Dei inadæquatè accepta diverſifi-

ficatur, quod explicat exemplo reliquorum attributorum, in quibus, quæ sunt propria iustitiæ formaliter, non debent convenire misericordiæ; licet Deo perfectissimo, quæ sunt omnium attributorum, debeant convenire.

95 Obijcies decimoquintò. Per nos Deus est, & debet dici obiectum primarium scientiæ divinæ, & infinitæ; sed si permitteret aliud obiectum formale, non esset obiectum primarium: ergo Deus solus est motivum cognoscendi quidquid per scientiam divinam repræsentatur. Probatur min. obiectum primarium ita est ratio cognoscendi omnia, quæ attinguntur per divinam scientiam, vt ipso non cognito nihil aliud cognosceretur; sed id quod, & est ratio cognoscendi cætera obiecta, & quo non cognito reliqua non cognoscerentur, non permittit aliud obiectum formale: aliàs hoc esset ratio cognoscendi aliqua, & ipso præcisè cognito daretur sufficiens fundamentum ad præstandum assensum his, quæ continerentur sub tali motivo: ergo si Deus permitteret aliud obiectum formale cognoscendi, non esset obiectum primarium.

96 Premit obiectio omnes illos, qui dicunt Deum tantum secundum essentiam habere rationem obiecti primarij. Nam cum vltra obiecta necessaria, cum quibus Deus tantum secundùm essentiam potest habere connexionem, debeant concedere obiecta contingentia à quibus divina essentia separari potest; ac proinde secundum se non valeat esse obiectum formale intentionaliter motivum scientiæ contingentium, iam cum obiecto primario divinæ scientiæ, quod dicunt, esse solam essentiam, opus erit coniungere aliud obiectum formale pro contingentibus distinctum aliquomodo ab essentia: vnde tenebuntur componere rationem obiecti primarij cum non exclusione alterius obiecti formalis intentionaliter motivi.

97 Respondetur. De ratione obiecti primarij etiam si talem denominationem subeat in ratione obiecti formalis tantum esse habere principalitatem in tali ratione, itavt non permittat aliud eiusdem principalitatis, & perfectionis in tali munere; secus, quod non detur aliud minus æstimabile sub ea ratione: sicut de ratione obiecti materialis primarij, non est excludere alia obiecta à munere obiecti materialis, dummodo talia obiecta non sint eiusdem æstimabilitatis, & perfectionis, & hoc quidem comparativè ad scientiam complexivè, & integrè sumptam, provt per ipsam expletur capacitas potentiæ intellectivæ infinitæ; secus respectivè ad singulos actus secundum proprias, & formales tendentias consideratos. Nec facere ratione sui debitam cognitionem cæterorum, probat debere esse fundamentum obiectivum ad cognoscenda reliqua; sed duntaxat habere connexionem cum eo, quod reliqua cognoscantur eo modo, quo sunt cognoscibilia. Vnde si talia sunt propter se, id tantum exigit, vt fiat satis comprehensioni sui, quod autem, Deo incognito reliqua non cognoscerētur præcisè probat dependentiam vnius cognitionis ab alia, pro quo non est opus habere idem motivum; sed quod motivum vnius sit inseparabile à motivo alterius, qua ratione non vnicitas motivi; verùm multiplicitas connexa convincitur.

CAPVT V.

Solvit Argumenta contra Quartam, & vltimam Conclusionem.

98 OBIJCIES decimo sextò. Habitus pertinentes ad voluntatem, v.g. Charitatis concurrunt ad actus ipsius, vt principia non libera, & tamen non præcedunt ad actum secundum, ad quem sunt ex se indifferentes, vt determinati in actu primo, per aliquid prævium ad actum secundum; sed tantum, vt determinati per actum ipsum secundum qui ex determinatione voluntatis liberè ponitur: ergo quod intellectus præcedat ad actum secundum cognoscendi, vt principium formaliter non liberum, non probat debere præcedere in actu primo determinatum ad actum secundum cognitionis ad quem ex se habet indifferentiam. Fallit ergo totum nostrum fundamentum ad probandam præcedentiam obiectivam veritatum contingentium, sivè dependentes, sivè non depen-

dentes sint à libertate, tàm increata, quàm creata, vtpote quod nullius efficaciæ est.

99 Instò argumentum in potentia intellectiva, provt subdita libertati, & imperio voluntatis in his aquorum evidentia non rapitur, & ad quorum assensum, non determinatur à voluntate per determinationem se tenentem ex parte actus secundi; sed per imperium præcedens, & constituens actum primum intellectus determinatum ad actū secundum assentiendi hoc, vel illo modo, quod etiam cernere licet in alijs potentijs exterioribus non aliter præcedentibus ad suos actus secundos quam determinatis ex parte actus primi per voluntatis imperium.

100 Deinde: ad argumentum respondeo. Disparitatem consistere in hoc, quod habitus se habet tanquam virtus immediata determinationis, & actionis liberæ voluntatis, vnde sicut determinatio libera voluntatis tota se tenet ex parte actus secundi, ne aliter lædatur libertas, sic determinatio virtutis immediatè influentis cum voluntate ad determinationem liberam, licèt sit determinatio principij ex se non liberi, non debet esse determinatio ex parte actus primi, at intellectus non concurrit ad actum secundum intelligendi tanquam virtus obiecti ad exercitium, quod procedat ab ipso liberè; sed quod procedit ab ipso, vt determinato in actu primo ad præstandum influxum in cognitionem; inde intellectus, qui talem influxum participat non aliter, quam determinatus in actu primo potest procedere pro modo influxus, quem præstat obiectum in sui cognitionem, sivè proprium sit vt accidit in cognitione creata, sivè improprium, vt contingit in cognitione divina.

101 Objicies decimo septimò. Per nos veritas contingens indistincta realiter, & formaliter à cognitione divina non habet aliquam obiectivam præcedentiam ad divinam scientiam: ergo nec reliquæ veritates, quæ sunt distinctæ, vel realiter, vel formaliter à divina cognitione, & aut purè contingentes ipsi Deo, contingentia independente à libertate divina, aut contingentes contingentia electionis, & libertatis, tàm divinæ; quàm creatæ, habent aliquam præcedentiam obiectivam, & in eo genere obiectivum influxum ad divinam scientiam. Probatur consequentia. Non minus est indifferens intellectus divinus ad cognoscendam reflexè veritatem ipsius cognitionis contingentis, secundumquod cognitio est: quàm ad cognoscendam veritatem obiectivam contingentem directè attactam per ipsam cognitionem; sed hac differentia non obstante veritas ipsa cognitionis in esse talis non habet vllam præcedentiam obiectivam ad se ipsam: ergo neque reliquæ veritates obiectivæ distinctæ, aut realiter, aut formaliter ab ipsa cognitione habebunt aliquam præcedentiam obiectivam ad sui cognitionem licèt intellectus divinus ex se indifferens absolutè sit ad illas cognoscendas.

102 Vrgetur, & explicatur difficultas. Non minus est intellectus divinus actus primus non liber respectu tendentiæ reflexæ, qua cognoscit cognitionem suam contingentem; quàm respectu cognitionis directæ, & tendentiæ, qua cognoscit veritates alias contingentes distinctas, sivè realiter, sivè formaliter ab ipsa cognitione; sed licèt sit actus primus non liber quoad tendentiam reflexam in sui cognitionem, cognitio non præcedit, vt conditio determinans obiectivè ad sui cognitionem: ergo licèt intellectus divinus sit actus primus non liber relatè ad cognitionem aliarum veritatum contingentium, quæ realiter, aut formaliter cognitio contingens non sunt, minimè debent præcedere, vt conditiones obiectivæ determinantes actum primum divinum intelligendi ad sui cognitionem.

103 Respondeo. Diversitatem inter vnas, & alteras veritates directas, & reflexas in eo consistere, quod, vt intellectus divinus ex se indifferens absolutè, tum ad cognoscendas suas cognitiones contingentes, tum ad cognoscendas veritates contingentes directas attactas per ipsas, tamen ad cognoscendas reflexè suas cognitiones determinatur sufficienter in actu primo per ipsas veritates directas, quæ non solum connectuntur cum eo, quod Deus ipsas cognoscat; verum etiam cum eo, quod Deus cognoscat reflexè cognitionem ad eas terminatam; at pro ipsis veritatibus obiectivis directis nullum aliud restat determinativum, quo intellectus divinus constituatur in actu primo determinatus ad

eas

das cognoscendas, cum non per se: quia est indifferens, vt sint tales veritates, neque per cognitionem, quæ non intelligitur, donec intelligantur veritates obiectivæ proportionatæ, vt in illas tendat. Hoc explicari valet exemplo communis sententiæ dicentis contra Ribad. & alios, ad volendum obiectum non esse necessariam cognitionem reflexè tendentem in ipsam volitionem, nec volitionem reflexe tendentem in se ipsam, quamvis requiratur cognitio repræsentans bonitatem obiecti: quia si non adesset cognitio bonitatis obiecti, nulla ad esset cognitio regulativa volitionis, aut amoris; verum adstante cognitione obiecti, & volitione ipsius, & datur cognitio regulativa volitionis, aut amoris, & datur etiam existentia volitionis, aut amoris per directam tendentiam in obiectum volitum, aut amatum.

104 Ad formam concesso antecedenti nego consequentiam, ad cuius probationem concessa maiori, dist. min. hac indifferentia non obstante veritas ipsa cognitionis in esse talis nullam habet præcedentiam ad se ipsam, *datur tamen aliud præcedens determinans actum primum ad tendentiam reflexam* conced. min. *& non datur aliud præcedens determinans actum primum ad tendentiam reflexam*, neg. min. & consequentiam. Ad vrgentiam concessa mai. dist. min. licèt sit actus primus non liber quoad tendentiam reflexam in sui cognitionem, cognitio non præcedit, vt conditio determinans obiectivè ad sui cognitionem, *datur vero aliud determinativum* concedo minorem, *& non datur aliud determinativum*, neg. minorem, & consequentiam propter disparitatem explicatam.

105 Obijc. decimo octavò: decreta Dei sunt veritates obiectivæ contingentes contingentia electionis, & libertatis divinæ; sed hæ veritates nullo modo præcedunt scientiam sui: ergo non omnis veritas contingens Deo, tàm contingentia independente à libertate divina, quàm dependente ab ipsa habet aliquam præcedentiam in genere obiectivo ad scientiam divinam, qua cognoscuntur. Probatur minor. Nullum est caput, vt tales veritates habeant præcedentiam in genere obiectivo ad scientiam sui: ergo dictæ veritates nullo modo præcedunt scientiam sui. Probatur antecedens: nam si aliquod esset caput, maxime, ne læderetur divina libertas, non verificata illa propositione causali *quia existit decretum, Deus illud videt*; sed hoc caput nullum est: quia si decretum sit realiter, & virtualiter scientia visionis sui, intellecta visione decreti in signo ipso decreti, erit necessitas consequens existendi decretum; non minus ac ipsum decretum est necessitas consequens existentiæ sui absque præiudicio libertatis, à qua procedit: ergo nullum est caput, vt prædictæ veritates consistentes in decreto habeant præcedentiam in genere obiectivo ad scientiam sui.

106 Respondeo: vltra titulum libertatis adesse alium, quare decreta Dei debeant præcedere ad scientiam sui, & verificare illam causalem in genere obiectivo: *Quia existunt decreta, videntur à Deo*: scilicet, quod scientia debeat procedere ab intellectu tanquam à principio, & actu primo non libero pro quo est necessarium, actum primum intellectus divini ad talem scientiam esse determinatum, vt accidit in omni agente non libero; sed necessariò; cumque intellectus divinus ex se non sit actus primus determinatus absolutè ad scientiam veritatum contingentium, vt est scientia decretorum, per aliquid debet determinari in actu primo: sed non per ipsam scientiam, quæ ad actum secundum cognoscendi constitutivè pertinet: ergo per veritatem obiectivam illius, quæ est decretum præcedens in genere obiectivo ad eandem scientiam. Vnde ad argumentum nego primam minorem. Ad cuius probationem nego antecedens, sicut, & maiorem syllogismi per quem probatur: nam, vt vidimus, vltra titulum servandi libertatem decreti, datur alia ratio ex parte intellectus probativa præcedentiæ veritatis obiectivæ decreti ad scientiam, per quam cognoscitur.

107 Hæc solutio stando terminis obiectionis satis expedita est: cum sufficiat ad statuendam præcedentiam obiectivam decretorum respectivè ad scientiam, qua cognoscuntur, dari fundamentum efficax ex vno capite; quamvis ex omni non proveniat: verùm cum ex ratione speciali desumpta ex libertate dixerimus, probari præcedentiam obiectivam cunctarum veritatum pendentium à libertate divina ad scientiam Dei, qua cognoscuntur; aliter etiam solvenda est difficultas, ne videamur rationem propositam deserere.

108 Dicendum ergo eſt: ad libertatem ſalvandam in decretis opus eſſe verificari in genere obiectivo cauſalem illam: *Quia exiſtit decretum, exiſtit viſio illius,* ſeu *quia exiſtit decretum, videtur à Deo*: neque decretum, & ſcientiam habere poſſe talem identitatem virtualem, quæ impediat dictam præcedentiam decreti ad ſcientiam. Ratio eſt: quia quomodocumque intellectus divinus identificetur cum divina voluntate, nunquam intellectus divinus *formaliter*, vt talis, liber eſt; ſed ſola voluntas, & etiam quomodocumque identificetur ſcientia divina cum exercitio divinæ voluntatis liberæ, numquam ſcientia eſt *formaliter* libera, vt talis; verùm vt eſt *decretum*: vnde ſemper verificantur hæ propoſitiones in ſenſu *formali ſtricto, intellectus, quia intellectus, non vult; ſed quia voluntas: voluntas, quia voluntas, non intelligit; ſed quia intellectus*; ſicut, & iſtæ: *Cognitio, quia cognitio, non eſt libera; ſed quia decretum, & volitio eſt: Decretum liberum eſt, non quia cognitio; ſed quia decretum, & volitio eſt.* Inde etiam fit, quòd quamvis intellectus, & voluntas; cognitio, & volitio idem ſint; non immutantur quoad hæc, quę *de formali* præſeferunt; ſed ſemper intellectum manere *de ſe indeterminabilem*, quoad ſibi contingentia, niſi aliunde determinetur; & intellectionem ſemper *ex ſe indeterminatam*, niſi per aliud exercitium alterius potentiæ determinetur.

109 Doctrinam forſan alijs difficilem perviam, redet exemplum. Pone probabilem ſententiam identificantem realiter, & virtualiter animam rationalem cum ſuis potentijs ſpiritualibus activis, nempè *intellectu*, & *voluntate*; in qua per conſequens identificantur realiter & virtualiter prædictæ potentiæ *inter ſe*: quo poſito adhùc *verum* tenent hæ propoſitiones: *Intellectus intelligit, non amat; voluntas amat, non intelligit*: Inſuper quamvis intellectus *realiter*, & *virtualiter* identificetur cum principio libero, ſcilicèt *voluntate*, ita retinet, quod ſibi ex propria conditione, & natura intellectus proprium eſt, vt in his, quibus ab evidentia obiecti non rapitur, nec determinetur ad actum ſecundum cognoſcendi, niſi præeunte exercitio libero voluntatis; quin valeat: *intellectus realiter, & virtualiter identificatur cum principio libero: ergo per ſe formaliter, vt intellectus eſt, determinatur ad aſſentiendum his, à quorum evidentia non rapitur.* Et quidem non ob aliam rationem, niſi quia in ordine ad immutandam naturam intellectus, quam dicit *de formali*, perinde ſe habet identitas *realis*, & *virtualis*, ac diſtinctio: ideoque non eſt excogitabilis talis identitas realis, & virtualis inter intellectum, & voluntatem, quæ auferat indigentiam actus voluntatis præcedentis ad exercitium intellectus, quando hic ab obiecto non habet determinationem propter obſcuritatem, aut inevidentiam illius.

110 Ecce igitur, quid ſimile pro ſcientia *divina* in caſu argumenti: dicimus enim nullam eſſe excogitabilem adeò rigidam identitatem *realem*, & *virtualem* inter intellectum *divinum*, & *divinam* voluntatem, nec non inter actus *ſcientiæ*, & *contingentis volitionis*, quæ auferat ab intellectu *non eſſe formaliter liberum*, & in his, ad quorum cognitionem eſt indifferens; indigentiam alicuius *determinativi ex parte actus primi*, quo conſtituatur in ratione *actus primi proximi non liberi*, aut quæ impediat ſcientiæ neceſſitatem præcedentiæ veritatis *obiectivæ* ad ſe ipſam, verificando illam cauſalem de genere obiectivo; *quia eſt obiectum, videtur*, ne aliter principium *ex ſe formaliter non liberum* tranſiret in principium *formaliter liberum* contra propriam naturam, & conditionem intellectus; aut principium *ex ſe formaliter liberum*, in principium *formaliter neceſſarium* contra propriam naturam, & conditionem voluntatis.

111 Per hanc doctrinam generalem defenditur abſque exceptione *cauſalis* illa Patrum: *Res videntur; quia ſunt*; ſicut permanent in ſua vi loquutiones vniverſaliſsimæ Auguſtini ſupra citati: *Cognitio fieri non poteſt niſi cognoſcenda præcedant, præcedit cognitionem, quidquid cognoſci poteſt*: & tollitur confuſio, quæ apud multos invenitur, iam hæc, vel illa excipiendo: quomodo, vt *rem* explicent, maximè confundunt, & in obſcuritate verſantur. Vnde ad formam argumenti permiſſo, quòd præcipuum caput ad tuendam præcedentiam *obiectivam* decretorum Dei ad ſcientiam, qua videntur, negatur *non ſubſiſtere hoc fundamentum*; & ad probationem implicitam in vltima minori, tranſmiſſa acceptione *virtualis* identitatis in ſenſu, quo accipitur ab adverſarijs ſupponentibus poſsibilem diſtinctionem *intrinſecam virtualem*

lem abundè reiectam diſputatione 3. negatur poſſe decretum ita *realiter virtualiter* identificari cum ſcientia viſionis ſui, vt impediatur præcedentia decreti ad ſcientiam, & veritas illius *cauſalis*: *quia exiſtit decretum, videtur per coexiſtentiam decreti, & ſcientiæ in eodem ſigno*: ex qua decretum, & ſcientia fiunt *neceſſitas* tantum *conſequens immediatè*, ac veluti ſi vtrumque eſſet exercitium voluntatis *formaliter*, vt talis, pro cuius intelligentia advocanda eſt doctrina data, quam exemplo ex his, quæ in noſtro intellectu, & voluntate contingunt, deſumpto, confirmavimus.

112 Obijcies decimononò. Saltem veritates contingentes obiectivæ creatæ non præcedunt obiectivè ſcientiam, qua à Deo cognoſcuntur: ergo non cunctæ veritates ea vniverſalitate, qua diximus, habēt præcedentiam obiectivam ad ſcientiam ſibi *formaliter* correſpondentem. Antecedens probatur ex Magno Parente Auguſtino lib. 15. de Trinitate cap. 13. vbi inquit: *Vniverſas creaturas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit; ſed ideò ſunt, quia novit; non enim neſcivit, quæ fuerat creaturus: quia ergo ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit: nec aliter ſcivit creata; quàm creanda: non enim eius ſapientiæ aliquid acceſſit ex his; ſed illis exiſtentibus ſicut oportebat, & quando oportebat, illa manſit, vt erat.* Conſequenter ad ea, quæ docuerat libr. 6. cap. 10. ibi: *Cùm decedant, & ſuccedant tempora, non decedit aliquid, vel ſuccedit ſcientiæ Dei, in qua novit omnia, quæ fecit per ipſam; non enim hæc, quæ creata ſunt, ideò ſciuntur à Deo; quia facta ſunt; ſed potius, ideò facta ſunt, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* Ex quibus videtur conſtare, Sanctum Doctorem non modo præcedentiam rerum obiectivarum ad ſcientiam auferre; verum cauſalem illam invertere affirmando per oppoſitum *res eſſe: quia ſciuntur; non autem ſciri: quia ſunt.*

113 Reſpondeo: ſententiam hanc Sancti Doctoris ab omnibus eſſe conciliandam cum alijs clariſsimis eiuſdem citatis in ſolutione argumenti præcedentis: componant ergo ly *cognitio fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant*: ly *præcedit cognitionem quidquid cognoſci poteſt* ex quibus reſultat cauſalis *res ſciuntur quia ſunt*, cum altera *adverſativa* obiecta *res non ſciuntur, quia ſunt; ſed potius ſunt, quia ſciuntur*: Componant inſuper Auguſtinum cum reliquis Patribus quibus firmiſsima, ſicut & frequens eſt illa *cauſalis, res ſciuntur, quia ſunt* ne incidant in foveam, quam nobis parant.

114 Dicendum ergo eſt pro omnibus: dicta Auguſtini facillimè concordari, quin nobis opponatur, ſi duo ad vertantur. Primum: noſtram concluſionem procedere de præcedentia *obiectiva* veritatum creatarum ad ſcientiam, ſibi *formaliter correſpondentem*, non ad quamcumque ſcientiam. Secundum: Auguſt. loqui in caſu obiecto, non de ſcientia *viſionis* comparata ad res exiſtentes; ſed de ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*, & de *ſcientia conditionata*, quibus dirigitur Deus ad productionem rerum; vnde intentum illius ſolum eſt oſtendere ſcientiam determinatam *obiectivè* per res ipſas creatas in vno ſtatu, ſcilicet *poſſibili*, & *conditionato*, habere præcedentiam ad res ipſas conſideratas in alio ſtatu, ſcilicèt *exiſtentiali*, & *abſoluto*, quomodo tunc verificatur *res potius eſſe: quia ſciuntur; quàm ſciri, quia ſunt*, quod nobis nullum præiudicium infert aſſerentibus duntaxat: *Veritates obiectivas ſecundum ſuos ſtatus præcedere obiective ad ſcientias ſibi formaliter correſpondentes*: quidquid ſit: an ſcientia vnius *ſtatus* poſsit cauſare rem in alio *ſtatu*, & in hoc ſenſu illam præcedere: quod ex vna parte non tollit ſcientiam Dei *contingentium* vltimò reſolvi in determinativum obiectivum creatum, ex quo incipit ſeries ſcientiarum *contingentium*; & ex altera benè componi ſententiam Auguſtini dicentis iam *obiecta præcedere ad ſcientiam, qua cognoſcuntur*, id eſt *ad ſcientiam ſibi formaliter correſpondentem*, ſecundum ſtatum in quo conſiderantur, iam *ſcientiam præcedere obiecta*: id eſt *obiecta, prout ſcita, ſecundum vnum ſtatum, præcedere ad ipſa ſecundum alium.*

115 Reſponderi poteſt ſecundò, & fortè alijs expeditius: D. Auguſtinum, dum negat illam cauſalem *res ſciuntur quia ſunt*, loqui de *ſtricta, & phiſica cauſalitate*; non de *obiectiva*, & purè *determinativa*, quam conceſsit, cum alijs in locis tribuit obiectis præcedentiam ad ſcientiam, vt cognoſcantur, & ſcientiæ repræſentativæ illorum impoſsibilitatem, vt ſine ea præcedentia poſsit exprimere: dum verò per oppoſitum firmat aliam cauſalem; *res ſunt, quia ſciuntur*, procedit de *ſtricta cauſalitate*, quam habet ſcientia in tota ſua la-

latitudine considerata ad res, vt *existentes*, vt potè quæ dirigit divinam voluntatem, & potentiam, vt sic vel aliter disponat, & ad executionem producat. Vbi nihil nobis adversum, qui præcedentiam *obiectivam* non vt *strictè causalem* ponimus; sicut nec ipse Augustinus posuit, quamvis non dubitaverit, semel, & iterum eam præcedentiam obiectorum ad scientiam statuere: pro cuius pleniori intelligentia eisdem modis venit interpretandus Divus Gregorius libr. 20. Moralium cap. 24. dum dixit: *Quæcumque sunt, non ideo ab æternitate videntur: quia sunt; sed ideo sunt: quia videntur.*

116 Objicies vigesimò. Argumentum, quo vtitur Godoy contra sententiam nostram. Creatura seu *veritas obiectiva creata* tantum potest terminare *divinam* intellectionem; sed purè terminare non est præcedere *determinativè* ad divinam cognitionem: ergo nulla veritas obiectiva creata potest obiectivè præcedere ad divinam cognitionem. Probatur maior, ad quam reducitur difficultas: creaturam exercere aliquid in *divinam* scientiam vltra hoc, quod est purè terminare, est exercere aliquam veram causalitatem in *divinam* cognitionem: sed creatura nullam veram causalitatem exercere valet in divinam cognitionem: ergo creatura, sivè veritas obiectiva creata tantum potest terminare divinam intellectionem. Minor est certa: cū incausabile, vt est *divinum* nullam possit terminare veram causalitatem Probatur maior. Omne exercitium veritatis *obiectivæ* in cognitionem, quod non sit ipsam causare, non est extra rationem purè terminandi: ergo creaturam exercere aliquid in divinam scientiam, vltra hoc, quod est purè terminare est exercere aliquam veram causalitatem in divinam cognitionem.

117 Confirmatur primò. Movere ad cognitionem *activè* sumptam cum præcedentia, est impellere ad cognitionem *cum influxu*; sed impellere ad cognitionem *cum influxu*, est *propriè* causare cognitionem: ergo veritatem obiectivam creatam præcedere *determinativè* ad divinam cognitionem, est exercere in ipsam veram causalitatem, & influxum. Confirmatur secundo: obiectum creatum præcedere ad cognitionem *divinam determinativè*, est cognitionem divinam esse ab obiecto creato cum *posterioritate* sui *à quo* ad obiectū, & cum *prioritate à quo* huius ad cognitionem; sed *posterioritas*, & *prioritas à quo* est *posterioritas*, & *prioritas influxus*, ac per consequens *veræ causalitatis*: ergo obiectum creatum præcedere *determinativè* ad divinam cognitionem non estat, quin exerceat in ipsam *verum influxum*, & veram causalitatem: vnde cognitio *divina*, quæ, vt talis, *ens à se* est, fiet *ens ab alio*, quod cum perfectione *divina* stare nequit. Confirmatur tertiò: omnis *influxus* reducitur ad aliquam *veram causalitatem*; sed obiectum *vere obiectivè* præcedere ad scientiam sibi *formaliter* correspondentem, est *verè obiectivè* influere: ergo eius *influxus* reduci debet ad aliquam veram causalitatem, quam cum terminare nequeat *divina* scientia incausabilis, erit commentitius, & chymericus talis influxus.

118 Ante solutionem scire velem ab adversarijs: *An bonitas creata tantum debeat terminare actus divinæ voluntatis, vel non?* Si secundum. Cur veritas creata impotens erit aliud in *divinam* cognitionem exercere, quàm purè terminare; quando, tam distans est veritas *obiectiva* creata à *divina* cognitione; quàm bonitas *obiectiva creata à divina* volitione? Si primum: id videtur apertè falsum in multis bonis creatis, quæ se habent, vt *motivum divini decreti*; Imò cum præcedentia *causalitatis finalis*, aut *moralis* ad ipsum: ideò dicitur à Divo Thoma pleno ore ac in 3. sententiarum dist. 1. q. 1. & in 3. part. quæst. 1. art. 3 Christum Dominum non venturum in vi præsentis decreti, homine non peccante, eo, quòd præcipuum motivum decreti, quo Deus de facto decrevit Incarnationem Verbi, fuit redimere homines à culpa *originali*; cessante autem motivo decreti, nequit decretum persistere: vndè primo homine non peccante, Verbum in vi præsentis decreti carnem non assumeret; sed redemptio generis humani, sivè *passivè* sivè *activè* sumpta est bonum finitum: ergo bonum finitum non purè terminat; sed movet divina decreta: pariter dicitur eandem redemptionem esse *motivum finale*, quod, vt tale, aliquem influxum debet præstare in *decretum intentivum*, & medio ipso in *decretum executivum* mediorum ad talem finem: neque enim aliter finis movet ad media; quàm movendo, tum ad voluntatem *electivam*, tum ad *exequutivam* mediorum.

119 Nec

119 Nec novum esse potest Deum intendere fines creatos, movendo se ex ipsis, quomodo cōstat ex Scriptura præintendere pœnitentiam, & ex fine illius eligere media *eligibilia*, aut permittere media *permissibilia*, præintendere gloriam electorum, & ex fine illius eligere media proportionata, quæ sine aliquo influxu, & præcedentia illius, quod bonum creatum, & finitum est, componi nequeunt. Idque expressit Apostolus 1. ad Corinthios cap. 7. dum de se dixit: *Misericordiam consequutus à Domino, vt sim fidelis* explicans motivum, & finem, quem Deus habuit in exercenda misericordia erga ipsum. Clarius adhùc cernitur in influxu, & causalitate meriti in præmium, qui secundum Div. Thomam, & communem sententiam Theologorum reducitur ad genus causæ efficientis moralis, nec aliter movet ad præmium, quàm præstando aliquem influxum, media præcedentia, quam habet in prævisione sui, ratione cuius fundat hanc causalem *Deus confert præmium quia est meritum*: constet: ergo bonitatem creatam præstare potentiæ aliquem influxum, & habere aliquam præcedentiam respectu actuum *divinæ* voluntatis: cur igitur quid simile erit repugnans in bonitate finita *respectivè* ad actus *divini* intellectus.

120 Ad argumentum nego primam maiorem. Ad cuius probationem nego maiorem. Namque non est exercere veram causalitatem in cognitionem divinam habere tantum præcedentiam obiectivam, & in eo genere esse conditionem *sine qua non* actus primus intellectus divini erit determinatus ad actum *secundum* cognoscendi: cum omnis causalitas vera, & propria reducatur in aliquam actionem physicam, qua deficiente remanet causalitas, & influxus omnis cum alienatione, & improprietate, quod benè videns Damascenus adductus supra numero 48. præmisit ante influxum obiectivum, quem tradit erga scientiam Dei: *Vim Dei præscientem à nobis haud quaquam causam habere*, prosequens, *at verò, vt ea, quæ facturi sumus, præsciat, a nobis proficiscitur*, bene componens scientiam divinam tendentem in nostras actiones liberas à nobis proficisci *determinativè*, scilicèt, & *obiectivè* citra omnem causalitatem, & proprium influxum; vnde ad vltimam probationem distinguendum est antecedens: omne exercitium veritatis obiectivæ in cognitionem, *quod non sit ipsam causare proprie, vel impropriè* non est extra rationem purè terminandi concedo antecedens, *quod non sit ipsam causare propriè*, nego antecedens, & consequentiam.

121 Inde confirmationes facilè etiam solvuntur. Ad primam distinguo maiorem: *movere* ad cognitionem *activè* sumptam cum præcedentia, est impellere ad cognitionem cum *influxu proprio, vel improprio* concedo maiorem; *determinatè proprio* nego maiorem, & distinguo minorem: impellere ad cognitionem cum *influxu proprio* est propriè causare, concedo minorem: cum *influxu lato, & improprio* nego minorem, & consequentiam. Est dicere: pro modo influxus est causalitas saltem in principio operante extra Deum; ideò si influxus fuerit *proprius*, propria erit causalitas; si verò improprius, vt est influxus obiectivus, tantum impropria, & *alienativè* erit causalitas, in qua nullum est inconveniens. Pariter dicendum ad secundam: etiam pro modo influxus esse metiendam prioritatem, & posterioritatem, ita, vt si influxus sit strictus, & *proprius, prioritas*, & *posterioritas* sit etiam *stricta*, & *vera causalitas*; si verò *influxus* sit tantum *improprius*, & *alienativè* acceptus, vt est *influxus obiectivus, prioritas*, & *posterioritas* correspondens ipsi, erit *impropria*, & *alienativè accepta*, quomodo est extra rationem strictæ causalitatis per quam solam divina cognitio traduceretur à proprio conceptu *entis à se* ad conceptum *entis ab alio*.

122 Ad tertiam dicatur: omnem influxum reduci ad aliquam causalitatem *propriam*, vel *impropriam* pro modo *influxus*, taliter, vt si influxus sit *proprius* reducatur ad *propriam causalitatem*, saltem extra Deum; si autem sit *improprius* tantùm subibit reductionem ad causalitatem *impropriè*, & *alienativè* acceptam, qualiter dicendum est in exemplis appositis de *fine movente* divinam intentionem, & electionem, & de *merito movente* in genere causæ efficientis moralis ad decernendum præmium, in quibus quidquid difficul-

ta-

tatis appareat contra noſtrum aſſertum, vinci debet, & abſque diſſonantia vlla admitti. Vbi etiam rememorandum: Patres aliquos non veritos fuiſſe nomen *cauſæ* relatè ad ſcientiam divinam abſolutè tribuere rebus ſcitis. Recolantur dicta ſupra numero 46. Vbi invenietur contrapoſitio illa influxus rerum, & ſcientiæ explicata ſub his terminis *non cauſa eſt eius quod futurum eſt prænotio; ſed quod futurum eſt, cauſa eſt prænotionis.*

***



DISPV-

JHS.

DISPUTATIO OCTAVA.

DE SCIENTIA VNIVS IN ALIO, & ex alio.

CAPVT I.

An Deus intra se considera-tus cognoscat vnum in alio, seu vnam formalita-tem in alia.

1 COGNOSCI vnum in alio, provt contradistinctum à cognosci vnum ex alio, est per eandem cognitionem attingi vnum, & aliud ex determinatione vnius, id est, ita, vt vnum sit ratio obiectiva, cui innitatur intellectus ad attingendum vtrumque. Iam quæstio est: an Deus in essentia sua cognoscat omnia reliqua prædicata, tàm absoluta, quàm relativa, & è converso; necnon ipsas formalitates, tàm absolutas, quàm relativas mutuò inter se per determinationem obiectivam vnius ad cognoscendas reliquas? In qua communis sententia videtur affirmare in omni latitudine proposita, quam defendit Herrera quæst.6.de Scientia,sectione 1.cum Alarcon disputatione 2.de Scientia, & alijs. Limitant ad sola prædicata relativa,Arriaga 1.part. disputatione 18. sectione 2. Ribas disputatione 3. capite 2. Ribadeneyra disputatione 4.de Scientia cap.4. Pro negativa sententia stat Ruiz disputatione 5. de Scientia sectione 2. Tantum admittens Deum cognoscere relationes vnam in alia mutuo inter se. Ast Pater Izquierdo absolutissimè negat quoad omnia asserens, nec Deum cognoscere in sua essentia prædicata absoluta aut relativa; neque è converso, sicut neque absoluta, aut relativa inter se, sic disputatione 24. de Deo,quæstione 2.propositione 1.& 2.

2 Sit conclusio: Deus cognoscit in sua essentia omnia sua prædicata tàm absoluta, quàm relativa, & è converso suam essentiam in omnibus suis prædicatis, sivè absolutis, sivè relativis, tàm *complexim*, quàm *divisim* acceptis. Probatur. Essentia divina identificatur realiter cum omnibus suis prædicatis, tàm absolutis; quàm relativis: ergo Deus cognoscit in sua essentia omnia sua prædicata, tàm absoluta, quàm relativa, & è converso suam essentiam in omnibus suis prædicatis, sivè absolutis, sivè relativis, tàm *complexim*, quàm *divisim* acceptis. Antecedens constat ex fide. Probatur consequentia. Cognosci vnum in alio est per eandem cognitionem attingi vnum ex determinatione obiectiva alterius: sed si essentia identificatur realiter cum omnibus suis prædicatis, tàm absolutis; quàm relativis, quodvis, sivè *complexim*, sivè *divisim* cognoscitur ex determinatione *obiectiva* essentiæ, & è converso: ergo si essentia divina identificatur realiter cum omnibus suis prædicatis, tàm absolutis,quàm relativis cognoscit Deus essentiam, & attributa modo dicto. Maior constat ex acceptione cognitionis vnius in alio. Probatur minor. Si essentia divina identificatur realiter cum omnibus suis prædicatis, tàm absolutis; quàm relativis, essentia divina est ex se determinata,vt sit cum omnibus suis prædicatis, sivè absolutis, sivè relativis, & quodvis prædicatum, sivè absolutum, sivè relativum, tàm complexim, quàm divisim consideratum est ex se determinatum,vt sit cum essentia; sed determinatio vnius ad esse alterius est obiectiva determinatio, dum cognoscitur, ad cognoscendum esse alterius, cum implicet cognosci vnum, vt determinatum ad coexistendum alteri, & non esse rationem obiectivam cognoscendi aliud: ergo si essentia identificatur realiter cum omnibus suis prædi-

dicatis, tam absolutis, quàm relativis, quodvis, sive complexim, sive divisim acceptum cognoscitur ex determinatione obiectiva essentiæ, & è converso.

3 Explicatur. Fundamentum obiectivum, sive per identitatem, sive per connexionem inseparabilitatis vnius ab alio in existendo est fundamentum obiectivum assentiendi termino inseparabilitatis, sive per identitatem, sive per connexionem; sed fundamentum obiectivum assentiendi termino tanquam determinatio obiectiva ad existendum cum illo est fundamentum obiectivum movens intellectum ad assentiendum illi: ac proinde ducens intellectum in vi suæ veritatis ad præstandum assensum veritati alterius: ergo fundamentum obiectivum, sive per identitatem, sive per connexionem inseparabilitatis vnius ab alio in existendo, est fundamentum obiectivum in quo cognoscitur terminus. At essentia Divina, provt identificata cum quovis divino prædicato, & quodvis divinum prædicatum, provt identificatum cum essentia, est fundamentum obiectivum per identitatem inseparabilitatis essentiæ divinæ à reliquis prædicatis Dei, & horum, quomodocumque accipiantur, ab essentia: ergo tam essentia divina est fundamentum obiectivum, in quo cognoscuntur reliqua divina prædicata; quàm hæc, in quo cognoscitur divina essentia.

4 Vrgetur: Deus in obiectivo essentiæ cognoscit, vel formaliter, vel æquivalentèr, quòd si existat essentia, existet quodvis aliud prædicatum, sive absolutum, sive relativum identificatum cum essentia: insupèr in quocumque prædicato, sive absoluto, sive relativo cognoscit, sive formalitèr, sive æquivalenter, quod si illud existat, existet essentia: deinde in obiectivo essentiæ cognoscit existere essentiam, & in obiectivo cuiusque prædicati, sive absoluti, sive relativi cognoscit illud existere; sed cognoscere, sive formaliter, sive æquivalenter in aliquo obiectivo conditionalem, & purificationem conditionis est cognoscere conditionatum in illo: ergo Deus in obiectivo essentiæ cognoscit reliqua prædicata absoluta, & relativa, & in obiectivo talium prædicatorum suam Divinam essentiam.

5 In hanc formam reduci valet communis probatio, quæ sic se habet. Omne cognitum, vt identificatum cum alio obiectivè demonstrat aliud; sed essentia divina cognoscitur ab intellectu Dei, vt identificata cum omni prædicato absoluto, & relativo, & quodvis prædicatum absolutum, & relativum cognoscitur similiter, vt identificatum cum essentia divina: ergo tam essentia divina obiectivè demonstrat prædicata absoluta, & relativa, & hæc obiectivè demonstrant divinam essentiam. Tum sic: cognoscere vnum per eandem cognitionem ex demonstratione obiectiva alterius est cognosci vnum in alio; sed prædicata absoluta, & relativa cognoscuntur ex demonstratione obiectiva essentiæ per eandem cognitionem, sicut etiam essentia ex obiectiva demonstratione tallum prædicatorum: ergo tam essentia cognoscitur à Deo in prædicatis absolutis, & relativis; quàm hæc in divina essentia.

6 Probatur secundò. Omne cognoscibile cognoscitur à Deo omni eo modo, quo potest terminare divinam cognitionem absque imperfectione; sed tam essentia, quàm prædicata absoluta, & relativa sunt cognoscibilia, & tam in se, quàm in alio possunt terminare divinam cognitionem absque imperfectione: ergo tam in se, quàm in alio eam defacto terminant: ac per consequens essentia cognoscitur à Deo, tàm in se, quàm in reliquis prædicatis, & reliqua prædicata, tàm in se, quàm in divina essentia. Maior est certa, ex infinita perfectione, & vi cognoscitiva intellectus divini, quem subterfugere non valet omnis modus cognoscendi absque imperfectione, vt sic satisfaciat cognoscibilitati passivæ obiectorum, quæ respicit. Probatur minor. Essentia, & reliqua prædicata divina eo modo sunt cognoscibilia, quo habent fundamentum obiectivum, vt sibi præstetur assensus infallibilis; sed tam in se, quàm in alio habent fundamentum obiectivũ, vt sibi præstetur assensus infallibilis, propter inseparabilitatẽ metaphisicam, quam inter se dicunt: ergo tam essentia, quàm reliqua prædicata divina possunt in se, & in alio terminare divinam cognitionem. Deinde in hoc modo attingentiæ nulla est imperfectio, tum: quia cognitio non extrahitur à Divino motivo, tum etiam: quia nullam involvit obscuritatem, aut præcisionem, cum potius procedat ex determinatione, & manifestatione omnium formalitatũ, quæ

sunt

sunt in Deo: ergo tam essentia, quàm prædicata absoluta,& relativa sunt cognoscibilia, & tam in se, quàm in alio possunt terminare divinam cognitionem absque imperfectione.

7 Confirmatur à paritate. Nam quia creaturæ non modo cognoscibiles sunt in se ipsis; verùm in Deo, Deus cognoscit ipsas non tantum in se ipso; sed etiam in se ipsis: ergo quia essentia divina, & reliqua prædicata non tantum cognoscibilia sunt in se; sed insuper in alio ex determinatione cuiusvis prædicati divini ad existendum cum essentia, & huius ad existendum,tam cum quocumque prædicato divino, quàm cum omnibus,quæ ad esse divinum spectant, Deus tam in se, quàm in alio ea omnia cognoscit: nec aliter cognoscibilitati passivæ obiecti, & perfectioni infinitæ divini intellectus fiet satis.

8 Ex his fundamentis colligitur: quid dicendum sit de prædicatis divinis absolutis comparatis inter se, & cum relativis, & de relativis comparatis inter se, & cum absolutis, quæ omnia mutuo sub omni hac comparatione cognoscuntur in alijs propter mutuam determinationem, quam inter se habent, vt vnum sine altero, vel identicè *immediatè*, vel identicè in *tertio*, vel saltem *connexivè* esse non possit: vnde quovis cognito per se manifestat existentiam alterius, & est fundamentum obiectivum potissimum, vt divinus intellectus, eo innitendo præstet alteri assensum: quod est formalissimè vnum in altero cognoscere, & sub tali modo Scientiam Dei amplissimam, & vniversalissimam terminare.

9 Obijcies primò fundamentum, quod movit Izquierdo ad negandam inter Deum, seu inter divina prædicata cognitionem vnius in alio, & ita ab ipso proponitur numero 17.quæstionis citatæ.Repugnat cognosci vnum in alio, quando non sunt vnum, & aliud relatè ad cognitionem; sed formalitates identificatæ realiter formaliter, etsi virtualiter sint distinctæ, relatè ad alia munera, in ordine ad intuitionem sui perfectissimam, qualis est cognitio divina, non sunt vnum, & aliud; sed prorsus idem, cum non sint duo obiecta; sed vnum, quod eodem modo, & sine diversitate prædicatorum quoad cognosci per Scientiam divinam debet attingi: ergo repugnat cognosci vnam formalitatem in alia, quando ambę realiter formaliter idem sunt. Maiorem supponit, vt certam ex ipsis terminis: Nam quomodo poterit esse cognitio vnius in alio sine vno, & alio relate ad cognitionem, quod essentialiter pro modo cognitionis vnius in alio requirit. Probat deinde minorem ex doctrina benè accepta pluribus Theologis, qui licèt concedant distinctionem virtualem intrinsecam inter divinas formalitates quoad munera illa diversa concedenda ex fide, & quæ sine diversitate prædicationum stare non possunt; secus quoad alia munera qualia sunt: *Cognosci hoc modo: non cognosci hoc modo: terminare hunc modum tendendi intentionaliter: non terminare illum*; & alia huius generis, quæ concedere fides non cogit: ergo cum cognitio vnius in alio stare nequeat sine diversitate vnius, & alterius quoad terminandam cognitionem, qua vnum in alio cognoscitur: Inde, licèt quoad alia munera potentia ex fide, disconvenientia aliqua sit admittenda in divinis formalitatibus; quoad munus verò terminandi cognitionem divinam omninò est relegandа, & duntaxat summa vniformitas concedenda, quæ non stat cum eo, quod vna formalitas cognoscatur in alia.

10 Confirmat, & simul penitus explicat vim suæ rationis: siquidem tunc solum cognoscitur vnum in alio, quando primum ad cognitionem vtriusque determinat; secus secundum: sed repugnat primum, & non secundum ad cognitionem determinare quando primum, & secundum relatè ad ipsam cognitionem sunt prorsus idem, quomodo evenit divinis formalitatibus; alias duo contradictoria; videlicet *determinare, & non determinare ad sui cognitionem*, verè de eodem dicerentur,quod impossibile est censendum dum non vrgeat fides: ergo repugnat omninò, quod Deus intra se vnum in alio cognoscat.Ratio proposita tam vehementer impulit doctissimum Magistrum,vt adhùc inter relationes divinas comparatas inter se noluerit concedere cognitionem vnius in alia; nam licèt relationes personales distinguãtur inter se non modo virtualiter; verùm, & realiter,tamen propter identitatem realem, quam dicunt in essentia,inquit non pos-

ſe cognoſci vnam in alia; ne inde refundatur aliqua diſconvenientia quoad cognoſci inter eſſentiam, & relationes ex qua verificetur movere relationem, & non movere eſſentiam cognitionem qua vna relatio cognoſcatur in alia.

11 Probat argumentum, prout iudico: Deum non modo non cognoſcere vnum in alio, verum nec cognoſcere intra ſe vnum, & aliud, ſenſu quo communiter, & vere dicitur: Deum non cognoſcere ſolam eſſentiam ſuam; ſed inſuper attributa, tàm abſoluta, quàm relativa. Non cognoſcere tantum vnum attributum ſuum; v.g. *Omnipotentiam*; ſed etiam reliqua, ſcilicèt *Iuſtitiam, Miſericordiam*, &c. nam vbi ſolum aliquid non cognoſcitur, cognoſci debet aliquid vltra illud: ac proinde relate ad cognitionem, & eſt vnum, & aliquid vltra illud, quod ſine vno, & alio aliquomodo relatè ad cognitionē ſtare nequit; ſed per te in intrinſecis Dei nullo modo eſt vnū, & aliud relate ad divinam cognitionem: ergo neque Deus cognoſcit eſſentiam ſuam, & attributa abſoluta, & relativa, neque vnum, & alterum attributum; ſed præcisè, aut eſſentiam ſuam incognitis attributis abſolutis, & relativis, aut vnū attributum, vel abſolutum, vel relativū incognitis eſſentia, & reliquis attributis.

12 Inde ſolutio ſit, quod ad hoc, vt Deus intra ſe cognoſcat vnum, in alio, non eſt neceſſarium, quod detur vnum, & aliud poſitivè realiter; ſed tantum negativè, in quantum verificetur non dari in Deo precisè realiter eſſentiam; ſed inſuper realiter attributa abſoluta, & relativa; nec vnum ſolum attributum; v. g, *Omnipotentiam*; ſed inſuper alia id eſt *Miſericordia, Iuſtitia, &c.* Vlterius neque eſſe præcisè determinatum, vt ſit realiter id quod eſt ratione eſſentiæ; verùm ratione attributorum, & ſic mutuò conſiderando attributa inter ſe, vnde cognoſcat Deus *ſe eſſe Deum, & alia, quia eſt Omnipotens, & eſſe Omnipotentem: quia eſt Deus, & alia*, neque in hoc eſt vlla diverſitas prædicationum relatè ad cognitionem, quę vllam diſtinctionem virtualem intrinſecam arguat in obiecto, aut cognitione ſiquidē quidquid verificatur de vna formalitate verificatur de omnibus eo modo acceptis; ſcilicèt, eſſentia immēſitas, & reliqua attributa ſunt Omnipotentia; v.g. determinans ad cognitionem omnium, & ſic de alijs comparativè ad totum reſultans ex omnibus, & ad quamcumque quaſi partem illius, quæ omnia facilè componuntur abſque contradictione vlla prædicatorum.

13 In confirmatione nimis fallitur arguens: Nam quamvis, vt vnum cognoſcatur purè, & præcisè in alio, opus ſit primum determinare ad cognitionem vtriuſque; ſecus ſecundum; non ſic quando vnum ſic cognoſcitur in alio, vt non purè, & precisè ita cognoſcatur; ſed vltra cognoſcitur in ſe, tunc enim ita verificatur vtrumque cognoſci ex determinatione vnius, vt etiam verificetur vtrumque cognoſci ex determinatione alterius. Ratio eſt: quia quando determinatio, vt vnum ſit cum alio, eſt mutua, tàm vnum debet eſſe fundamentum, vt cognoſcatur aliud; quàm è contra, quod quidem maiorem difficultatem ingerere non poteſt, ac quod etſi aliquando connexio inter duo extrema ſit non mutua, & ideo tunc verificet: *vnum præcisè infert aliud; ſecus alterum hoc*; tamen quando mutua eſt id non verificet; imò potius de quovis ex connexis æqualiter valeat dici: *Hoc non poteſt eſſe ſine alio*, ſublata per reciprocam connexionem diſconvenientia illa; *ſecus alterum ſine hoc*: Ex quo iterum deficit diſconvenientia illa in obiecto reſpectivè ad cognitionem, quam confirmatio intendebat adſtruere firmius, quàm argumentum ipſum, aut fundamentalis ratio Subtilis, & Sapientiſsimi Magiſtri.

14 Obijcies ſecundò. Vna formalitas intra Deum non aliter poteſt movere ad cognitionem alterius, quàm in vi identitatis realis, quam cum altera dicit: ſed movere in vi identitatis realis, quam cum altera dicit impedit cognitionem vnius formalitatis in alia: ergo intra Deum non poteſt dari cognitio vnius in alio. Maior videtur certa: ex eo, quòd vna formalitas in divinis eatenus poteſt movere ad cognitionem alterius, quatenus eſſe vnius eſt determinatum ad eſſe alterius; ſed non aliter eſſe vnius eſt determinatum ad eſſe alterius niſi in quantum eſſe vnius identicè realiter eſt eſſe alterius, cum connexio, quæ eſt alter modus determinationis vnius ad aliud non inveniatur, niſi inter diſtincta realiter: ergo vna formalitas intra Deū non aliter poteſt movere ad cognitionem alterius; quàm in vi identitatis realis, quam cum altera dicit. Iam probatur minor. Identitas realis vnius, & alterius formalitatis ſumpta formali-

ter

ter est esse vnius ; & alterius , quæ identificantur; sed esse vnius , & alterius movens ad cognitionem vnius impedit cognitionem vnius formalitatis in alia : ergo movere in vi identitatis, quam vna formalitas cum altera dicit, impedit cognitionem vnius formalitatis in alia. Probatur minor. Movere pro in diviso esse vnius , & alterius ad esse vtriusque , est vtrumque movere ad cognitionem cuiusvis , & neutrum esse sufficiens ad cognitionem alterius; sed movere pro indiviso esse vnius , & esse alterius ad esse vtriusque, & vtrumque movere ad cognitionem cuiusvis, quin neutrum sit sufficiens ad cognitionem alterius , impedit cognitionem vnius formalitatis in alia : ergo esse vnius, & alterius movens ad cognitionem vnius impedit cognitionem vnius formalitatis in alia.

15 Inefficacia obiectionis , vt omnem cognitionem vnius in alio intra se à Deo removeat, clara est , cum nequeat comprehendere divinas relationes in quibus pro distinctione reali, qua gaudent inter se, deficit totum fundamentum desumptum ex identitate reali; supereſt namque vltra determinationem identitatis, alia connexionis , ex qua vna divina persona obiectivè proposita ostendat aliam propter inseparabilitatem metaphificam , quam ab ipsa dicit. Vnde constat maiorem argumenti vniversaliter acceptam esse falsam; verùm hoc transmisso.

16 Respondebit aliquis. Identitatem realem duorum posse considerari adæquatè & inadæquatè : si primo modo consideretur , claudit pro indiviso esse vnius & alterius ; atsi consideretur secundo modo, tantùm dicit esse vnius determinatum ad esse alterius, quomodo potest esse ratio obiectiva movens ad cognitionem alterius; quin pro indiviso moveat esse vtriusque ad cognitionem cuiusvis. Sed contra: quia in intellectu divino non admittente ob suam perfectionem præcisionem aliquam, aut inadæquationem in claritate exprimendi obiectum, semper remanet difficilis hæc inadæquatio identitatis realis, cum non se teneat ex parte obiecti in quo realiter non est vna , & altera pars identitatis realis constitutæ per esse indivisum realiter; neque ex parte cognitionis divinæ, in qua nulla residet præcisio, aut modus inadæquatus exprimendi: aliter ergo solvi debet argumentum; aut saltem maior huius inadæquationis explicatio desideratur.

17 Vera difficultatis solutio adhibenda est, retenta doctrina iam insinuata; nimirum quod sicut identitas realis essentiæ cum attributis, aut vnius attributi cum alio non impedit sensum realem in quo verificetur , illud , quod cum altero realiter identificatur non esse præcisè realiter illud ; sed illud , & aliud; v.g. *Essentia Dei identificata realiter cum Omnipotentia, immensitate, &c. non est præcisè realiter essentia; sed etiam Omnipotia Immensitas, &c.* aut: *Omnipotentia identificata realiter cum Immensitate , Iustitia, &c. non est præcisè realiter Omnipotentia; verum vlterius realiter Immensitas , Iustitia, &c.* Sic in sensu reali etiam verificatur: *Essentia divina non est præcisè realiter determinata, vt sit essentia, quia essentia est ; sed quia est realiter Immensitas , Omnipotentia, &c.* aut *Omnipotentia non est præcisè realiter determinata, vt talis sit, quia est Omnipotentia; verum quia est Immensitas Paternitas, &c.* sed eo modo , quo est verum , esse aliquid realiter determinatum , vt sit aliud, in ipso, prout cognito cognoscitur aliud : ergo identitas realis vnius divinæ formalitatis cum alia non impedit; sed potius fovet cognitionem vnius in alia.

18 Hinc: licèt in identitate reali duorum non detur inadæquatio realis positiva , quæ in constitutivis realiter distinctis consistit; tamen dari potest inadæquatio realis formalis negativa consistens in eo, quod quodvis ex identificatis realiter non sit præcisè realiter id quod cum alio identificatur , aut non sit præcisè realiter aliud , quod secum identificat : & vltra dari etiam potest inadæquatio realis virtualis positiva, hoc est , æquivalentia ad realiter distincta , & connexa in munere determinandi cognitionem sui , & alterius, quæ ex modo tendendi præstet assensum vtrique extremo realiter identificato non modo intentionaliter indivisim movendo se ex existentia vtriusque; sed intentionaliter divisim movendo se ex existentia cuiusvis ad assentiendum vtrique hoc modo tendendi: *Datur essentia cum attributis propter esse essentiæ , & attributorum , datur essentia cum attributis , quia datur essentia. Datur essentia cum attributis : quia dantur attributa, tàm complexim , quàm figillatim.*

19 Ad formam argumenti permissa, & non concessa maiori propter rationem insinuatam ante solutionem. Nego minorem : Ad cuius Probationem. Distinguo maiorem identitas realis vnius, & alterius formalitatis sumpta formaliter est esse vnius, & alterius formalitatis: *Cum exclusione inadæquationis realis formalis negativæ, aut inadæquationis realis virtualis positivæ cuiusvis*: Nego maiorem. *Cum inclusione inadæquationis realis formalis negativæ, & realis virtualis positivæ cuiusvis*: Concedo maiorem. Et distinguo minorem esse vnius, & alterius *inadæquatè formaliter negativè*, aut *virtualiter positivè* movens ad cognitionem vnius impedit cognitionem vnius formalitatis in alia: Nego minorem. Esse vnius, & alterius *adæquatè formaliter negativè*, aut *virtualiter positivè* impedit cognitionem vnius formalitatis in alia, subdistinguo; impedit *positivè*, nego minorem: impedit *præcisivè*, aut *negativè*, in quantum ille modus se movendi ab esse vnius, & alterius non exprimit formaliter cognitionem vnius formalitatis in alia: concedo minorem, & nego consequentiam. Ad vltimam minoris probationem. Distinguo maiorem: movere pro indiviso esse vnius, & alterius *inadæquatè negativè formaliter*, aut *positivè virtualiter* ad esse vtriusque est vtrumque movere ad cognitionem cuiusvis, & neutrum sufficere ad cognitionem alterius nego maiorem; movere pro indiviso esse vnius, & alterius *adæquatè, tàm negativè formaliter*; quàm *positivè virtualiter*: Concedo maiorem, & sub eisdem terminis distincta minori. Negatur consequentia. Est dicere moveri ex toto esse reali essentiæ, & attributorum ad assentiendum essentiæ, & attributis: quia illud esse essentia est, est cognoscere attributa in essentia: moveri ex toto illo esse reali ad assentiendum essentiæ, & attributis: quia illud esse, aut vnum attributum, aut omnia attributa est, est cognoscere essentiam in attributis; & denique moveri ex toto illo esse reali ad assentiendum essentiæ & attributis: quia illud *esse* est essentia, & attributa est cognoscere essentiam, & attributa in se ipsis.

20 Si autem insistant: hæc non posse accidere absque aliqua præcisione in intellectu divino. Facilè reijciuntur: Nam cum cognitio divina non præcisè sistat in vno modo cognoscendi obiectum secundum realitatem, quam habet; sed illud omni modo, quo est cognoscibile, attingat, nimirum in se, & in alio; quia modus cognoscendi illud in se separetur à modo cognoscendi illud in alio; neque è contra, nunquam in divina cognitione est aliqua inadæquatio claritatis in attingentia obiecti, seu modus aliquis attingendi separatus ab alio, & ideo quævis partialitas, seu inadæquatio se tenet ex parte nostri intellectus, qui cognitionem divinam iam sub hoc iam sub illo respectu consideramus, ac si vnus sine alio in ipsa inveniretur.

21 Obijcies tertiò. Si Deus cognosceret in essentia attributa absoluta, & relativa, pro signo quo intelligitur essentia in Patre, aut pro signo, in quo primò intelligitur essentia, cognosceret Deus Filiationem; sed pro signo, in quo intelligitur essentia in Patre, aut pro primo signo, in quo intelligitur essentia, Deus non cognoscit Filiationem: ergo neque cognoscit in essentia attributa absoluta, & relativa. Maior est certa: propterea quod medium obiectivum, in quo aliud cognoscitur, aut non intelligitur, aut si intelligatur, ostendit aliud. Probatur minor: Pro illo signo non cognoscitur Filiatio cognita essentia, pro quo non potest intelligi identitas essentiæ cum Filiatione; sed pro signo, quo intelligitur essentia in Patre, aut pro primo signo, quo intelligitur essentia, non potest intelligi identitas essentiæ cum Filiatione, aliàs cum identitas vnius, & alterius sit esse vnius, & alterius, in signo, in quo intelligitur essentia in Patre, aut in primo signo, in quo intelligitur essentia, intelligeretur esse Filiationis: ac per consequens Pater, & Filius essent in eodem signo, & relationes in signo essentiæ: ergo pro signo, quo intelligitur essentia in Patre, aut pro primo signo, in quo intelligitur essentia, Deus non cognoscit Filiationem.

22 Respondet primò Herrera. Essentiam Divinam secundum se consideratam esse identitatem sui cum Filio; non identitatem pro omni signo; sed identitatem pro signo Filij: sicut in sententia multorum decretum divinum ab æterno existens est creatio rei in tempo-

re,

re, taliter, vt Deus ab æterno per illud decretum sit creans Angelum, non pro æternitate; verùm pro tempore determinato. Sed contra: quia licèt in his, quæ non intelliguntur, vt constituta per esse alterius, & connotatione, seu requisitione esse aliùs contenta sunt, solutio ista substineri possit; non tamen sic in identitate, quæ non aliter intelligitur existens; quàm, vt constituta per esse vtriusque: quare aut non debet intelligi pro aliquo signo, aut pro eodem debet existere esse vnius, & alterius: modo quo identitas essentiæ secum ipsa non permittit partem, aut quasi partem illius pro vno signo, & partem, aut quasi partem illius pro altero, ita vt verificetur: essentiam pro vno signo esse identitatem sui pro altero. Vnde patet quam dissitum sit exemplum appositum de decreto creativo, quod nec per tempus determinatum, nec per terminum creatum, quæ respicit, constituitur.

23 Respondet secundò. Essentiam se ipsa esse identitatem sui cum Filio, esseque identitatem pro signo essentiæ; cæterum identitatem pro vno signo non exigere extremum identificatum esse pro illo. Quomodo in communiore sententia: actio existit in signo priori ad terminum productum, & actio producit terminum, & terminus pro illo signo habet denominationem producti; non vero existentis. Contra tamen est, ex eodem defectu quo laborat hæc solutio, ac præcedens, confundens constitutivum cum connotato, & termino, cuius esse omninò extrinsecum est esse connotantis: si enim identitas non præcisè requirit esse vnius, & alterius, ita vt per esse vnius adæquatè constituatur, esse alterius tantum requisito; sed ex æquo per vnum, & aliud esse constituitur; aut non intelligetur identitas in signo essentiæ, aut in eodem signo intelligetur existens omne illud esse ex quo identitas intellecta constituitur.

24 Quibus reiectis, responderi aliter posset negando maiorem, quæ, vt certa, proponitur, cuius falsitati præbet fundamentum argumentum ipsum, ne se implicet: quod sic ostendi potest: nam vel identitas essentiæ cum Filiatione differtur, vt ita dicam, vsque ad signum Filiationis, vel datur in signo essentiæ? Si hoc secundum: componant Filium non intelligi in signo quo intelligitur eius identitas cum essentia, quod, vt impossibile respuunt. Si primum: ergo cum identitas essentiæ cum Filiatione differatur vsque ad signum Filiationis, essentia, quæ vt identificata cum Filiatione, est ratio cognoscendi Filiationem, differetur etiam in esse medij obiectivi proponentis vsque ad signum Filiationis, in quo quidem cognoscetur Filiatio, tum in se, tum in essentia, quæ in illo signo, identificatur cum Filiatione: ac per consequens falsa erit propositio affirmans: *Quòd si Deus cognosceret in essentia attributa absoluta, & relativa pro signo, quo intelligitur essentia in Patre, aut pro signo, in quo intelligitur essentia, cognosceret Deus Filiationem*: ergo vel adstruere debet identitatem essentiæ cum filiatione pro signo essentiæ, quod proponit, vt impossibile, vel negata identitate pro tali signo falsificat id ipsum, quod assumit, vt medium ad impugnandam cognitionem attributi relativi in essentia.

25 Ob quod ante solutionem tenendam inuestigandum est ab obijciente: An præscindendo à cognitione vnius in alio, sivè relationis in essentia, hæc pro signo quovis, in quo intelligitur, identificetur realiter cum omni eo, cum quo realiter identificatur, aut præscindat realiter ex se ab identitate cum omni illo, cum quo realiter identificatur? Si identificatur realiter: ergo nullum est signum essentiæ, in quo non intelligatur identificata realiter cum Filiatione: ac proinde aptissima, vt moveat obiectivè ad cognitionem Filiationis. Si vero præscindat realiter ab identitate: ergo essentia secundum suum esse respicit quasi accidentale identificari cum omni eo, quod realiter est; neque ex se est determinata, vt sit id, quod realiter est, qua propter ne hoc dicatur, adstruenda saltem est, vt determinata ad identitatem cum Filiatione. Vnde emanabit nostra assertio: siquidem determinatio vnius, vt non sit sine altero adhùc identicè, est medium obiectivum aptissimum ad cognoscendum aliud; sed essentia pro quovis signo est determinata, vt non sit absque Filiatione adhùc identicè: ergo est medium obiectivum aptissimum ad manifestandam Filiationem, & vt hæc cognoscatur in ipsa.

26 Igitur absolutè respondendum est concessa maiori: negando minorem. Ad cuius probationem distin-

guo maiorem. Pro eo ſigno non cognoſcitur Filiatio cognita eſſentia, pro quo non poteſt intelligi identitas eſſentiæ cum Filiatione, vel *adæquatè*, vel *inadæquatè realiter negativè*, aut *poſitivè realiter virtualiter*, concedo maiorem; *determinatè adæquatè realiter*, nego maiorem, & diſtiguo minorem: pro ſigno, quo intelligitur eſſentia in Patre, aut pro primo ſigno, in quo intelligitur eſſentia non poteſt intelligi identitas eſſentiæ cum Filiatione *adæquatè realiter* concedo minorem: *Inadæquatè realiter negativè*; aut *poſitivè realiter virtualiter*, nego minorem, & conſequentiam. Solutionis ratio conſtat ex dictis: Itaque pro ſigno eſſentiæ, aut pro ſigno, quo intelligitur in Patre intelligitur eſſe eſſentiæ, & Filiationis vno modo inadæquatè realiter negativè ſcilicèt, in quantum Filiatio, & eſſentia non ſunt præcisè realiter Filiatio; ſed inſuper realiter eſſentia, aut inadæquatè poſitivè realiter virtualiter. In quantum eſſe illud indiviſum realiter formaliter æquivalet duplici eſſe realiter diſtincto quoad munus exiſtendi vno modo in vno ſigno, & altero modo in alio, qua ratione æquivalet etiam rebus realiter diſtinctis in ordine ad determinandum vno modo cognitionem alterius: ſiquidem totum illud eſſe indiviſum realiter proponitur vno modo intellectui Divino, vt determinatum ad non exiſtendum realiter identicè ſine altero modo; qua ratione etiam eſt ratio obiectiva ducens intellectum divinum ad cognoſcendum illud eſſe altero modo, quo neceſſariò exiſtit.

27 Advertendum tamen eſt: Nos, dum in hac, & præcedenti ſolutione vſi ſumus terminis: *Inadæquationis realis virtualis poſitivæ* eſſe ſemper intelligendos conſequenter ad dicta diſputatione tertia, non de aliqua inadæquatione reali virtuali, quæ inferat; vel ſecum annectat diſtinctionem aliquam virtualem intrinſecam per diſconvenientiam in prædicationibus; ſed tantum extrinſecam per æquivalentiam ad diſtincta realiter quoad munera inter ſe non oppoſita, & quæ eodem modo de vna, & altera formalitate ſemper verificantur: Ideo ſemper ſit præſens explicatio illa: *Totum eſſe reale eſſentiæ, & Filiationis vno modo realiter acceptum, eſſe fundamentum obiectivum cognoſcendi idem eſſe reale altero modo acceptum*, quod ſufficit, vt dicatur verè, vnam Divinam formalitatem, aut abſolutam, aut relativam cognoſci in eſſentia, & mutuo inter ſe vnam in alia ab intellectu Divino.

28 Obijcies quartò. Si Deus videret eſſentiam in ſe, & in attributis, & è contra, & vnum attributum in alio mutuò, viſio Dei, qua ſe, & attributa cognoſcit, haberet hunc modum tendendi: *Eſt eſſentia: quia exiſtit eſſentia, & exiſtunt attributa: Exiſtit Pater quia exiſtit Pater, & quia exiſtit Filius: exiſtit Filius, quia exiſtit Filius, & quia exiſtit Spiritus Sanctus.* Sed modus iſte tendendi argueret falſitatem in Divina Scientia, ſaltem qua parte dicit *exiſtere Patrem quia exiſtit Filius: aut exiſtere Filium quia exiſtit Spiritus Sanctus.* Nam licèt Pater ſit ratio, cur ſit Filius, & Pater, & Filius, cur ſit Spiritus Sanctus; non tamen Filius eſt ratio, cur ſit Pater, aut Spiritus Sanctus ratio, cur ſit Pater, aut Filius: ergo Deus nec cognoſcit eſſentiam ſuam in attributis, nec vnum attributum in alio.

29 Reſpondet rectè Iunius: eas propoſitiones, quæ falſitatis notantur, in re non eſſe falſas in ſenſu, quo procedit ly *quia*, dum dicimus vnam formalitatem divinam, aut attributum cognoſci in alio: quia licet exiſtentia Filij non ſit ratio à priori exiſtentiæ Patris, aut Spiritus Sanctus exiſtentiæ Filij in eſſendo, ſunt tamen ratio à priori in cognoſcendo, ſeu in ratione motivi intentionaliter moventis, cum non minus exiſtentia vtriuſque, quàm exiſtentia cuiuſvis ſit motivum obiectivum viſionis, & ſcientiæ, qua vtraque, & quævis Perſona cognoſcitur, & ſi in eſſendo aliter ſe habeant: aliter nihil à Deo videretur in ſe, quia nihil poteſt eſſe ſibi ratio à priori eſſendi. Addit forſan, divinam viſionem non eſſe formaliter cauſalem ſicut noſtra; verum eminenter, ſeu altiori modo, quam ruditas noſtra valeat percipere, & explicare.

CA-

CAPVT II.

An Deus se ipsum cognoscat in creaturis?

30 A COGNITIONE vnius in alio intra Deum fit gressus ad cognitionem vnius in alio extra Deum, quæ contingere potest, vel quia id, in quo illud aliud cognoscitur, sit extra Deum, quamvis id, quod cognoscitur sit intra Deum, vt si Deus se cognoscat in creaturis; vel quia id, quod cognoscitur, sit extra Deum, quamvis id, in quo cognoscitur, sit intra Deum, vt si Deus cognoscat creaturas in se ipso; vel denique quia id, quod cognoscitur, & id, in quo cognoscitur, sit extra Deum, vt si Deus cognoscat vnam creaturam in alia. Quod autem modò inquirimus est: An Deus se cognoscat in creaturis, in quantum veritas obiectiva creaturarum determinet cognitionem divinam, vt per eandem tendentiam intentionalem attingat veritatem obiectivam Dei, veluti innitendo veritati obiectivæ creaturarum?

31 In quo dubio negativam partem tenent Ruiz, disputat. 2. de scientia, sectione 3. num. 5. & Alarcon, tractatu 2. disputatione 2. capite 2. cum aliis à se relatis, qui videri possunt apud ipsos, locis citatis, & est communis Thomistarum. Affirmativam sequuntur plures Doctores vt sunt Herice, Albiz, Sforcia vterque Hurtadus, Ribas, Raynaudus, & Arriaga, quos citat, & sequitur Izquierdo, disputatione 24. de scientia, quæst. 3. propositione 1. adhærent etiam Ribadeneyra, disputatione 5. de scientia, capite 1. & Herrera, tractatu de scientia, quæstione 6. sectione 4. & tenent ferè omnes nostri Recentiores.

32 Nostra sententia sit affirmativa cum Authoribus secundæ sententiæ. Itaque asserimus: Deum se cognoscere in creaturis, tàm possibilibus, quàm existentibus. Probatur. Deus perfectissimè cognoscit creaturas, tàm possibiles, quàm existentes: ergo se cognoscit in creaturis existentibus, & possibilibus. Antecedens est certum. Probatur consequentia: Deus cognoscens perfectissimè creaturas possibiles, & existentes cognoscit prædicatum dependentiæ, & metaphisicæ connexionis, quod vt entia ab alio, & secunda dicunt ad se ipsum, vt ens à se, & primum: sed cognoscere prædicatum tale dependentiæ, & connexionis metaphisicæ est cognoscere se in creaturis possibilibus, & existentibus: ergo Deum perfectissimè cognoscere creaturas, tàm possibiles, quàm existentes est se cognoscere in creaturis existentibus, & possibilibus. Discursus est legitimus, & maior certa: quia cognoscere perfectissimè obiectum est cognoscere ita plenè, & adæquatè id, quod est obiectum, vt nihil incognitum ex his, quæ pertinent ad esse obiecti, vt est intrinseca dependentia, & connexio, remaneat: ergo si Deus perfectissimè cognoscit creaturas existentes, & possibiles, cognoscit prædicatum dependentiæ, & connexionis metaphisicæ quod, vt entia ab alio, & secunda, dicunt ad se ipsum, vt ens à se, & primum. Probo minorem. Cognoscere prædicatum dependentiæ, & connexionis metaphisicæ cum Deo est cognoscere inseparabile metaphisicè à Deo; sed cognoscere inseparabile metaphisicè à Deo, est cognoscere fundamentum obiectivum ad assentiendum existentiæ Dei, vtpotè, quod in existentia Dei fallere non potest: ergo Deum cognoscere tale prædicatum dependentiæ, & connexionis metaphisicæ est se cognoscere in creaturis.

33 Confirmatur primò: obiectivum illud, quod necessario proponitur intellectui Divino, vt inseparabile à Deo, proponitur etiam, vt obiectivum faciens sibi debitam essentiam, & existentiam Dei; sed creaturæ, sive possibiles, sive existentes sunt obiectivum, quod necessario proponitur intellectui Divino, vt inseparabile à Deo: ergo proponuntur etiam, vt obiectivum faciens sibi debitam essentiam, & existentiam Dei. Ast omnis ratio obiectiva proposita intellectui divino, vt faciens sibi debitam essentiam, & existentiam Dei, est fundamentum obiectivum assentiendi essentiæ, & existentiæ Dei, vt sic divina cognitio adæquet cognoscibilitatem passivam obiecti, & omni fundamento obiectivo veritatis correspondeat: ergo Deus cognoscit se ipsum in creaturis possibilibus, & existentibus prebendo sibi assensum ob fundamentum obiectivum earum.

Con-

34 Confirmatur ſecundò. Deus cognoſcens connexionem metaphiſicam, quam creaturæ, ſive exiſtentes, ſive poſsibiles ſecum ipſo habent, cognoſcit eſſe fundamentum infallibile veritatis obiectivæ, quam ſecundum ſuum eſſe, & exiſtere habet: ſed Deus cognoſcit ſuam veritatem obiectivam in omni illo fundamento, quod iudicat infallibile talis veritatis: ergo Deus cognoſcens creaturas exiſtentes, & poſsibiles, vt connexas ſecum ipſo, cognoſcit ſe in creaturis. Conſequentia eſt legitima, & maior certa: ſiquidem omne, quod ſine alio exiſtere metaphiſicè non poteſt, eſt fundamentum, quod fallere non poteſt in exiſtentia alterius. Probatur minor. Si Deus non cognoſceret ſuam veritatem obiectivam in omni illo fundamanto, quod iudicat infallibile ad talem veritatem; nec intellectus Divinus ſatisfaceret tali fundamento, provt fundamentum eſt, nec verè iudicaret eſſe fundamentum infallibile veritatis obiectivæ Divinæ, ſiquidem id quod Deus non habet pro infallibili fundamento, non verè iudicat eſſe infallibile fundamentum: ſed Divinus intellectus, vtpotè infinitus, & plenè ſatisfacit cuicumque obiectivo fundamẽto in eſſe cognoſcibilis, & aliunde non fallitur in eo, quod iudicat: ergo Deus cognoſcit ſuam veritatem obiectivam in omni illo fundamento, quod iudicat infallibile talis veritatis.

35 Si dicant immediatè: Deum cognoſcere creaturas, vt fundamentum infallibile cognitionis creatæ; ſecus Divinæ: vndè licèt eas reputet, vt ſufficientiſsimũ fundamentum obiectivum, non deducitur illas habere pro obiectivo fundamento cognitionis ſui, nec deficit in ſatisfaciendo cognoſcibilitati paſsivæ ipſarum, nec fallitur in eo, quod iudicat. Contra tamen eſt: quia ideò iudicat Deus creaturas eſſe fundamentum infallibile cognitionis creatæ: quia metaphiſicè ſunt inſeparabiles ab ipſo; ſed creaturę non minus ſunt inſeparabiles metaphiſicè reſpectivè ad cognitionem divinam, quàm ad creatam: ergo ſi Deus cognoſcit creaturas, vt infallibile fundamentum cognitionis creatæ; cognoſcit etiam ipſas, vt infallibile fundamentum cognitionis divinæ.

36 Probatur ſecundò: omnis modus cognoſcendi veritatem aliquam obiectivam abſque imperfectione eſt Deo concedendus; ſed modus cognoſcendi ſe in creaturis eſt modus aliquis cognoſcendi veritatem obiectivam divinam abſque imperfectione: ergo talis modus cognoſcendi eſt Deo concedendus. Maior conſtat in infinita perfectione, & amplitudine divini intellectus, & ſcientiæ. Probatur minor: modus cognoſcendi ſe in creaturis non dicit imperfectionem, quia impediat cognitionem Dei in ſe, cum cognitio, qua Deus cognoſcitur in creaturis ſit etiam cognitio, qua cognoſcitur in ſe; non quia creatum nõ poſsit eſſe fundamentum obiectivum cognitionis divinæ: quia ſi id verum eſſet, non modo excluderet cognitionẽ divinam Dei in creaturis; verùm cognitionem divinam creaturarum in ſe ipſis, quod falſum eſt, vt ſupra manet probatum, vbi ſimul difficultates deſumptas ex ſpecificativo creato cognitionis divinæ ſolvimus: ergo modus cognoſcendi ſe in creaturis eſt modus aliquis cognoſcendi veritatem obiectivam divinam abſque imperfectione.

37 Confirmatur: Deus per eandem cognitionem cognoſcit ſe propter ſe, & creaturas propter ipſas: ergo ratio obiectiva creaturarum eſt ratio motiva cognitionis, qua Deus ſe cognoſcit: ſed ſemel, quod ratio obiectiva creaturarum ſit ratio motiva cognitionis, qua Deus ſe cognoſcit, non eſt titulus, ob quem Deus non ſe cognoſcat in creaturis: ergo Deus in creaturis ſe ipſum cognoſcit. Antecedens enthymematis poſiti pro maiori conſtat ex dictis ſupra diſputatione 7. Probo minorem. Semel, quod ratio obiectiva creaturarum ſit ratio motiva cognitionis, qua Deus ſe cognoſcit, ratio obiectiva creaturarum eſt Deo fundamentum obiectivum ſe cognoſcendi; ſed ſemel, quod ratio obiectiva creaturarum ſit Deo fundamentum obiectivum ſe cognoſcendi, non eſt titulus ob quem Deus non cognoſcatur in creaturis, cum tota ratio ſe cognoſcendi in creaturis ſtet in eo, quod veritas obiectiva creaturarum ſit Deo ratio obiectiva ſe cognoſcendi: ergo ſemel, quod ratio obiectiva creaturarum ſit ratio obiectiva cognitionis, qua Deus ſe cognoſcit, non eſt titulus ob quem Deus non ſe cognoſcat in creaturis.

38 Probatur tertio: veritas omnis obiectiva, quæ ex vi connexionis, quam

quam dicit cum altera non potest cognosci, quin cognoscatur alia proposita intellectui, vt sic connexa, aut movet, aut saltem applicat ad assentiendum alteri: ergo veritas obiectiva creaturarum, quæ ex vi connexionis, quam dicit cum veritate obiectiva Dei non potest cognosci, quin cognoscatur veritas obiectiva Dei, proposita intellectui divino, vt sic connexa, aut movet, aut saltem applicat ad assentiendum veritati obiectivæ Dei. Consequentia est legitima, & antecedens videtur certum: si enim vna veritas cognosci non potest sine alia proposita intellectui, aut determinabit ad cognitionē alterius, qua ratione erit motivum, aut saltem inducet intellectum, vt ex alterius motione, & determinatione alij veritati præstet assensum, qua ratione erit applicatio. Iam procedo: omnis veritas obiectiva, quæ comparatur ad intellectum potest esse applicatio ad cognoscendam alteram, potest esse etiam motivum ad illam cognoscendam, vt iuxta plurium sententiam dicitur de præmissis, ex quibus intellectus iam moveri ad assentiendum conclusioni, iam applicari, vt se moveat ex veritate obiectiva conclusionis, potest, & in communiori sententia, argumenta credibilitatis iam possunt esse applicatio ad assentiendum rebus revelatis, iam motivum immediatè per se movens ad præstandum assensum obiecto revelato, quidquid sit: An quando immediatè movent, terminent actum fidei, vel alterius rationis, sed veritas obiectiva creaturarum, provt proposita connexa cum veritate obiectiva Dei saltem debet habere rationem applicationis ad cognoscendam veritatem obiectivam Dei: ergo non est cur ipsi denegetur ratio motivi, & determinativi obiectivi, ex quo Deus moveatur ad cognoscendam veritatem obiectivam sui, ac per consequens ad se cognoscendum in creaturis.

39 Vrgetur paritate: siquidem Deus cognoscit creaturas in se ipso iuxta communiorem sententiam: ergo & cognoscit se in creaturis. Consequentia probatur. In tantum Deus cognoscit creaturas in se ipso, in quantum esse Dei, vel absolutè, vel saltem ex suppositione connectitur cum esse obiectivo creaturarum, & obiectiva connexio vnius veritatis obiectivæ cum alia est ratio determinans intellectum divinum ad cognoscendā vnam veritatem obiectivā in alia: sed veritas obiectiva creaturarum, tàm existentium, quàm possibilium non minus connectitur cum veritate obiectiva Dei; neque talis connexio minus proponitur intellectui divino perspicacissimo, quàm connexio sui cum creaturis: ergo neque minus cognoscit se in creaturis; quàm cognoscit creaturas in se ipso, cum eadem sit ratio, aut pro vtroque modo cognoscendi inefficax, aut pro vno, & altero modo cognoscendi æqualiter probans.

40 Hinc, reiecta manet evasio, quæ nostris probationibus posset aptari dicendo: connexionem metaphisicam, quam dicunt cum Deo creaturæ, tàm possibiles, quàm existentes tantum facere inseparabilem cognitionem creaturarum à cognitione Dei, quod rectè componi valet cum eo, quod Deus se, & creaturas cognoscat in se, & propter se, scilicèt, Deum propter Deum, & creaturas propter creaturas; quin nec se cognoscat in creaturis, nec creaturas in se ipso: Nam cognitionem vnius esse inseparabilem à cognitione alterius tantum arguit vtrumque debere cognosci simul; secus modum quo vnum, & alterum cognosci debet, quod ex alijs principijs est deducendum, quod si duo disparata inter se possunt per eandem cognitionem repræsentari; quin vnum moveat ad aliud cognoscendum, duo connexa debere simul cognosci, tantum probabit debitum ad simultaneam repræsentationem, cui fit satis per cognitionem vtriusque; tametsi vnum in alio non cognoscatur.

41 Manet inquam excluſa; vel quia idem possent respondere pro cognitione creaturarum in Deo, eamque ex eodem capite negare, quod non faciunt, vel quia illa dependentia in cognoscendo provenit ex connexione, & dependentia in essendo, qua data, sicut negare non possunt vnum obiectum applicare obiectivè ad cognitionem alterius: sic nec negare debent vnum esse motivum cognitionis alterius, præcipuè quando talis modus cognoscendi non repugnat naturæ, & perfectioni actus tendentis in obiectum, vt non repugnat naturæ, & perfectioni scientiæ Divinæ, quæ moveri potest ex veritate obiectiva creata, vel denique; quia exemplum adductum ex cognitione indi-

diuiſibili tendente in obiecta diſparata omninò extra rem eſt, cum ibi inſeparabilitas cognitionis vnius obiecti ab alio non proveniat ex meritis obiecti; ſed accidentaliter, & extrinſece ex occurſu ſpecierum, vel ex alio titulo: quomodo non contingit in noſtro caſu, in quo ex meritis, & connexione vnius veritatis obiectivæ cum alia prouenit inſeparabilitas cognitionis tam ſtricta, vt vna ſine altera cognoſci nequeat.

42 Obijcies primò. Deus non poteſt ſe ipſum cognoſcere abſtractivè; ſed cognoſcere ſe in creaturis eſt cognoſcere ſe abſtractivè: ergo Deus non poteſt cognoſcere ſe in creaturis. Maior eſt certa ex eo, quod cognitio abſtractiva ſit cognitio imperfecta, vt pote, quæ non eſt cognitio rei, prout eſt in ſe; verum ad modum alterius. Probatur minor. Cognoſcere ſe in creaturis eſt quod ſpecies creaturarum deſerviat ad cognitionem illius eſſe, quod in creaturis cognoſcitur; ſed ſpecies creaturarum deſervire ad cognitionem illius eſſe, quod in creaturis cognoſcitur eſt cognoſcere abſtractivè illud eſſe, quod in creaturis cognoſcitur: ergo cognoſcere ſe in creaturis eſt cognoſcere ſe abſtractivè. Probatur maior: cognoſcere ſe in creaturis eſt quod obiectiva veritas creaturarum deſerviat ad obiectivam veritatem Dei, prout cognitam; ſed vna veritas obiectiva non aliter deſervit ad veritatem alterius, prout cognitam, niſi per ſpeciem ſui, quando immediate per ſe non concurrit ad cognitionem, vt non concurrit veritas obiectiva creaturarum ad cognitionem, qua Deus ſe cognoſcit: ergo cognoſcere ſe in creaturis eſt quod ſpecies creaturarum deſerviat ad cognitionem illius eſſe, quod in creaturis cognoſcitur.

43 Reſpondeo: cognoſcere vnum in alio nō eſſe cognoſcere abſtractivè, niſi quando ſpecies vnius, aut non eſt ſpecies propria alterius, aut ſaltē non coniungitur cū ſpecie propria alterius. Ratio eſt: quia cognitio abſtractiva de ſe fert non cognoſcere rem, prout eſt in ſe, quod evenire non poteſt ſine defectu ſpeciei propriæ illius obiecti, quod abſtractivè cognoſcitur; ſed quando ſpecies vnius in quo aliud cognoſcitur, aut eſt ſpecies propria alterius, aut ſaltem coniungitur cum ſpecie propria alterius concurrente ad cognitionem alterius, non deficit ſpecies propria alterius: ergo cognoſcere vnum in alio non eſt cognoſcere re abſtractivè, niſi quando ſpecies vnius aut non eſt ſpecies propria alterius, aut ſaltem non coniungitur cum ſpecie propria alterius: Iam cum Divinus intellectus perfectiſsimus per ſe ſit ſpecies indiviſibilis propriſsima omnium cognoſcibilium, eadem, quæ eſt ſpecies propria creaturarum eſt ſpecies propria ſui: ideò quando ſe cognoſcit in creaturis non ita ſe cognoſcit, vt deficiat ſpecies propria ſui, vel quia ſpecies propria creaturarum non ſit ſpecies propria Dei, vel quia caſu, quo non foret non coniungeretur cum ſpecie propria Dei, quod erat neceſſarium, vt Deus ſe cognoſcens in creaturis non propriè, & prout eſt in ſe; verum abſtractivè, & ad modum alterius ſe cognoſceret.

44 Ad formam argumenti Conceſſa maiori. Nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem: cognoſcere ſe in creaturis eſt quod ſpecies creaturarum deſerviat ad cognitionem illius eſſe, quod in creaturis cognoſcitur *manente ſola ſpecie creaturarum*: nego maiorem: *Non manente ſola, vel quia identificatur cum ſpecie propria illius eſſe, quod cognoſcitur in creaturis, vel quia ſaltem aſſociatur cum ſpecie propria illius*, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſpeciem propriam creaturarum deſervire ad cognitionem illius eſſe, quod in creaturis cognoſcitur eſt cognoſcere abſtractivè illud eſſe, quod in creaturis cognoſcitur *manente ſola ſpecie creaturarum*, concedo minorem: *Non manente ſola ſpecie creaturarum, vel quia identificatur cum ſpecie propria illius eſſe, quod in creaturis cognoſcitur, vel quia ſaltem coniungitur cum ſpecie propria illius*, nego minorem, & conſequentiam: ex quo conſtat quid dicendum ad vltimam maioris probationem.

45 Obijcies ſecundò. Repugnat eandem cognitionem attingere ſuum obiectum directè, & indirectè; ſed ſi Deus cognoſceret ſe in creaturis eadem divina cognitio, qua ſe cognoſcit attingeret ſuum obiectum, id eſt Deum, directè, & indirectè: ergo repugnat Deum ſe cognoſcere in creaturis. Minor videtur conſtare: quia ſi Deus ſe cognoſceret in creaturis, cum aliunde cognoſcere ſe in ſe, & propter ſe per eandem cognitionem tenderet in ſe directè, & primario, & inſuper quaſi indirectè, & ſecundario, prout eſt terminus connexio-

xionis creaturarum. Probatur maior: modi illi, qui constituuntur per negationem alterius mutuo repugnant esse simul in eadem cognitione; sed modi tendendi *directè*, & *indirectè* in suum obiectum sunt modi constituti mutuò per negationem alterius: ergo repugnat coniungi in eadem cognitione circa suum obiectum: ac proinde eandem cognitionem tendere in suum obiectum *directè*, & *indirectè*.

46 Vrget difficultas: si quæ est, in cognitione, qua Deus cognoscat creaturas in se ipso, & in cognitione, qua intra se cognoscat vnum in alio. Ad argumentum nego maiorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: modi tendendi *directè*, & *indirectè* in suum obiectum *quoad positivum*, quod dicunt, sunt modi constituti per negationem alterius mutuò: nego minorem. *Quoad positivum*, & *negativum*, concedo minorem, & nego consequentiam. Ratio est: quia licèt cognoscere directè, provt dicit positivum cognoscendi directè, seu in se, & negativum non cognoscendi indirectè, seu in alio, opponatur cum cognoscere indirectè, seu in alio; non sic cognoscere directè consideratum secundum positivum, quod dicit *cognoscendi in se*, exclusa negatione sibi accidentali secundum proprium conceptum cognoscendi indirectè, seu in alio opponitur cum cognoscere indirectè, seu in alio, quod idem pariter dicendum est de cognitione indirecta cōparata cum modò cognoscendi directè: modò quo dicitur à Philosophis vnum corpus indistans positivè, & negativè à loco *A* opponi essentialiter cum eo, quod sit in alio loco; at si consideretur indistantia tantum secundùm positivum, quod essentialiter dicit, non opponi essentialiter cum eo, quod sit in altero loco. In Deo igitur modus cognoscendi se directè invenitur secundum positivum, quod essentialiter dicit *cognoscendi in se*; non secundum negativum accidentale tali conceptui *non cognoscendi in alio*, qua ratione etiam invenitur modus *cognoscendi indirectè*; ideòque non repugnat vterque modus in eadem cognitione coniunctus.

47 Si insistant: *Cognoscere indirectè* dicere imperfectionem, ideoque à Divina mente, & cognitione esse relegandum obseruari debent acceptiones *cognoscendi indirectè*, quas alij proposuerunt, vt inde innotescat quando *cognoscere indirectè* dicat imperfectionem à Deo removendam; quando verò sine imperfectione vlla; imò cum perfectione maxima queat componi. Igitur *cognoscere indirectè* potest accipi: primò pro eo, quod est cognoscere obiectum taliter, vt absolutè verificetur: non cognosci in se. Secundò, pro eo, quod est cognoscere obiectum ita purè de connotato, & in obliquo, vt nihil de ipso affirmetur, aut negetur, verùm purè aprehensivè attingatur. Tertiò pro cognitione adeò imperfecta obiecti, vt hoc non cognoscatur, provt est in se, & per species proprias; sed ad modum alterius, & per species alienas. Quartò pro cognitione, qua vnum obiectum cognoscitur, vt terminus connexionis alterius, ita taliter, quod aliud sit fundamentum obiectivum ad ipsi præstādum assensum, quamvis ex se, & per se etiam moveat ad assensum sui. Ex his quatuor acceptionibus tres primæ imperfectionem dicunt, & ab intellectu Divino debent esse remotæ; quarta verò imperfectionem nullam includit, & cum perfectione maxima intellectus Divini benè cohæret quaque dumtaxat retenta Deo tribuimus cognitionem vnius in alio, tàm intra, quàm extra se modo iam explicato.

48 Obijcies tertiò. Cognitio, qua Deus se cognosceret in creaturis, esset indæquata, & diminuta: ergo Deus non sic se cognoscit. Consequentia tenet; alias in Deo posset esse cognitio imperfecta sui. Probatur antecedens: cognitio qua Deus se cognosceret in creaturis, solum cognosceret ea divina prædicata, quibus cum connectuntur creaturæ: sed creaturæ non connectuntur cum omnibus divinis prædicatis; sed cum sola divina Omnipotentia; quia solum connectuntur cum Deo, vt productivo ipsarum, qua ratione tantum dicit Omnipotentiam: ergo cognitio, qua Deus se cognosceret in creaturis, non cognosceret omnia Divina prædicata, ac per consequens esset cognitio diminuta, & inadæquata Dei illa, qua se cognosceret in creaturis.

49 Responderi solet. Primò, permittendo creaturas non connecti cum omnibus divinis prædicatis, & negando adhùc in tali casu cognitionem Divinam, qua Deus se cognosceret in creatu-

turis forè inadequatam, aut diminutam. Ratio est: quia licèt tunc creaturæ immediate non determinarent ad cognitionem omnium prædicatorum Dei: quia non connecterentur immediatè nisi cum solo prædicato Omnipotentiæ; tamen mediatè determinarent ratione illius prædicati, quo cum immediatè connecterentur, & quod, vt identicum reliquis divinis prædicatis, non posset cognosci perfectè, nisi vt determinatum ad esse aliorum, quod sufficit, vt Deus dicatur plenè, & perfecte se cognoscere in creaturis: addimus posse etiam dici pro eadem suppositione, cognitionem fore inadæquatam, & diminutam *negativè*, in quantum respicit creaturas pro fundamento se cognoscendi; quod non est inconveniens, sicut non est considerare Scientiam Dei aliquomodo negativè inadæquatam, & diminutam attento solo vno obiecto ex existentibus, quæ respicit, & quod cum existentia aliorum non habet connexionem; quamvis inconveniens esset eam considerare diminutam *positivè* in quantum nec inde, nec ex alijs titulis esset completissima: vel dic, si placet, eam cognitionem, quamvis non attingeret omnia divina prædicata in creaturis futuram completissimam in linea cognitionis Dei in creaturis: quia imbiberet omnem modum repræsentandi Deum pertinentem ad talem lineam, etsi formaliter considerata in propria linea non diceret perfectionem repræsentationis Dei in alio genere, quæ realiter identicè est, ita vt ex omnibus gradibus cognoscendi resultet cognitio perfectissima: quomodo ex gradibus voluntarij necessarij, & liberi resultat in Deo voluntarium perfectissimum, quod nec residet in solo voluntario libero, aut in solo voluntario necessario formaliter consideratis.

50 Melius tamen, & solidius respondetur secundò. Negando creaturas non connecti cum omnibus divinis prædicatis; sed duntaxat cum Deo, vt Omnipotente: tum quia creaturæ metaphisicè exigunt Deum, prout est in se, & prout est ens necessarissimum: sed prout est in se, & prout est ens necessarissimum, claudit omnia sua prædicata, sine quibus realiter tale non esset: ergo connectuntur cum Deo, prout includente omnia sua prædicata: tum, quia connectuntur cum Omnipotentia, non prout in abstracto; verum prout in concreto: ergo connectuntur, & cum Omnipotentia, quæ se habet, vt forma denominationis Omnipotentis, & cum Omnipotente, quod se habet, vt subiectum denominationis; sed subiectum, aut quasi subiectum proportionatum tali formæ, aut quasi formæ solum est subiectum perfectissimum, ac proinde claudens omnem perfectionem debitam subiecto perfectissimo: ergo connectuntur cum subiecto Omnipotenti, prout claudit omnem perfectionem sibi debitam, quod est connecti cum omni divina perfectione. Demum: quia connectuntur cum Deo, vt est extra, & supra omne creatum: sed Deus, vt est supra, & extra omne creatū est ens extra, & supra omne finitū, qua ratione formaliter est ens infinitum, & dicens omnē perfectionem, qua constituitur extra, & supra omne finitum, & qua deficiente in tali gradu supremo ad finita non existeret: ergo connectuntur cum Deo, vt formaliter perfectissimo, quod etiam est connecti cum omni divina perfectione.

51 Si replicent primò: quod si Deus esset tantum Omnipotens, creaturæ existerent: quia, prout Omnipotens aliquid facere posset, non increatum, & infactibile: ergo aliquid creatum factibile, & ens ab alio, quod formaliter est creatura. Vnde subsument creatura tantum indiget illo, quo solo non deficiente posset existere creatura; sed solo non deficiente Deo, vt Omnipotente posset existere creatura: quia posset existere creatum, & productum: ergo creaturæ, vt sint, tantum indigent Deo, vt Omnipotente, ac sub tali duntaxat ratione cum Deo connectuntur. Respondeo, quod si Deus esset tantum Omnipotens & esset Omnipotens chymericè, & implicatoriè, sicut, & creaturæ, quæ tunc forent, se interminis implicarent, & ab his, quæ de facto existunt, & possunt existere, essent valde dispares: motivum solutionis clarum, & patentissimum est; nam Deus tantum Omnipotens esset in perfectione sua mutilus, & truncatus; ac propterea Omnipotens sine aptitudine, & proportione ad Omnipotentiam Deus autē Omnipotens sine aptitudine, & proportione ad Omnipotentiam esset tantum chymericè Omnipotens: videas ergo, an creaturę possibiles, & quę de facto existunt, tātū metaphisice indigeant Deo chymerico, quod si ita non est, consequens etiam fit: Deum aprehen-

sum

sum in illa suppositione, non esse Deum exactum metaphisicè pro possibilitate, & existentia creaturarum; sed Deum verum, & realem quomodo de facto est, & omnem perfectionem includit.

51 Si replicent secundò, quod si creaturæ connecterentur cum Deo aliter, quàm vt Omnipotente, sicut ostendunt connexionem cum ipso vt primo principio, à quo omnia procedunt, sic ostenderent ipsum vt Trinum, & secundum alia abstrusiora attributa; sed Deum sic non ostendunt, alias sicut intellectus creatus naturaliter potest cognoscere evidenter existentiam primæ causæ, posset etiam evidenter deducere existentiam Dei, vt Trini, & provt existentis cum omnibus illis attributis, quibus de facto existit: ergo quia creaturæ tantum connectuntur cum Deo, vt Omnipotente; secus cum Deo, prout est in se cum omnibus attributis. Respondeo: quod sicut quod obiectum aliquod non discernatur per visum discretè secundum omnes partes ex quibus componitur; sed indiscretè, & confusè, non probat indiscretionem, aut confusionem ex parte obiecti; verùm improportionem potentiæ, vel ob debilitatem, vel ob distantiam: sic quod connexio creaturarum cum Deo, vt Trino, & secundum alia attributa vltra Omnipotentiam non discernatur ab intellectu creato in quocumque statu, non probat eam connexionem deficere ex parte obiecti, aut ex se non patere; sed improportionem potentiæ, cuius vires ob debilitatem indigent adiumento aliquo altioris ordinis, vt detegant eam connexionem, quæ non ex defectu obiecti latebat: sicut, vt in exemplo appositio persistamus, plura videntur clarè admotis conspicilijs, quæ absque eo iuvamine, aut non, aut perturbatim videbantur; quin ista diversitas in obiectum, quod idem semper est; verùm in Potentiam visivam sit refundenda.

53 Obijcies quartò ab inconvenienti: Nam si Deus cognosceretur in creaturis, deduceretur infinitas reflexionum in cognitione divina per interminabilem repetitionem, qua se, & creaturas semel, & iterum vsque in infinitum cognoscendo absque termino procederet, quod absurdum ex terminis est. Assumptum autem probatur. Nam in primis Deus cognosceret se, & creaturas: deinde quia cognoscens creaturas cognoscit se ipsum, iterum se cognosceret, & quia cognoscendo se ipsum cognoscit creaturas, vt post dicemus, iterum cognosceret creaturas, quibus cognitis, cum in creaturis se cognoscat, tertiò se cognoscet, & cum cognito se cognoscat etiam creaturas, tertiò etiam creaturas cognoscet, quibus cognitis, quartò redibit ad cognitionem sui, & quartò ad cognitionem creaturarum, & sic deinceps interminabiliter: Infertur ergo ex cognitione, qua Deus se in creaturis cognoscat, infinitas reflexionum in cognitione divina per interminabilem repetitionem, qua se, & creaturas semel, & iterum vsque in infinitum cognoscendo absque termino procederet.

54 Respondet Izquierdo: ponderatum processum absque termino minimè sequi ex eo, quod Deus cognoscat se in creaturis, licèt etiam cognoscat creaturas in se ipso: quia non asseritur, Deum se cognoscere in creaturis, prout cognitis in se ipso; sed in creaturis, prout cognitis in ipsismet; neque cognoscere creaturas in se prout cognito in creaturis, sed in se, prout cognito in se ipso, quo cessat circulus ille tàm inexplicabilis; quàm infinibilis, & ad tres tantum considerationes reducitur cognitio divina; vnam, qua Deus se propter se, & creaturas propter ipsas cognoscit: alteram qua se propter se, & creaturas propter ipsum cognoscit: tertiam, qua creaturas propter ipsas, & se propter creaturas cognoscit, vbi absque vlteriore progressu debemus sistere.

55 Sed contra est: quia in hoc modo respondendi non aliter vitatur progressio infinita, quàm citissimè redeundo ad conclusionem, quam argumentum, si aliter non paretur evasio, videtur impugnare; Suadeo sic: argumentum intendit, quod si Deus se cognoscat in creaturis, & creaturas in se ipso, vnum, & alterum in infinitum reflexè cognoscet: quia cognoscet se in creaturis non modo, prout cognitis in se ipsis: sed prout cognitis in se ipso, & cognoscet creaturas in se ipso non modo, prout cognito in se ipso; sed prout cognito in creaturis: vndè iterū resultabit progressio: solutio verò id infirmare tentat, dicendo: Deum se cognoscere in creaturis tantùm, prout cognitis in se

ipſis: non prout cognitis in Deo,& cognoſcere creaturas in ſe ipſo, prout cognito in ſe ipſo; non prout cognito in creaturis: id autem eſt ſiſtere in negando,quod argumentum meo iudicio efficaciter probat ſub hac forma: Deus cognoſcit ſe,& creaturas omni eo modo,quo cognoſcit connexum cum ſe,& creaturis; ſed non modo creaturæ ſecundum ſe,& Deus ſecundum ſe ; ſed creaturæ , prout cognitæ in Deo , & Deus , prout cognitus in creaturis connectuntur cum Deo, & creaturis : ergo non modo Deus cognoſcit ſe in creaturis , prout cognitis in ſe ipſis ; ſed prout cognitis in ſe ipſo ; nec modo Deus cognoſcit creaturas in ſe ipſo, prout cognito in ſe ipſo; ſed prout cognito in creaturis: igitur verũ debet eſſe, quod argumentum intendit;nec vitatur reflexio ex eo titulo,quem profert relata ſolutio.

56 Non eſt efficacior ſolutio eidem argumento præſtita ab Herrera, qui probat non inferri vllam reflexionum infinitatem ex eo, quod Deum in creaturis & creaturas in Deo , & tàm Deum, quàm creaturas in ſe ipſis cognoſci, non ita perficiatur , vt cognitio, qua Deus ſe in ſe ipſo cognoſcit ſit virtualiter diſtincta à cognitione, qua cognoſcitur in creaturis, aut cognitio , qua creaturas cognoſcit Deus in ſe ipſis diverſa ſit virtualiter à cognitione , qua cognoſcuntur in Deo : inſuper intellectus Divinus non prius, aut realiter , aut viatualiter cognoſcit obiectum in ſe , & poſtea tranſit ad cognitionem alterius obiecti,quod in primo cognoſcitur; ſed potius quodlibet obiectum in ſe , & quodlibet in alio vnica perfectiſsima attingit cognitione: vnde concludit,quod ſi nomine reflexionis nihil aliud intelligatur,quàm cognitio vnius in alio,cognitio divina de qua loquimur , eſt cognitio directa, & reflexa cuiuſvis ex his obiectis: cæterùm cum non per diſtinctam virtualiter cognitionem , aut expreſsionem cognoſcat ſe Deus in creaturis, à cognitione , & expreſsione, qua cognoſcit ſe in ſe ipſo, ideò ,cum cognoſcit ſe in creaturis cognitis in ſe ipſo, non datur alia nova reflexio; ſed vnico indiviſibili actu totus hic modus cognoſcendi peragitur ; nec vbi multiplicitas non eſt, poteſt eſſe infinitas reflexionum. Fatetur tandem, his non obſtantibus, poſſe noſtrum modum imperfectũ cognoſcendi facere reflexiones ſyncathegorematicè infinitas in conſideranda cognitione divina taliter , vt vltra quamvis , ſemper reſtet alia magis exprimens cognitionem Divinam.

57 Eſt quidem inefficax : cum argumentum non intendat infinitatem reflexionum , aut realiter , aut virtualiter diſtinctarum poſitivè ; ſed tantum negativè , in quantum non ſit præcisè realiter vna reflexio ; ſed alia , & alia realiter eodem ipſiſsimo ſenſu, quo apud ipſum dicitur , quod quamvis modus cognoſcendi in ſe , & in alio, tàm reſpectu Dei ; quàm reſpectu creaturæ nullam diſtinctionem realem , aut virtualem inter ſe admittat , non tamen id vetat , quod in ipſa cognitione realiter , & virtualiter eadem non ſit præcisè realiter modus cognoſcendi Deum in ſe ; verùm etiam cognoſcendi in creaturis , aut præcisè realiter modus cognoſcendi creaturas in ſe ipſis; verùm etiam cognoſcendi in Deo ; nec minus imperceptibile redditur abſque multiplicitate reali, aut virtuali cognitionis divinæ eam explicare tripliciter , aut quadrupliciter in modo, quo ſe habet erga obiecta , quæ exprimit , vt ipſe facit , & quidem per affirmationes veras in ſenſu reali quando aſſerit : *Divina cognitio non tantum* exprimit Deum in ſe ipſo;verum etiam in creaturis ; nec tantum exprimit creaturas in ſe ipſis ; ſed inſuper in Deo; quam explicare infinitè per inceſſabiles reflexiones , quibus in ſenſu etiam reali affirmetur : *Id de quo dicitur non eſſe præcisè realiter eo modo , quo dicitur ; ſed reſtare adhùc ſine fine alium, & alium modum, quo à nobis poſsit affirmari* , quibus omnibus intellectui divino infinito eſt ſimul præſentiſsima.

58 Dicendum: ex ſe non repugnare in divina cognitione,vtpotè infinita, & propria intellectus infiniti interminabilis reflexio,tantum aliena ab intellectu limitato,cuius debilitas non patitur, aut cathegorematicè , aut ſyncathegorematicè eam infinitatem reflexionum; cæterum advertendum eſt,adhùc in intellectu divino non contingere , cum repetitione formali eiuſdem expreſsionis ; ſed per manifeſtationem novæ formalitatis ſine termino , cuius expreſsioni, & ſi ſit neceſſaria expreſsio omnium formalitatum , aut terminorum

rum ad quæ dicit ordinem, id quod quasi denuo cognoscitur, non est per repetitionem expressionis habitæ; sed solùm per ordinem expressionis habitæ ad illam quasi novam expressionem alterius obiecti, quod sine primo non potest cognosci. Sit exemplum: in præsenti casu cognoscit se Deus in se ipso: cognoscit etiam creaturas in ipsismet creaturis: deinde cognoscit se in creaturis, & creaturas in se ipso: ly *cognoscere* se in creaturis, aut ly *cognoscere* creaturas in se ipso non est quasi repetere cognitionē sui, & creaturarum; sed eandem illam expressionem, qua cognoscebat se, & creaturas propter se, & propter creaturas dicere ordinem ad aliud motivum, scilicèt, ad se cognoscendum in creaturis, aut propter creaturas, & ad cognoscendas creaturas in se ipso, aut propter se ipsum.

59 Hinc, si argumentum solum intendat infinitatem reflexionum in divina cognitione, libenter conceditur, & negatur absurda in cognitione infinita, & propria intellectus divini, & infiniti; imò necessariò concedenda adhùc prescindendo à præsenti difficultate, vt alibi diximus, loquentes de amplitudine, & vniversalitate Scientiæ divinæ, vbi ex eo, quod ipsa cognitio divina supra se reflectat probavimus, eandem reflexionem esse etiam cognoscendam, quod stare nequit; quin inde pululent infinitæ reflexiones. At si vltra intendat, has infinitas reflexiones involvere infinitam repetitionem eiusdem expressionis formaliter sumptæ; fatemur vt absurdum talem processum, & negamus deduci ex nostra sententia: quod non aliter probat arguens, quàm per fallaciam illam puerilem, qua per iocum intēditur probare; *Tria esse quinque: quia vbi sunt tria sunt duo; duo, & tria sunt quinque: ergo vbi sunt tria sunt quinque*: quasi duo illa quæ enumerantur essent duo extra illa, quæ cum altera vnitate tria constituunt: sic similiter argumentum, aut fallitur, aut fallere intendit, quando vt probet infinitam repetitionem huius, quod est *Deum se cognoscere, aut cognoscere creaturas* accipit ly *se cognoscere*; aut ly *cognoscere creaturas*; ac si esset novum se cognoscere, aut novum cognoscere creaturas quando se cognoscit in creaturis, aut creaturas in se ipso, & non ipsissimum cognoscere se, & creaturas, quod constituit cognitionem Dei in se, & creaturarum in se ipsis, præcisè addens novum respectum ex novo motivo. Quod his brevibus terminis continetur: *Deus cognoscit se propter se, & propter creaturas; Deus cognoscit creaturas propter ipsas, & propter se.*

60 Pariter respondendum est, si intendat alius eandem vanam repetitionem divinæ cognitionis deducere ex eo, quod Deus præcisivè à creaturis possibilibus, si cum ipsis non connectatur, vt nostra, & aliorum fert sententia, aut pro priori ad creaturas existentes, vt incocussum est apud omnes, se cognoscit; vnde quando post signum possibilium, vel existentium se ipsum cognoscit, iterum repetet cognitionem sui, qua repetitione semel data, cæteræ, quæ vsque in infinitum prætenduntur, per se fluent. Respondendum igitur est consequenter ad dicta: quod quando Deus post primum signum, in quo se propter se cognoscit; se cognoscit in creaturis, & propter creaturas, ly *se cognoscere in creaturis* non addit novum cognoscere supra primum, quod sit repetitio primi; sed tantùm novum respectum *eiusdem cognoscere* ad diversum motivum, ex quo verificatur tantùm supra *cognoscere*, quod erat in primo signo, illud *in creaturis* non multiplicato *cognoscere*; sed *respectu*: modo quo, eadem vnitas, quæ est in ternario, & existit in se, & existit in binario, & existit in ternario; quin ly *existit in Binario, & existit in Ternario*, sit aliqua repetitio existentiæ, quam habet in se; verùm tantùm additio respectus coexistentiæ; vel ad vnum, vel ad duo.

61 Obijcies quintò. Deus cognoscit se, & creaturas propter se, & propter creaturas tanquam propter motiva adæquata; sed casu, quo se cognosceret in creaturis, non cognosceret se propter se tanquam per motivum adæquatum: ergo Deus non se cognoscit in creaturis. Maior videtur certa: quia si Deus non cognosceret se, & creaturas propter se, & propter creaturas tanquam propter motiva adæquata, aut id esset, vel quia veritas Dei, & creaturarum non haberent in se sufficientiam obiectivam, vt sibi independenter ab alio præstaretur assensus, vel quia, etsi haberent, Deo proponeretur sufficientia obiectiva, quam habent obiecta in se, quod neutrum dici valet. Probo minorem. Si

Deus ſe cognoſceret in creaturis, aſſenſus, quem Deus præbet veritati obiectivæ ſui, ſtare non poſſet abſque aſſenſu eiuſdem veritatis propter creaturas, quas neceſſariò cognoſcit: ergo motivum veritatis obiectivæ ſui non poſſet movere divinum intellectum, niſi in conſortio alterius motivi, ſcilicèt, veritatis obiectivæ creaturarum, ex qua moveretur ad præſtandum aſſenſum eidem veritati obiectivæ divinæ; ſed quando motivum ad vnam veritatem non poteſt movere niſi in conſortio alterius etiam moventis ad eundem aſſenſum non movet, vt motivum adæquatum: ergo caſu, quo Deus ſe cognoſceret in creaturis, non cognoſceret ſe propter ſe tanquam propter motivum adæquatum.

62 Reſpondeo, quod qua parte Deus ſe cognoſcit in creaturis, vt attinet ad præſentem quęſtionem, nullius efficaciæ eſt argumentum pręſens iuxta noſtram ſententiam, in qua Deum inconnexum abſolutè cum poſsibilitate poſsibilium defendimus: vnde ſicut Deus ex ſe nō infert obiectivam veritatem creaturarum in ratione poſsibilium; ſed quatenus eſt ex ſe permittit deficere, ita vt tota neceſsitas, quæ datur de eo, quod poſsibilia talia ſint, ſit extrinſeca Deo, ita ſimiliter cognitio, qua Deus ſe propter ſe cognoſcit, ex ſe præſcindit ab eo, quod ſit motivum veritatis obiectivæ creatæ in qua Deus cognoſcatur, totaque neceſsitas, quæ datur talis motivi, eſt extrinſeca cognitioni divinæ, qua Deus ſe propter ſe cognoſcit, quæ eodem modo perſeveraret etſi deficeret tendentia ad creaturas, in quibus Deus defacto ſe cognoſcit. Ideò ad formam permiſſa maiori nego minorem. Ad cuius Probationem: diſtingo maiorem. Si Deus ſe cognoſceret in creaturis, aſſenſus, quem Deus præbet veritati obiectivæ ſui ſtare non poſſet, abſque aſſenſu eiuſdem veritatis propter creaturas *ex impotentia intrinſeca aſſenſus, quo Deus ſe propter ſe cognoſcit*: Nego maiorem; *ex impotentia extrinſeca, & proveniente à neceſsitate creaturarum in ratione poſsibilium*, concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Quando motivum ad vnam veritatem non poteſt movere, niſi in conſortio alterius etiam moventis ad eundem aſſenſum, *ex impotentia intrinſeca ad exiſtendum ſine alio*, non movet, vt motivum adæquatum concedo minorem; *ex impotentia tantum extrinſeca ad exiſtendum ſine alio*: Nego minorem, & conſequentiam.

63 Verum, quia licèt ex hoc capite argumentum deficiat; integrum tamen manet, quoad cognitionem creaturarum, quæ veluti connexæ cum Deo, non poſſunt terminare divinam cognitionem in ſe ipſis; quin ex propria determinatione ipſarum cognoſcantur à Deo in ſe ipſo; aliter reſponderi debet ſuppoſita connexione Dei cum poſsibilibus. Diſtinguo maiorem. Deus cognoſcit ſe, & creaturas tanquam propter motiva adæquata *virtualiter*, concedo maiorem. *Realiter*, nego mai. & diſtinguo min. caſu, quo ſe cognoſceret in creaturis, non cognoſceret ſe propter ſe tanquā propter motivum adæquatum *realiter*, concedo minorem; adæquatum *virtualiter*, nego minorem, & conſequentiam. Ad minoris Probationem conceſſa maiori diſtinguo minorem. Quando motivum ad vnam veritatem non poteſt movere niſi in conſortio alterius, etiam moventis ad eundem aſſenſum, non movet, vt motivum adæquatum, *ſi impotentia proveniat ex defectu ſufficientiæ ad movendum*. Concedo minorem. *Si impotentia* proveniat *ex ſola dependentia in exiſtendo, quam habet vnū motivum ab alio*, ſub diſtinguo: non movet vt motivum adæquatum *realiter*, concedo minorem: vt motivum adæquatum *virtualiter*, nego min. & conſequentiam.

64 Ratio terminorum eſt: motivum adæquatum actus *realiter* ſumptum illud dicitur, quod ita ſufficienter movet ad actum, vt illo ſolo exiſtente, valeat exiſtere actus; motivum vero adæquatum *virtualiter*, illud, quod quamvis non poſsit exiſtere actus illo ſolo exiſtente propter dependentiam, quam in exiſtendo habet ab alio motivo; tamen æquivalet motivo adæquato realiter quoad ſufficientiam movendi, qua in determinando actum ſe habet, ac motivum illud, quod independenter ab omni alio movet ad actum, in quantum intellectus ex fundamento, quod in ipſo invenit ad aſſentiendum obiecto, illud amplectitur quaſi rationē obiectivā ſufficientem, & titulum plenum aſſentiendi veritati materialiter acceptæ: quod eſt idem, ac tendere quodam modo virtualiter diviſibili, non aliter explicabili, quàm per hanc tendentiam: *Aſſentio huic obiecto propter rationem A. & aſſentio eidem obiecto propter rationem B.* prout contra diſtincto ab altero modo realiter, & virtua-

tualiter indiuisibili ; non aliter etiam explicabili quàm sub hac tendentia: *Assentio huic obiecto propter rationem A. & B.* vel si mavis sub his terminis : *Quod ita appretiatur ab intellectu in ordine ad assentiendum, vt si posset existere sine alio eodem modo moveret ad assentiendum intrinsecè propter ipsum, ac modo movet*, huiusmodi est assensus, quem Deus præbet sibi ipsi propter se, & propter creaturas, & creaturis propter ipsas, & propter se, apretiando quodvis motivum, vt ex se sufficiens: ideoque in prædicta linea virtuali in adæquationem excludens, quidquid sit, an in linea reali dici non possint aut Deus, aut creaturæ motivum adæquatum.

65 Rogabis : An sicut Deus se cognoscit in possibilibus ; sic etiam se cognoscat in impossibilibus? Ratio dubitandi esse potest: Nam Deus non videtur terminus connexionis impossibilium: siquidem, vt talis probaretur, erat necessarium, quod deficiente Deo deficerent impossibilia, cum à defectu termini connexionis metaphisicæ ad defectum fundamenti connexionis metaphisicæ benè valeat consequentia ; sed deficiente Deo non deficerent impossibilia; imò potius omnia in ratione talium firmarentur: ergo impossibilia non connectuntur metaphisicè cum Deo: At totum fundamentum, quare Deus se cognosceret in impossibilibus deberet esse connexio metaphisica, quæ deficit: ergo Deus nō se cognoscit in impossibilibus.

66 Dicendum nihilominus: Deum se cognoscere in impossibilibus, & hæc, vt de facto sunt impossibilia, connecti metaphisicè cum Deo : benequè valere, *deficiente Deo non manere impossibilia, vt de facto sunt ex proprio conceptu.* Probatur mihi efficacissime : impossibilia, vt de facto sunt ex proprio conceptu ob suam repugnantiam necessariam, necessariò non existunt, & necessariò verificant hanc propositionem : *Impossibile est exclusum à rebus*; sed casu, quo Deus deficeret, impossibilia ob suam necessariam repugnantiam non necessariò deficerent à rebus; nec necessariò verificarent hanc propositionem *impossibile est exclusum à rebus* : ergo impossibilia, vt de facto sunt ex proprio conceptu, connectuntur metaphisicè cum Deo. Probatur minor. Casu, quo Deus deficeret, omne possibile in esse talis deficeret; sed vnum ex possibilibus est exclusivum necessarium impossibilium, quo deficiente impossibilia ob suam necessariam repugnantiam non necessariò deficerent à rebus, nec necessariò verificarent hanc propositionem : *impossibile est exclusum à rebus*: ergo casu, quo Deus deficeret, impossibilia ob suam necessariam repugnantiam non necessariò deficerent à rebus; nec necessariò verificarent hanc propositionem *impossibile est exclusum à rebus.*

67 Vnde ad fundamentum oppositum in ratione dubitandi dicendum: Deum esse terminum connexionis impossibilium omnium, prout de facto sunt, quæ quamvis in casu, quo Deus deficeret, manerent impossibilia, cum non manerent impossibilia, vt modo sunt, id non potest esse fundamentum ad negandam connexionem, & dependentiam, quam habent à Deo, vt modo sunt, & vt sint medium obiectivum titulo talis connexionis, vt Deus se in illis cognoscat, sicut se cognoscit in possibilibus, & existentibus.

CAPVT III.

An Deus cognoscat creaturas in se ipso.

68 SVPPONENDVM est primò pro quæstionis intelligentia: creaturas posse considerari in varijs statibus: scilicèt, in statu existentiæ præsentiæ, præteritæ, & futuræ, & in statu possibilitatis : de omnibus his procedit quæstio, & inquirit: an Deus cognoscat creaturas in omnibus his statibus consideratas in se ipso, & in suis prædicatis tanquam in medio obiectiue determinante ad cognoscendas creaturas, tùm vt possibiles, tùm vt existentes? Nec similiter omittit quæstio obiecta impossibilia; sed supposito, hæc esse à Deo cognoscibilia, idem de ipsis, ac de possibilibus inquirit.

69 Supponendum est secundo. cum varia sint Authorum iudicia circa modum, quo diuina Omnipotentia comparatur ad possibilia, & impossibilia: Nam quidam dicunt : Omnipotentiam non connecti cum aliquo possibili,

aut impoſsibili: Alij è contrario connecti cũ omni poſsibili,& impoſsibili: Alij media via incedentes non connecti cum poſsibilibus; nec cum omni impoſsibili; ſed præcisè cum impoſsibilibus pugnantibus [formaliter cum aliqua perfectione divina, *vt alter Deus*; *mendatium Dei*: Alij non connecti cum omnibus poſsibilibus; verùm vagè, & indeterminatè cum aliquo cumulo poſsibilium, ita taliter, vt Deus ſit ex ſe determinatus metaphiſicè,ne ſibi deficiant infinita poſsibilia hæc,vel illa, in quibus poſsit proximè exercere ſuam Omnipotentiam; quamvis ex ſe permittat deficere hæc,vel illa poſsibilia , dummodo non ſit in ſenſu compoſito de eo , quod omnia deficiant. Vnum debet eſſe certum ex antecedenter dictis in hac diſputatione ; ac proinde extra præſens dubium,ſcilicèt Deum eo modo,quo connectatur cum poſsibilibus, aut impoſsibilibus cognoſcere illa in ſe ipſo,vtpote in vi connexionis , quam Deus habeat, eſt medium , quod obiective propoſitum inducit in aſſenſum , & cognitionem poſsibilium ,& impoſsibilium, quæ ſunt termini connexionis; ideo quæſtio devolvitur ad Omnipotentiam, & prædicata divina ex ſuppoſitione,quod non connectantur, cum poſsibilibus, aut impoſsibilibus , & inquirit. An tali facta ſuppoſitione adhùc Deus cognoſcat poſsibilia,& impoſsibilia in ſe ipſo?

70 Supponendum eſt tertiò. In ſententia plurium conſtituentium actus divinos contingentes adæquatè intrinſecos Deo, dari aliquid divinum, aut virtualiter contingens; aut realiter reſpectivè defectibile, prout ſunt diverſi ſentiendi modi , inquo contingenti divino debet eſſe omninò extra controverſiam, ſuppoſita inconnexione Omnipotentiæ cum poſsibilium poſsibilitate, & impoſsibilium impoſsibilitate,Deum cognoſcere poſsibilia , & impoſsibilia , ac per conſequens in ſe ipſo,prout dicente denominationem illam contingentem adæquatè ſibi intrinſecam , ſcilicèt , in cognitione ſibi ab intrinſeco contingente,qua pro tali caſu cognoſceret poſsibilia,& impoſsibilia: Propterea, quod inveſtigamus eſt : An ſuppoſita inconnexione Dei cum posibilibus, & impoſsibilibus; adhùc cognoſcat poſsibilia, & impoſsibilia ; imò,& exiſtentia,non ſolum ſecundum prædicata illa , & denominationes contingentes ſibi adæquatè intrinſecas; ſed etiam ſecundum prædicata ſibi neceſſaria, & in ipſis obiectivè propoſitis?

71 In qua quæſtione ſic propoſita,& intellecta duplex eſt ſententia:vna, quæ aſſerit, ſuppoſita inconnexione Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus Deũ non cognoſcere poſsibilia , & impoſsibilia in ſe ipſo tanquam in medio obiective propoſito , quæ quidem communiſsima eſt , eamque ſequitur Herrera quæſtione 6. de Scientia ſect. 2. Altera per oppoſitum tenet , adhùc tali inconnexione ſuppoſita Deum cognoſcere creaturas omnes non modo poſsibiles; verùm, & exiſtentes, inſuperque impoſsibilia in ſua Omnipotentia: hanc defendit Izquierdo tom. 2. de Deo diſputatione 25. quæſtione 2. ſequens alios Recentiores , quibus etiam adhærent ſapientiſsimi alij noſtri Doctores quondam huius Academiæ Complutenſis Primarij.Quibus præſuppoſitis.

72 Sit prima concluſio noſtra. Ex ſuppoſitione quod Deus connecteretur cum poſsibilibus, in vi præcisè huius connexionis Deus non cognoſceret in Omnipotentia impoſsibilia. Probatur: quia vt diximus in Philoſophia , Deum connecti cum poſsibilibus non probat connecti cum impoſsibilibus: ergo in vi connexionis Omnipotentiæ cum poſsibilibus non cognoſceret Deus impoſsibilia in ſe ipſo. Antecedens alibi latè probatum, ſic breviter, vt præſens innoteſcat concluſio,probatur. Si Deus connecteretur cum poſsibilibus , ideò eſſet (nam omnem aliam rationem innutilem iudicamus) quia Omnipotentiæ ex ſe conſideratæ debet concedi maior potentia, maiorque eſt Potentia ſubiectivè,& obiectivè abſoluta,quàm Potentia ſubiectivè abſoluta,& obiectivè, ſeu terminativè conditionata , potentia ab intrinſeco,& eſſentialiter completa,quàm tantum ab intrinſeco incompleta : ſed hæc ratio probat Deum non connecti cum impoſsibilibus:ergo ex connexione Dei cum poſsibilibus non infertur connexio Dei cum impoſsibilibus.Probatur min. Sicut maior eſt Potentia ſubiectivè,& terminativè abſoluta reſpectu termini,qui poteſt produci; quàm ſubiectivè tantum abſoluta,ſic eſt maior potentia ſubiectivè abſoluta , & terminativè conditionata reſpectu termini impoſsibilis; quàm nulla potentia nec ſubiectivè,nec determinativè abſoluta; ſed primum

mum propter perfectionis exceſſum conceditur Deo: ergo,& ſecundum; ſed eo dato Deus non connectitur cum impoſsibilibus : ergo ratio , quæ probat Deum connecti cum poſsibilibus , non probat connecti cum impoſsibilibus.

73 Confirmatur: ideò à ſuis Authoribus Deus adſtruitur connexus cum poſsibilibus, vt ex ſe,& ab intrinſeco habeat terminos ad exercendam potentiam liberalitatem, &c. ſed quod Deus ex ſe,& ab intrinſeco ſit determinatus ad habendum terminos in quibus exerceat Omnipotentiam Liberalitatem, &c. non probat ex ſe,non permittere eſſe alios quam plures terminos , in quibus, ſi non ab intrinſeco,ſaltem ab extrinſeco poſit exercere Omnipotentiam Liberalitatem,&c: ergo Deum connecti cum poſsibilibus, non infert connecti cum impoſsibilibus.

74 Sit ſecunda Concluſio , etiam conſequenter ad dicta in Philoſophia. Si Deus connecteretur cum impoſsibilibus, in vi talis connexionis cognoſceret Deus poſsibilia in ſe ipſo. Probatur: Deũ connecti cum impoſsibilibus,infert Deũ connecti cum poſsibilibus : ergo in vi connexionis cum impoſsibilibus cognoſceret Deus in ſe ipſo poſsibilia. Probatur antecedens : in tantum Deus connecteretur cum impoſsibilibus, in quantum Deo reſpectu alicuius termini , vel nulla potentia eſt concedenda , vel pleniſsima , & expedita ex ſe , ſed reſpectu termini impoſsibilis , cum talis ſit , non poteſt concedi poteſtas pleniſsima,& expedita ; ſed tantum ſubiectivè abſoluta: ergo nulla eſt concedenda;ſed hæc ratio probat, Deũ connecti cum poſsibilibus, ergo Deũ connecti cum impoſsibilibus probat Deum connecti cum poſsibilibus: Maior eſt certa : quia nobis inconnexionem Dei defendentibus nulla alia ratio apparet alicuius ponderis, vt Deus connectatur cum impoſsibilibus , quam aſsignata. Probatur iam minor. Reſpectu termini poſsibilis aliqua potentia eſt Deo concedenda , cum ſit abſolutè producibilis per Omnipotentiam , ſed ſi aliqua eſt concedenda , debet concedi ab intrinſeco pleniſsima , expedita , & completa : ergo Deus ab intrinſeco eſt potentia completa, & expedita reſpectu poſsibilium: ſed eſſe ab intrinſeco potentiam completam, & expeditam reſpectu poſsibilium, eſt Omnipotentiam connecti cũ poſsibilibus: ergo ratio, quę probat Omnipotentiam connecti cum impoſsibilibus probat connecti cũ poſsibilibus.

75 Vrgetur primò. Si Deus connectitur cum impoſsibilibus, Deus ex ſe, & ab intrinſeco perit, nullo modo poſſe producere id quod ab intrinſeco improducibile eſt : ergo à contrario exiget omnimodo poſſe producere id,quod ab intrinſeco producibile eſt : ſed aliquis modus potentiæ eſt poſſe *abſolutè* producere : ergo ab intrinſeco habet poſſe abſolutè, tàm ſubiectivè, quàm terminativè producere,quod poſsibile eſt,ſed hoc eſt connecti cum poſsibilibus : ergo ſi connectitur cum impoſsibilibus, connectitur etiam cum poſsibilibus. Vrgetur ſecundò. Si Deus connectitur cum impoſsibilibus , Deus ab intrinſeco habet, non poſſe producere aliquid ſcilicèt impoſsibile, non verò non poſſe producere omne , ſcilicèt impoſsibile , & poſsibile: ergo ab intrinſeco diverſo modo ſe habet circa impoſsibile, ac circa poſsibile, ſed hoc eſt ab intrinſeco inferre poſsibile , non eſſe impoſsibile , ac per conſequens connecti cum eo,quod impoſsibile ſit impoſsibile, & non ſit poſsibile , & poſsibile eſſe poſsibile & non eſſe impoſsibile : ergo ſi connectitur cum impoſsibilibus connectitur etiã cũ poſsibilibus.

CAPVT IV.

Solvit objectiones contra has duas Concluſiones.

76 OBijcies 1. Deus connexus cum poſsibilibus connectitur cum eo,quod poſsibilia, non ſint impoſsibilia: ergo connectitur cum impoſsibilibus. Antecedens eſt certum. Probatur conſequentia. Si Deus connectitur cum eo,quod poſsibilia,non ſint impoſsibilia, connectitur cum eo, quod poſsibilia diſtinguantur ab impoſsibilibus,ſed connecti cum eo, quod poſsibilia diſtinguantur ab impoſsibilibus , eſt connecti cum impoſsibilibus: ergo connectitur cum impoſsibilibus. Probo minorem: connecti cum eo , quod poſsibilia non ſint impoſsibilia , eſt connecti cum eo, quod impoſsibilia , non ſint poſsibilia, quia tàm poſsibile,non eſſet poſsibile , ſi poſsibile eſſet impoſsibile , quàm ſi impoſsibile fieret poſsibile : ſed hoc eſt , vt per ſe patet, connecti cum eo, quod impoſsibile ſit impoſsibile: ergo Deus connexus

nexus cum posſibilibus connecteretur cum impoſsibilibus, ac per conſequens data connexione Dei cum poſsibilibus, cognoſceret in Omnipotentia impoſsibilia.

77 Vt clara fiat ſolutio, & detegatur argumenti æquivocatio. Advertendum eſt: dupliciter poſſe vnum extremum diſtingui ab alio, vel diſtinctione ex parte vtriuſque extremi poſitiva, vel diſtinctione ex parte vnius extremi poſitiva, ex parte vero alterius negativa: Tum duo diſtinguntur vtrimque poſitivè: quando datur vnum quod non ſit aliud, & aliud, quod non ſit vnum. Tunc inadæquate poſitivè, quando datur vnum, quod per ſe eſt id, quod eſt, & non eſt aliud, non verò aliud datur, quod per ſe ſit id, quod eſt, & non ſit vnum. Explicatur exemplo. Dupliciter poteſt Petrus diſtingui à Paulo, vel quia dantur in rebus Petrus, & Paulus, & Petrus non eſt Paulus, vel quia in rebus datur ſolus Petrus, qui per ſe eſt id, quod eſt, & nihil involvit quod ſit Paulus: in primo caſu diſtinguitur Petrus à Paulo vtrimque poſitivè; in ſecundo diſtinguitur ex ſe poſitivè; negativè verò ex parte Pauli. Iam primus modus diſtinctionis minimè neceſſarius eſt, vt Petrus ſit id, quod eſt realiter, & eſſentialiter, non involvat Paulum in ſuis prædicatis: nam extrinſecum quid eſt prædicatis Petri, quod detur Paulus, qui non ſit Petrus; Aſt ſecundus modus diſtinctionis neceſſarius eſt Petro, qui ex ſe habet eſſe id, quod eſt, & in eo, quod eſt, nihil involvit, quod ſit Paulus; imò numquam melius Petrus, non erit Paulus, ac quando, vel non datur, vel repugnet Paulus. Et vt vno verbo accipias doctrinam datam, tene *Petrum* dupliciter poſſe diſtingui à Paulo, vel quia datur Paulus, qui non ſit Petrus, vel quia dato Petro non datur Paulus, qui poſsit eſſe Petrus.

78 Ad argumentum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorem. Connectitur cum eo, quod poſsibilia diſtinguantur ab impoſsibilibus *vtrimque poſsitivè* nego maiorem: *poſsitivè* ex parte poſsibilium; *negativè* verò ex parte impoſsibilium concedo maiorem; & diſtinguo minorem. Connecti cum eo, quod poſsibilia diſtinguantur ab impoſsibilibus *vtrimque poſsitivè*, eſt connecti cum impoſsibilibus, concedo minorem: *partim poſsitivè* ex parte poſsibilium, nego minorem, & nego conſequentiam. Itaque Deus in tali ſuppoſitione, quod præciſsè infert, eſt *poſsibilia eſſe poſsibilia*, & nullum prædicatum involvere repugnantiæ: cum autem, vt poſsibilia nullum prædicatum involvant repugnantiæ, neceſſarium non ſit dari prædicatum repugnans, ſed vel dari illud, & hoc non involvi in poſsibili, vel penitus extingui tale prædicatum repugnans, aut in poſsibile tranſmutari, ideò, vt poſsibilia non ſint impoſsibilia, non eſt neceſſarium impoſsibilia ex proprio conceptu, talia perſeverare.

79 Obijcies 2. In tali ſuppoſitione Deus inferret ex ſe impoſsibilia non eſſe poſsibilia: ergo inferret impoſsibilia eſſe impoſsibilia. Probo antecedens: ſi impoſsibilia fierent poſsibilia, fierent poſsibilia, quæ modo dantur: nam non ſunt alia poſsibilia, cum quibus poſſet permutare eſſentiam: ergo iam poſsibilia, quæ modo dantur, non eſſent præciſsè id quod modo ſunt, ſed Deus connectitur in tali ſuppoſitione cum eo, quod poſsibilia quæ modo dantur, ſint id præciſsè, quod modo ſunt: ergo Deus in tali ſuppoſitione inferret impoſsibilia non fieri poſsibilia.

80 Ad Argumentum poteſt primò reſponderi tranſmiſſo antecedente, & negando conſequentiam, quia impoſsibile dupliciter poteſt relinquere eſſentiam impoſsibilis, vel per commutationem ſuæ eſſentiæ cum eſſentia poſsibilis, vel per extinctionem, & anihilationem propriæ eſſentiæ, proprijque conceptus, modo quo in phiſicis ſubiectum album dupliciter poteſt non eſſe album, vel per commutationem albedinis cum nigredine, vel per deſtructionem albedinis, aut ſubiecti, cum autem vt impoſsibilia non ſint impoſsibilia, non requiratur determinatè, quod fiant poſsibilia; ſed vel, quod fiant poſsibilia, vel non ſint per deſtructionem proprij conceptus, indè quamvis concedatur, Deum inferre impoſsibilia non eſſe poſsibilia, minimè infertur, inferre impoſsibilia eſſe impoſsibilia.

81 Sed replicabis: ergo ſaltem in hoc modo diſcurrendi innegabile eſt, Deum inferre impoſsibilia non eſſe poſsibilia: ergo in hoc modo diſcurrendi neceſſarium eſt impoſsibilia non eſſe poſsibilia: ergo eius oppoſitum eſt impoſsibile; patet, quia oppoſitum cuiuſvis neceſſarij, eo modo quo neceſſarium eſt,

est, est impossibile: ergo oppositum huius, quod est impossibilia non esse possibilia, cum hoc sit necessarium, erit impossibile: benè: ergo Deus connectitur saltem cum eo, quod sit impossibile, *impossibilia esse possibilia*: ergo Deus eo ipso, quod connectatur cum possibilibus, non erit expers connexionis cum aliquo impossibili.

82 Ad replicam dupliciter responderi potest. Primò: asserendo aliud esse, quod naturæ rerum ex se ferunt, aliud, quod Deus ex se, & ex sua natura permittit. Igitur attentis conceptibus, & naturis rerum, oppositum cuiusvis necessarij est impossibile; at attenta natura Dei, Deus ex se permittit propter suam independentiam, quod oppositum necessarij non sit impossibile: itaque in præsenti casu, quod Deus ex se exigit, est: *impossibilia non esse possibilia*, & hoc facit necessarium; at ex se permittit, oppositum non esse impossibile: non quia permittat fieri possibile; sed quia ex se permittit extingui, & anihilari conceptum illum quia tam necessarium maneret impossibile non esse possibile, si oppositum huius esset impossibile, quàm si oppositum huius non esset conceptibile: quia extingueretur talis conceptus.

83 Respondeo secundò: Deum inferre oppositum illius necessarij esse impossibile non absolutè; sed ex suppositione, hoc est Deus inferret oppositum illius necessarij, dum maneret cum conceptu, & natura *oppositi* illius necessarij; at verò ex se permitteret illud commutare suam essentiam, & sic commutata essentia, quod esset possibile, neque hoc derogat nostræ conclusioni: quia in ipsa; quod intendimus, est, asserere, connexionem Dei cum possibilibus non inferre dependentiam, Dei absolutam ab impossibilibus, cui minimè opponitur dependentia conditionata: modo, quo in communi sententia Deus non connectitur absolutè cum eo, quod existant creaturæ; at ex suppositione, quod illas decernat, connectitur cum eo, quod existant: quia connectitur cum eo, quod sua voluntas efficax non sit frustrabilis, neque hoc est independentiæ absolutæ Dei à rerum existentijs derogare.

84 Iam ad argumentum num. 79. propositum. Respondeo secundò: negando antecedens. Ad eius probationem, nego maiorem; nam in tali casu, si impossibilia fierent possibilia, non fierent possibilia, quæ modo dantur; sed alia, quæ de novo fierent, neque enim maior repugnantia vinceretur in eo, quod fierent possibilia, quæ de facto dantur; quàm in eo quod fierent alia possibilia, quæ de novo pulularent, & quæ Deus, quatenus est ex se, permitteret, quin ipsis ex aliquo capite opponatur.

85 Objcies tertiò. Deus connexus cum impossibilibus est ex se determinatus essentialiter *his possibilibus*, & repugnans essentialiter *non his possibilibus*; sed omnia impossibilia sunt *non hæc possibilia*: ergo Deus ex se, & ab intrinseco repugnat omnibus impossibilibus: sed repugnare omnibus impossibilibus, est inferre, esse impossibilia: ergo connectitur cum impossibilibus. Probo minorem adeo difficilem, vt appareat continere implicationem in terminis. Deum essentialiter repugnare alicui, infert esse tale, quod si existat, implicet contradictionem: nam si existeret, repugnaret Deus; sed esse tale, quod si existat, implicabit, est esse impossibile: ergo Deum repugnare impossibilibus, est inferre esse impossibilia.

86 Ad argumentum distinguo maiorem Deus connexus cum possibilibus est ex se determinatus *his possibilibus*, & repugnans essentialiter *non his possibilibus, per distinctionem*, nego maiorem; *Non his possibilibus per exclusionem*, concedo maiorem, & distinguo minorem. Omnia impossibilia sunt *non hæc possibilia per distinctionem*, concedo minorem; *per exclusionem* nego minorem: ergo. Nego consequentiam. Itaque dupliciter potest vnum non esse aliud, vel per distinctionem: quia non est illud; vel per exclusionem: quia est *non esse* illius; impossibilia autem sunt *non possibilia*: quia distinguntur ab illis; non vero sunt *non possibilia*: quia sint carentia, seu non esse possibilium. Deus ergo repugnat *non esse* horum possibilium per exclusionem; quia sic deficerent possibilia, ac per consequens terminus connexionis Omnipotentiæ; ast non repugnat *non esse* per distinctionem: quia cum tali non esse possunt perseverare possibilia in esse talium.

87 Insistes: ergo ad minus infert Deus ex se, esse impossibile *non esse hæc possibilia per exclusionem*: ergo connectitur

tur cum aliquo impoſsibili, ſi connectitur cum poſsibilibus. Reſpondeo dupliciter, vt iam ſupra ad ſimile reſpondi: vel aſſerendo Deum præcisè inferre conceptum illum, *non eſſe hæc poſsibilia per excluſionem*, non eſſe poſsibilem, at vero eſſe impoſsibilem non infert: quia ex ſe permittit, talem conceptum ita extingui, & anihilari, vt neque ſit poſsibile neque impoſsibile; ſed in tali ſtatu conſtituatur, vt ſub nulla expreſsione ſit conceptibilis: vel dicendo ſecundo: Deum inferre, conceptum illum eſſe impoſsibilem non abſolutè; ſed ex ſuppoſitione, quod maneat cum hac eſſentia, *non eſſe hæc poſsibilia per excluſionem*, quam ſuppoſitionem Deus ſecum non trahit; ſed permittit commutare eſſentiam ſuam cum Equo poſsibili, vel Leone, vel Homine.

88 Hoc eodem modo reſpondendum eſt aliis argumentis, quæ brevitatis cauſa non latè propono; ſed inſinuo nitentibus in eo, quod adhùc in tali ſuppoſitione Deus connectitur cum impoſsibilitate *non connexionis cum poſsibilibus, ſui mendacij, ſuæ non Æternitatis, Immenſitatis, &c.* quibus omnibus adaptanda eſt duplex ſolutio data in antecedentibus, quatenus Deus ex ſuis intrinſecis contentus eſt cum eo, quod tales conceptus non ſint; vel quia ſint impoſsibiles, vel quia eſſentia illorum anihiletur: aut aliter: Deum inferre *mendatium*, &c. eſſe impoſsibilia, dum manent cum tali eſſentia; ſed ex ſe permittere talem eſſentiam relinquere, & alterius poſsibilis denuo facti eſſentiam induere.

89 Obijcies quartò. Contra ſecundam concluſionem. Per nos ſi admittatur Deus connexus cum impoſsibilibus debet admitti connexus cum poſsibilibus: ergo ſi Deus connectatur cum poſsibilibus, debet admitti connexus cum impoſsibilibus. Probo conſequentiam. Ideo Deus connexus cum impoſsibilibus debet connecti cum poſsibilibus, quia æqualis ratio eſt, vt connectatur cum impoſsibilibus, ac cum poſsibilibus; ſed hoc probat, quod ſi connectatur cum poſsibilibus, debet connecti cum impoſsibilibus: ergo Deus connexus cum poſsibilibus debet admitti connexus cum impoſsibilibus. Probo minorem. Quotieſcumque inter duo extrema datur æqualis ratio, & æquale fundamentum, vt exiſtat vnum, ac aliud, exiſtente quolibet exiſtunt duo: ſed per nos datur æquale fundamentum, vt Deus connectatur cum impoſsibilibus, ac cum poſsibilibus: ergo exiſtente in Deo qualibet harum connexionum exiſtunt ambæ: ergo tam verum eſt, quod ſi Deus connectatur cum poſsibilibus, connectetur cum impoſsibilibus, ac eſt verum, quod ſi connectatur cum impoſsibilibus, connectetur cum poſsibilibus.

90 Ad argumentum, conceſſo antecedenti nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorem: ideo Deus connexus, &c. quia æqualis ratio eſt, vt connectatur cum impoſsibilibus, ac cum poſsibilibus *abſolutè*, nego maiorem; *ex ſuppoſitione, quod connectatur cum impoſsibilibus*, concedo maiorem; & deinde nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Quotieſcumque inter duo extrema datur æqualis ratio *abſolutè*, vt exiſtat vnum, ac exiſtat aliud, exiſtente quolibet exiſtunt duo, concedo maiorem. Quotieſcumque inter duo extrema datur æqualis ratio *ex ſuppoſitione exiſtentiæ vnius*, vt exiſtat vnum, ac exiſtat aliud, &c. nego maiorem: & ſub eiſdem terminis diſtincta minori, nego conſequentiam.

91 Explicatur ſolutio, qua ſimul lucem dabimus concluſionibus ſtabilitis. Itaque nos defendimus inconnexionem Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, & tantum per quandam ſuppoſitionem, ex ſe repugnantem admittimus in Deo aliquam connexionem, qua ſuppoſitione facta, aſſerimus pro connexione Dei cum poſsibilibus poſſe inveniri aliquam rationem, qua ducti eam aſſeramus, & quæ connexionem cum impoſsibilibus non probet, neque in vi illius cogamur, talem connexionem adſtruere; at vero pro connexione Dei cum impoſsibilibus nullam rationem inveniremus, quæ ſimiliter non probaret Deum connecti cum poſsibilibus. Hinc in argumenti ſolutione diximus, non dari æqualem rationem, & fundamentum *abſolutè*, vt aſſeratur vtraque connexio: quia aliqua ratio ſtat pro poſsibilibus, quæ pro impoſsibilibus non militat; ſed ſtat æqualis ratio *ex ſuppoſitione*: quia ſi velimus probare, Deū connecti cum impoſsibilibus, hoc probare non valebimus in ſenſu diviſo à connexione cum poſsibilibus.

CA-

CAPVT V.

Reliquas Conclusiones proponit.

92 SIT Tertia Conclusio. In sententia asserente: Deum non connecti cum possibilitate possibilium, nec cum impossibilitate impossibilium, si nulla alia fiat suppositio, Deus non cognoscit creaturas possibiles, aut impossibilia in Omnipotentia, aut in alio quovis prædicato realiter, & virtualiter necessario. Probatur: in tali suppositione, & nullo alio addito, quod vis prædicatum Dei realiter, & virtualiter necessarium est ex se indifferens ad possibile, & non possibile: ad impossibile, & non impossibile: ergo Deus in nullo prædicato realiter, & virtualiter necessario potest cognoscere possibilia, & impossibilia. Antecedens est certum: quid enim aliud est Deum secundum sua prædicata realiter, & virtualiter necessaria non connecti cum possibilibus; quàm Deum ex se, & secundum talia prædicata permittere extinctionem possibilis, & impossibilis? Consequentia meo iudicio clarè probatur: cognoscere vnum in alio est cognoscere vnum ex determinatione obiectiva alterius; sed nihil obiectivè indifferens ad aliquid est obiectivè determinatum ad illud: ergo nihil obiectivè indifferens ad aliud potest esse medium, in quo illud cognoscatur: ergo; sed Omnipotentia, & reliqua prædicata realiter, & virtualiter necessaria in Deo, vtpotè inconnexa cum possibilibus, & impossibilibus, sunt obiectivè indifferentia ad possibilia, & impossibilia: ergo in ipsis cognosci non valent possibilia, & impossibilia.

93 Confirmatur: intellectui perfectissimo, & incapaci erroris, vt est Divinus, non potest esse ratio obiectiva assentiendi extremo *A* id, quod obiectivè non affert potius *A*; quàm defectum *A*; sed prædicata divina realiter, & virtualiter necessaria in suppositione inconnexionis obiectivæ ex se non afferunt possibilitatem, & impossibilitatem; potius quàm oppositum: ergo non possunt esse intellectui diuino ratio obiectiva assentiendi possibilibus, & impossibilibus.

94 Sed dices: vt vnum cognoscatur in alio, non est necesse, quod id, in quo cognoscitur, connectatur cum illo; sed sufficit referri transcendentaliter ad illud, quod stare valet absque connexione, vt patet in hac cognitione *Petrus currit*, quæ quidem transcendentaliter refertur ad Petrum, & cursum, non tamen connectitur cum illis: quia potest esse falsa. Si ergo stare potest relatio ad aliud sine connexione cum illo, & aliunde evidens est, non posse cognosci relationem ad aliquem terminum; quin cognoscatur terminus, poterit stare absque connexione vnius cum alio cognitio vnius in alio. Iam: quòd omnipotentia dicat respectum transcendentalem ad possibilia, & impossibilia probant: quia Omnipotentia ex se, & ab intrinseco est inconnexa cum possibilibus, & impossibilibus: ergo dicit relationem inconnexionis ad possibilia, & impossibilia: ergo non poterit cognosci, vt taliter relata, & inconnexa; quin cognoscantur possibilia, & impossibilia: ergo quod Omnipotentia, & quodlibet aliud prædicatum Dei realiter, & virtualiter necessarium sit ex se indifferens ad possibilia, & impossibilia, non tollit, quod in ipsis cognoscantur possibilia, & impossibilia.

95 Pater Izquierdo tractatu 2. de Deo, disputatione 4. quæst. 2. impugnat hanc doctrinam, & solutionem: quia licèt sit possibilis relatio non connexionis respectu existentiæ termini; respectu tamen quidditatis, & essentiæ termini impossibilis est; quod probat: quia licèt sit possibilis relatio suapte essentia respiciens terminum, provt existentem, qui tamen à parte rei existens non sit; non tamen potest esse relatio respiciens suapte essentia terminum, quoquomodo illum respiciat, qui non sit id, quod de suo quidditativè, & essentialiter est, ac per consequens, quæ non connectatur cum essentia termini; nam aliter fieret, quod talis relatio suapte essentia respiceret talem terminum, vt supponitur, & simul non respiceret ipsum: quia permitteret non esse id, quod de sua essentia est, vel nihil: ex quibus infert Omnipotentiam nullam intrinsecam relationem posse dicere ad possibilia, & impossibilia, quæ non sit connexionis essentialis cum ipsis.

96 Non capio impugnationem, nec

nec disparitatem inter existentiam, & quidditatem, quam præbet iste ingeniosissimus Magister. Arguo sic: per te non repugnat relatio suapte essentia respiciens existentiam termini, quæ cum termini existentia non sit connexa: ergo non repugnat relatio suapte essentia respiciens quidditatem termini, quæ cum termini quidditate non sit connexa. Probo consequentiam: Non minus relatio suapte essentia respiciens terminum existentem, est potius relatio ad existentiam; quàm ad non existentiam; quam relatio suapte natura respiciens termini quidditatem est potius relatio huius quidditatis; quam non quidditatis; sed primum stare valet absque connexione cum existentia: ergo secundum stabit absque connexione cum quidditate. Consequentia discursus est legitima. Minor à Patre Izquierdo conceditur. Maior, quæ mihi certa, videtur, sic probatur. Relationem suapte essentia respicientem quidditatem termini esse potius relationem quidditatis; quàm non quidditatis, nihil aliud est quam esse relationem sua natura, & essentia respicientem quidditatem: ergo relationem suapte natura respicientem existentiam termini, esse potius relationem existentiæ; quàm non existentiæ, nihil aliud erit, quàm esse relationem sua natura, & essentia respicientem existentiam termini: ergo eodem modo se habent relatio existentiæ respectu huius, ac relatio quidditatis respectu quidditatis.

97 Forte dices: adhùc stare diversitatem inter vnam, & aliam relationem: quia relatio sua essentia respiciens termini existentiam, respicit terminum eo modo, qui potest deficere ipsi: quia termino contingens est *existere*; ac per consequens eo modo, quo respicit terminum sua natura non connectitur cum illo; at relatio sua essentia respiciens *quidditatem* termini, respicit terminum eo modo, qui non potest deficere termino: nulli enim sua essentia deficere potest, vnde relatio natura sua est alligata, vt sit terminus, quem respicit eo modo quo ab ipsa respicitur, quod quidem est connecti relationem quidditatis cum essentia termini.

98 Sed contra: quia aliud est relationem sua natura, & essentia respicere terminum *eo modo*, qui non potest deficere termino ex exigentia, & determinatione termini; aliud respicere terminum *eo modo*, qui non potest deficere termino ex exigentia, & determinatione relationis. Relatio respiciens quidditatem termini, verum est respicere terminum eo modo, qui non potest deficere termino, verùm vnde probabis, relationem non permittere ex se deficere termino modum illum necessarium ex exigentia termini? Neque enim aliud erit caput ad hoc probandum, quàm relationem illam sua natura respicere terminum illo modo; sed hoc quam imbecille sit, iam se ostendit: quia etiam relatio sua natura respiciens existentiam termini, se ipsa est relatio ad existentiam & tamen cum hoc componitur permittere ex se, quod deficiat existentia, cur ergo similiter relatio respiciens quidditatem ex se non permittet deficere in termino quidditatem, quamvis aliunde sit omnino necessaria.

99 Pater Herrera quæstione 6. de Scientia aliter prædictam doctrinam impugnat. Ait enim sibi difficilimum apparere adstruere relationem transcendentalem sine connexione, vtensque exemplo adversariorum *in cognitione Petri*, quæ quidem se ipsa refertur ad Petrum, & non ad Equm: intendit esse difficile, talem cognitionem ex se non arguere distinctionem Petri ab Equo, ac per consequens esse connexam cum eo, quod Petrus sit id quod est, & distinguatur ab eo, quod non est: probat intentum sic: cognitio Petri se ipsa verificat has duas propositiones: *Petrus cognoscitur per cognitionem A: Equs non cognoscitur per cognitionem A*; sed hæ duæ veritates inferunt hanc tertiam *Petrus non est Equs*: ergo prædicta cognitio se ipsa infert Petrum non esse Equm. Maiorem discursus dicit esse certam: quia hæc cognitio, quæ refertur ad Petrum se ipsa est repræsentatio Petri, & non Equi, quare se ipsa constituit esse verum, Petrum cognosci per ipsam; non verò Equm. Minorem probat hoc syllogismo in *Festino*: *nullus Equs est cognitus per cognitionem A; Petrus est cognitus per cognitionem A: ergo Petrus non est Equs.*

100 Hæc est impugnatio, quam falsam iudico, & vt falsitas appareat, intendam probare: quemlibet actum contingentem (iuxta hæc principia) esse essentialiter verum, connectique cum suo obiecto eo modo, quo ab ipso repræsentatur. Probo sic vtens eadem forma, qua vtitur iste Sapientissimus Magister.

Hic

Hic actus contingentis veritatis *Petrus existit* se ipso verificat has duas propositiones: *Petrus existens est cognitus cognitione A: Non existens non est cognitum cognitione A*; sed hæ duæ veritates inferunt tertiam: *Id, quod est cognitum cognitione A, non est non existens: Ergo hæc cognitio infert, suum obiectum distingui à non existente*, ac per consequens connectitur cum eo, quod Petrus sit existens, quod est esse essentialiter veram. Maior est certa: quia hæc cognitio *Petrus existit*, se ipsa est expressio, ac repræsentatio Petri existentis; non vero alicuius non existentis. Minor probatur hoc syllogismo in Festino: *Nullum non existens est cognitum cognitione A; Petrus est cognitus cognitione A: ergo Petrus non est non existens.*

101 Sed dices: hanc instantiam apperte claudicare: quia illa Maior: *Hæc propositio Petrus existit, se ipsa verificat has duas veritates, Petrus existens est cognitus cognitione A: Non existens non est cognitum cognitione A*, est falsa: nam aliud est cognitionem tendere in obiectum exprimendo illud existens; aliud se ipsa tendere in obiectum existens. Primum est verum; secundum est falsum: itaque præcisè infertur: obiectum cognitum cognitione *A.* esse cognitum per repræsentationem existentiæ, quod componitur cum eo, quod obiectum sit in se non existens, quod evenit in quacumque cognitione falsa, quæ aliter tendit in obiectum, ac obiectum est in se, quo ruit tota argumenti Machyna.

102 Optimè quidem; sed non vtiliter ad doctrinam traditam, stabiliendam: Nam similiter hæc cognitio: *Petrus existit* se ipsa non verificat has propositiones: *Petrus est cognitus cognitione A: Equs non est cognitus cognitione A*; sed ex ipso, & ex eo, quod Petrus non sit Equs. Quare ly *Petrus* se tenens ex parte cognitionis est repræsentationis modus, sicut ly *existens*, permitens ex se, quod obiectum, cui applicatur, non sit Petrus; sed Equs, aut Petrus Equs. Vnde liquet, stare posse illam relationem ad Petrum sine connexione cum ipso: quia illa relatio nihil aliud est, quàm expressio sic tendens *Petrus*, quæ applicata obiecto, quod in se sit Petrus, aut Equs, informat intellectum proponendo obiectum, vt Petrũ, non vt Equm.

103 Rectiùs impugnat secundò eandem solutionem Pater Herrera; quia data tali relatione ad possibilia, & impossibilia in Omnipotentia cum sit connexionis expers, præcisè inducet ad quandam cognitionem apprehensivam possibilitatis, & impossibilitatis; secus ad cognitionem iudicativam, & propriam Dei: quia cum medium cognoscendi possibilitatem, & impossibilitatem sit ex se indifferens, vt sit, non potest intellectum divinum determinare, vt iudicativè tendat circa possibilitatem, & impossibilitatem.

104 Sed quia in hac impugnatione præcisè convincitur: Deum non posse cognoscere iudicativè possibilitatem, & impossibilitatem in Omnipotentia, permittit tamen aliquam cognitionem possibilitatis, & impossibilitatis in Omnipotentia; ideo alia via impugnanda est prædicta solutio, vt penitus cognitio possibilitatis, & impossibilitatis in Omnipotentia relegetur. Arguo sic: ex tali relatione inferretur Deum esse metaphisicè connexum cum aliquo distincto à se: ergo talis relatio incompatibilis est cum independentia Dei ab omni distincto à se, & cum inconnexione Omnipotentiæ ab omni non ipsa. Probatur antecedens: omnis relatio, vt relatio est, & ex conceptu suo essentiali petit aliquod, ad quod referatur hoc, vel illud; patet: nam quomodo erit relatio actualiter, & exercite, nisi detur id quod referatur, & id ad quod referatur. Iam rogo: vel illud ad quod refertur, & est terminus relationis, est aliquis conceptus distinctus à Deo, vel non? Si hoc secundum: ergo in vi illius nihil cognoscitur, quod non sit Deus: est clarum. In vi relationis præcisè cognoscitur ipsa relatio, id quod refertur, & id ad quod refertur; sed relatio, id quod refertur, & id ad quod refertur est Deus per te: ergo in vi relationis nihil cognoscitur, quod non sit Deus: ergo nullo modo potest ducere in cognitionem possibilium, & impossibilium, quæ Deus non sunt. Si primum: ergo relatio hæc, quam concedis in Omnipotentia, exigit essentialiter conceptum aliquem, qui non sit Deus, quod erit constituere Deum, & Omnipotentiam connexam cum aliquo distincto à se, & destruere suppositionem inconnexionis Dei cum possibilibus, & impossibilibus.

105 Sed dices: propositionem illam *Omnis relatio essentialiter, & ex suo conceptu dicit terminum*, esse veram, si intelligatur disiunctivè de termino signato, vel exercito; secus si intelligatur determinatè de termino exercito, quod patet in exemplo iam adducto huius propositionis *Petrus existit*, quæ quidem transcendentaliter refertur ad Petrum, & Petri existentiam, & tamen non requirit essentialiter Petrum existentem *exercitè*; sed tantum *signatè*.

106 Sed contra: quia licèt perceptibile sit in relatione transcendentali per modum imaginis, & expressionis intentionalis, quod referatur ad terminum signatum, & non exercitum; attamen imperceptibile omnino est, relationem transcendentalem per modum obiecti dicentis ordinem ad aliud posse referri ad aliquid purè signatè; & non exercitè, & per modum connexionis, qui enim modus intrinsecus respiciendi aliud, potest inveniri in obiecto, quod per sui cognitionem inducit ad cognitionem alterius, præter connexionem, quam dicat cum illo. Contra secundò: quia nec verum est: hunc actum *Petrus existit*, dicere relationem transcendentalem ad Petrum, & ad existentiam; sed ad obiectum, in quod in re tendit illud Petrificando, & existentializando; quare potius dicendum est, referri ad obiectum, cui exercitè applicatur relatione intentionali existentialitatis, & Petreitatis, quàm referri ad Petrum, & ad Petri existentiam.

107 Replicabis adhùc: in sententia, & suppositione inconnexionis Dei cum posibilibus, & imposibilibus cognosceret Deus in Omnipotentia id quod est essentiale Omnipotentiæ; sed in tali suppositione est essentiale Omnipotentiæ esse inconnexam cum posibilibus, & imposibilibus: ergo cognosceret in Omnipotentia esse inconnexam cum posibilibus, & imposibilibus; sed impossibile est cognoscere Omnipotentiam inconnexam cum posibilibus, & imposibilibus, quin in vi huius cognitionis aliquomodo cognoscantur posibilia, & imposibilia: ergo adhùc in suppositione inconnexionis Omnipotentiæ cum posibilibus, & imposibilibus aliquomodo cognosceret Deus posibilia, & imposibilia in Omnipotentia.

108 Hæc instantia, quamvis satis apparens, non vrget: quia aliud est Omnipotentiam essentialiter esse inconnexam cum posibilibus, & imposibilibus, aliud essentialiter inconnexam esse cum posibilibus, & imposibilibus modo relativo ad ipsa: Omnipotentia enim inconnexa essentialiter est cum posibilibus, & imposibilibus: sed modo absoluto, quatenus Deus cognosceret se esse infinitè, & summè perfectum, sibique sufficientissimum, quod cognosci valet absque vlla cognitione posibilium, & imposibilium. At vero Omnipotentia non est essentialiter inconnexa modo relativo ad posibilia, & imposibilia: nam hoc ipsi extrinsecè provenit à conceptibus posibilium & imposibilium. Vnde soluta manet alia instantia desumpta ex conceptu *Omnipotentiæ*, qui est *posse omnia*, quare apparet Deum non posse cognoscere suam Omnipotentiam, quin cognoscat *posse omnia*, quod erit cognoscere alia à se: manet inquam soluta: quia Deus per cognitionem necessariam, & ipsi essentialem non cognoscit Omnipotentiam modo hoc relativo, quo nos ipsam cognoscimus; sed modo alio absoluto, & correspondenti essentiæ Omnipotentiæ: neque hoc debet difficultatem inferre: quia etsi nos non posimus cognoscere præsentia, præterita, & futura, nisi per verbum *est*, *fuit*, *erit*; imò, & apprehendamus Deum sic cognoscere; tamen in re Deus cognoscit alio modo ineffabili, & per simplicem intuitum, vt ferunt omnes Theologi.

109 Sit quarta in hac quæstione principalior conclusio. Adhùc supposita inconnexione Dei cum posibilitate posibilium, & imposibilitate imposibilium, si addatur, dari suo modo conceptus *posibilis*, & *imposibilis*, imò, si existant creaturæ Deus cognoscit in sua Omnipotentia, & in quolibet prædicato realiter, & virtualiter necessario posibilia, imposibilia, & creaturas existentes. Probatur primò conclusio authoritate Divi Dionysij supra citata. Nam iuxta ipsum etiam independenter ab omni connexione absoluta Omnipotentiæ cum creaturis Deus cognoscit in Omnipotentia creaturas: ergo adhuc facta tali suppositione Deus cognoscit crea-

creaturas in se ipso. Consequentia est legitima. Antecedens probatur ex verbis ipsius Dionisij, qui loquens de Omnipotentia ait: *Ipsa enim se ipsam omnium causa noscens nullo prorsus modo, quæ à se facta sunt, ignorabit*; sed cum his, quæ facta sunt ab Omnipotentia eo modo, quo facta sunt, Deus non habet connexionem absolutam, alias connecteretur cum creaturis existentibus: ergo iuxta Divum Dionysium independenter à connexione absoluta Deus cognoscit creaturas in se ipso.

110 Probatur secundò à ratione. Id cognoscit Deus in Omnipotentia, & in quolibet alio prædicato realiter, & virtualiter necessario, respectu cuius Omnipotentia, & quodlibet aliud prædicatum realiter, & virtualiter necessarium obiectivè proposita divino intellectui, determinant ipsum ad assensum; sed suppositis possibilibus, impossibilibus, & actualiter existentibus, divina Omnipotentia, & quodvis aliud prædicatum realiter, & virtualiter necessarium obiectivè proposita intellectui divino, determinant ipsum ad assensum impossibilitatis, possibilitatis, & existentiæ: ergo posita inconnexione Dei cum possibilibus, & impossibilibus adiuncta huic inconnexioni possibilitate, impossibilitate, & existentia rerum, Deus hæc omnia cognoscit in Omnipotentia, & in quolibet alio prædicato divino realiter, & virtualiter necessario. Consequentia est legitima, & maior continet conceptum cognoscendi vnum in alio.

111 Probo Minorem, ad quam devolvitur difficultas. Positis possibilibus, & impossibilibus, creaturisque existentibus divina Omnipotentia, sicut, & quodcumque prædicatum realiter, & virtualiter necessarium connectitur metaphisicè cum possibilitate, & impossibilitate, & creaturarum existentia; sed id quod connectitur cum alio, obiectivè propositum intellectui divino determinat ad cognitionem illius: ergo Omnipotentia, & quodcumque aliud prædicatum realiter, & virtualiter necessarium proposita intellectui Divino illum determinant ad cognitionem impossibilitatis, possibilitatis, & existentiæ. Probo maiorem. Positis creaturis possibilibus, impossibilibus, & existentibus Omnipotentia, totusque Deus metaphisicè, & essentialiter exigit cognitionem possibilium, impossibilium, & existentium: ergo datis his Omnipotentia, & quodlibet aliud prædicatum Dei metaphisicè connectitur cum illis: consequentia est recta; nam quod connectitur cum extremo *A.* connexo cum extremo *B.* connectitur cum extremo *B*: ergo si Omnipotentia, &c. connectitur cum divina cognitione possibilium, quæ essentialiter connectitur cum possibilibus, divina Omnipotentia metaphisicè connectitur cum possibilibus.

112 Probo igitur antecedens. Divina Omnipotentia, &c. essentialiter exigit Deum esse infinitè sapientem, essentialiterque opponitur ignorantiæ Divini intellectus: ergo essentialiter exigit id quod est indispensabiliter necessarium, vt Deus sit infinitè sapiens, & divinus intellectus non sit ignorans; sed datis possibilibus, impossibilibus, & existentibus indispensabiliter requiritur, vt Deus sit infinitè sapiens, & intellectus divinus non sit ignorans, cognitio illorum: ergo datis possibilibus, impossibilibus, &c. Omipotentia, &c. connectitur metaphisicè, & essentialiter exigit cognitionem illorum. Maior discursus est certa: nam id exigit Omnipotentia essentialiter, quo non dato repugnaret essentialiter, & non dato Deo Infinitè Sapiente repugnaret Omnipotentia: Minor etiam est certa: Quia si datis possibilibus, impossibilibus, & existentibus, hæc divinum intellectum laterent, Deus esset ignorans plures veritates; imò infinitas, ac per consequens non infinitè Sapiens: ergo positis possibilibus, impossibilibus, &c. indispensabiliter requiritur, vt Deus sit infinitè Sapiens, & divinus intellectus non ignorans, cognitio illorum: Deinde consequentia est legitima: ergo totus discursus rectus.

113 Confirmatur. Divina Omnipotentia, &c. vtpote obiectum infinitum, exigit metaphisicè, vt ab intellectu divino comprehendatur: ergo exigit id quod indispensabiliter est necessarium, vt à divino intellectu comprehendatur; sed datis possibilibus, impossibilibus, & existenti-

bus cognitio illorum eſt indiſpenſabiliter neceſſaria, vt Omnipotentia comprehendatur: ergo divina Omnipotentia datis poſsibilibus, &c. exigit metaphiſicè illorum cognitionem: hæc connectitur cum illis: ergo, & Omnipotentia ex tali ſuppoſitione. Conſequentia tenet. Maior eſt certa, & Minor probatur. Nam ad comprehenſionem requiritur cognoſci non ſolum, quod eſt intrinſecum Omnipotentiæ; ſed quidquid eſt terminus extrinſecus illius, datiſque poſsibilibus, impoſsibilibus, & exiſtentibus ſunt termini extrinſeci Omnipotentiæ: ergo eorum cognitio indiſpenſabiliter requiritur ad comprehenſionem Omnipotentiæ.

CAPVT VI.

Solvuntur obiectiones contra quartam Concluſionem.

114 OBIJCIES primò. Id quod eſt eſſentiale alicui rei, ſemper, & pro ſemper convenit tali rei: ergo ab oppoſito, quod aliquando non datur cum re, non eſt eſſentiale tali rei; ſed connexio Omnipotentiæ cum poſsibilibus, impoſsibilibus, & exiſtentibus non datur ſemper cum Omnipotentia: ergo connexio cum poſsibilibus, &c. pro nullo caſu eſt eſſentialis Omnipotentiæ. Probatur Minor. Si connexio cum poſsibilibus, &c. ſemper daretur in Omnipotentia, hæc ſemper, & abſolutè eſſet connexa cum poſsibilibus, &c. Sed Omnipotentia, vt ſupponimus, ſemper, & abſolutè eſt inconnexa cum poſsibilibus, &c. ergo connexio Omnipotentiæ cum poſsibilibus, &c. non ſemper datur in Omnipotentia: ergo nulla connexio eſſentialis cum poſsibilibus, &c. poteſt inveniri in Omnipotentia.

115 Confirmatur, & explicatur amplius ſub hac forma. Id, quod in aliquo caſu, exiſtente re aliqua quoad eſſentialia completè, deficit rei, non eſt aliquid eſſentiale rei; ſed exiſtente Omnipotentia in aliquo caſu, vt Omnipotentia eſt, & quoad omnia ſua eſſentialia, deficit illi connexio cum poſsibilibus: ergo connexio cum poſsibilibus, &c. numquam eſt illi eſſentialis. Probatur Minor: aliquis caſus exiſtentiæ Omnipotentiæ, quoad omnia eſſentialia eſſet caſus defectus poſsibilium, &c. ſed in tali caſu nulla eſſet in Omnipotentia connexio cum poſsibilibus, &c. ergo nunquam connexio cum poſsibilibus eſt eſſentialis Omnipotentiæ: ergo neque vmquam poteſt eſſe medium, in quo cognoſcantur poſsibilia, &c.

116 Argumentum nihil aliud poſtulat, quam explicatione noſtræ concluſionis detegere ipſius æquivocationem. Itaque non dicimus, connexionem hanc, quam habet Omnipotentia cum cognitione poſsibilium, & cum ipſis poſsibilibus pro caſu, & ſuppoſitione poſsibilium (idem reputa de reliquis extremis, ne multiplicentur termini) eſſe ipſi eſſentialem, & talis conditionis, vt pro caſu poſsibilium pululet in eſſentia Omnipotentiæ, exſiccetur, auferaturque pro caſu defectus poſsibilium: nam hoc eſſet ingens chymæra cum ex vna parte eſſet eſſentialis, vt ſupponitur, & ex alia non eſſet: quia deficeret, permanente eſſentia Omnipotentiæ: Quare, quod aſſerimus, eſt: hanc connexionem Omnipotentiæ cum poſsibilibus pro caſu non repugnantiæ, aut non defectus illorum eo modo, quo eſt connexio, ſemper comitari eſſentiam Omnipotentiæ, cumque connexio ſolum reſpiciat poſsibilia non abſolutè; ſed ex quadam ſuppoſitione, Omnipotentia ſemper eſt connexa cum poſsibilibus non abſolutè; ſed pro caſu, & ſuppoſitione, quod ſint poſsibilia: Hinc connexio hæc ſubiectivè ſemper eſt abſoluta; ſed in modo reſpiciendi terminum conditionata. Accipe exemplum noſtram doctrinam declarans.

117 Poſsibilis eſt in communi ſententia creatio Angeli identificata cum divino decreto, quo poſito etiam poſsibile eſt, quod Deus hoc modo decernat exiſtentiam Angeli: *Volo exiſtere Angelum in eo, & pro eo inſtanti, pro quo Petrus voluerit exiſtere Angelum,* neque facile implicationem oſtendes. Iam ſic: ecce decretum, quod ſemper, & ab æterno eſt Angeli creatio; ſed non creatio Angeli pro æternitate; ſed ſolum pro tem-

tempore, quod Petrus designaverit: vnde est essentialiter creatio Angeli pro *A.* si Petrus designaverit *A.* & pro *B.* si Petrus designaverit *B.* quomodo ergo, si ab æterno est creatio, ab æterno potest esse sine termino? Quia etsi ab æterno, & semper sit Angeli creatio non tamen ab æterno, & semper est Angeli creatio pro æternitate; sed tantum pro illo tempore, quod Petrus designaverit; sic similiter in præsenti conclusionis casu, connexio illa, quam semel concedimus Omnipotentiæ, numquam est amobilis ab Omnipotentia; sed quia semper datur cum respectu ad possibilia non absolute; sed ex suppositione, semper connectit Omnipotentiam non absolutè, & pro semper; sed restrictè, & pro suppositione.

118 Ex quibus clara fit solutio argumenti, & confirmationis: Igitur concessa maiori distinguo minorem. Connexio *absoluta* Omnipotentiæ cum possibilibus non datur semper, concedo minorem. Connexio *pro aliqua suppositione*, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: si connexio *tàm subjectivè quàm terminative absoluta*, semper daretur in Omnipotentia, semper, & *absolutè* esset connexa, concedo Maiorem. Si connexio *subjectivè absoluta; terminativè verò conditionata* semper daretur, &c. Nego Maiorem, & terminis applicatis Minori: nego consequentiam. Ad confirmationem concessa Maiori, distinguo minorem: in aliquo casu existente Omnipotentia quoad omnia essentialia deficit illi connexio cum possibilibus *subjectivè*, & *terminativè* absoluta concedo Minorem. Connexio *subjectivè* absoluta, & *terminativè* conditionata nego Minorem, & consequentiam. Ad Minoris probationem concessa maiori, distinguo Minorem similiter. In tali casu nulla esset in Omnipotentia connexio *subjectivè*, & *terminativè absoluta*, concedo Minorem *subjectivè absoluta*, & *terminativè conditionata*, nego Minorem, & consequentiam.

119 Contra hanc doctrinam, & solutionem longè, & acutè pugnant sapientissimi nostri Recentiores Tractatu de Trinitate connantes totis viribus hunc modum explicandi connexiones conditionatas eliminare; sed quamvis doctissimè; casso tamen labore, nisi connexiones, & dependentias conditionatas negent, quod non faciunt, & rectè quidem, quodque dum persistat, difficile ad modum erit, quidquid in oppositum reclament in nostram sententiam, & explicationem non incidere, eorum rationes proponemus, & dissolvemus, vt ex ipsis, quamvis contrarijs, aliquis splendor nostræ disputationi accedat. Ideoque ex ipsis.

120 Objcies secundò. Omnipotentia conditionatè connexa cum possibilibus ex suppositione, quod sint talia, vel infert adæquatè per se, & absolutè possibilia, vel non? Si hoc secundum: ergo ipsa per se essentialiter, & adæquatè adhuc suppositis possibilibus non est medium obiectivum *adæquatè*, & per se demonstrans possibilia: si primum: ergo per se formaliter, & adæquatè non est tantum conditionate connexa cum possibilibus; sed absolutè. Sequelam istam probant. Omnipotentiam per se adæquatè, & absolutè inferre possibilia sub conditione, quod sint possibilia, formalissimè est, connecti cum possibilibus, & connecti cum conditione necessaria, vt sint possibilia; sed hoc est connecti Omnipotentiam absolutè cum possibilibus: ergo Omnipotentia, si per se adæquatè, & absolutè connectatur cum possibilibus ex suppositione, quod sint talia, per se connectitur cum possibilibus absolutè. Maiorem probant primò ex ipsis terminis, qui vt verum proponunt: quod quando conditio, & purificatio ipsius non se habet impertinenter ad inferendum terminum absolutè, id quod per se, & adæquatè infert terminum sub illa conditione, per se absolute infert terminum, & conditionem. Probant secundò, explicando magis id quod ipsis apparet verum ex terminis: nam res, quæ per se habet absolutè, & adæquatè aliquod munus præstare, nequit non per se adæquatè, & absolutè trahere secum omnia requisita ad tale munus præstandum: ergo si Omnipotentia per se adæquatè pro casu purificationis conditionis infert possibilia per se adæquatè infert possibilia, & purificationem conditionis, quod est absolutè Omnipotentiam esse absolutè connexam cum possibilibus, & destruere connexionem conditionatam, quam tam avidè protegimus.

121 En validius argumentum horum Doctorum; cuius vis nititur apprehensioni terminorum, quam sibi meditantur, & facillimè à nobis exploditur.

Sed ante ſolutionem volo præmittere aliquas inſtantias, vt videant quantum vrget terminorum apprehenſio. Prima ſit in Scientia media, & claritatis gratia loquamur de hac Scientia media: *Si conferam Petro auxilium A. conſentiet*: arguo ſic: Hæc Scientia media per ſe adæquatè, & abſolutè poſito auxilio *A.* connectitur cum conſenſu ſub illo: ergo hæc Scientia media per ſe eſſentialiter, & adæquatè connectitur cum conditione, ſub qua infert conſenſum: ac per conſequens cum collatione auxilij. Conſequentia eſt legitima in doctrina arguentis, qui ex eo, quod aliquid inferat per ſe adæquatè, & abſolutè terminum ſub aliqua conditione, infert per ſe adæquatè connecti cum conditione. Prob. igitur antecedens, in quo ſtat difficultas: Scientia media aſsignata, purificata conditione auxilij, per ſe adæquatè, & provt diſtincta ab omni non ipſa, repugnat falſitati: ergo per ſe adæquatè, & prout diſtincta ab omni non ipſa, infert veritatem. Antecedens eſt evidens, alias poſito auxilio Scientia media quantum eſt ex ſe poſſet eſſe falſa. Conſequentia eſt legitima; nam qui opponitur per ſe vni contradictorio, per ſe, & eſſentialiter connectitur cum alio: Pergo; ſed poſito auxilio veritas Scientiæ mediæ exigit eſſentialiter, conſenſum abſolutum: ergo poſito auxilio per ſe eſſentialiter, & adæquatè connectitur Scientia media cum conſenſu abſoluto.

122 Sit ſecunda. Hæc veritas obiectiva conditionalis: *Si Petrus exiſtat, non implicabit* poſita exiſtentia Petri per ſe adæquatè, & eſſentialiter connectitur, & infert Petrum exiſtere ſine contradictione: ergo hæc veritas obiectiva neceſſaria, & conditionata connectitur eſſentialiter cum purificatione conditionis: ergo nulla entitas poſsibilis eſt purè poſsibilis. Conſequentia eſt legitima, & neceſſaria, vt iam monui. Antecedens probatur primò. Quia hæc veritas conditionalis, iuxta ipſos cum communi ſententia, pro caſu exiſtentiæ identificatur abſolutè cum exiſtentia Petri; ſed Petrus actualiter exiſtens per ſe adæquatè abſolutè, & eſſentialiter excludit contradictionem: ergo, & illa veritas obiectiva, quæ cum ipſo identificatur. Secundo: Hæc veritas conditionalis neceſſaria, poſita exiſtentia Petri per ſe, & eſſentialiter abſolutè eſt potius poſsibilitas; quàm non poſsibilitas Petri: ergo per ſe connectitur eſſentialiter cum eo, quod eſt metaphiſicè neceſſarium, vt ſit poſsibilitas, potius quàm non poſsibilitas; ſed ſi exiſtente Petro hic non excluderet contradictionem; hæc veritas obiectiva conditionalis non eſſet potius poſsibilitas; quã non poſsibilitas: quia illius, quod eſt impoſsibile, vt Petrus eſſet in tali caſu, nulla eſt poſsibilitas: ergo veritas illa obiectiva per ſe, & adæquatè purificata conditione connectitur cum eo, quod Petrus actualiter excludat contradictionem.

123 Sit tertia. Veritas hæc disiunctiva neceſſaria *Petrus eſt, vel non eſt*, per ſe abſolutè, & eſſentialiter connectitur cum eo, quod deficiente carentia Petri, exiſtat Petrus: ergo connectitur per ſe abſolutè, & eſſentialiter cum eo, quod deficiat carentia. Conſequentia eſt legitima apud Adverſarios. Probatur antecedens. Veritas hæc neceſſaria per ſe adæquatè, & eſſentialiter eſt incomponibilis cum duplici contradictorio ſimultaneè exiſtente: ergo connectitur per ſe adæquatè, & eſſentialiter abſolutè, poſito defectu carentiæ Petri cum eo, quod eſt neceſſarium eſſentialiter, vt non coniungatur cum duplici contradictorio; ſed poſito defectu carentiæ Petri eſt eſſentialiter neceſſaria Petri exiſtentia, vt veritas illa non coniungatur cum duplici contradictorio: ergo veritas illa disiunctiva ex ſuppoſitione defectus carentiæ Petri per ſe, & eſſentialiter adæquatè connectitur, & infert abſolutè exiſtentiam Petri.

124 Sit quarta: decretum illud, cuius meminimus in prima obiectione, quo Deus decernat exiſtere Angelum pro inſtanti, quo Petrus voluerit, cuius impoſsibilitatem neſcio an hi Sapientiſſimi Magiſtri facilè inveniant. Ex quo ſic arguo. Hoc decretum *volo exiſtere Angelum quando Petrus voluerit* per ſe, & eſſentialiter adæquatè connectitur cum exiſtentia Angeli pro inſtanti, quod Petrus deſignaverit: ergo connectitur cum eo, quod Petrus deſignet aliquod inſtans, in quo ſit Angelus. Conſequentia tenet: antecedens probatur: hoc decretum per ſe eſſentialiter, & adæquatè opponitur ſuæ fruſtrationi pro caſu, quo eſt voluntas efficax Dei condendi Angelum: ergo connectitur cum illo, quod eſt eſſentialiter neceſſarium, vt pro tali

caſu

casu non frustretur; sed posita designatione Petri circa aliquod instans, si non existeret Angelus, frustraretur decretum: ergo per se adæquatè, & absolutè infert Angelum existere pro casu assignationis à Petro factæ.

125 Omitto brevitatis causa alias instantias, quæ fieri possunt sub simili forma in sententia satis probabili admittente decretum præscindens à medijs liberis, & necessarijs independens in suo concipi à Scientia media; dependens vero in exequi, & ex suppositione, quod Deus exequatur consensum per media indifferentia, & libera. Deinde in sententia probabili asserente repugnare creaturam inconvertibilem, in qua Deus quamvis non connectatur *absolutè* cum eo, quod hic cumulus auxiliorum præ illo sit efficax, connectitur tamen ex suppositione essentialiter, & adæquatè per se cum eo, quod facto cumulo *A.* inefficaci, cumulus *B.* determinatè sit efficax & vt vno verbo dicam, vix gradum facere valemus in Philosophia & Theologia, quin obiectio nobis facta suam falsitatem ostentet.

126 His omnibus instantijs in prima de Scientia media tanquam in capite, respondent Sapientissimi Arguentes; sed brevius, quam par erat, meo iudicio: dicunt enim, hanc Scientiam mediam: *Si conferam Petro auxilium A. consentiet*, esse conditionatè connexam cum consensu absoluto; at nunquam verificari, hanc Scientiam mediam per se adæquatè essentialiter inferre consensum absolutum: sed coniunctum ex ipsa, & purificatione conditionis esse id quod absolutè infert consensum absolutum: hic sistit solutio instantiæ; sed ni fallor, in ipsa propositione instantiæ est impugnata: redeo ad illam: Scientia media, de qua loquimur, in omni, & pro omni casu ex se essentialiter adæquatè, & absolutè repugnat sui falsitati: ergo hæc Scientia media in omni, & pro omni casu ex se essentialiter, adæquatè, & absolutè petit sui veritatem; sed aliquis casus huius Scientiæ mediæ est casus existentiæ auxilij: ergo in hoc, & pro hoc casu petit absolutè suam veritatem: est clarum: ergo exigit absolutè id quod essentialiter est necessarium ad sui veritatem: patet etiam; sed pro casu existentiæ auxilij *A.* est indispensabiliter, & essentialiter requisita ad veritatem huius Scientiæ mediæ, consensus absoluti existentia: ergo in, & pro hoc casu existentiæ auxilij, hæc Scientia media adæquatè, absolutè, & essentialiter connectitur cum existentia consensus absoluti.

127 Impugno secundò prædictam solutionem: si Scientia media, de qua loquimur per se adæquatè, & prout distincta ab omni non ipsa, non inferret absolutè consensum absolutum pro casu auxilij nulla connexio daretur in Scientia media cum consensu absoluto, nec conditionata, nec absoluta, quod falsissimum est: ergo falsa est solutio. Probatur antecedens. Nulla connexio est connexio illa quæ non est potius connexio, quàm non connexio; sed talis esset connexio Scientiæ mediæ: ergo hæc neque conditionatè neque absolutè connecteretur cum consensu absoluto. Probo Minorem. Non est potius connexio, quàm non connexio, quæ per se, & adæquatè pro nullis circunstantijs possibilibus infert suum terminum; sed hoc accideret connexioni Scientiæ mediæ: ergo. Probo Minorem. Omnes circunstantiæ possibiles connexioni Scientiæ mediæ inferendi per se, & adæquatè absolutè suum terminum sunt, vel ante purificationem conditionis, vel post purificationem conditionis; sed hæc connexio Scientiæ mediæ per se, & adæquatè absolutè non infert consensum absolutum ante purificationem conditionis, vt est certum, neque infert per se adæquatè absolutè post purificationem conditionis, vt tenent hi Authores: quia connexio Scientiæ mediæ est ipsa Scientia media: ergo connexio Scientiæ mediæ pro nullis circunstantijs traheret suum terminum.

128 Impugno tertiò prædictam solutionem. Si Scientia media per se adæquatè absolutè pro casu auxilij non inferret consensum absolutum: data hac Scientia media: *Si conferam Petro auxilium A. consentiet* positoque auxilio in Petro, Petrus non esset liber ad consensum: ergo implicatoria est Doctrina Adversariorum. Probatur: in Doctrina Societatis quoties datur aliquid connexum cum consensu, & in impedibile per dissensum, non datur libertas ad consensum; sed hoc accideret in præsenti casu: ergo. Probo Minorem: in præsenti casu daretur complexum Scientiæ mediæ de consensu, & auxilium; sed complexum Scientiæ mediæ de consensu sub auxilio,

&

& auxilium eſt quid connexum cum conſenſu, vt per ſe patet, & deinde in impedibile per diſſenſum: ergo. Probo ſecundam partem minoris: non poſſet impedire hoc complexum impediendo auxilium: quia per nullum exercitium poteſtatis immediatæ poteſt impediri ipſa immediata poteſtas: deinde non poſſet impedire complexum impediendo Scientiam mediam de conſenſu. Probo hoc: nihil poteſt impediri per ablationem illius, quod non exigit abſolutè: ſed per diſſenſum tolleretur præciſè conſenſus, qui numquam à Scientia media per hos Authores exigitur abſolutè: ergo non poſſet per diſſenſum impedire Scientiam mediam: ergo deficeret libertas. Hæc mihi ingerunt non levem difficultatem, quorum ſolutionem, vt ab his Authoribus in omnibus diſcerem, deſiderarem.

129 Venio iam ad ſolutionem argumenti propoſiti, quod totum nititur æquivocationi huius termini *abſolutè*. Inferre aliquid aliud abſolutè pro aliquo caſu poteſt ſumi dupliciter, vel quatenus ly *abſolutè* denotet, non poſſe dari ſine illo pro illo caſu, ſicut ante caſum poterat dari, vel quatenus ſignificet non poſſe dari ſine illo, & etiam ſine caſu: Omnipotentia enim in noſtro modo diſcurrendi infert ex ſe, & abſolutè poſſibilia pro caſu, quo ſint talia, quatenùs pro illo caſu non poteſt dari ſine illis: quia connectitur cum Scientia poſsibilium; non tamen infert *abſolutè* poſsibilia pro caſu, quo ſint talia: quia inferat ipſum caſum: quia ab illo præſcindit ex ſe cum abſolutè poſsit dari ſine poſsibilibus. Hinc ad formam argumenti, & ad disiunctivam, qua incipit, Reſpondeo: Omnipotentiam ex ſe, & adæquatè inferre *abſolutè* ſenſu explicato poſsibilia pro caſu, quo ſint talia. Ad illationem, quam deducit, nego conſequentiam. Ad huius probationem, nego maiorem, & nego eſſe ex terminis veram; ſed potius falſiſsimam. Ad probationem, diſtinguo antecedens. Res, quæ per ſe adæquatè, & abſolutè habet præſtare aliquod munus *abſolutione cadente* ſupra aliquam ſuppoſitionem nequit non per ſe adæquatè, & abſolutè trahere ſecum omnia neceſſaria ad tale munus præſtandum. Nego antecedens: *abſolutione non cadente* ſupra aliquam ſuppoſitionem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ſi Omnipotentia per ſe adæquatè infert abſolutè ly *abſolutè cadente* ſupra aliquam ſuppoſitionem infert poſsibilia, & purificationem conditionis, nego conſequentiam ly *abſolutè non cadente* ſupra aliquam ſuppoſitionem, concedo conſequentiam.

130 Itaque totum inferre *abſolutè* poſsibilia, quod datur in Omnipotentia, appellat ſupra illam ſuppoſitionem, & conſtituta aliunde ſuppoſitione, vndè non connectitur cum ſuppoſitione, nec connectitur cum illa; ſed præciſè ſignificat, quod Omnipotentia ex ſe, & ab intrinſeco habet quidquid pro illo caſu, qui neceſſarius non eſt, eſt inferens poſſibilitatem. Explico exemplo. Albedo ex ſe, & eſſentialiter habet dealbare abſolutè ſubiectum, ſi detur ſubiectum, & vnio, aliàs non eſſet Albedo: ergo infert per ſe abſolutè, & eſſentialiter dari ſubiectum, & vnionem: mala conſequentia: quare? Quia ly *abſolutè dealbare*, quod eſt ipſi eſſentiale, *eſt abſolutè* ſolum ex quadam ſuppoſitione, eſt *abſolutè* reſtrictum non *abſolutè* abſolutum: ſic in caſu quæſtionis.

131 Sed adhuc inſiſtunt, aſſerentes: eſſe implicationem in terminis dicere Omnipotentiam per ſe adæquatè, & abſolutè inferre poſsibilitatem pro caſu aliquo, & præſcindere Omnipotentiam ex ſe à tali caſu; quod enim abſolutè, & adæquatè infert aliud, per ſe non præſcindit ab illo: ergo neque præſcindit à requiſito eſſentiali ad illud; alias inferret abſolutè, & non inferret abſolutè; inferret abſolutè pro illo caſu, quia hoc dicimus; & non inferret: quia præſcinderet, & non peteret id, quod eſſentialiter eſt neceſſarium ad illud: quod explicari poteſt exemplo decreti identificantis ſecum rationem creationis Angeli pro inſtanti *D*, quod quia abſolutè adæquatè, & ex ſe infert Angelum pro *D*, ſimul connectitur cum inſtanti *D*, eſſentialiter requiſito, vt ſit Angelus pro *D*.

132 Inſtantia ſicut Argumentum abutitur terminis *abſolutè*, & *adæquatè*: nam cum apud nos ſint reſtricti, apud Arguentem ſunt abſoluti: Nos dicimus, Omnipotentiam *abſolutè*, & *adæquatè* per ſe inferre poſsibilia pro aliquo caſu, non quatenùs Omnipotentia per ſe, & adæquatè ſit totum, quod eſt inferre pro illo caſu, quoad rectum, & obliquum: quia hoc eſt *inferre Omnipotentiæ & caſus*, qui non eſt Omnipotentia, neque ab illa infertur; ſed quatenus poſito caſu to-

totum, quod restat, vt Omnipotentia non possit dari sine possibilibus, est ipsa Omnipotentia, quæ adæquatè, & per se est, quæ infert, & quæ connectitur, modo, quo in exemplo iam adducto *Albedinis*, hæc essentialiter habet adæquatè per se posito subiecto, & vnione dealbare subiectum, quatenus & si per se non afferat subiectum, & vnionem, tamen his aliunde suppositis albedo per se est totum, quod restat ad dealbandum, ipsaque sola est, quæ dealbat. Sic etiam in sententia communi asserente Scientiam contingentem in Deo esse Scientiam necessariam connotantem obiectum contingens, ipsa Scientia necessaria adæquatè per se, & essentialiter habet repræsentare obiectū contingens, quando hoc datur: non quia per se afferat obiectum contingens; sed quia posito obiecto contingenti Scientia necessaria per se, & adæquatè est totum, quod restat ad repræsentandum obiectum, ipsaque sola est, quæ repræsentat, & per se, & ab intrinseco est repræsentatio.

133 At vero Arguens ly *absolutè*, & *adæquatè inferre* accipit non restrictè; sed in tota sua latitudine, & provt comprehendit etiam suppositionem, & casum, pro quo infert Omnipotentia, & in hoc sensu, quid mirum esse implicationem in terminis, *Omnipotentiam ex se præscindere à suppositione, & casu, & aliunde ex se, & essentialiter inferre casum.* Neque exemplum, quod adducunt, aliquid probat. Nam decretum, quod ab intrinseco esset creatio Angeli pro instanti *D*, quamvis esset restrictum relatè ad instantia, cum non poneret Angelum in omnibus instantibus; attamen quoad illationem esset absolutissimum: quia non posset dari sine Angelo in instanti *D*.

134 Objicies tertiò ex eisdem: Omnipotentia per se adæquatè infert absolutè possibilia pro aliquo casu: ergo infert absolutè possibilia; sed inferre absolutè possibilia, est absolutè connecti cum possibilibus: ergo si Omnipotentia per se adæquatè infert absolutè possibilia pro aliquo casu, semper, & absolutè infert possibilia, & connectitur cum illis: Illationem primam à quà vis argumenti dependet, sic probant. A restricto ad non restrictum benè valet consequentia affirmativè: ergo si Omnipotentia infert absolutè per se possibilia pro aliquo casu, & suppositione, quod est restrictum *inferendi absolutè* benè valet consequentia ad *inferre absolutè*, quod est non restrictum.

135 Iterum reddit æquivocatio termini *absolutè*. Insto primo argumentum: Albedo per se adæquatè, & absolutè dealbat subiectum pro casu vnionis: ergo per se adæquatè dealbat absolutè subiectum: ergo non poterit existere absque eo, quod dealbet subiectum: Antecedēs est certum: quia posita vnione ad subiectum sola albedo est, quæ dealbat: Consequentia est legitima apud arguentes: quia si in sua consequentia arguitur à restricto ad non restrictum, idem accidit in nostra. Insto secundò: Scientia necessaria per se adæquatè repræsentat absolutè obiectum contingens pro casu, quo sit: ergo Scientia necessaria repræsentat absolutè obiectum contingens: nam à restricto ad non restrictum benè valet consequentia. Insto tertiò: Decretum possibile, quo Deus decernat creare Angelum pro instanti, quod Petrus designaverit, per se adæquatè, & essentialiter creat absolutè Angelum pro instanti designato: quia designatio non creat: ergo creat absolutè: quia à restricto ad non restrictum benè valet consequentia. Quartò: lex obligans habitatores Complutenses per se adæquatè essentialiter obligat Petrum pro casu, quo habitet Compluti: quia habitatio non est obligatio: ergo obligat Petrum absolutè; nam à restricto ad non restrictum benè valet consequentia.

136 Respondeo: has omnes consequentias esse malas: quia in ipsis non arguitur à restricto ad non restrictum: nam ly *absolutè inferre*, quod ponitur in consequenti non est *absolutè inferre*, quod est in restricto. Nam *absolutè inferre*, quod invenitur in restricto facit, & constituit formaliter vnum terminum cum illo omnino formaliter indivisibilem. Vndè numquam potest concipi illud *inferre absolutè*, provt segregatum formaliter ab illo *pro tali casu*, & *suppositione*, modo, quo *perfectas* differentia entis, quamvis his, vel illis terminis explicetur, semper facit vnum terminum formalem cum ente, neque in ipsa est aliquid, quod formaliter non sit ens; itaque ly *adæquatè*, & *absolutè inferre pro tali casu* non constituitur ex duabus quasi partibus formalibus, quarum vna sit *absolutè inferre*; altera pro *tali casu*; sed est vnus conceptus formaliter indivisibilis sic explicatus *ab-*

so-

ſolutè inferre pro tali caſu. Ad cuius explicationem habendus eſt præſens modus alter arguendi, ſcilicèt: *eſt homo albus ſecundùm dentes*: ergo *eſt homo albus*, qui apud omnes reputatur inefficax ex inefficacia comprehendente argumentum præcedens.

137 Obijcies quartò. Vel purificatio conditionis ſub qua, & pro qua Omnipotentia per ſe adæquatè infert abſolutè poſsibilia eſt accidentalis Omnipotentiæ, vel non? Si non eſt accidentalis: ergo Omnipotentia, vt abſolutè inferens poſsibilia, vel per identitatem includit purificationem conditionis, vel eſſentialiter illam infert; patet: quia, quod non eſt accidentale alicui reſpectu ſui eſſe, vel eſſentialiter identicè, vel eſſentialiter illativè competit ipſi, qua propter Omnipotentia abſolutè connectitur cum purificatione conditionis, ſub qua infert poſsibilia. Si dicatur primum: nempè, purificationem conditionis, ſub qua infert Omnipotentia abſolutè poſsibilia per ſe, & adæquatè eſſe illi accidentalem: ergo purificatio conditionis non eſt neceſſaria, vt Omnipotentia abſolutè inferat poſsibilia. Probatur conſequentia: id, quod alicui, vt abſolutè inferenti aliud, eſt accidentale, eſt id, quod ſive detur, ſive non detur, dabitur *abſolutè inferre aliud*; ſed id, quod ſive detur, ſive non detur, dabitur *abſolutè inferre aliud*, non eſt requiſitum eſſentialiter, vt ſit *abſolutè inferre aliud*: ergo vt Omnipotentia inferat abſolutè poſsibilia, nulla purificatio conditionis, nec ſuppoſitionis eſt neceſſaria.

138 Inſto Argumentum: vel exiſtentia actionis ſub qua, & per quam virtus abſolutè, & adæquatè producit effectum, eſt accidentalis virtuti adæquatè productivæ, vel non? Si non eſt accidentalis: ergo omnis virtus per ſe adæquatè productiva effectus eſt inſeparabilis ab actione, & influxu in effectum: ac proinde ab effectu: patet: quia quod eſt inſeparabile ab influxu impotēte exiſtere ſine effectu, eſt inſeparabile etiam ab effectu. Si primum: nempè, exiſtētiam actionis ſub qua, & per quam virtus abſoluta, & adæquata producit effectum, eſſe illi accidentalem: ergo exiſtentia actionis non eſt neceſſaria, vt virtus adæquata, & abſoluta effectus producat effectum. Probatur conſequentia: id quod alicui, vt abſolutè producenti, eſt accidentale, eſt id quod ſive detur, ſive non detur, dabitur abſolutè producere effectum; ſed id, quod ſive detur, ſive non detur, dabitur abſolutè producere effectum, non eſt requiſitum eſſentialiter, vt ſit abſolutè producere effectum: ergo vt virtus abſoluta, & adæquata effectus ipſum abſolutè producat, non eſt neceſſaria exiſtentia actionis.

139 Reſpondetur: purificationem conditionis ſub qua Omnipotentia infert abſolutè reſtrictè poſsibilia, non eſſe eſſentialem Omnipotentiæ vt ſit, quia hæc, quatenùs eſt ex ſe, permittit defectum poſsibilitatis, vtpotè abſolutiſsimè inconnexa cum poſsibilibus; & non eſſe illi accidentalem, vt inferat; ſed maximè neceſſariam, vtpotè, quæ ſi deficiat, deficiet etiam caſus, pro quo Omnipotentia indiget poſsibilitate poſsibilium; modo quo in inſtantia appoſita actionis accidentalis virtuti adæquatæ effectus; vt talis ſit, malè concluditur, actionem eſſe etiam accidentalem virtuti abſolutæ, & adæquatæ effectus, vt illum abſolutè producat: Inde detegitur obiectionis fallacia, in qua ex accidentalitate conditionis poſsibilitatis, vt ſit Omnipotentia, fit tranſitus ad probandam eandem accidentalitatem, quoad *abſolutè inferre reſpectivum*, quod datur in Omnipotentia pro caſu poſsibilitatis.

140 Contra hanc ſolutionem inſtabunt immediatè: Per nos *hoc inferre abſolutè poſsibilitatem* pro caſu poſsibilitatis, quod datur in Omnipotentia permittit ex ſe non eſſe poſsibilitatem, ſicut ipſa Omnipotentia, quæ non eſt connexa cum poſsibilibus; ſed hoc eſt implicatio in terminis: ergo *hoc inferre abſolutè*, quod in Omnipotentia cōcedimus, chymæra eſt. Probo minorem. *Inferre abſolutè aliquem terminum* eſt connecti abſolutè cum illo; ſed connecti abſolutè cum illo, & poſſe dari ſine illo implicatio in terminis eſt: ergo *inferre abſolutè*, quod in Omnipotentia concedimus implicatio in terminis eſt. Confirmatur: omnis *connexio abſoluta* eo modo, quo abſoluta eſt, vel non poteſt dari ſine termino, vel chymæra eſt; ſed *connexio abſoluta*, quam in Omnipotentia concedimus, eo modo quo abſoluta eſt, poteſt dari ſine termino: ergo chymæra eſt.

141 Semper arguens fallitur in termino *abſolutè* confundens *abſolutè* ſine reſtrictione cum *abſolutè* reſtricto, & ex ſuppoſitione, vt ergo docear ab arguente, contra inſtantiam arguo: non minus

eſt

est de essentia connexionis absolutæ non posse dari sine termino, quàm de essentia identitatis absolutæ non posse dari sine extremis, quorum est identitas absoluta; sed possibilitas Petri in communissima, & vera sententia, quam tenet Arguens, se ipsa adæquatè est absoluta identitas sui cum Petro pro casu, quo Petrus absoluè existat: ergo implicatio in terminis est Petrum esse possibilem, & non esse existentem *absolutè*. Respondeo ergo concessa maiori, nego minorem. Ad probationem concessa etiam maiori. Distinguo minorem: connecti absolutè cum aliquo extremo *ex aliqua suppositione*, & posse dari sine illo *absolutè*, implicatio in terminis est, nego minorem: & posse dari sine illo ex *suppositione*, & *pro suppositione*, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad confirmationem, distinguo maiorem: omnis *connexio absoluta* eo modo, quo absoluta est *in esse*, vel non potest dari sine termino, vel chymæra est, nego maiorem. Eo modo, quo connexio absoluta est *in respicere terminum*, vel non potest dari sine termino, vel chymæra est, concedo maiorem, & distinguo minorem: connexio, quam concedimus Omnipotentiæ, vt *absoluta in esse*, & *in respicere* potest dari sine termino: nego minorem, *vt absoluta in esse præcisè*, concedo minorem, & nego consequentiam. Explico terminos: ly *absolutè* potest appellare supra esse huius connexionis ita, vt faciat hunc sensum: *Hæc connexio absoluta pro tali casu datur absolutè taliter, vt nullam expectet conditionem, vt sit in Omnipotentia*, & in hoc sensu modus connexionis non appellat supra *non posse dari sine termino*: quia si non adsit purificatio alicuius cõditionis, poterit dari sine termino. Deinde ly *absoluta* potest appellare supra modum respiciendi, ita vt faciat hunc sensum *hæc connexio absolutè trahit terminum ex tali suppositione, & ex tali purificatione conditionis*, & in hoc sensu ille modus connexionis appellat etiam supra *ly non posse dari sine termino*: quia facta illa suppositione absolutè non potest dari sine termino; nam casus ille est suppositio pro qua, & ex qua connectitur absolutè cum termino.

142 Obijcies quinto, & vltimò ex his Sapientissimis Magistris ab absurdo, quod ex nostra sententia deducitur. Nam si admittimus has cõnexiones conditionatas, quæ ex se adæquate sint absolutæ pro aliqua conditione ipsis contingente, omnino esset implicatoria libertas creata: hoc sustineri non valet: ergo neque nostra sententia. Probatur assumptum. Libertas ex se per se, & adæquatè connexa cum vno extremo contradictionis est libertas implicatoria; sed stante nostra sententia, quælibet libertas creata est connexa determinatè cum vno extremo contradictionis: ergo est chymæra. Probatur minor: quælibet libertas creata, aut coniungitur cum Scientia media consensus, aut cum Scientia media dissensus; ab vtraque præscindere non valet; sed si coniungitur cum Scientia media consensus per se adęquatè connectitur cum consensu determinatè, & si coniungitur cum Scientia media dissensus per se adęquatè connectitur absolutè cum dissensu determinatè: ergo quælibet libertas per se connectitur determinatè cum vno extremo contradictionis. Probatur minor: non magis connectitur Scientia media de consensu cum consensu ex suppositione auxilij; quàm connectitur libertas cum consensu ex suppositione Scientiæ mediæ de consensu; aut cum dissensu ex suppositione Scientiæ mediæ de dissensu; patet hoc: nam tam connectitur quælibet creatura cum veritate Scientiæ Divinæ, quam ipsa Scientia cum veritate sui; sed Scientia media de consensu sub auxilio connectitur per nos absolutè cum consensu pro casu auxilij; & Scientia media de dissensu cum dissensu pro casu auxilij: ergo libertas creata per se, & adæquatè connectitur absolutè cum consensu pro casu Scientiæ mediæ de consensu, & cum dissensu pro casu Scientiæ mediæ de dissensu.

143 Respondeo: verum esse, quod sicut Scientia media de consensu connectitur cum consensu ex se essentialiter absolutè pro casu auxilij; ita similiter libertas creata constituta per illud auxilium, quod est in hypothesi, connectitur essentialiter absolutè cum consensu pro casu Scientiæ mediæ de consensu, idemque accidit in casu oppositio dissensus: quia evidens mihi est, quod libertas creata se sola, & adæquatè repugnat falsitati Divinæ Scientiæ; alias, quatenus est ex se, in aliquo casu posset coniungi cum falsitate Divinæ Scientiæ, quod si esse non valet, in omni, & pro omni casu, ipsa provt distincta ab omni non ipsa, opponitur falsitati, ac per con-

se-

ſequens connectitur eſſentialiter abſolutè cum veritate, & cum omni eo, quod eſſentialiter requiſitum eſt ad veritatem; ſed conſenſus pro caſu Scientiæ mediæ de conſenſu eſt neceſſarius poſito auxilio ad veritatem: ergo libertas conſtituta per tale auxilium ex ſe, & eſſentialiter connectitur abſolutè cum conſenſu.

144 Neque doctrina iſta continet abſurdum, nam ex ipſa non infertur læſio libertatis creatæ, cum talis connexio abſoluta cum vno extremo ex ſuppoſitione poſsit ſtare cum pleniſsimo dominio libertatis circa vtrumque extremum, & cum pleniſsima indifferentia ad quodlibet. Nam cum ſuppoſitio, ex qua, & pro qua infert abſolutè conſenſum, ſit Scientia media conſenſus, & hæc poſsit per libertatem impediri, poterit ablata ſuppoſitione coniungi cum diſſenſu, quod pari modo eveniet in diſſenſu, ſi Scientia media ſuppoſitionis ſit de diſſenſu: vndè tam longè abeſt, vt in noſtro modo diſcurrendi auferatur libertas, vt potius in oppoſito non componatur rectè. Recole dicta ſupra, circa impeditionem Scientiæ mediæ.

145 Obijcies ſextò. Connexio illa, quæ infert terminum ſub aliqua conditione, & ſimul infert purificationem conditionis, eſt connexio abſoluta cum termino, non reſtrictè; ſed in omni latitudine; ſed connexio, quam damus in Omnipotentia cum poſsibilibus ex ſuppoſitione, quod ſint talia, eſt connexio, quæ connectitur cum poſsibilibus, & cum ſuppoſitione: ergo eſt connexio abſoluta non ſolum reſtrictè; ſed in tota ſua latitudine. Maior eſt certa. Nam id, quod connectitur cum termino ſub aliqua conditione, & etiam connectitur cum ipſa conditione, neceſſario eſt inſeparabile à termino. Vndè habet connexionem abſolutam non ſolum reſtrictè, & ad aliquam ſuppoſitionem, ſed abſolutiſsimè. Minor in qua ſtat difficultas probatur: connexio, quam concedimus Omnipotentiæ cum poſsibilitate, eſt connexio, quæ reſpicit pro conditione ipſam poſsibilitatem; ſed poſsibilitas non diſtinguitur à ſe ipſa: ergo Omnipotentia, quæ connectitur cum poſsibilitate ex ſuppoſitione poſsibilitatis, connectitur cum poſsibilitate, & cum ſuppoſitione ad inferendam poſsibilitatem.

146 Reſpondeo: verum eſſe, caſum, & ſuppoſitionem, pro qua infert abſolutè Omnipotentia poſsibilitatem, non diſtingui à termino illato: quia poſsibilitas non diſtinguitur à ſe ipſa; verùm hoc non probat, Omnipotentiam habere connexionem ita abſolutam, vt ex ſe non poſsit dari ſine poſsibilitate; ſed præciſsè, quod eo modo, quo connectitur cum termino, connectitur cum ſuppoſitione, & conditione ad ipſum, cumque ſolum connectatur cum termino ex ſuppoſitione, quod ſit; permittat tamen abſolutè non eſſe, ſolum connectitur cum ſuppoſitione, & conditione dum eſt: quia pro eo caſu exigit Omnipotentia eſſentialiter cognitionē poſsibilium, quæ ſine poſsibilibus ſtare non valet, permittit tamen ex ſe non eſſe caſum, & ſuppoſitionem: vndè nunquam abſolutè connectitur cum poſsibilitate, niſi *ly abſolutè* reſtrictè accipiatur.

147 Obijcies ſeptimò. Connexio hæc eſt inexplicabilis, & nugatoria: ergo non datur. Probatur antecedens. Illa connexio eſt inexplicabilis, & nugatoria, ex qua non valet conſequentia à defectu *termini illati* ad defectum inferentis; ſed hoc accidit in hac connexione: ergo hæc connexio talis eſt. Probo minorem: terminus illatus in hac connexione eſt poſsibilitas rerum ex ſuppoſitione, quod ſit; ſed à defectu poſsibilitatis ex ſuppoſitione, quod ſit, non infertur defectus Omnipotentiæ: ergo. Probatur minor. Deficere poſsibilitatem ex ſuppoſitione, quod ſit, eſt *poſsibile* fieri impoſsibile; ſed ab eo, quod poſsibile fiat impoſsibile, non infertur per nos defectus Omnipotentiæ: aliàs eſſet connexa abſolutiſsimè cum poſsibilibus: ergo à defectu poſsibilitatis ex ſuppoſitione, quod ſit, non infertur defectus Omnipotentiæ.

148 Pro ſolutione argumenti advertendum eſt: hanc connexionem, quam damus in Omnipotentia cum poſsibilibus ex ſuppoſitione, quod talia ſint, non eſſe immediatam; ſed mediatam: quia in tantum connectitur cum illis ex ſuppoſitione, quod ſint, quatenus pro tali caſu exigit eſſentialiter cognitionem illorum, quæ immediatè connectitur cum eo, quod ſint, & mediatè ratione illius, Omnipotentia: quia quod connectitur immediatè cum extremo *A* immediatè inferente extremum *B*, mediatè connectitur cum *B*. Hinc Omnipotentia non connectitur cum poſsibilibus

bus adhùc ex suppositione, quod sint, nisi provt essentialiter inferens cognitionem illorum, & pro casu cognitionis illorum; quare ex defectu termini, id est possibilitatis non est arguendus defectus Omnipotentiæ, nisi pro casu, quo infert cognitionem possibilium, & coniungitur cum illa; si vero dividatur à cognitione, & casu, pro quo exigit illam, non bene valet consequentia à defectu possibilitatis ad defectum Omnipotentiæ; sed quid mirum si pro illo casu non est, nec datur casus, pro quo exigit Omnipotentia possibilia.

149 Quod vt clarius appareat, explico modum arguendi in hac connexione, & simul præsto Argumento solutionem; sic res se habent. Datur Omnipotentia ex se permittens dari, aut non dari possibilia: dantur deinde possibilia: ecce casum pro quo Omnipotentia connectitur absolutè cum possibilibus; sed quomodo? Non præcisè, quia dantur possibilia: sed quia datis his est debita essentialiter Omnipotentiæ cognitio illorum, quæ immediatè connectitur cum possibilibus: vndè quotiescumque excludatur in Omnipotentia debitum cognitionis, excluditur casus connexionis Omnipotentiæ cum possibilibus, & tunc non esset explicabilis connexio Omnipotentiæ cum possibilibus per defectum possibilium; sed quæ absurditas in hoc, si non est casus connexionis? fit igitur solutio Argumenti, connexionē hanc, quam concedimus Omnipotentiæ, esse explicabilem, & minimè nugatoriam: nam optimè his terminis explicatur, *Datur Omnipotentia cum debito cognitionis possibilium*: ergo *sunt possibilia*, & ab oppositō, *non dantur possibilia*: ergo *vel non datur debitum in Omnipotentia ad cognitionem possibilium, vel si persistit cum debito, repugnat: quia coniungitur cum cognitione falsa.*

150 Vide in hac quæstione pro connexione conditionata id, quod peracute, & satis ad nostrum intentum ait Cardinalis de Lugo, de Sacramentis in genere, disputatione 4. sect. 5. à num. 81. vbi optimè explicat, quomodo obligatio conditionata transit in absolutam, quin purificatio conditionis constituat obligationem.

CAPVT VII.

An Deus cognoscat vnum ex alio vbi de discursu virtuali?

151 COgnoscere vnum ex alio est progredi ab vna cognitione in aliam ex eo, quod intellectus ex obiecto cognito per vnam cognitionem determinatur ad aliam cognitionem, sive eiusdem obiecti diverso modo cogniti, vt accidit in his, quæ identificantur, sive alterius obiecti, vt accidit in his, quæ connectuntur. Progressus iste ab vna cognitione in aliam potest considerari tripliciter, scilicèt: *realis, virtualis intrinsecè*, aut *virtualis extrinsecè*. Progressus realis fit, quando intellectus determinatus ab vna cognitione transit in aliam realiter distinctam, quomodo evenit in nostro discursu. Progressus virtualis *intrinsecè* est transitus ab vna cognitione in aliam no quidem realiter distinctam, verùm realiter identificatam, æquivalentem tamen cognitioni realiter distinctæ quoad disconvenientiam in prædicatis cum cognitione determinante. Progressus virtualis *extrinsecè* est transitus ab vna cognitione in aliam non realiter distinctam, nec quamvis realiter identificatam, disconvenientem tamen in prædicatis, & hoc modo æquivalentem cognitionibus realiter distinctis, verùm æquivalentem cognitionibus realiter distinctis, quoad munera non opposita, & quæ cum omnimoda convenientia in prædicationibus stare possunt.

152 Certum debet esse primò. Repugnare in Divino intellectu progressum realem ab vno actu in alium: quia vbi repugnat vnus, & alius actus realiter distinctus, repugnat progressio realis ab vno actu in alium; sed in intellectu Divino repugnat vnus, & alius actus realiter distinctus, alias in Divinis vltra Personas esset numerus, & realis distinctio: ergo in Divino intellectu repugnat realis progressio ab vno actu in alium. In hoc sensu intelligendus est Divus Augustinus, libr. 15. de Trinitate, capite 14. inquiens: *Deus non parti-*

culatim, vel ſygillatim omnia videt velut alternante conceptu hinc, illùc, inde, hùc; ſed omnia videt ſimul. Et clarius libro 2. ad Simplicianum, quæſtione 2. in medio, ibi: *Cum defero de humana Scientia tranſitus quoſdam à cogitatione in cogitationem inſinuatur mihi vtcumque Scientia Dei,* videatur Divus Thomas tum in præſenti, articulo ſeptimo, tum in primum, diſtinctione 5. quæſtione prima, articulo primo ad quintum, & diſtinctione 39. quæſtione prima, articulo 3. ad 5. & 7. de Potentia, quæſtione 9. articulo 2. ad 10. 1. 2. quæſtione 11. articulo primo ad ſecundum, 2. 2. quæſtione 9. articulo primo ad primum, provt refert Godoy, diſputatione 28. de Scientia. §. primo.

153 Certum debet eſſe ſecundò. Nobis negantibus diſtinctionem virtualem intrinſecam inter Divina prædicata, per conſequens non eſſe poſsibilem in Divino intellectu tranſitum, ſeu progreſſum vllum virtualē conſtitutum per diſtinctionem intrinſecè virtualem inter actus Divinæ Scientiæ. Ratio eſt clara: quia vbi repugnat conſtitutivum, repugnat etiam conſtitutum ex illo reſultans: ergo ſi nobis repugnat diſtinctio virtualis intrinſeca, ex qua reſultat progreſsio virtualis ex ea conſtituta, repugnare etiam debet conſtitutum progreſſionis virtualis, quę per talem diſtinctionem virtualem conſtituatur.

154 Propterea duo tantum reſtant in præſenti quæſtione examinanda. Primum: An excluſa diſtinctione virtuali intrinſeca inter actus divini intellectus adhùc tamen debeat concedi talis prioritas, & poſterioritas in cognoſcendo, vt ex veritate obiectiva alicuius obiecti cognita pro priori determinetur ad cognoſcendum pro poſteriori, vel idem obiectum diverſo modo, vel aliud obiectum diſtinctum, quod ſit terminus connexionis alterius cogniti pro priori. Secundò: An abſolutè concedi debeat Deo diſcurſus, ſeu progreſsio virtualis ab vno actu in aliū, modo quo loquentes de Divino intellectu diximus abſolutè eſſe principium reale virtuale ſuæ intellectionis: An verò dumtaxat ſub aliqua reſtrictione, & modificatione per deſignationem muneris in quo æquivalet diſcurſui formali?

155 In quo ſenſu quoad vtrumque negare videntur plures Thomiſtæ cum quibus Cornejo prima parte, quæſtione 14. articulo ſeptimo, tractatu primo, diſputatione vnica, dubio primo, apud Godoy, vbi ſupra. Negant etiam ex noſtris Herice, Sforcia, Alarcon, Hurtadus Complutenſis, Arriaga, & Ribadeneyra, apud Izquierdo, diſputatione 24. de Scientia, quæſtione 4. quibus adhæret Herrera, quęſtione ſexta de Scientia, ſectione quinta. Quoad vtrumque videntur affirmare multi ex Thomiſtis, quos ſequitur Godoy iam citatus; necnon Albiz, diſputatione tertia de Scientia, ſectione tertia, ex noſtris Ribas, diſputatione tertia de Scientia, capite quarto, Izquierdo loco citato, propoſitione prima, & alij Recentiores.

156 Dico primò: Non datur in Divina Scientia progreſsio virtualis ab vno actu in alium ſumpta virtualitate pro præcedentia cognitionis repræſentantis obiectum vnum, aut determinatum, aut connexum cum alio ad cognitionem proponentem aliud, vt terminum connexionis primi, ideſt non cognoſcit Deus fundamentum connexionis, aut determinationem, vt ſit aliquis terminus in ſigno diverſo, & præcedenti ad cognitionem termini. Probatur: Fundamentum connexionis, ſeu determinatio, vt ſit aliud eo modo, quo eſt fundamentum connexionis, aut determinatio vt ſit aliud, eſt fundamentum obiectivum, vt ſit aliud: ſed in ſigno, & pro ſigno, pro quo Deus cognoſcit fundamentum obiectivum, vt ſit aliud, cognoſcit illud aliud: ergo in ſigno, & pro ſigno, quo Deus cognoſcit fundamentum obiectivum, aut determinationem, vt exiſtat aliud abſque vlla præcedentia cognitionis cognoſcit terminum connexionis, & determinationis. Diſcurſus rectus eſt, & maior certa. Siquidem omne obiectivum inſeparabile ab alio eo modo, quo ab illo eſt inſeparabile, eſt fundamentum obiectivum, vt ſit illud; ſed fundamentum connexionis, ſeu determinatio, vt ſit aliud, eſt obiectivum inſeparabile ab eo: ergo fundamentum connexionis, ſeu determinatio, vt ſit aliud, eo modo, quo eſt fundamentum connexionis, aut determinatio, vt ſit aliud, eſt fundamentum obiectivum, vt ſit illud.

157 Probatur igitur minor primi ſyllogiſmi: Intellectus Divinus perfectiſsimus, & ex ſe determinatus ad cognoſcendum omne cognoſcibile, quam pri-

primum cognoscibile est, qualis est Divinus, in eo, & pro eo signo cognoscit obiectum cognoscibile in quo, & pro quo habet fundamentum obiectivum propositum ad illud cognoscendum; alias non esset intellectus perfectissimus, vtpotè qui dato fundamento obiectivo sufficienti ad cognoscendam aliquam veritatem, adhùc illam non cognosceret, quod hebetudinem, & tarditatem quandam cognoscentis arguit; sed in signo, & pro signo, quo Deus cognoscit fundamentum obiectivum, vt sit aliud, habet fundamentum obiectivum propositum ad illud cognoscendum: propterea quod proponatur, vt fundamentum obiectivum infallibile veritatis obiectivæ alterius ex inseparabilitate ab alio, quam in se ostendit: ergo in signo, & pro signo, quo Deus cognoscit fundamentum obiectivum, vt sit aliud, cognoscit illud aliud.

158 Confirmatur primo. Dilatio cognitionis ad signum subsequens tantum potest provenire, aut ex insufficientia fundamenti obiectivi pro primo signo, aut ex non penetratione fundamenti ex se sufficientis pro primo signo; sed in Deo, nec deficit fundamentum sufficiens pro primo signo, vtpotè, quod in suo signo, aut connexum, aut determinatum metaphisicè est ad terminum; nec datur ex parte intellectus non penetratio sufficientis fundamenti pro primo signo, cum Deus sit ex se determinatus ob infinitam perfectionem suæ mentis ad cognoscendum perfectissimè, & penetrativè quidquid est cognoscibile, & eo modo, quo est cognoscibile: ergo in Deo nullum est fundamentum ad differendam cognitionem termini ad signum subsequens cognitionem fundamenti determinationis, vel connexionis cum tali termino.

159 Confirmatur secundò: cognitio fundamenti connexionis, aut determinationis ad terminum, provt formaliter cognitio perfectissima fundamenti dicit non tantum determinativè; verùm formaliter cognitionem termini; sed cognitio fundamenti dicens pro formali cognitionem termini simul proponit fundamentum, & terminum: ergo cognitio termini non extrahitur in Deo à signo cognitionis fundamenti. Reliqua præter maiorem constare videntur. Probatur maior: cognitio fundamenti connexionis, aut determinationis ad terminum, provt formaliter cognitio perfectissima fundamenti, per se formaliter est completa in ratione cognitionis fundamenti; sed cognitio fundamenti per se formaliter completa in ratione cognitionis illius, dicit non tantum determinativè; verum formaliter cognitionem termini; alias eo modo, quo non esset formalis cognitio termini, non esset formaliter completa in ratione cognitionis fundamenti, & respectus ad terminum: ergo cognitio fundamenti connexionis, aut determinationis ad terminum, provt formaliter cognitio perfectissima fundamenti dicit non solum determinative; verùm formaliter cognitionem termini.

160 Hinc constat disparitas inter intellectum Divinum, & creatum, & præcluditur solutio, quæ communiter dari solet ad infringendam vim nostræ rationis intendendo, quod si probat, convincit etiam neque in nobis esse locum mentali progressioni ab vno actu in alium, seu discursus: diversitas ergo sumitur ex perfectione, & illimitatione divini intellectus, & limitatione, & imperfectione intellectus creati: ibi enim repugnat cognitio, quæ pro aptitudine, & capacitate signi, in quo est, non sit completissima, clarissima, & summè penetrativa obiecti ad quod terminatur: vnde debet illud cognoscere omni eo modo, quo cognoscibile est; at in intellectu creato non repugnat cognitio obscura, imperfecta, præcisiva, & non plenè penetrativa obiecti, in quod tendit; ideoque quamvis cognitio fundamenti connexionis, aut determinationis ad aliquem terminum proponat etiam terminum, proponit illum modo quodam implicito, & virtuali, cui fit satis per cognitionem implicitam, & virtualem, præbentemque locum alij cognitioni formaliori, & clariori, quæ non sit formaliter prima, quamvis ex determinatione illius procedat.

161 Nihilominus objicies primò: hæc benè probare Deum non egere discursu: neque ex necessitate dari in intellectu Divino talem cognitionis progressionem, vt pro priori cognoscat fundamentum connexionis, aut determinationem ad aliquid, & pro posteriori terminum connexionis, & determinationis; aut ex libertate Divina id non posse contingere, vnde probatur? Cum sola necessitas ostendat imperfectio-

tionem in progreſſu mentali; ſecus libera determinatio ad talem modum cognoſcendi. Quod confirmari poteſt primò ex his, quæ eveniunt in Divina voluntate, vbi quamvis Deus ex infinita perfectione cognitionis proponentis finem aſſequibilem, & media coniuncta cum expeditione potentiæ ad exequenda media efficacia ad finis aſſequutionem, valeat pro vno, & eodem ſigno intendere finem efficaciter, eligere, & exequi media; id tamen non impedit, quod cum aliqua ſignorum ſucceſsione prius intendat efficaciter finem, poſt eligat media, & demum media, & finem exequatur. Confirmatur ſecundò, ex ſententia gravium Theologorum dicentium: quod quamvis Angelus per ſe, & neceſſario non vtatur diſcurſu, ſaltem in his, quæ cognoſcit evidenter; cæterum per accidens, & ex libito poteſt diſcurrere, & imperare progreſſum ab vna cognitione in aliam.

162 Reſpondeo: intellectum Divinum, vtpotè perfectiſsimum in ſua linea, habere quidquid ad illam pertinet abſque diminutione vlla, cum autem de linea intellectus, provt exprimit perfectionem propriam, ſit eſſe neceſſariſsimum in attingentia eorum, quę evidenter cognoſcit, non poteſt in his ſubdi voluntatis dominio, niſi declinet à propria excellentia, & in his, quæ evidenter cognoſcit, maneat aliquomodo ambiguus, & cum defectu alicuius gradus neceſsitatis in his, quæ vt evidentia amplectitur: vnde in propria linea, & perfectione exiſteret aliquomodo defectuoſus, quod longè debet eſſe ab intellectu infinito, & perfectiſsimo: ac per conſequens id, quod probat, quod cognito fundamento connexionis, aut determinationis ad terminum evidentiſsimè, etiam cognoſcit evidentiſsimè terminum; probat vlterius in modo attingendi vnum, & aliud non dependere ab arbitrio, & electione Divinæ voluntatis.

163 Hinc patet diſparitas ad primum. Nam cum intentio finis ſit exercitium voluntatis Divinæ, quæ vt perfectiſsima ſit, exigit liberè procedere circa contingentia: ideò ſicut liberè, & non neceſſario intendit finem; ſic liberè, & non neceſſario poteſt intendere finem differendo ad aliud ſignum electionem mediorum, quæ proveniat ex determinatione intentionis exiſtentis pro primo ſigno, non vt electionis formalis mediorum; verùm vt virtualis, aut arguitivæ. Conſtat etiam diſparitas ad ſecundum. Admiſſa ſuppoſitione illius ſententiæ non communioris; nec liberæ à maxima controverſia: Quia & ſi intellectus Angelicus perfectior ſit intellectu humano; non ideò eſt intellectus perfectiſsimus, & infinitus; imò potius infinitè diſtans ab intellectu Divino perfectiſsimo: quid ergo mirum, ſi in linea potentiæ neceſſariæ, vt eſt reſpectu eorum, quæ evidenter cognoſcit, non includat omnem neceſsitatis gradum pertinentem ad talem lineam, ex cuius defectu maneat ſubditus libertatis imperio ex cuius influxu, & ſi non poſsit, aut omnino ſuſpendere aſſenſum, aut diſſentire; valeat vero determinari ad ſic, vel aliter aſſentiendum, nempè vel cum præcedentia aliqua inter aſſenſum antecedentis, & conſequentis, vel ſine vlla, modo quodam indiviſo.

164 Obijcies ſecundò argumentum potiſsimum contrariæ ſententiæ: Deus pro priori ad iudicium abſolutum de exiſtentia conſenſus Petri habet hos duos aſſenſus *ſi auxilium A, cui Petrus conſentit, conferatur Petro, Petrus ei conſentiet*, deinde: *Auxilium A confertur Petro*: ergo iudicium abſolutum de veritate conſenſus Petri cognoſcit abſolutè conſenſum Petri ex determinatione obiectiva veritatis obiectivæ illorum duorum actuum præcedentium: ac per conſequens Deus in cognoſcendo admittit progreſſum virtualem, virtualitate conſiſtente in præcedentia vnius actus determinantis ad alium determinatum, & qui ſe habeat, vt conſequens ex primo. Conſequentia eſt legitima, nam hæc duplex veritas *ſi exiſtat auxilium A, exiſtet conſenſus*; & *exiſtit auxilium A*, connectitur cum hac veritate *exiſtit conſenſus*: ergo ſi Deus pro priori ad hanc tertiam veritatem *exiſtit conſenſus*, cognoſcit illum duplicem, pro priori etiam ad hanc tertiam veritatem abſolutam de conſenſu, habet cognitionem antecedentis legitimè inferentis veritatem conſenſus: ac proinde Deus cognoſcet veritatem conſenſus ex determinatione illorum duorum actuum exiſtentium pro priori.

165 Probatur antecedens, in quo eſt vis argumenti, ſcilicèt: Deum pro priori ad veritatem abſolutam de conſenſu cognoſcere duplicem illam veritatem: *Si exiſtat auxilium, exiſtet conſenſus*;

sus; & existit auxilium Siquidem iudicium illud conditionatum de existentia consensus sub hypothesi auxilij, certum apparet præsupponi ad iudiciũ absolutũ de consensu, tum propter præcisionem, quam dicit Scientia media à purificatione conditionis, & existentia absoluta conditionati, cum quorum defectu est componibilis, tum etiam: quia sicut Scientia media præcedit ad existentiam auxilij præcedentis ad consensum secundum veritatem absolutam ipsius, sic etiam debet præcedere ad veritatem absolutam illius tanquam ad posterius posteriori se ipsa; insuper Scientiam auxilij, seu purificationis hypothesis anteire Scientiam absolutam consensus. Probatur, vel quia Scientia auxilij identificatur virtualiter cum decreto auxilij, quod præcedit ad consensum absolutum, vnde & ad cognitionem absolutam illius; vel quia sicut auxilium præcedit in esse physico ad consensum absolutum procedentem ab ipso; ita in esse intentionali debet intelligi prius auxilium, quàm consensus; quod est esse cognitum antequam intelligatur cognitus consensus absolutè: ergo duplex illa veritas nempè, conditionalis de existentia consensus sub existentia auxilij, & absoluta de existentia auxilij existit pro priori ad iudicium, quo Deus absolutè iudicat existere consensum.

166 Respondent aliqui, vt refert Herrera, per recursum ad intrinsecam libertatem actuum Divinorum: Vnde dicunt decretum collativum auxilij, quod defacto datur sub Scientia media consensus, habere connexionem cum Scientia media; & aliunde cum purificatione conditionis, quam ponit, propterea que connectitur cum consensu absoluto eadem connexione, qua connectitur complexum Scientiæ mediæ, & purificationis conditionis; quare cognitio decreti, & purificationis conditionis non antecedit cognitionem absolutam consensus; sed est ipsissima cognitio absoluta consensus determinata à fundamento obiectivo complexi connexi cum consensu absoluto. Respondent alij, quod &si decretum auxilij titulo exercitij liberi non debeat connecti cum illa Scientia media a qua dirigitur; titulo tamen cognitionis perfectissimæ sui, quam debet esse, repræsentare quidquid pro illo signo cognoscibile est; nempè, complexum coalescẽs ex Scientia media existenti pro priori, & ex ipso decreto, & purificatione conditionis existentibus pro posteriori: Inde colligitur cognitionem decreti, & auxilij non determinare ad cognitionem absolutam consensus; sed esse ipsissimam cognitionem absolutam cõsensus aliunde per aliam cognitionem non determinatam.

167 Vtraque solutio, provt attinet ad præsentem casum, satis expedit difficultatem; cæterum deficiunt aliunde ex contractione ad sententias peculiares. Deficit prima ex alligatione ad iudicium de eo, quod actus liberi Divinæ voluntatis sint ita essentialiter liberi, vt non modo habeant essentialiter annexam libertatem; verùm ab ea determinata libertate à qua defacto procedunt, sint essentialiter inseparabiles, quod quidem iure controversum est. Deficit secunda in eo, quod Scientiam decreti, & auxilij ita identificatam cum decreto, & auxilio constituit, vt non permittat præcedentiam aliquam decreti ad Scientiam, provt opus est in nostris principijs stabilitis disputatione septima vbi probavimus veritates contingentes etiam immediatè pendentes à libertate Divina deberé obiectiue præcedere scientiam sui.

168 Generalius respondet Ribadeneyra consentiente Herrera dicendo: Deum, dum decernit auxilium, præeunte Scientia media de consensu, non differre post cognitionem absolutam decreti, & auxilij, cognitionem consensus absoluti ad aliud signum; sed neque cognoscere consensum absolutum per solam formalitatem cognitionis subsequutam ad decretum; aut cognitionem consensus absoluti, quasi coalescere ex Scientia media consensus, & ex Scientia absoluta decreti, & auxilij, ita vt hæ duæ formalitates absque præcedentia vlla in formalitatem Scientiæ consensus absoluti sint Scientia, & cognitio consensus absoluti: vnde vitatur discursus, cum respectu cognitionis consensus absoluti non detur cognitio præcedens ad ipsam determinans: inquiunt insuper, id provenire non indiscriminatim: quia cognoscere veritatem obiectivam conditionalem, & purificationem conditionis ex se ferat cognoscere formaliter veritatem absolutam; alias etiam in nobis contingeret, quod falsum est; sed ex conceptu peculiari cognitionis Divinæ con-

ditionatæ, & tendentis absolutè in cognitionem, quæ vtpotè perfectissimæ, & plene penetrativæ obiecti, habent esse formalem affirmationem absolutam conditionati, quod in nobis ob imperfectionem cognitionis tendentis conditionaliter in obiectum, & absolutè in purificationem conditionis, deficit.

169 Vnde ad argumentum nego antecedens. Ad cuius probationem concessa prima parte antecedentis scilicèt, Scientiam mediam de consensu præcedere ad cognitionem absolutam consensus; negatur quoad secundam nempè cognitionem absolutam decreti, & auxilij præcedere ad iudicium absolutum de consensu, quod ita non est; propterea quod cognitio absoluta consensus non differatur ad aliud signum consequens cognitionem absolutam decreti, & auxilij; verum in ipso signo cognitionis absolutæ decreti, & auxilij compleatur in esse cognitionis absolutæ consensus, nec probationes in contrarium adductæ sunt alicuius roboris. Non prima: quia &si Scientia auxilij identificetur virtualiter cum decreto auxilij taliter, vt decretum nullam præcedentiam dicat ad Scientiam sui (quod negamus) iuxta superius dicta; id non impediret, quod pro signo, quo intelligitur Scientia auxilij, intelligeretur etiam Scientia absoluta consensus: nam si quamvis auxilium subsequatur decretum, Scientia absoluta auxilij est virtualiter Scientia decreti, & decretum (vt ferunt) cur &si consensus absolutus subsequatur decretum, & auxilium, Scientia absoluta consensus nō poterit intelligi, vt eadem virtualiter, tum cum Scientia decreti, tum cum ipso decreto? Non secunda, quia si id, quod in ordine physico est posterius, potest esse in ordine intentionali anterius, vt constat in consensu absoluto respectu Scientiæ mediæ; cur quod in ordine physico est posterius, non poterit esse in ordine intentionali simultanee. Præterquam quod duo venire cognoscenda in eodem signo provenit à determinativo obiectivo, potest autem contingere, quod duo habentia se successivè in ordine physico habeant simul determinativum obiectivū ex eo, quod id quod est pro priori sit determinativum obiectivum formale sui, & arguitivum alterius, ideoque vnum non posse cognosci, quin simul cognoscatur aliud.

170 Dico secundò. Dici nequit absolutè dari in Deo progressus intentionales ab vno actu intellectus in alium, aut virtualis discursus; dici tamen potest restrictè explicando munus, in quo Deus per suam Scientiam æquivalet discursui reali. Vtraque pars propositionis constat ex dictis disputat. 5. circa principium virtuale. Constat prima ex regula generali, quam tradidimus ad dignoscenda ea, quæ absolutè virtualiter possunt tribui Deo, scilicèt omnia illa, quarum conceptus realis formalis invenitur in Deo; cum autem conceptus *progressus realis formalis ab vno actu in alium*, repugnet in Deo ob summam eius simplicitatem; ideo nec absolutè virtualiter potest dici: *Deum virtualiter discurrere*. Constat secunda: quia, vt ibi etiam diximus: omnia ea, quæ in nobis inveniuntur realiter formaliter, possunt virtualiter tribui Deo, designato munere æquivalentiæ non dicente imperfectionem: vnde cum in discursu reali formali inveniatur munus cognoscendi vnam veritatem obiectivam ex determinatione alterius, vel propter identitatem, vel propter cōnexionem, quod quidem munus non dicit imperfectionem; imò potius translatum ad Deum perspicaciam divini intellectus commendat; ideo absque inconvenienti dici valet Deum discurrere virtualiter quoad hoc munus discursus realis formalis: neque in præsenti occurrit aliquid difficile, quod ibi non sit solutum. Rememorentur ibi dicta, quibus nihil restat superaddendum.

DISPVTA-

JHS.

DISPUTATIO NONA.

APPENDIX PRÆCEDENTIS

DE DEPENDENTIA CONNEXIONIS Dei in essendo cum alio à se realiter distincto, seu: An Deus in suo esse sit metaphisicè connexus cum possibilitate extra se possibilium, & cum impossibilitate impossibilium?

RESOLVTIONEM huius quæstionis insinuavimus disputatione præcedenti, tractantes modum quo Deus cognoscat creaturas in se ipso; cæterum ne obscura fiant, quæ per suppositionem tantum discussæ sunt, placuit hanc celebrem quæstionem dictis adiungere, & per ocium disquirere: Vnde luculentius apparebunt principia, quibus, ante exposita sunt innixa. Præcipuè cum animus sit in his nostris Tractatibus in quantum possimus sine legentium offensione quæ pertinent ad materiam de essentia, & attributis includere. Quomodo si ex nostris scriptis resultare valeat aliqua vtilitas, maior erit.

CAPVT I.

Post aliqua notatu digna referuntur sententiæ.

1 OBSERVANDVM est primò: *connexionem* vnius cum alio, aliud non esse nisi *affixionem, & determinationem, quam vnum extremum ex se, & per identitatem habet, vt non sit sine alio pro modo connexionis cum illo*, seu quod in idem recidit esse *inseparabilitatem ab alio intrinsecam per identitatem vni extremo pro modo connexionis*: Dicitur *ex se, & per identitatem*, vt distinguatur *connexio*, tum ab *vnione* vnius & alterius, tum à quavis determinatione extrinseca; v.g. *decretum Dei*, vt vnum non sit sine alio, quæ quidem non sunt connexiones vnius cum alio propterea quod extrema semper maneant ex se separabilia. Additur *vnius cum alio, seu vnius, & alterius*, quod non de quovis *vno, & alio* est accipiendum; verum de *vno, & alio* realiter distinctis, vt sic *connexio* distinguatur ab identitate; quæ *connexio simpliciter*, non est dicenda; sed ad summum *logica*, vt ab aliquibus solet explicari. Vltimo ponitur *pro modo connexionis*, vt denotetur, inseparabilitatem, & determinationem, vt vnum non sit sine alio restringendam, aut ampliandam pro qualitate connexionis taliter, vt si hæc sit tantũ *secundum aliquam rationem*; etiam secundum aliquam rationem solum sit determinatio, & inseparabilitas; si vero connexio *absolutè* terminum respiciat; *absolutè* similiter sit vnum ad aliud determinatum, & ab eo inseparabile.

¶ Secundò: id quod connectitur cum alio dici *Fundamentum connexionis*, & illud *cum quo connectitur* dici *terminum connexionis*, qui vt talis denominetur non debet necessario intelligi de præsenti, & *absolutè existens*, cum tàm *possibile, quàm existens*; necnon *præteritum, & futurum*, va-

valeant habere prædictam denominationem ex eo quod vnum iam connectatur cum alio præcisè, *vt posſibili*, iam, *vt exiſtenti*, iam *vt futuro*, aut *præterito*, quæ obſervatio applicari etiam debet *fundamento connexionis*, cum iſtud, vt tale ſit, & denominetur non requirat determinatè eſſe aliquid *abſolutè, & ſimpliciter exiſtens*, ſiquidem iam, vt præcisè *poſſibile*, iam, *vt exiſtens*, iam, *vt præteritum*, iam, *vt futurum*, valeat eſſe ab altero per ſe, & identicè inſeparabile: ac proinde *connexionis fundamentum*.

2 Tertiò: Prædictam connexionem vnius cum alio poſſe tripliciter conſiderari. Vna enim eſt *metaphiſica*; altera *naturalis*; tertia vero *moralis*. Connexio *metaphiſica* vnius cum alio, tunc datur quando vnum non poteſt eſſe ſine alio, modo explicato, adhùc per potentiam Dei abſolutam, taliter, vt ſemper bona ſit conſequentia à fundamento connexionis ad terminum, & ab oppoſito termini ad oppoſitum fundamenti, vt *Datur Scientia Dei de Petro exiſtente: ergo Petrus exiſtit: Petrus non exiſtit: ergo non datur Scientia Dei de Petro exiſtente.* Connexio *naturalis* ea eſt in qua, etſi fundamentum connexionis valeat eſſe abſolutè ſine termino; non tamen ſine miraculo intercedente, vt ſeparatio à termino contingat. Inde in hac connexione modus arguendi ab vno ad aliud ſic ſe habet: *Exiſtit materia; v.g. connexa naturaliter cum aliqua forma: ergo, vel exiſtit forma aliqua, vel intervenit miraculum*, & ab oppoſito: *neque exiſtit forma aliqua, neque datur miraculum: ergo non exiſtit materia*: An vero miraculum iſtud debeat ſe tenere ex parte conſervationis fundamenti cõnexionis, vel præcisè ex parte ablationis termini? controverſum eſt apud Authores, & quid pro re præſenti impertinens, cum ſat ſit pro noſtro intento, & explicatione debere intervenire miraculum in denegatione termini, ſivè illud præcisè ſe contineat intra ablationem termini, ſivè comprehendat vlterius conſervationem ipſam fundamenti. Connexio *moralis* illa dicitur in qua, & ſi fundamentum connexionis queat dari ſine termino, tàm abſolutè; quàm ſine miraculo; tamen fere ſemper cum illo conjungitur; ita taliter, vt dato fundamento omni alio ſecluſo, imprudenter negetur terminus: vnde fere ſemper benè valet conſequentia à fundamento ad terminum; v.g. *eſt mater: ergo diligit Filium*, & ab oppoſito termini ad oppoſitum fundamenti, vt *non diligit Filium: ergo non eſt mater.*

3 Quævis ex his connexionibus ſubdividitur in abſolutam, & conditionatam, in reſpectivam, & non reſpectivam, in mutuam, & non mutuam. Connexio *abſoluta* eſt quæ non expectat conditionem aliquam ad inferendum terminum, vt eſt connexio quæ datur inter actionem, & terminum, & inter omnem modum, & rem illius. *Conditionata*, quæ expectat aliquam conditionem ad inferendum terminum qualis eſt connexio, quam habet decretum ſubiective abſolutum, & obiective conditionatum, aut ſcientia ſubiective abſoluta, & obiective conditionata cum exiſtentia abſoluta conditionati, ſcilicèt ſub exiſtentia conditionis qua non data valent exiſtere ſine illo. *Reſpectiva* cuius inſeparabilitas à termino reſtringitur ad determinatas circunſtantias extra quas licèt exiſtat fundamentum connexionis poteſt eſſe ſine termino: ſic decretum de hoc mundo habet connexionem cum exiſtentia mundi non pro ſemper ſui; ſed pro determinata menſura; alias mundus ſicut, & decretum extitiſſet ab æterno. *Non reſpectiva*, quæ inſeparabilis eſt à termino pro ſemper ſui ſine reſtrictione vlla ad circunſtantias determinatas, qualis eſt connexio poſsibilium cum Deo, aut connexio actionis cum termino. *Mutua*, quæ invenitur inter extrema à quorum vno ad aliud valet conſequentia, & è cõverſo, vt *datur Scientia divina de peccato Petri in inſtanti A: ergo Petrus peccat in inſtanti A: Petrus peccat in inſtanti A: ergo datur Scientia Dei de peccato Petri in inſtanti A*: Demùm: *non mutua* ea eſt, quæ inveniuntur inter extrema, à quorum vno ad aliud valet conſequentia; ſecus è contra; v. g. *Datur vnio actualiter nectens extrema: ergo dantur extrema*; quin benè valeat: *Dantur extrema: ergo datur vnio actualiter nectens extrema.* Iam quæſtio præſens non procedit de connexione phiſica aut morali; ſed de metaphiſica: nec de cõnexione conditionata, aut reſpectiva; verum de connexione abſoluta, & non reſpectiva: nec vltimo de connexione mutua inter Deum, & poſsibilia; idem dic de impoſſibilibus. Sed de connexione conſiderata duntaxat ex parte Dei: quomodo inquirit: An Deus connectatur cum poſſibilitate poſsibilium, & impoſsibilium impoſsibilitate?

4 Quæ-

4 Quartò: Posſibilitatem, & impoſsibilitatem duntaxat ex parte termini connexionis in quæſtionem adduci. Quia certum, & extra dubium eſt: Deum cum nullius creaturæ exiſtentia abſoluta metaphiſicè connecti. Id enim ſaltem convincit independentia proclamata in ſacris litteris, quibus Deus proponitur, vt ſibi ſufficientiſsimus, & nullo extra ſe indigens, quæ ſtare non poſſent ſi alicui ex creaturis quoad exiſtentiam eſſet ſimpliciter, & metaphiſice alligatus: Etenim ſicut abſque vllo ſuæ perfectionis diſpendio ab æterno caruit exiſtentia creaturarum, quas in tempore fecit: ſic ab æterno, & in æternum abſque vlla neceſsitate cogente in oppoſitum carere valuit. Vnde protulit Anſelmus lib. 2, *Cur Deus homo*, cap. 5. prope finem, *Deus nihil facit neceſsitate: quia nullo modo cogitur, aut prohibetur aliquid facere.* Et c. 17. ſub init. *Quoniam omnia quæ vult, & nonniſi quæ vult facit, ſicut nulla neceſsitas, ſive impoſsibilitas præcedit eius velle, aut nolle; ita nec eius facere, aut non facere.* Et iure quidem: nam aliter, nec eius libertas in decernendo omnia *ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, iuxta D. Paulum ad Epheſios 1. nec eius neceſsitas in exiſtendo qua eſt *ille qui eſt*, & *qui eſt ſimpliciter*, per eſſentiam, & definitive explicatur iuxta Exodum cap. 3. ſtare poſſent cum indifferentia in volendo, & decernendo per determinationem antecedentem deſtrueretur, & neceſsitas in exiſtendo per dependentiã à defectibili vana foret. Confirmatur: non maior connexio ponenda eſt in Deo cum his quæ potuit facere, & fecit; ac cum his quæ potuit facere, & non fecit, cum Deus æqualiter ex ſe reſpiciat omnia poſsibilia: ſed cum exiſtentia eorum quæ potuit facere, & non fecit, nullam habet metaphiſicam connexionem, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo neque habet ſimilem connexionem cum his quæ poteſt facere, & fecit. Quare concludendum cum Iuſtino quæſt. 3. Chriſtiana ad Gentiles: *Si Deus facit quia eſt coactè facit, quæ facit. Sin facit quia vult ſponte facit. Sponte enim faciens facit quantum vult, & qualia vult, & quando vult.*

5 Quintò: Eſſe diſsidium non leve. Primò: An omnis connexio metaphiſica ſit reſpectus realis tranſcendentalis? Secundò: An dato; quod ſit, valeat ad convertentiam: omnem reſpectum realem tranſcendentalem eſſe connexionem metaphiſicam? Communior ſententia vtrumque affirmat; minus communis vtrumque negat. Sit in hac parte quod cuique placuerit, vtpote quid independens à præſenti controverſia, quã propoſuimus ſub terminis *connexionis metaphiſicæ* fugientes terminos *relationis aut reſpectus tranſcendentalis*, ſub quibus ab alijs ſolet exagitari: quomodo manet expoſita confuſioni ex diverſa acceptione terminorum: vnde poteſt contingere, vt diſsidentes circa connexionem, conveniant circa reſpectum realem tranſcendentalem; & diſsidentes circa reſpectum realem tranſcendentalem, conveniant circa connexionem.

6 Sextò: non eſſe idem, Deum non connecti metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus; ac abſolutè non dari vllam neceſsitatem metaphiſicam, vt Deus ſit cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Propoſitionis fundamentum eſt: quia, vt Deus non connectatur metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus ſufficit non habere ex ſe determinationem, aut neceſsitatem ad poſsibilia, & impoſsibilia; ſed potius quantum eſt ex ſe permittere defectum poſsibilium & impoſsibilium; vt verò abſolutè nulla ſit neceſsitas ad coniunctionem Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, vltra requiritur, ex nullo capite dari determinationem, vt Deus in exiſtendo cum eis componatur. Id autem deficeret adhùc dato, quod Deus cum poſsibilibus, & impoſsibilibus non connectatur. Siquidem tunc daretur impoſsibilitas metaphiſica ex parte poſsibilium, & impoſsibilium, vt à ſuo conceptu eſſentiali deficerent: ac proinde eſſet neceſsitas metaphiſica ex parte ipſorum, vt in ſuo conceptu ſint id quod ſunt; cumque neceſſarium, qua tale, faciat ſenſum compoſitum ſui cum quovis alio exiſtenti, & ad illud faciendum ſit ex ſe determinatum, clarè liquet non obſtante inconnexione metaphiſica Dei cum poſsibilibus & impoſsibilibus, eſſe neceſſarium metaphiſicè Deum cum ipſis componi. Ideo quæſtio non inquirit: An Deus habeat neceſsitatem metaphiſicam, vt ſit cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, ſumpta neceſsitate metaphiſica in tota ſua latitudine, & provt comprehendit *intrinſecam, & extrinſecam*? Sed reſtrictè ad ſolam *neceſsitatem intrinſecam* ortam ex prædicatis divinis, quæ quidem eſt neceſsitas metaphiſicæ connexionis.

His

7 His positis, variæ sunt Authorum sententiæ ex quibus duæ principaliores; duæ verò quæ principalibus addunt aliquam restrictionem, veluti medium tenentes. Prima principalis sententia absolutè affirmat Deum connexum metaphisicè cum possibilibus, & impossibilibus. Ita omnes Thomistæ apud Magistrum Prado lib. 2. Phisicorum quæst. 21. §. 2. cum quibus ex nostris Sapientissimus D. Molina, Valentia, Herice, Granado, Arriaga, Ruiz, Fasolus, Franciscus de Lugo, Salas, Tannerus, Amicus, Ribadeneyra, & alij, quos omnes citatos invenies, tum apud Izquierdo disput. 4. de Deo quæst. 2. tum apud Peynado in Phisica disputatione 2. sect. 2. qui eandem sententiam tenet, & non parum illustrat. Citatur etiam communiter pro eodem iudicio Eximius Doctor Suarius; sed refragatur Arrubal cum contrario adscribens, vt firmius adhùc fecit Alphonsus disputat. 1. Phisic. sect. 3. dicens se non posse non mirari pro connexione metaphisica Dei cum possibilibus, & impossibilibus adduci, quando lib. 2. de attributis cap. 25. num. 22. & cap. 26. n. 16. sicut in metaphisicis disput. 47. sect. 15. num. 15. iam expressè oppositum sentiat, iam ex professo probet. At certè, provt ego in locis memoratis assequi potui, & legenti constabit, tantum ibi negat respectum Dei realem transcendentalem ad creaturas possibiles insinuans etiam quid distinctum esse à connexione metaphisica Dei cum possibilibus, vnde locum manet, vt connexionem metaphisicam teneat exclusa relatione reali, aut respectu reali transcendentali; cæterum cum sub terminis connexionis quæstionem apud ipsum clarè exagitatam non inveniam, dubius hæreo circa eius mentem, & gaudens non inconcussè esse proponendum pro hac sententia.

8 Secunda principalis sententia asserit absolutè Deum inconnexum metaphisicè cum possibilibus, & impossibilibus. Sic Subtilis Doctor Scotus, & cum eo communiter discipuli; idem sentiunt Basilius Ponce, Pesantius, & Albiz, & ex nostris Doctissimus Vazquez, Arrubal, Becanus, Turrianus, vterque Hurtadus Complutensis, & Salmanticensis, Raynaudus, Alarcon, Hemelman, Oviedo, Ripalda, & Izquierdo loco supra citato apud quem sicut apud Ripaldam reliquos adductos proprijs locis invenies. Accesserunt insuper plures ex Recentioribus.

9 Tertia sententia, aliquomodo præcedentes coarctans, propugnat inconnexionem metaphisicam Dei cum omnibus possibilibus; cæterùm quoad impossibilia loquitur cum aliqua limitatione: nam, etsi verum iudicet: Deum non connecti cum omnibus impossibilibus: quia plura sunt, quæ si fierent possibilia, Deus adhùc persisteret, tamen aliqua sunt cum quibus metaphisicè connectitur, videlicet omnia illa, quæ immediatè pugnant cum divinis perfectionibus; v. g. *Alter Deus, mendacium Dei, ignorantia Dei*, & alia huiusmodi, quorum impossibilitas, si deficeret, repugnaret Deus. Sic Pater Alphonsus vbi supra, quem alij sequuntur.

10 Quarta sententia strictiùs media asserit. Nec Deum esse constituendum tam nudum à connexione metaphisica cum possibilitate possibilium, vt cum nullius creaturæ possibilitate sic connectatur, neque adeo connexum, & ligatum, vt cum cuiusvis determinati possibilis possibilitate connectatur; quare dicendum esse: Deum ex se, & ex suis prædicatis inferre, connexione metaphisica subiectivè determinata, & obiectivè vaga, esse intra quamlibet speciem creaturarum infinita possibilia creaturarum, in quibus exercere valeat suum Dominium, Liberalitatem, &c. Non vero inferre determinatè possibilitatem huius, aut illius creturæ, excepta pietatis causa, possibilitate humanitatis Christi Domini, & Beatissimæ Virginis Mariæ cum quibus subiectivè, & obiectivè determinatè connexus metaphisicè est. Hanc tuentur Sapientissimi Recentiores in hac vniversitate, & in hoc collegio quondam Theologiæ Primarij in manuscriptis Philosophicis. Hæ sunt sententiæ, ex quibus, quas non probo, seorsim impugnare non est opus, tum quia ex fundamentis nostri iudicij infringuntur; tum quia Adversariorum fundamentis in obiectionibus solutis contrariarum rationum, vel minor vis, vel debilitas, vt ab ipsis recedamus, satis innotescet.

CA-

CAPVT II.

Nostra Sententia proponitur, & per aliquas Conclusiones explicatur.

11 DICO primo: Deus cum nullius possibilis possibilitate, aut impossibilis impossibilitate connectitur metaphisicè. Propositionem istam probat Oviedo in metaphisicis puncto 4. §. 2. dicens: esse in intelligibilem hanc dependentiam Dei à possibilitate, & impossibilitate tanquam à terminis connexionis: quia cum possibilitas, & impossibilitas non sint verè, & realiter aliquid; sed tantum forent; neque modò aliud esse habeant, quàm obiectivum, & provt verificant has propositiones: *Si existeret, sine contradictione existeret: si existeret, cum contradictione existeret*, nulla virtus phisica, & absoluta, simpliciterque existens potest dependere ab ipsis. Addit insuper pro inconnexione cum possibilibus: possibilitatem non distingui ab existentia: ergo si Deus non connectitur metaphisicè cum existentia contingentium, vt apud omnes est certum, neque connecti valet cum eorum possibilitate, alias de possibilitate, & existentia rei contingentis verificarentur prædicata contradictoria, videlicèt: *Esse terminum connexionis metaphisicæ Dei; non esse terminum connexionis metaphisicæ Dei*; quomodo identitas realis, aut saltem virtualis intrinseca, quæ possibilitati, & existentiæ conceditur, destrueretur.

12 Verùm hæc probatio, vel quæstionem vocalem inmiscet, vel falsissima est: Sic suadetur assumptum. Nam hic doctissimus Magister, dum asserit esse inintelligibilem dependentiã tanquam à termino connexionis metaphisicæ inter existens, & possibile, vel vult significare inintelligibile esse tale vinculum inter existens, & possibile, vt ex defectu possibilis rectè arguatur defectus huius, quod positivum est, & simpliciter existens, vel etsi hoc non velit innuere, adhùc tamen renuit concedere dependentiam inter existens, & possibile: quia ad hanc plus exigit, quàm rectam illam illationem? Si hoc secundum: ecce quæstionem in vocibus, in qua debuisset adhibere acceptionem dependentiæ, quam negat. Si primum: falsissimum apparet etiam ad hominem: inde enim contra ipsum, Deus arguerètur connexus metaphisicè cum possibilitate possibilium, vt facilè ostendi potest. Siquidem stante hac doctrina, deficiente possibilitate possibilium haberet Deus cognitionem falsam: ergo deficiente possibilitate possibilium deficeret Deus. Consequentia est legitima: Nam quomodo persistere posset Deus verus, dum eius infinita sapientia deficeret. Antecedens probatur. Deficiente possibilitate possibilium, aut deficeret scientia divina ei correspõdens, aut non? Si non deficeret: videant cognitionem falsam in Deo, nempe, quæ proponeret possibilia, cum possibilia ex parte obiecti non essent: si deficeret: ergo concedunt, quod alias negant, cùm iam admittant inter existens, vt est scientia divina, & possibile, quale est obiectum illius, talem nexum metaphisicũ, vt deficiente possibilitate possibilium deficeret scientia.

13 Nec valet, si dicat: Scientiam illam possibilium, & si necessariam Deo necessitate *extrinseca*; non tamen esse necessariam necessitate *intrinseca*, & *ex parte Dei*: quare mensuranda est quoad sui constitutionem, sicut scientia contingentium, quæ per ipsa obiecta constituitur: vnde deficientibus possibilibus deficeret Scientia divina possibilium; sed non per defectum alicuius divini; verùm per defectum vnicum possibilium per quorum esse obiectivum constituitur. Non igitur valet: tum quia doctrina ista ad quam fit recursus de constitutione actuum divinorum contingentium per aliquid extrinsecum est difficilima, & forsan in intelligibilior; quàm vinculum illud metaphisicum inter existens, & possibile, quod huic Authori fit imperceptibile. Tum quia hoc permisso, adhùc manet discursus noster in sua vi: Nam non minus debet esse imperceptibile id, quod purè obiectivum est: per se constituere id quod positivè, & simpliciter existit, vt existit in Deo scientia possibilium, quàm esse terminum positivæ dependentiæ, & connexionis; sed primum non fit ipsi imperceptibile: ergo neque secundum: neget igitur vtrumque, aut vtrumque concedat.

14 Nec

14 Nec maiorem vim habet alterum fundamentum quoad inconnexionem cum poſsibilibus ſumptum ex prædicatis convenientibus poſsibilitati, & exiſtentiæ: tum quia immerito ligat, & facit dependentem controverſiam, in qua modò verſamur, à peculiari ſententia circa rerum poſsibilitatem à qua modò debet præſcindi; tum etiam: nam eſtò dependens fiat, ſi tali argumento fidem facit, difficilem ſolutionem parabit argumento conanti ſuadere, poſsibilitatem diſtingui ab exiſtentia ex eo, quod poſsibilitas ſit neceſsaria verificativè, quomodo contingens eſt exiſtentia, & vlteriùs: quia poſsibilitas, qua talis, præſcindit ab exiſtentia, quin exiſtentia, qua talis, præſcindat à ſe ipſa, quæ ſi componat abſque oppoſitione prædicatorum, & abſque diſtinctione vlla reali, aut virtuali intrinſeca inter poſsibilitatem, & exiſtentiam, componat etiam illa ponderata in termino connexionis competenti poſsibilitati; ſecus exiſtentiæ, & ſic eius diſcurſus ad tuendam inconnexionem Dei cum poſsibilibus, nullus erit.

15 Aptius deinde concluſionem ſuadet inquiens: Deum connecti metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus eſt prædicatum poſitivum, quod Deo tribuitur: ergo debet dari ratio poſitiva ſuadens tale prædicatum Deo convenire: ſed nulla datur ratio ita poſitivè ſuadens: ergo neque Deus affirmandus eſt connexus metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Maior, enthymema continens, certa eſt ex regula ab omnibus Philoſophis, & Theologis fixè ſtatuta, videlicèt: Ad negandum entitatibus aliquod prædicatum ſufficiens motivum eſſe non inveniri pro ipſo aliquod fundamentum; ad concedendum verò rationem poſitivam requiri. Minor autem ſolutione argumentorum, quæ in favorem connexionis afferuntur, non difficile conſtabit.

16 Efficaciores mihi ſunt probationes, quas adducit Izquierdo loco citato propoſitione prima. Vbi quidquid authoritatis, & rationis pondus habet pro ſuadenda inconnexione metaphiſica Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus; necnon quidquid apud alios Authores invenitur ſparſum, acutè, & eruditè congeſsit. Probatur primò. Deus, provt diſtinctus ab omni non ipſo, & ſecundum intrinſeca ſui conſideratus eſt ita plenè perfectus beatus, & ſibi ſufficiens, vt nullo extra ſe indigeat, neque ab vllo, quod ipſe non ſit, habeat dependentiam: ſed ſolùm Deus metaphiſicè inconnexus cum poſsibilibus, & impoſsibilibus ita ſe habet: ergo Deus metaphiſicè inconnexus eſt cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Conſequentia legitima eſt, & Mai. Affatim fulciunt Sacra Scriptura, & Patres. Etenim Geneſis 17. dicitur: *Ego Deus Omnipotens*, id eſt, *mihi ſufficiens*, vt ex Hebraica voce *Saddai* vertunt Aquila, Simmachus, & Theodoretus apud Cornelium, & quidem ita ſibi ſufficiens Deus dicitur, vt cum à nullo aliquid vllo modo accipiat, *de plenitudine eius omnes accipiant*, vt teſtatur Ioannes cap. 1. *Ego ſum, qui ſum*. Exodi cap. 3. id eſt, ita habens eſſe ex me, & independens ab omni alio extrinſeco, vt propterea *ſolus eſſe dici queam*. Iob. cap. 23. cum reliquæ creaturæ potius per *non eſſe* ſint explicandæ. *Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges*. Pſalm. 15. *Tu Domine vniverſorum, qui nullius indiges*. Machab. 2. cap. 14. *Non indigens aliquo, cum det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia*. Actorum 17.

17 Conſonant Ss. Patres tum in explicatione prædictorum textuum tum alibi frequentiſsimè: quare Divus, Hieronymus ponderans verba illa Pſalmi citati: *Bonorum meorum non eges* concludit: de omni, quod extra Deum conſideretur, hoc non indigere ita vniverſaliter, & ſine exceptione, vt de omnibus quacumque ratione conſideratis affirmet *neque poſtquam facta ſunt, neque antè, neque modo ſunt ei opus, nec neceſſaria*. Dionyſius de divinis nominibus cap. 9. Deum *nihil requirentem* proponit. Irenæus lib. 7. contra Hæreſes, cap. 2. inquit: *Nullius indigens Omnipotens*, ſicut lib. 3. cap. 8. *ipſe nullius indigens, ipſe ſibi ſufficiens*. Hilarius in Commentarijs ad Pſalmum 2. columna 7. profert *Deus autem beatus, atque perfectus profectu non eget, cui nihil deeſt, ipſe eſt, qui quod eſt non aliunde eſt. in ſe eſt, ſecum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt*, & poſt plura tandem concludit: *Deus igitur, ex quo omnia ſunt, nullo eorum indiget*. Videndus etiam eſt Damaſcenus lib. 1. de fide cap. vltimo affirmans: *Deum eſſe quidpiam nullius indigum per ſe potens, per ſe dominans*; clariùs adhùc Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 22. ibi: *Vbi nulla indigentia*

nulla

nulla necessitas, vbi nullus defectus nulla indigentia: nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas; sicut, & Bernardus Serm. 5. in Cant. fine: *Solus nullius indiget, solus, & sibi, & omnibus de sola omnipotente voluntate sufficiens.* Anselmus in Monologio, cap. 14. explicans quomodo Deus relativè dicatur in ordine ad alia extra se sub denominationibus *summi*, & *maioris*, postea addit: quod etsi deficientibus omnibus, quæ quomodocumque sunt extra Deum deficeret in ipso hoc quod est esse *quid summum*, & *quid maius*; non tamen deficeret aliquid pertinens ad divinam substantiam, & essentiam, vtpote quæ ex tali defectu non minus bona esset, aut aliquid suæ infinitæ magnitudinis dependeret, cuius rationem præbet desumptam ex independentia, quam habet Deus in essendo ab omni non ipso, vocatque manifestam illis verbis *quod ex eo manifeste cognoscitur, quoniam ipsa* (id est divina essentia) *quidquid boni, vel magni est, non est per aliud; quàm per se ipsam.* Nec minus clare loquitur Divus Thomas quæstione 3. de veritate articul. 1. ad 8. dicens: *Quia Deus non potest non esse non indiget essentia, quæ sit aliud quam suum esse.* Pariter Sacros textus exponunt plures alij Patres, qui videri possunt, tàm apud Izquierdo semel, & iterum citatum; quàm apud Ruiz, disputatione 8. de voluntate sect. 4.

18 Minor quæ probanda deest sic probatur. Deus solus metaphisicè inconnexus cum posibilibus, & impossibilibus est Deus intra se sistens, & per sola intrinseca ita benè, & fœliciter se habens, vt omni alio à se distincto deficiente adhùc persisteret sine vlla perfectionis propriæ, & excellentiæ sibi conuenientis diminutione; sed Deus ita se habens est Deus per sua intrinseca sic plenè perfectus, beatus, & plenè sufficiens, vt nullo extra se indigeat, neque ab vllo quod ipse non sit habeat dependentiam: ergo solùm Deus inconnexus metaphisicè cum posibilibus, & impossibilibus ita se habet. Consequentia tenet: & maior est certa. Cum Deus connexus eo modo, quo indiget pluribus à se distinctis, qualia sunt posibilia, & impossibilia, non sistit præcisè intra suum esse; verùm, vt illo gaudeat, aliorum esse emmendicat, quomodo pluribus extrinsecis sibi ad suam perfectionem, & fœlicitatem conservandam indiget. Minor etiam videtur constare clarissimè. Siquidem Deus intra se sistens, & ab omni extra se independens est Deus per sua intrinseca sic plene perfectus, beatus, & plenè sufficiens, vt nullo extra se indigeat; vel dicant nobis quid aliud sit habere plenitudinem, fœlicitatem, & completam sufficientiam in proprio esse intrinseco. nisi esse ita ab omni extrinseco exemptum, vt cum defectu illius benè componatur. Igitur Deus inconnexus metaphisicè cum posibilibus, & impossibilibus est ille, quem ab attributis nobis proponunt Scriptura, & Patres.

19 Confirmatur, & explicatur: Deus, quem prædicant Scriptura, & Patres, est Deus sine omnibus alijs à se distinctis quomodolibet summe perfectus, plenè Beatus, & sibi omninò sufficiens; sed Deus connexus cum posibilibus, & impossibilibus est Deus nihil sine posibilibus, & impossibilibus, vtpote qui deficientibus ipsis etiam deficeret, ac per consequens, qui solis suis intrinsecis, nec esset summe perfectus, nec plenè Beatus, nec sibi omninò sufficiens: ergo Deus, quem prædicant Scriptura, & Patres non est Deus connexus metaphisicè cum posibilibus, & impossibilibus. Iterum confirmatur: Deus qui vt sit debet esse cum alijs est Deus, qui vt sit indiget esse aliorum; sed Deus, qui vt sit indiget esse aliorum est Deus sibi non sufficiens per solum suum esse: ergo Deus qui vt sit debet esse cum alijs est Deus sibi non sufficiens per solum suum esse. At Deus, qui ab Scriptura, & Patribus proponitur est Deus sibi omni alio secluso sufficientissimus, & Deus connexus cum posibilibus, & impossibilibus est Deus, qui sine alijs sibi non sufficit: ergo Deus propositus ab Scriptura, & Patribus non est Deus connexus metaphisicè cum posibilibus, & impossibilibus.

20 Huic argumento cuius vis præcipuè ab authoritate emanat, duplicem parant solutionem contrarij per expositionem Scripturæ, & Patrum. Respondent enim primo: eam solam dependentiam excludi in relatis textibus, quæ sit ab alio tanquam à

cauſa, & dante eſſe, ſecus ab alio tanquam à puro termino connexionis, quemadmodum penderet Deus connexus à poſsibilibus, & impoſsibilibus, & quidem ſine imperfectione vlla in ſuo eſſe, cum Deus ex tali alligatione non reſultet vllo modo ſubiectus creaturis, quibus per influxum non debet eſſe proprium; imò potius arguat omnia extra Deum illi ſubiecta tanquam cauſæ à qua dependet in ſuo eſſe, operari, & conſervari; nam in ipſo vivimus, movemur, & ſumus: vnde tantum conferunt, quæ extra Deum ſunt ad eſſe illius, veluti materia circa quam ſuorum attributorum: nimirum Omnipotentiæ dominij liberalitatis, & beneficentiæ. Reſpondent ſecundo, etſi minus communiter Scripturam, & Patres debere intelligi de excluſione dependentiæ etiam tanquam à termino connexionis ab exiſtentia abſoluta, & ſimpliciter talia contingentium ſine quibus Deum non poſſe exiſtere eſſet imperfectio, & vera indigentia, vtpotè, quæ ad eſſe proprium, eſſe proprium aliarum rerum, & quidem contingentium indigeret, qualiter, aut eius neceſsitas in exiſtendo, aut eius libertas in decernendo extingueretur; non ſic de excluſione dependentiæ à termino puræ connexionis non habente eſſe ſimpliciter; ſed verificative, & non contingenter; verum neceſſario.

21 Quarum neutra congruit. Non prima: quia licet dependentia connexionis non ſit tanta, ac dependentia influxus, & cauſalitatis; eſt tamen aliqua vera dependentia inducens in ſubiectum dependens aliquam veram indigentiam, & neceſsitatem vltra ſuum eſſe; ac proinde dependentia iſta opponitur nulli dependentiæ, & nulli neceſsitati; at ex Scriptura, & Patribus conſtat: Deum nullam habere dependentiam, nullam indigentiam, & nullam neceſsitatem, vt denotat illud: *Nullius indigens: non indigens aliquo; nulla in eo neceſsitas; nulla indigentia: ſibi plenè ſufficiens*, & alia huiuſmodi, quę in Scriptura, & Patribus continentur: ergo non ſolum opponitur perfectioni divinę dependentia influxus, & cauſalitatis; verum dependentia connexionis. Quod confirmari poteſt non leviter ex independentia Dei ab exiſtentibus extra ſe, quam non limitant Adverſarij ad ſolam independentiam influxus; ſed inſuper ad independentiam connexionis extendunt, tum propter vniverſalitatem excluſionis; tum etiam propterea, quod quamvis dependentia influxus ab exiſtentibus contingenter maior ſit dependentiâ ſolius connexionis ab eiſdem; eſt tamen iſta aliqua vera dependentia, quæ omnino releganda eſt ab ente in exiſtendo plenè independenti: ergo diſtinctio iſta vnius, & alterius dependentiæ adhùc ex ipſis prodeſſe non poteſt ad ſalvandam omnimodam independentiam.

22 Non ſecunda: nam ideo Deus, vt exiſtens non dependet adhùc dependentia connexionis ab exiſtentibus extra ſe: quia Deus, vt exiſtens eſt ſibi in exiſtendo ſufficientiſsimus; ſed Deus quidditative, & in eſſendo ſumptus non eſt ſibi minus ſufficientiſsimus: etenim tam prima quidditas inter omnes quidditates eſt eſſentia Dei; quam prima exiſtentia inter omnes exiſtentias exiſtentia eiuſdem: ergo ſi primatus iſte in exiſtendo obrrueretur per dependentiam connexionis ab exiſtentibus, primatus alter in eſſendo etiam non conſiſteret per depēdentiam connexionis à poſsibilitate, & conceptu quidditativo rerum. Vrgetur: non minus eſt Deus *primum poſsibile*; quam *primum exiſtens*: patet, cum in omni linea perfectionis primatum teneat; ſed de ratione primi exiſtentis eſt eſſe ita independens, & ſibi ſufficiens, vt cum nulla exiſtentia extra ſe connectatur: ergo de ratione *primi poſsibilis* pariter erit eſſe ita independens, & ſibi ſufficiens, vt cum nullo poſsibili extra ſe connectatur, quod ſi cum poſsibilibus nullam habeat dependentiam, & connexionem, neque habebit cum impoſsibilibus, quæ vt talia ex ipſis terminis, minus conferunt ad eſſe Dei.

23 Amplius roboratur primum iſtud fundamentum. Independentia Dei ab omni extrinſeco eſt vnum ex Divinis attributis, vt comprobat vltra authoritatem iam ponderatam, ratio ipſa naturalis; cum nihil magis commendet excellentiam Supremi Numinis, quam non indigentia alicuius extra ſe, ac per conſequens independentia ab omni non ipſo in cu-

ius

ius favorem ſtat communis apprehenſio taxans infœlicitatem, & depreſſionem propriæ excellentiæ ex dependentia, & augens fœlicitatem, & excellentiam ex non indigentia aliorum, & ex independentia ſui, vt apparet in Regibus, & Magnatibus, qui tantò maiores habentur, quantò plus ſunt independentes: ergo attributum iſtud debet eſſe infinitum in propria linea; alias perfectio divina ex aliqno capite eſſet diminuta, & talis, quæ melior excogitari poſſet; iam ſic; ſed ſi Deus eſſet connexus cum poſsibilibus, & impoſsibilibus non eſſet attributum independentiæ infinitum in propria linea: ergo titulo independentiæ Deus non eſt connexus cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Probatur Minor. Non eſt infinitum in propria linea id cui deficit gradus aliquis pertinens ad talem lineam; ſed attributo independentiæ, ex ſuppoſitione connexionis deficeret gradus aliquis pertinens al talem lineam; videlicet gradus independentiæ ab alio tanquam à termino connexionis: ergo ſi Deus eſſet connexus cum poſsibilibus, & impoſsibilibus non eſſet attributum independentiæ infinitum in propria linea. Probatur minor. Nam gradus lineæ attributi *independentiæ* menſurandi ſunt per gradus lineæ oppoſitæ *dependentiæ*; ſed dependentia ab alio tanquam à termino connexionis eſt gradus aliquis pertinens ad *dependentiam*: ergo independentia ab alio tanquam à termino connexionis eſt gradus aliquis pertinens ad lineam attributi *independentiæ*.

24 Dicent: attributo *independentiæ* concedendum omnem gradum poſsibilem; ſecus gradum impoſsibilem qualis eſt gradus omnimodæ independentiæ ab alio tanquam à termino connexionis, qui licet locum teneat quoad extrinſeca exiſtentia cum quibus Deus nullam habet dependentiam adhùc tanquam à terminis connexionis; non ſic quoad extrinſeca poſsibilia, & impoſsibilia à quibus dependere dependentia ſolius connexionis potius perficit; quam minuit attributum *independentiæ*; ſed contra: quia pari licentia poſſet quiſque fingere in Deo dependentiam connexionis non modo à poſsibilibus, & impoſsibilibus; verum à contingentibus, & exiſtentibus; nam ſi abijceretur attributum divinæ independentiæ, cui talis gradus pro ſua infinitate debet attribui, reſpondere etiam poſſet eum gradum independentiæ eſſe impoſsibilem, ideoque non exactum pro perfectione illius attributi, quod potius per oppoſitum perficitur. Debent ergo oſtendere prius rationem repugnantiæ in eo gradu, vt ſolutio non ſit arbitraria, & ſimul plus probet; quam poſſunt intendere.

25 Ideo dicent iterum: rationem repugnantiæ in promptu eſſe ex diminutione attributi Omnipotentiæ, quæ reſultaret ſi attributum independentiæ etiam excluderet dependentiam connexionis à poſsibilibus, & impoſsibilibus: etenim linea cuiuſvis attributi divini non debet ita ſecundum ſe, & independenter ab alijs conſiderari; ac ſi nullum aliud attributum in Deo exiſteret; imò potius attendenda eſt in conſortio aliorum, vt ex omnibus reſultet illa perfectio propria Dei, qua maior excogitari non poſsit, ex quo modo procedendi ſæpè reſultat, quod ea, quæ primo aſpectu proponuntur, vt augmentum perfectionis in vno attributo, in re talia non ſint ex mala cohærentia cum alijs non permittentibus talem exceſſum: vnde fit quod reſtrictio illius, ex cuius attributione apparebat augeri perfectionem ſit in re diminutio illius, vt accidit in caſu præſenti: nam ſi titulo augendi independentiam ſecundum omnem conſiderationem, denegetur Deo dependentia connexionis cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, vanum, & planè contemptibile appareret attributum Omnipotentiæ; nam quo iure appellari poſſet tali nomine virtus illa adeo ex ſe debilis, vt permitteret ab extrinſeco ligari, & impediri taliter, vt in nullam poſſet prodire operationem: inſuperque de qua verificaretur: *Ex ſe non plus poteſt, quæ fieri poſſunt, ac quæ fieri non poſſunt*; aut *tam poteſt ex ſe facere, quæ fieri poſſunt, ac ea quæ fieri non poſſunt*, quæ ſeria mente proferri non poſſe apparet de virtute robuſtiſsima, & infinita.

26 Verùm adhùc reddit inſtantia ex dependentia connexionis ab exiſtentibus, quæ per eandem doctrinam poſſet tueri aſſerendo independentiam connexionis ab exiſtentibus adducere nocumentum attributo Omnipotentiæ, quę vtpote virtus perfectiſsima non tantum debet ex ſe ſiſtere in actu primo proximo operandi; ſed vltra progredi

ad actum ſecundum operationis, tum vt ſit diffuſiva ſui ſine diſpendio proprio, vt competit virtuti infinitæ, & inextinguibili, tum vt numquam verificari queat de ipſa *tantum non facit, ac illud quod nihil poteſt*, aut *non plus facit Omnipotentia; quam impotentia ad omnia*, quibus expreſsionibus applicari poſſet illud quod addunt de ſeria mente in proferendo talia de virtute robuſtiſsima, & infinita. Contrà deinde: nam tantum diſtat independentia connexionis cum poſsibilibus, & impoſsibilibus à diminutione Omnipotentiæ, vt potius illam augeat, & in ratione talis conſtituat. Siquidem *Omnipotentia*, eſt virtus, & poteſtas ad omnia ſine exceptione; ſed independentia illa connexionis arguit Omnipotentiam virtutem, & poteſtatem ad omnia ſine exceptione, cum ex tali independentia extendatur non modo ad poſsibilia intra quæ continetur apud Adverſarios; verum ad impoſsibilia quibus ex ſe, tàm proportionata eſt; quàm eſt poſsibilibus: ergo dicta independentia excludi nequit ex mala cohærentia cum attributo Omnipotentiæ. Nec propoſitiones illæ vllius ſunt momenti ſi rectè intelligantur; nam quid inde ſi de Omnipotentia verificetur ex ſe non plus poſſe, *quæ fieri poſſunt*, ac *quæ fieri non poſſunt*, quando *quæ fieri non poſſunt* poteſt ex ſe infinitè. Aut quæ diſſonantia in eo quod ſit *tam ex ſe potens facere quæ fieri poſſunt, ac quæ fieri non poſſunt* ſi potentia quam habet ad impoſsibilia eſt inexcedibilis.

27 Inde probatur ſecundo concluſio. Omnipotentia inconnexa metaphiſice cum poſsibilibus, & impoſsibilibus perfectior eſt Omnipotentia cum eiſdem metaphiſice connexa: ſed Deo tribuenda eſt Omnipotentia perfectior: ergo Omnipotentia Dei non eſt connexa metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Probatur maior in qua eſt difficultas. Omnipotentia inconnexa vere ad omnia ſe extendit ſine limitatione, cùm tam poſsibilia, quam impoſsibilia, vt terminos ſuæ activitatis reſpiciat: Omnipotentia connexa limitata eſt ad ſola poſsibilia taliter, vt ex ſe afferat impedimentum ad impoſsibilia; ſed Omnipotentia magis illimitata, & maioris amplitudinis quoad terminos ſuæ activitatis perfectior eſt Omnipotentia reſtricta, & minoris amplitudinis, quoad terminos ſuæ activitatis: ergo Omnipotentia inconnexa metaphiſice cum poſsibilibus, & impoſsibilibus perfectior eſt Omnipotentia cum eiſdem metaphiſice connexa. Nec dicant: potentiam illam impeditam ad impoſsibilia neque eſſe veram potentiam, nec ampliare activitatem Omnipotentiæ, quæ vnice debet reſpicere ea quæ fieri poſſunt, vt ſunt poſsibilia iuxta Divum Thomam 1. part. quæſt. 15. art. 3. concludentem: *Relinquitur igitur quod Deus dicatur Omnipotens: quia poteſt omnia poſsibilia abſolute.* Quia in contrarium eſt D. Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 17. Agnoſcens veram potentiam in Deo reſpectu eorum, quæ fieri non poſſunt, & dicens: *Quoties namque dicitur Deus non poſſe nulla negatur in eo poteſtas; ſed inſuperabilis ſignatur Potentia, & Fortitudo*; & poſt pauca: *Nam vſitata eſt huiuſmodi multum loquutio, vt dicatur res aliqua non poſſe, non quia in illa; ſed quoniam in alia re eſt impotentia* Cui conformatur D. Thomas in loco proximè citato inquiens: *Ea vero, quæ contradictionem implicant ſub divina Omnipotentia non continentur: quia non poſſunt habere poſsibilium rationem. Vnde convenientius dicitur, quod ea non poſſunt fieri; quam quod Deus non poſsit facere ea*, quæ verba optimè componuntur cum alijs immerito citatis in favorem partis oppoſitæ: nam ſemel ſuppoſito à Divo Thoma dari in Deo virtutem, & potentiam ad impoſsibilia progreditur ad deſignandum, quod reſtat pro plenitudine Divinæ potentiæ, ſcilicet poſſe abſolutè denominatione quidem ſemi-extrinſeca, poſsibilia, & ideò concludit: *Relinquitur igitur quod Deus dicatur Omnipotens: quia poteſt omnia poſsibilia abſolutè.*

28 Probatur tertiò: in tantum Deus ſic connecteretur cum poſsibilibus, & impoſsibilibus, in quantum eſſet contra perfectionem Omnipotentiæ potentia tantùm ſubiectivè abſoluta, & terminativè conditionata ſub conditione, quam Deus ex ſe metaphiſicè non afferat: vnde omnis potentia, quæ in Deo detur, aut nulla, aut ſubiectivè, & terminativè abſoluta debeat eſſe; ſed hoc eſt falſum; cum talis potentia reſpectu plurium effectuum inveniatur in Deo: ergo non connectitur metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Maior eſt Adverſariorum. Probatur minor: quia in ſententia noſtræ Scholæ Deus eſt potens ad conſenſum liberum creaturæ ſub de-

determinata libertate, tantum subiectivè absolutè, & terminativè conditionatè sub conditione quam Deus ex se non infert de eo quod *creatura prævideatur consensura sub tali libertate*, qua conditione non purificata, Deus manet intra solam potentiam subiective absolutam consensus; & insuper in omnium sententia Deus est potens ex se subiective absolutè, & terminativè conditionatè ad actus liberos, & vitales voluntatis creatæ sub conditione *quod sit libertas, & voluntas creata*, quam Deus ex se non infert; generaliterque ad omnem actionem, quæ sit à Deo, & creatura subconditione *quod sint creaturæ*, quam Deus non infert ex se: ergo falsum est, repugnare perfectioni Omnipotentiæ, potentiam subiectivè absolutam, & terminativè conditionatam sub conditione, quam Deus ex se non inferat.

29 Probatur quartò: Deus connexus cum posibilibus, & imposibilibus non est perfectè, & infinitè necessarius in suo esse; sed id quod non est perfectè, & infinitè necessarium in suo esse; perfectè Deus non est: ergo Deus connexus cum posibilibus, & imposibilibus Deus non est: Probatur maior. Non est perfectè, & infinitè necessarius in suo esse, qui debet necesitatem sui esse necesitati extrinsecæ alterius; sed Deus connexus cum posibilibus, & imposibilibus deberet necesitatem sui esse, necesitati extrinsecæ aliorum, nimirum posibilium, & imposibilium: ergo Deus connexus cum posibilibus, & imposibilibus non est perfectè, & infinitè necessarius in suo esse. Maior apparet certa. Nam qui debet necesitatem sui esse necesitati extrinsecæ alterius, habet subiectam, necesitatem proprij esse necesitati alterius quomodo ei deficit gradus necesitatis valde æstimabilis. Probatur minor: Ille debet necesitatem propriam necesitati aliorum, qui si alia non essent necessaria, necessarius non esset: At Deus connexus cum posibilibus, & imposibilibus, si hæc necessaria, vt talia non essent, necessarius non foret: ergo Deus connexus cum posibilibus, & imposibilibus deberet necesitatem propriam necesitati extrinsecæ aliorum. Confirmatur: Deus summè, & Infinitè necessarius talis debet esse, qui quodcumque cogitaveris stet tamen; sed Deus connexus ita non esset: quia cogitato defectu alicuius extrinseci, nempè *posibilium*, & *imposibilium* adhùc non staret: ergo Deus connexus non est Deus summè, & infinitè necessarius. Maior constat ex Divo Augustino in Psalmum 121. ad illa verba: *Cuius participatio eius in id ipsum*, vbi pulchre explicans indefectibilitatē Dei, & necesitatem in essendo, inquit: *Qui sunt anni, qui non deficiunt, nisi qui stant. Si ergo ibi anni stant, & ipsi anni qui stant, vnus annus est, & ipse vnus annus, qui stat, vnus dies est: quia ipse vnus dies, nec ortum habet, nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino; sed stat semper ille dies, & quodvis vocas illum diem, si vis anni sunt; si vis, dies est, quodcumque cogitaverit stat tamen*; vt vel ipsos Ethnicos nos latuit, dicente Iamblico lib de Myst. §. 11. apud Raynaudum in Theologia naturali distinct. 7. quæst 1. art. 5. *Necesse est Deos ita se habere vt sunt non necessitate extrinsecùs illata; sed naturali sibi, & optima.*

30 Probatur quintò: Deus est *primum necessarium*: ergo non connectitur cum posibilibus, & imposibilibus. Antecedens est certum: quia in omni linea Deus habet primatum: Consequentia probatur: *Primum necessarium* potest esse quantum in se est sine posibilibus & imposibilibus; sed id quod quatenus ex se est valet esse sine posibilibus, & imposibilibus cum illis non connectitur: ergo si Deus est *primum necessarium* non connectitur cum posibilibus, & imposibilibus. Probatur maior. *Primum necessarium* potest esse quantum in se est sine altero necessario; sed posibilia, & imposibilia, qua talia, sunt quid necessarium: ergo *primum necessarium* quantum in se est potest esse sine posibilibus, & imposibilibus. Probatur maior. Primitas divina in quacumque linea independens ex se omnino est à quovis alio extra se participante talem lineam, vt probat paritas reliquorum attributorū; etenim quia Deus est *primum existens* potest ex se esse sine alio existente: quia *primum liberum* valet esse ex se sine alio libero quia *primum producens* valet esse, ex se sine alio producente, & sic in reliquis: ergo quia *primum necessarium* potest esse ex se sine altero necessario: ac propterea sine posibilibus, & imposibilibus. Confirmatur: *Secundum necessarium* debet esse dependens à primo necessario, eo modo quo primum necessarium non dependet ab illo; sed si mutuo valeret consequentia à defectu

vnius ad defectum alterius: *secundum necessarium* non dependeret à primo, eo modo quo primum non dependet ab ipso; imò vtrumque æqualiter inter se dependerent: ergo possibilia, & impossibilia quæ secunda necessaria sunt respectu Dei, taliter ad ipsum debent comparari, vt quamvis à defectu Dei benè valeat ad defectum ipsorum; secus ab ipsorum defectu ad defectum Dei; quod formalissimè est, Deum cum ipsis non connecti. Huc faciunt (ni fallor) verba illa Plotini Ennè 6. lib. 5. cap. 11. apud Raynaudum, vt videas, quam consonum sit naturali rationi, aientis: *Cum divina natura sit prima natura, neque mẽsurata, neque determinata quanta dicitur esse; hæc enim natura potius altera mensuratur: nimirũ vniversa potestas existit nullo modo tanta, vel tanta.*

31 Probatur sextò: stat, Deum esse ex se infinitè *Beneficum, Liberalem, & Misericordem*, absque vllo exercicio *benefaciendi, donandi*, aut *miserendi*: ergo stat, Deum esse ex se infinite *potentem* absque vlla possibilitate termini *causabilis*, & *producibilis*; ac proinde sine connexione cum possibilibus: antecedens est certum ex fere omnium Theologorum sententia admittente in Deo virtutes morales, quæ impedire non possunt eius absolutissimum dominium ad non producendam vllam creaturam; quomodo esset Deus absque vllo exercitio *benefaciendi, donandi, & miserendi*. Iam consequentia probatur: tam disonat primo aspectu esse *liberalem infinitè*, provt distinguitur à *posse esse liberalem infinite*; *esse beneficum infinite*, provt distinguitur à *posse esse beneficum infinitè*: *esse misericordem infinitè*, provt distinguitur à *posse esse misericordem infinite*, absque vllo exercitio actuali *benefaciendi, miserendi, & donandi*; quam *esse infinite potentem* absque vlla *possibilitate* termini in quo exerceatur talis infinita potestas; sed primum, rebus bene, & mature inspectis, dissonare non debet ob supremum dominium, & perfectissimam Dei independentiam: ergo neque secundum ob similem independentiam Dei in essendo, & ob primatum, quem debet servare respectu omnium necessariorum. Hæc probatio habenda est semper præsens, vt vitentur multæ Adversariorum ponderationes, quibus solent deprimere omnipotentiam inconnexam.

32 Probatur septimò: Deus non connectitur cum impossibilibus: ergo neque cum possibilibus. Consequentia est legitima apud Adversarios iudicantes, parem esse rationem pro vna, ac pro altera connexione. Antecedens probatur: nam si Deus connecteretur cum impossibilibus, aut conceptus *veri possibilis*, aut conceptus *veri impossibilis* prævaleret contra conceptum *veri Dei*; sed hoc non est dicendum, ne simul asseratur, conceptus *veri possibilis*, aut *veri impossibilis* magis necessarius, quam conceptus *veri Dei*: ergo Deus non connectitur cum impossibilibus. Probatur maior: impossibilibus factis possibilibus, aut tunc possibilia manerent verè possibilia, aut manerent vere impossibilia? Si primum: ergo quando per te Deus deficeret, maneret adhuc conceptus *veri possibilis*. Si secundum: ergo quando per tè Deus deficeret, maneret adhuc conceptus *veri impossibilis*; sed hoc est formalissime conceptum *veri possibilis*, aut *veri impossibilis* prevalere contra conceptum *veri Dei*: ergo si Deus connecteretur cum impossibilibus, aut conceptus *veri possibilis*, aut conceptus *veri impossibilis* prævaleret contra conceptum *veri Dei*. Iam mihi mirabile est: Adversarios bene concipere conceptum verum extra Deum manentem deficiente Deo; & non concipere conceptum verum Dei manentem, deficiente conceptu vero cuiuscumque alterius Deo extrinseci, quod est profusio quædam erga illa, quæ Deus non sunt, & parcitas non ferenda erga divinam perfectionem.

33 Propositis fundamentis putat se satisfacere acutissimus Ribadeneyra confugiens ad sententiam suam specialem de identitate possibilitatis possibilium, & impossibilitatis impossibilium cum ipso Deo: vnde asserit ea, quæ in sententia aliorum continent, & vim, & dissonantiam, in sua vnam, & aliam perdere, cum connexio Dei cum possibilibus, & impossibilibus vltimò sistat in eo, quod Deus dependeat à se ipso, & secum habeat logicam connexionem identitatis: sed istud refugium nullum est, tum ob sententiam, quam supponit de identitate possibilitatis, & impossibilitatis cum Deo, quam reiecimus in Philosophia; tum præcipue, quia ea admissa, difficultatem non vitat: nam cum conceptus *possibilis*, & *impossibilis* duo includat: nempè formam *possibilitatis*, & *impossibilitatis*, & subiectum denominatum *possibile*, & *impossibile*; neque

Deus

Deus tantum asseratur connexus metaphisice cum *possibilitate*, & *impossibilitate*; verùm cum *possibilibus*, & *impossibilibus* argumenta, quæ aliquomodo temperari possent ex parte formæ *possibilitatis*, & *impossibilitatis* manent in sua vi quoad subiectum *possibile*, & *impossibile*, cum quibus Deus non tantum logice, & identice, vt asserit iste Doctor; sed insuper strictè, & rigorosa connexione, connecteretur: parum ergo conducit ad rem præsentem acquiescere speciali illi sententiæ.

34 Ex modo vniversali, & sine exceptione vlla probandi nostram propositionem manent excluse sententiæ illæ mediæ supra relatæ. Manet inquam prima excipiens ab inconnexione aliqua impossibilia pugnantia specialiter cum perfectione divina: quia fundamenta proposita; vel nullam, vel omnem connexionem excludunt cum impossibilibus, vt amplius roborabitur per solutionem argumentorū. Manet etiam secunda Recentiorum, quæ &si ingeniosa sit, placere non potest: securius enim semper reputavi, vel connexionem Dei absolutè concedere; vel absolutè negare, quam vtrique præstare obsequium, cum onere assumendi difficultates vtriusque. Præterquamquod meo exiguo iudicio, pro restrictione huius sententiæ non tam militat ratio, quam voluntas. Suadetur sic: Aut perfectio divina eiusque attributa, videlicèt *Dominium, Potentia, Liberalitas, &c.* ex se, & ab intrinseco exigunt ob suam infinitatem, quod sint possibiles creaturæ in quibus exerceantur, vel non? Si non exigunt: ecce plenam inconnexionem: si exigunt, vide plenam connexionem, vt iam probo. Semel concesso esse perfectionem divini dominij (idem iudica de alijs attributis) ex se, & ab intrinseco trahere possibilitatem creaturarum intra quamcumque speciem illud erit perfectius dominium, vltra quod aliud perfectius excogitari nequeat; sed facta illa suppositione solum dominium, vt à plenè connexionistis ponitur, tale est vt, vltra ipsum aliud perfectius excogitari nequeat: ergo facta illa suppositione, plenè absolutè, & sine vlla restrictione connexio Dei cum possibilibus debet admitti. Probatur minor. Facta illa suppositione dominium, quod ex se infert infinitum possibilium intra quamcumque speciem, tamen coniungibile est ex se cum eo quod infinita possibilia ipsi deficiant, excediturà dominio, quod non solum ex se inferat infinitum possibilium intra quamlibet speciem; sed nec vnum determinatè ipsi deficere permittat; sed hoc est, dominium divinum, quod à plenè connexionistis ponitur: ergo solum hoc dominium tale est, vt vltra ipsum, aliud maius, & perfectius excogitari nequeat.

35 Cōfirmatur hæc ratio: semel admisso, vt à fere omnibus Theologis, & Philosophis admittitur, esse de conceptu divini Dominij concurrere cum causis secundis immediatè ad productionem effectuum, nemo cōtinetur, nec isti Sapientissimi Magistri continerentur in eo quod divinum dominium tantum exigat intra quamcumque speciem esse possibile infinitum creaturarum, quæ ad suos effectus subterfugere non possint immediatum Dei concursum, &si sint possibiles aliæ plures ad quarum effectuum productionem Deus non debeat immediatè concurrere, & hoc quidem non ob aliam causam, nisi quia maior subiectio est in creaturis, & maius dominium in Deo nullam esse possibilem creaturam, quæ determinatè non petat concursum Dei immediatum ad suos effectus; alias facilè se expedirent Durandus, & Dola in suis iudicijs propugnandis: ergo pariter dum ab his Authoribus, vt certum stabilitur esse de conceptu divini dominij inferre possibilitatem creaturarum maius dominium, & longè perfectius erit, quod cuiuscumque possibilis possibilitatem determinatè sumptam ex se, & ab intrinseco inferat; ideoque ab ipsis quasi ex consequentia admittendum. Idem argumentum confici valet pro parte oppositæ plenæ inconnexionis constructo fundamento in divina independentia, sicut propositum est in dominio.

36 Neque ipsis favet exemplum Theologicum, quo suam sententiam explicare tentant. Aiunt enim: quod sicut plures Theologi negantes possibilitatem creaturæ rebellis; & inconvertibilis sub libertate ad meritum, & demeritum tale constituunt divinum dominium, vt ex se inferat, connexione subiectivè absoluta, & determinata, obiectivè tamen vaga cumulum infinitum auxiliorum efficacium, sub quibus per scientiam conditionatam prævideatur creatura conditionatè consensura, &

cum

cum hoc componunt, quod cuivis auxilio in particulari, & determinatè accepto posſit creatura diſſentire; ſic ſimiliter in ſua ſententia componitur, divinum dominium inferre infinita poſsibilia intra quamcumque ſpeciem; quin propterea cum hoc, aut illo poſsibili determinatè accepto connectatur. Nam in primis talis ſententia nobis non probatur, oppoſitam defendentibus tractatu de Prædeſtinatione, diſputatione 4. Deinde eſt non levis diſparitas ea admiſſa: nam Theologi præfatam ſententiam tenentes, ideo divinum dominium cum tali connexione vaga conſtituunt; quia aliter creata libertas ſalva eſſe non poſſet; ſi tamen cum connexione obiectivè determinata creata libertas ſalvari poſſet, non tantum connexionem ſubiectivè determinatam, & obiectivè vagam; verum vndique determinatam deſignarent. Probent igitur Recentiores in connexione determinata obiectivè cũ poſsibilibus ſimile, & adeò patens inconveniens, vt non facient, niſi in illa vulgari, & parum digna Theologo, & Philoſopho ponderatione, nimirum, *quod repugnante muſca, repugnaret Deus*, & tunc divinum dominium cum illa modificata, & reſtricta cõnexione benè conſtituent.

37 Minus adhuc placet pia illa exceptio erga Humanitatem Chriſti Domini, & Beatiſsimam Virginem, cum quarum poſsibilitate inquiunt, determinatè Deum connecti. Quia vel id ſine fundamento aſſeritur, vel probat contra concluſionem, Deum determinatè connexum, cum omni extremo poſsibili, & cum poſsibilitate cuiuſvis fœminæ. Ratio eſt: quia cum prædicatum hoc *termini connexionis divinæ determinatæ* non ſit quid accidentaliter proveniens, vel ex aſſumptione naturæ extraneæ, vel ex electione fœminæ in Matrem; ſed quod identicè ſe habet ex parte extremorum præſuppoſitivè ad omnem aſſumptionem, & electionem, aut omne aſſumptibile, & eligibile debet eſſe tale, aut nullum tali prædicato gaudet. Quod vt clarum appareat, ſuponamus: aſſumpſiſſe Deum provt potuit aliam naturam humanam, vel naturam Angelicam; pariterque elegiſſe Eliſabetham loco Mariæ. Iam ſic; vel tunc ſimilis pia exceptio pro determinata connexione vrgeret; vel non? Si iſtud: nulla ratio ſuppetit pro exceptione in humanitate aſſumpta, & in hac determinata Matre electa; ſi illud: ergo non magis hæc determinata humanitas aſſumpta, aut hæc determinata Mater electa ſunt termini connexionis determinatę; quam quælibet alia humanitas, aut natura aſſumptibilis, aut quævis alia Mater eligibilis: ergo vel omnis Mater eligibilis, & omnis humanitas, & natura aſſumptibilis terminant connexionem Dei determinatam, quod negant; vel hæc determinata humanitas, & determinata Mater non terminant ſecundùm poſsibilitatem connexionem Dei obiectivè derminatam, quod affirmant. Recedant ergo piæ iſtæ exceptiones, quæ cum rigore Scolaſtico non benè conveniunt.

38 Dico ſecundò. Adhuc in caſu quo Deus probaretur connexus cum poſsibilibus; non ideò probaretur connexus cum impoſsibilibus. Aſſumptum probo: quia inter fundamenta, quæ aſſignantur pro connexione Dei cum poſsibilibus illud mihi apparentius eſt, & forſan in re ita ſe habet, quod ita proponitur. Deo concedenda eſt ex ſe maior potentia, quæ excogitari poteſt; ſed maior potentia eſt *ſubiectivè abſoluta*, & *terminativè abſoluta*, quam potentia *ſubiectivè tantum abſoluta*: ergo Deo, circa poſsibilia concedenda eſt ex ſe potentia non modo *ſubiectivè abſoluta*; verum *terminativè etiam abſoluta*, quod eſt Deum connecti metaphiſicè cum poſsibilibus; ſed hæc ratio non probat, Deum connexum cum impoſsibilibus; imò probat oppoſitum: ergo adhuc in caſu quo Deus probaretur connexus cum poſsibilibus, non probaretur connexus cum impoſsibilibus. Probatur minor in qua eſt difficultas: Maior potentia eſt potentia ex ſe *ſubiectivè*, & *terminativè abſoluta* circa poſsibilia, & *ſubiectivè abſoluta* erga impoſsibilia, quam potentia ex ſe *ſubiectivè*, & *terminativè abſoluta* circa poſsibilia, & nulla erga impoſsibilia: ergo ſi Deo concedenda eſt maior virtus ex ſe, quæ excogitari poteſt, Deo concedenda eſt ex ſe virtus *ſubiectivè*, & *terminativè abſoluta* circa poſsibilia, & *ſubiectivè tantum abſoluta* erga impoſsibilia; quomodo connectetur cum poſsibilibus; ſecus cum impoſsibilibus: ergo ratio, quæ probaret Deum connexum, cum poſsibilibus non probaret ipſum connexum cum impoſsibilibus; imò probaret oppoſitum.

39 Dico tertiò: ſi Deus probare-

tur

tur connexus cum impossibilibus, probaretur etiam connexus cum possibilibus. Ratio propositionis est: nam si aliquod fundamentum vrgeret pro connexione Dei cum impossibilibus, illud inter reliqua mihi esset efficacius, quod sub hac forma proponitur. Deo vel nulla est concedenda ex se potentia ad aliquem terminum; vel si aliqua est concedenda, debet esse plena *subiectivè*, & *terminativè*, vt ita sit expedita ex se ad productionem termini: ast Deo ex se non potest concedi potentia ita plena erga impossibilia: ergo Deus ex se nullam habet potentiam erga impossibilia; quod est esse ex se connexum cum impossibilibus; sed ex hoc fundamento infertur quod si Deus connectatur cum impossibilibus, connectatur etiam cum possibilibus: ergo si probaretur Deus connexus cum impossibilibus, probaretur etiam connexus cū possibilibus. Probatur minor. Deus deberet habere ex se aliquam potentiam erga possibilia, nam relate ad ea, quæ possunt fieri à Deo, innegabile est Deum debere habere aliquam potentiam: ergo deberet habere ex se iuxta propositum fundamentum potentiam non quamcumque; sed completam, & expeditam ad producenda possibilia; sed hoc est connecti cum possibilibus: ergo ex tali fundamento infertur, quod si Deus connectatur cum impossibilibus, debet etiam connecti cum possibilibus.

40 Vtraque conclusio confirmatur: maior potentia Deo concedenda ex vi connexionis cum possibilibus infert id quo non dato non esset in Deo maior potentia; sed non data inconnexione cum impossibilibus, non esset in Deo maior potentia, cum deficeret ipsi gradus potentiæ *subiectivè absolutæ* impossibilium: ergo maior potentia concedenda Deo ex vi connexionis cum possibilibus infert inconnexionem eiusdem cum impossibilibus: deinde nullam, aut omnem potentiam ex se esse concedendam Deo ex vi connexionis cum impossibilibus infert id, quo non dato, falsum esset assumptum medium, nimirum; aut nullam, aut omnem potentiam ex se esse Deo concedendam; sed si Deus non connecteretur cum possibilibus falsum esset illud medium: siquidem Deus haberet ex se aliquam potentiam tantum erga possibilia, videlicèt *subiectivè absolutam*, sine *terminativè absoluta*, quo redderetur falsum illud *Deo ex se, aut nullam potentiam, aut omnem esse concedendam*: ergo nullam, aut omnem potentiam ex se esse Deo concedendam in vi connexionis cum impossibilibus, infert connexionem cum possibilibus: ergo si Deus probaretur connexus metaphisicè cum possibilibus; non ideo probaretur connexus cum impossibilibus: at per oppositum, si probaretur connexus cum impossibilibus, probaretur etiam connexus cum possibilibus.

41 In his duabus conclusionibus operæ pretium est advertere; eas non esse absolutas; sed ex hypothesi, vnde non incumbit onus protegendi efficaciam rationum quibus nituntur; verum supponendi, & ea suppositа investigare: an quævis omnem Dei connexionem probet, vel secus? Inde dupliciter tantum argui potest fructuose contra prædictas assertiones. Vno modo intendendo ex suppositа efficacia illarum rationum non deduci id quod vt consequens legitimum intulimus; altero, suadendo essentiam ipsam connexionis cum possibilibus esse inseparabilem à connexione cum impossibilibus, aut essentiam connexionis cum impossibilibus esse incomponibilem cum connexione, & alligatione Dei ad possibilia. Quo observato forte vitabitur confusio, quam similes conclusiones ex suppositione inter arguentes, & respondentes solent excitare.

CAPVT III.

Solvuntur argumenta contra præcipuam, & primam Conclusionem.

42 OBijcies primò. Omnipotentia connexa perfectior est Omnipotentia inconnexa: ergo Deus connectitur metaphisicè cum possibilibus. Probatur antecedens: Omnipotentia connexa vtpotè secum afferens possibilia est ab intrinseco virtus absoluta producendi possibilia: Omnipotentia inconnexa cum ab intrinseco, & ex se non afferat possibilia, non est ab intrinseco virtus absoluta producendi possibilia; sed virtus ab intrinseco absoluta producendi possibilia perfectior est quā

vir-

virtus non absoluta ab intrinseco producendi possibilia : ergo Omnipotentia connexa perfectior est Omnipotentia inconnexa. Probatur minor. Virtus de se,& ex intrinsecis afferens quidquid requiritur ex parte sui, & ex parte termini perfectior est virtute afferente dumtaxat de se, & ex intrinsecis quidquid requiritur ex parte sui ; secus quidquid requiritur , ex parte termini ad huius productionem : ergo virtus ab intrinseco absoluta producendi possibilia perfectior est virtute de se, & ex intrinsecis non absoluta ad producenda possibilia. Confirmatur. Omnipotentia , quæ ab intrinseco inferat possibilia, est virtus de se completa ad producenda possibilia; omnipotentia que de se,& ab intrinseco non inferat possibilia , est virtus de se incompleta ad producenda possibilia. Sed virtus de se completa perfectior est virtute tantum de se incompleta:ergo Omnipotentia connexa vtpote virtus de se, & ab intrinseco completa perfectior est Omnipotentia inconnexa, quæ de se , & ab intrinseco talem completionem non habet.

43 Vellem obijcientes memores sui in alijs materijs, & quos tam solicitos in præsenti video de excessu potentiæ subiectivè , & terminativè absolutæ supra potentiam subiectivè tantum absolutam, rogare : an potentia subiectivè tantum absoluta ex se ad convertendam creaturam sub determinata libertate sit imperfectior potentia ex se , tàm subiectivè , quàm terminativè absoluta ad eandem conversionem? Rursus. An virtus ex se expedita ad proximè convertendam creaturam sub determinata libertate sit perfectior potentia ex se non expedita proximè ad similem conversionem? Quod si affirment, actum est de libertate creata iuxta principia nostræ Scholæ , cum necessarius sit recursus ad prædeterminationem intrinsecam , vel saltem extrinsecam , qua secluſa , Deus non est proximè potens ex se ad nostram conversionem sub ea determinata libertate,quam defacto confert. Si vero negent , vt iurè negabunt quid de argumento innitenti ponderationi excessus, quem dicit potentia subiectivè, & terminativè absoluta ex se,& potentia ex se proximè expedita supra potentiam ex se tantum subiectivè absolutam,& minimè ex se proximè expeditam ad productionem effectus? Applicent ergo sibi solutionem , quam ab alijs traditam nolunt percipere.

44 Nec minus facilè posset responderi argumento ex alia eorundem doctrina vsurpata in præsenti quæstione. Nam cum ipsis obijciatur ab inconnexionistis perfectiorem esse independentiam ab alio tanquam à causa , & termino,independentia illa ab alio præcisè tanquam à causa; secus tanquam à termino ; ideòque concedendam Deo, qui propterea erit inconnexus cum possibilibus , & impossibilibus. Respondent: independentiam illam ab alio , sive tanquam à causa, sive tanquam à termino perfectiorem apparere altera independentia restricta , & quæ sit præcisè ab alio tanquam à causa , si consideretur præcisivè , & quasi in abstracto ; at vero si ad aliquod peculiare subiectum contrahatur nempè ad Deum, iam in vi alterius prædicati , nempè *non habendi ex se virtutem completam ad producenda possibilia* vilescit , & deterioratur : quod explicant exemplo prædicati *incorruptibilis* excedentis ex se , & præcisivè sumpti prædicatum *corruptibilis* ; nihilominus si per prædicatum inanimati contrahatur ad formam cœlorum adeò decrescit, vt id quod incorruptibile est ; v. g. Forma Cœli imperfectius evadat corruptibili; nempè *Homine*. Quo discursu cum gratiarum actione recepto possemus similiter dicere : potentiam ex se omnibus modis absolutam , & completam præcisivè , & quasi in abstracto consideratam apparere perfectiorem alia potentia ex se aliquomodo restricta , & incompleta ; si vero contrahatur ad peculiare subiectum , nempè ad Deum , ex consortio alterius prædicati , videlicèt *dependentiæ ab alio saltem velut à termino connexionis* decrescere vsque ad constituendum Deum imperfectum ; quare non est ipsi concedenda.

45 Absolutè respondetur. Potentiam omninò absolutam nō esse perfectiorem potentia subiectivè tantum absoluta ; imò esse deteriorem non vtcumque ; sed infinite : quando potentia subiectivè tantum absoluta id habet non ex debilitate virtutis;verum ex eo,quod sibi independenter ab omni extrinseco sufficientissima sit , & ita completè perfecta , vt per nullum extrinsecum quomodocumque acceptum perficiatur,aut per eius defectum in quavis consideratione deterioretur , qualiter se habet po-

potentia Dei nullo extra se indigentis, cum intra se habeat quidquid ad esse fœliciſsimum, & infinite perfectum ſit neceſſarium: inſuperque omne extrinſecum de plenitudine eius accipiat, & ſit participans. Inde penſanda eſt perfectio talis potentiæ quoad poſsibilia ſicut quoad exiſtentia in quibus, vel apud ipſos adverſarios non valet, potentiam talis activitatis, quæ inſeparabilis ſit ab exiſtentia effectus, eſſe perfectiorem potentia talis activitatis, quæ ſeparabilis ſit ab exiſtentia effectus, & queat ex ſe manere omnino infœcunda non ob aliam rationem, niſi quia non activitas iſta, & infœcunditas non provenit ex debilitate potentiæ; verùm ex non indigentia, & ex ampliſsimo dominio, quo omnia creata habet ita ſibi ſubiecta, vt pro ſuo nutu poſsit ab omnibus exiſtentibus ſe expedire per quorum *eſſe* actuale, nec vllo modo augetur, ſicut nec per eiuſdem defectum vllo modo minuitur. Pariter ſolvenda eſt confirmatio, & dicendum: incompletionem potentiæ provenientem non ex inferioritate ad effectum, neque ex diminutione virtutis; ſed ex pura non indigentia effectus à quo nullo modo proficit, ſicut neque ab eius defectu damnificatur, non arguere imperfectionem potentiæ; imò maximè vſque ad infinitatem eiuſdem perfectionem commendare: vndè apparet invertendos eſſe terminos obiectionis, & quod in ipſa proponitur perfectio, cenſeri debet imperfectio, & quod imperfectio dicitur, perfectio debet æſtimari. Pro forma argumenti negandum eſt primum antecedens: ad cuius probationem neganda minor, ſicut maior probativa iſtius. Ad confirmationem conceſſa maiori, neganda eſt minor, aut diſtinguenda ſub explicatione data, & neganda conſequentia.

46 Obijcies ſecundò. Omnipotentia connexa indiſpenſabilis eſt pro perfectione aliorum attributorum Dei: ergo Deus connectitur cum poſsibilibus. Probatur antecedens: nam Deus ex ſua natura eſt *verax, iuſtus, miſericors, & fidelis*; ſed hæc attributa conſiſtere non poſſent, excluſſa connexione Dei cum poſsibilibus: ergo Omnipotentia connexa indiſpenſabilis eſt pro perfectione aliorum attributorum Dei. Probatur minor. Hæc attributa conſiſtere non poſſent, repugnantibus ſuis actibus, nam quomodo eſſet *iuſtus, verax, miſericors, & fidelis* cui ſe gerere *iuſtè, miſericorditer, veraciter, & fideliter* repugnaret: ergo exigunt eſſentialiter id quod neceſſarium eſt, vt tales actus non repugnent. At neceſſaria ſunt poſsibilia, vt tales actus non repugnent, quomodo ex ſe eſt conſtans, ſiquidem quomodo poſſent exiſtere ſine ſuo obiecto, darique *veracitatem, iuſtitiam, miſericordiam, & fidelitatem* in exercitio, repugnante illo ad quod dirigitur *veraciter, iuſtè miſericorditer*, & *fideliter* ſe habere: ergo illa attributa conſiſtere non poſſent, excluſa connexione Dei cum poſsibilibus.

47 Probat argumentum pluſquam intendere poteſt ſi ad determinata aliqua attributa contrahatur, vt ſunt *liberalitas*, & *miſericordia*: nam vt ſupra advertimus, quis dicat *liberalem*, aut *miſericordem* eum, qui cum poſsit abſque vllo nocumento ſui *miſericorditer*, & *liberaliter* ſe habere; nunquam tamen *miſericorditer*, & *liberaliter* ſe habet: ergo vt prædicta attributa conſiſtant non modo poſsibilitas; ſed exiſtentia ſuorum actuum eſt neceſſaria; ſed ad exiſtentiam actuum eſt opus exiſtentia eorum cum quibus exercetur miſericordia, & liberalitas: ergo vt ſint talia attributa in Deo, non modo poſsibilitas, verùm exiſtentia eorum, quæ ſunt extra Deum eſt neceſſaria. Iam ſi hoc negent vt negari debet: quia aliter conſideranda eſt liberalitas, ac miſericordia noſtra; quam liberalitas, & miſericordia Dei, videant non eſſe nimis fidendum ponderationibus, quæ attributa Dei volunt facere dependentia in ſua perfectione à poſsibilitate creaturarum.

48 Sit igitur ſolutio. Procedendum eſſe in reliquis attributis divinis ſicut in attributo Omnipotentiæ de cuius conceptu non eſt potentia *ſubiectivè* & *terminativè abſoluta* erga creaturas; ſed vnice *ſubiectivè abſoluta* in qua elucet perfectio propria potentiæ Divinæ per ſufficientiam, & independentiam quam habet in ſe ab omni nō ipſa qua ratione non eſt de conceptu veracitatis, *iuſtitiæ, miſericordiæ*, & *fidelitatis*, quæ ſunt in Deo eſſe proximè expeditas ad ſuos actus; nimirùm *veraciter, iuſtè, miſericorditer*, & *fideliter* ſe habere, cum ſic non eſſent attributa ſibi ſufficientiſsima, & propria Dei; ideoque ſufficit vt eorum excellentia conſiſtat, & ſalva maneat, non habere ex ſe repugnantiam ad actus dependentes à creaturis, & vlterius contine-

tinere virtutem *ſubiectivè abſolutam*, & inclinationem ad ipſos, quæ numquam in Deo deficeret, quamvis nullum eſſet poſsibile. Nec inde inferas, dicendum Deum *ſubiectivè tantum liberalem, iuſtum, miſericordem*, & *veracem*, non verò ſimpliciter, & omnino *abſolutè liberalem, iuſtum, miſericordem, & veracem*, quia aliud eſt exercitium attributi; aliud attributum, quoad exercitium attributi; verum eſt, Deum ſe habere *ſubiectivè abſolutè*, & *terminativè conditionatè*; aſt quoad attributum ipſum, Deus ſe habet omnino *abſolutè*, & *ſimpliciter*, ita vt ſine limitatione vlla denominandus ſit *iuſtus, miſericors, liberalis, & verax*, ſicut denominatur *omnipotens*, quamvis eius potentia non aliter, quam *ſubiectivè abſolutè* reſpiciat creaturas. Eadem ſolutione vti debemus generaliter pro omnibus attributis divinis, in quibus multum inſiſtunt contrarij, iam his, iam illis enumeratis, quaſi in aliquibus ſenſibilior fiat diſſonantia; ſed generaliter dicendum de omnibus *ſimpliciter*, & *abſolutè* Deo competere, quamvis eorum proximitas, & expeditio ad exercitia ſit tantum in Deo *terminativè conditionatè* & dependenter a ſuppoſitione poſsibilitatis, quam Deus ex ſe non infert.

49 Ideò ſi opponatur: Deus, vt eſſentialiter Dominus, & vt eſſentialiter liber, & inde inferatur connexus cum poſsibilibus: quia, his ſecluſis, videtur non poſſe conſiſtere, nec *dominium*, nec *libertas* cum vtrumque extra Deum ſit exercendum. Conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: quia *dominium*, & *libertas*. Deo eſſentialia, aliud non ſunt quam determinatio ex parte Dei, vt ſi ſint poſsibilia, habeat illa proximè ſubiecta, ſitque potens proximè, dummodo ex parte ipſorum non ſit improportio, aut repugnantia, vt poſsit illis vti, provt voluerit, & pro nutu ſuo, vel ſuſpendere ab exiſtentia, vel à poſſibilitate ad eſſe ſimpliciter, & actuale traducere: ſicque non probatur abſolutè indigens poſsibilibus, ſine quibus adhùc permaneret in Deo determinatio illa, à qua denominatur eſſentialiter *Dominus*, & *liber*. Quod explicari poteſt exemplo attributi *divinæ ſapientiæ*, quæ licèt ſit determinatio eſſentialis Deo, vt ſciat, & cognoſcat quidquid ſcibile, & cognoſcibile eſt; non propterea redit Deum connexum cum eo, quod ſciri poteſt: nam exiſtentia poſsibilium, quæ numquam erunt, ſciri poteſt, & tamen non ſcitur; & nō exiſtentia poſsibilium, quæ exiſtunt, ſciri poteſt, & non ſcitur; quin ex defectu talis notitiæ colligi poſſit, Deum non eſſe *omniſcium*, & *infinitè ſapientem*, non ob aliam rationem, niſi quia quamvis Deo deficiat *ſcire proximè*, quæ ſciri poſſunt ex improportione ſcibilis; non tamen deficit determinatio, vt quotieſcumque id quod ſciri poteſt, proportionetur ad ſcientiam, tunc proximè, & abſque vllo impedimento ſciatur.

50 Adhùc tamen inſiſtes, & obijcies tertio. Creaturæ poſsibiles ſunt obiectum Omnipotentiæ; ſed nulla potentia poteſt exiſtere ſine ſuo obiecto: ergo Omnipotentia ſine poſsibilibus eſſe non poteſt, ac proinde cum eis connectitur. Probatur minor. Si potentia poſſet exiſtere ſine ſuo obiecto, eſſet potentia omnino fruſtranea pro caſu non exiſtentiæ ſui obiecti, cum fruſtra detur potentia, quæ non reducitur ad actum: ergo nulla potentia poteſt exiſtere ſine ſuo obiecto. Reſpondeo: propoſitionem illam minorem, *nulla potentia poteſt exiſtere ſine ſuo obiecto*, ſi de potentia ſecundum ſe accipiatur, eſſe falſiſsimam: nam potentia viſiva poteſt exiſtere ſine luce; potentia auditiva ſine aliquo audibili, & potentia olfactiva ſine aliquo odorabili, & generaliter ſæpè potentiæ exiſtunt ſimul cum improportione ſui obiecti, vt ab ipſis tangatur; ſi verò accipiatur de potentia, provt in exercitio, vera eſt, nam ſi potentia provt in exercitio eſſet ſine ſuo obiecto ferretur per ſuos actus extra ſuum obiectum, & ſphæram, quomodo eſſet potentia repugnans; ſed quid pro Omnipotentia exiſtente ſine poſsibilibus, quæ tunc nullum haberet exercitium extra ſe? Quin ex eo dicenda eſſet fruſtranea; ſed *abſolutiſsima*, & *independens* ab omni extrinſeco, præcipuè cum permittere ex ſe repugnantiam obiecti non ſit ex ſe illam adducere, quo ſolum ſenſu verum tenet illud principium, aut axioma *fruſtra datur potentia, quæ non reducitur ad actum*; ideſt, quæ ex ſe affert non poſſe reduci ad actum; vt non contingeret in Omnipotentia adhuc in caſu defectus poſsibilium; tunc enim ex ſe poſſet reduci ad actum, & ſolum ab eo impediretur ex repugnantia, ſibi extrinſeca obiecti. Iam ſi propterea corrigatur propoſitio illa minor, & ſub his terminis propona-

natur: *Nulla potentia potest existere, repugnante suo obiecto*, distinguenda est hoc modo: *Repugnante obiecto ex determinatione ipsius potentiæ*, concedo aut permitto minorem: *ex determinatione extrinseca potentiæ, & intrinseca obiecto*, nego minorem, & consequentiam: nam repugnantia illa obiecti non esset ex intrinsecis Omnipotentiæ, quæ potius est aptissima de se ad se exercendum circa illud obiectum, si propter admissam repugnantiam non fieret improportionatum exercitio potentiæ sub qua distinctione etiam exponenda est frustraneitas potentiæ, quæ propter repugnantiam actus non sit reducibilis ad illum.

51 Constat hinc: non esse necessariam solutionem, quam huic argumento parat Hemelmã relatus ab Izquierdo dicens: Potentiã nullam posse existere sine suo obiecto primario; benè tamen sine suo obiecto secundario: vnde cum deficientibus possibilibus nõ deficeret obiectum primarium Omnipotentiæ, vtpotè quod in verbo, & Spiritu Sancto consistit, in quorum productione necessario se exercet Omnipotẽtia, & se exerceret, etiã deficientibus alijs possibilibus extra Deum; ideò deficientibus his adhuc persisteret Omnipotentia: quia defectus eorum esset solum defectus obiecti secundarij; qua eadẽ ratione probat infrustraneitatẽ Omnipotentiæ pro casu, quo sine possibilibus esset. Non igitur est necessarius modus iste solvẽdi, tum quia ad specialem sententiam deducit examinandam tractatu de Trinitate, tum quia independenter ab ipso per vniversaliorem doctrinam solvitur: nec obiectionis difficultas tanta est, vt pro eius enodatione novæ difficultates aliò spectantes debeant implicari.

52 Obijc. 4. Si Deus cum creaturis possibilibus non connectitur, neq; erit necessarium cognoscere possibilia ad eum comprehendendũ; sed hoc dici nequit, aliàs de facto quivis beatus cõprehenderet Deum, cum videat omnia intrinseca Dei, quorum notitia, seclusis possibilibus sufficit ad cõprehensionem, sicut sufficeret casu, quo nõ essent possibilia: ergo Deus connecti debet cum possibilibus. Pari forma probari posset Deum connecti cum existentibus: nam si non connectatur cum existentibus, non opus erit cognoscere existentia pro comprehẽsione Dei: quare beatus cognoscens, & videns intrinseca Dei non visis alijs existentibus Deum comprehẽderet, quod dici nequit; connectitur ergo Deus cum existentibus. Deinde in multis deficit argumentum; deficit primò: quia licèt *absolutè* non sit necessarium ad cõprehendendum, Deum cognoscere possibilia; at necessariũ est *ex suppositione*, quod sint possibilia ea cognoscere vt Deus cõprehendatur, quemadmodum & si ad eiusdẽ cõprehensionem nõ sit necessarium *absolutè* cognoscere existentia; tamẽ necessarium est *ex suppositione*, quod dentur existentia cognoscere illa, vt Deus comprehendatur. Deficit secundò: quia supponit pro comprehensione obiecti sufficere extensionẽ cognitionis ad omnia illa, quæ quomodocũque pertinent ad obiectũ prætermissa intensione cognitionis, quæ maximè pertinet ad comprehensionem obiecti, iuxta illud D. Thom. *Quantitas scientiæ non tam attendenda est penès quantitatem scibilium, quàm penes modum sciendi*, ex qua doctrina mala consequentia est: *cognoscitur quidquid est in obiecto, & ad ipsum pertinet*: ergo *cõprehenditur*: rectiusque infertur, *quod quamvis beatus videret omnia possibilia in Deo ipsum non comprehenderet*, vt nos latè tractamus, & defendimus, agentes de visione Dei. Deficit tertiò: nã ex terminis ipsis est mala ista consequentia: *hoc non requiritur ad A*: ergo *illo deficiente, datur A*, cum deficiente non requisito ad *A*, possit etiam aliunde deficere requisitum ad *A*, sine quó neque existat, nec possit existere: sic existẽtia equi non est necessaria, vt Petrus sit Albus, & tamen, deficiente equo, Petrus erit niger, aut saltem non albus, si deficiat in ipso forma albedinis.

53 Obijc. 5. Argumentum à contrarijs, maximè laudatum quasi insolubile, & intentum cõvincens in quo excedunt, cum potius fallax, & inefficax sit, vt ex ipso cõstabit. Arguunt sic. Deus ex suis intrinsecis prædicatis infert necessario possibile distingui ab impossibili: ergo infert necessario possibile nõ esse impossibile, & impossibile non esse possibile; quod est formalissimè connecti cum possibilibus, & impossibilibus. Probatur antecedens, in quo est difficultas. Deus ex suis intrinsecis est potens producere possibile, & non est potens producere impossibile; sed Deum ex suis intrinsecis esse potentem producere possibile & non esse potentem producere impossibile, est ex intrinsecis inferre, possibile distingui ab impossibili; cum sit ab intrinseco inferre aliquid convenire possibili, quod non cõveniat impossibili: ergo Deus ex suis intrinsecis prædicatis infert necessario, possibile distingui ab impossibili. Ecce argumentum: quid roboris in illo sit, exploremus.

54 Redarguitur ſic: ergo Deus non modo connectitur cum omnibus poſsibilibus, verum cum omnibus contingentibus. Sequellam probo: ſi Deus ex ſe, & ab intrinſeco non connecteretur cum omnibus contingentibus, eſſet ex ſe, & ab intrinſeco connexus cum poſsibilibus, & non cõnexus cum poſsibilibus: ergo inferret ex ſe, & ab intrinſeco poſsibilia non eſſe contingentia, & contingentia non eſſe poſsibilia, cum ab intrinſeco aliter ſe habere erga poſsibile, quam erga cõtingens inferat diſtinctionem vnius ab alio; ac per conſequens vnum non eſſe aliud; ſed hoc nec dicunt, nec dicere poſſunt connexioniſtæ, cum falſiſsimum ſit, id ipſum, quod eſt contingens non eſſe poſsibile: ergo ex forma qua vtuntur ad probandam evidentiſſimè, vt dicunt, connexionem Dei cum poſsibilibus, conſtringuntur, vel ad negandam connexionem ipſam, quam volunt ſuadere, vel ad admittendam connexionem, quam iure reijciunt. Iam ſi cõponant cum illo intrinſeco modo Dei, quo diverſimodè ſe habet erga poſsibilia, & contingentia, permittere prædicata divina ex ſe, & ab intrinſeco, quod *poſsibile ſit contingens, & contingens poſsibile*, cur non component cum illo intrinſeco modo potentiæ diverſimodè ſe habentis erga poſsibilia; quam erga impoſsibilia, permittere prædicata divina ex ſe, & ab intrinſeco poſsibile, eſſe impoſsibile, & impoſsibile poſsibile.

55 Neque erit ſolutio recurrere cum Ribadeneyra, & Aſſeclis ad diſtinctionem poſsibilitatis, & contingentiæ dicendo: poſsibilitatem poſsibilium identificari cum Deo, & contingentiam cum rebus contingentibus, qua ratione vna diſtinguitur ab alia, & perſeverat efficax forma arguendi rectè convincens diſtinctionem inter poſsibilitatem poſsibilium, quæ eſt terminus connexionis logicæ Dei, & contingentiam, quæ non eſt terminus vllius connexionis prædicatorum Dei cum ipſa. Non igitur poteſt ſatisfacere: quia inſtantia noſtra non procedit de ſola poſsibilitate *in abſtracto* comparata cum contingentia etiam *in abſtracto*; verùm de vna, & altera conſiderata in *concreto*, & provt conſtituunt *poſsibile*, & *contingens*, quomodo nocet eius efficacia adverſarijs aſſerentibus, *Deum connecti non modò cum poſsibilitate, ſed cum poſsibilibus, & non connecti non modò cum contingentia; ſed cum contingentibus*: quare diſtinctio illa formarum, aut quaſi formarum non iuvat pro connexione, & non connexione cum ſubiectis, in quibus non eſt locus diſtinctioni, cum evidentiſsimum ſit, *id ipſum quod eſt contingens eſſe poſsibile, & id ipſum, quod eſt poſsibile eſſe contingens*; tametſi formæ, à quibus ſic denominantur ſint diſtinctæ: extollant ergo formam iſtam arguendi, vt efficaciſsimam contra ſe ipſos, ſi cupiunt cõtra nos eſſe plauſibilem.

56 Reſpõdetur, negando antecedens. Ad cuius probationem negãda eſt maior. Non enim Deus ex ſe eſt *potens producere poſsibile, & non eſt potens producere impoſsibile*; imò potius ex ſe æqualiter reſpicit vnũ, ac aliud, tota diverſitate ſe tenente ex parte poſsibilis, & impoſsibilis, quam Deus ex ſe non infert: ideoque quantum eſt ex ſe, erit abſolutè potens producere impoſsibile ſi poſsibile fiat, & erit impotens abſolutè producere poſsibile, ſi impoſsibile fiat, quamvis defacto ex conditione terminorum, inverſo modo ſe habeat, & *ſit abſolutè potens producere poſsibile quia non eſt impoſsibile, & non ſit abſolutè potens producere impoſsibile, quia non eſt poſsibile*, cui immutationi, & inverſioni Deus ex ſe non repugnat: vndè potentia Dei ad poſsibilia, & impoſsibilia cõſideranda eſt ad modum, quo ſe habent imagines Heroum; v. g. Cæſaris aut Alexãdri ad ſua obiecta, quæ quidem, quia defacto Cæſar, & Alexander fuerunt viri Heroici, excitant in nobis cognitionem illuſtrium actionum, provocant ad laudem, & commovent animum ad imitationem; ſi verò prædicti contrario modò ſe geſiſſent, ita vt inter viles, & abiectos homines eſſent numerandi; eadem imago, quoad intrinſeca permanens excitaret in nobis cognitionem actionum vituperabilium, provocaret ad deſpectum, & averteret animum à patratione ſimilium, ne in eandem notam incideremus.

57 Contra ſolutionem inſtant primò, dicentes: illam propoſitionem negatam vt falſam, ſuadere, veram perfectionem Deo concedendam, qualis eſt Deum habere ex ſe potentiam *abſolutiſſimam* ad poſsibilia, & non habere potentiam vllam ad impoſsibilia, ne ſit in Deo potentia ab extrinſeco impedita circa ea, quæ abſolute non poſſunt fieri, aut potentia non completa circa ea, quæ abſolute poſſunt fieri. Videas ex hac inſtantia argumentum, vt ſpecialiſsimum proclamatum reductum ad aliud iam propoſitum, & ſolutum de maiori perfectione Dei connexi cum poſsibilibus,

ex perfectiore potentia, quam apprehendunt in casu cõnexionis,& non percipiunt in casu inconnexionis; sed cum de his satis sit dictum in favorem, & excessum perfectionis potentiæ inconnexæ non est opus amplius immorari, & sub specie novæ efficacitatis, vt faciunt contrarij,transacta molestè refricare.

58 Instant secundò. Saltem in nostra sententia verum esse debet, Deum intrinsecè sumptum, & quantum est ex se,posse producere posibile ex suppositione, quod sit posibile, & non posse producere impossibile, ex suppositione quod sit impossibile: ergo Deus ex se, & ab intrinseco infert, conditionem *impossibilitatis* distingui à conditione *possibilitatis*. Probatur consequẽtia: posse Deum ex se sub vna conditione, & non posse sub alia, non stat sine distinctione vnius ab alia; aliàs eodem modo posset sub vna ac sub alia;sed Deus ex se infert,posse sub vna, & non posse sub alia: ergo Deus ex se, & ab intrinseco infert distinctionem vnius conditionis ab altera: ergo ex nostra sententia potius confirmatur, quam eluditur argumentum factum.

59 Contra instantiam istam in promptu est redargutio, quam fecimus contra argumentum, nimirum in ratione posibilis, & contingentis. Etenim Deus per adversarios connectitur ex se, & ab intrinseco cum Petro;v.g.in ratione posibilis, & non connectitur in ratione existentis, quomodo contingens est,& potens deficere:vnde resultant istæ conditionales, *si Petrus sit posibilis, est terminus connexionis; si vero sit existens, non est terminus connexionis*:ergo *id quod est existens non est id,quod est posibile*,& vicisim: *id quod est posibile, non est id, quod est existens*,illatione deducta ex intrinsecis Dei, qui diversimodè se habet erga posibile, ac erga existens, propterea que etiam ex intrinsecis infert distinctionem vnius rationis ab altera: igitur recognoscant debilitatem instantiæ si vim redargutionis volunt effugere. Respondendum pro omnibus permittendo verum esse in nostra sententia: Deum intrinsece sumptum, & quantum est ex se posse producere posibile si tale sit,& non posse producere impossibile si tale sit; cæterùm cum potentia conditionaliter respiciens terminum non requirat purificationem hypothesis, quod idem dicendum est de impotentia pariter conditionali,permittit ex se conditionem *possibilitatis*; v.g. nõ dari; imò potius in impossibilitatem transmutari; quia semper verificaretur, quod si esset posibilitas in termino,quæ non est, Deus posset producere terminum, & si esset impossibilitas in termino,quæ non est, Deus non posset producere terminum: ergo quod verum sit in nostra sententia,Deum intrinsece sumptum, & quantum est ex se, posse producere extremum, si sit posibile, & non posse producere extremum,si sit impossibile,non ideo verum debet esse, inferre ex se distinctionem posibilis ab impossibili; nec posibilitatis ab impossibilitate,nec diverso modo se habere erga vnam, & alteram conditionem: nam quantum est ex parte Dei idem, quod verificatur de vna, verificatur de altera: nimirum de *posibilitate*, quod si sit posibilitas sit conditio ad posse producere extremum, & si sit impossibilitas sit cõditio ad nõ posse producere terminum, & de *impossibilitate*,quod si sit impossibilitas, sit conditio ad non posse producere terminum, & si sit posibilitas, sit conditio ad posse producere terminum, qua ratione Deus non disconvenienter; sed convenientissimè, & vniformiter se habet ad vnam, & alteram cõditionem.

60 Dixi: permittendum esse in nostra sententia verum: *Deum intrinsecè sumptum, & quantum est ex se posse producere posibile si tale sit, & non posse producere impossibile si tale sit*: nam non est tam clarum, eam esse legitimam illationem ex nostra sententia: posset enim dici sine præiudicio,Deum ex se,& secundum intrinseca consideratum,nec absolutè, nec cõditionatè aliter se habere circa posibile,quam circa impossibile; sed vtrumque ex se æqualiter respicere,scilicèt potentia *subiectivè absoluta*, quæ æqualis est respectu vtriusque, & ex se capax expeditionis, aut impeditionis ad producendum omninò absolutè terminum propter capacitatem, aut incapacitatem huius; quin vnquam dici valeat. Deum ex se non posse vnum, aut aliud. Inde maximè distingui deberet in nostra sententia, *Deum esse potentem omninò absolutè producere posibile si sit posibile; & non esse potentem omninò absolutè producere impossibile* ab hoc, quod est, *Deum ex se, & ex intrinsecis consideratum, esse potentem omninò absolutè producere posibile, si sit posibile; & non esse potentem omninò absolutè producere impossibile, si sit impossibile.*

Quorum primum eſt verum, & denotat adventum conditionatum extrinſecum expeditionis potentiæ intrinſecæ ſub cõditione *poſsibilis*, & non adventum extrinſecum talis expeditionis ſub conditione *impoſsibilis*; ſecundum falſum: quia denotat Deum habere ex ſe expeditionẽ pro vno caſu, & non habere pro alio; quod ita nõ eſt in noſtra ſententia, in qua expeditio, & impeditio divinæ potentiæ ſemper eſt ab extrinſeco, ſicut ab extrinſeco ſemper eſt *poſsibile eſſe poſsibile potius quam impoſsibile, & impoſsibile eſſe impoſsibile, potius quam poſsibile.* Non igitur debet inconcuſe ſupponi, vt verum in noſtra ſententia illud ex quo procedit inſtantia, & quo negato, nulla foret.

61 Inſtant tertiò: ſaltem à nobis negari non poſſe Deum ex ſe, & ab intrinſeco connecti cum eo, quod ſi ſit poſsibilitas termini ſit poteſtas divina abſoluta ad illum producendum: nam ſi, data poſsibilitate termini, adhuc non eſſet poteſtas divina abſoluta producendi terminum, Deus non eſſet: ergo Deus pro caſu, quo ſit poſsibilitas termini, connectitur metaphiſicè cum poſsibilitate termini. Conſequentia probatur. Deus per nos in caſu, & pro caſu, quo ſit poſsibilitas termini, connectitur metaphiſicè cum *poſſe abſolutè producere terminum*: ergo connectitur metaphiſice cum eo quod eſt, vel infert neceſſario *poſſe abſolutè producere terminum*; ſed *poſſe abſolutè producere terminum*, eſt vel infert neceſſario eiuſdem poſsibilitatem: ergo Deus pro caſu, quo ſit poſsibilitas termini, connectitur metaphiſicè cum poſsibilitate termini. Iam ſic: Deus connexus pro aliquo caſu cum poſsibilitate termini, eſt Deus dependens pro aliquo caſu ab aliquo extra ſe, dependentia connexionis; vel ergo iſta dependentia dicit in ſe imperfectionem, vel non dicit? Si iſtud: pro nullo caſu eſt admittenda in Deo. Si illud: ergo pro omni caſu poteſt admitti: imo admitti debet, vt ſic conſulatur intrinſecæ expeditioni divinæ potentiæ.

62 Reſpondetur primò, conceſſo primo antecedenti, & negata conſequẽtia; propterea quod ex illo antecedenti aliud non inferatur præter Deum eſſe logicè connexum ſecum ipſo, & cum virtute ſubiectiva ſuæ omnipotentiæ ad producendum terminum, in quo nihil extrinſecum Deo per modum termini connexionis involvitur. Id conſtat clarè ex explicatione propoſitionum, quæ in antecedenti, vt legitimè illatæ ex noſtra ſententia poſſunt contineri. Hæ ſunt: *Deus ex ſe, & ab intrinſeco connectitur cum poſſe abſoluto termini ſi ſit poſsibilitas eius: Deus ex ſe, & ab intrinſeco connectitur cum non poſſe abſoluto termini ſi ſit impoſsibilitas eius*: quarum prima nihil aliud denotat, quam Deum ex ſe poſita poſsibilitate termini habere quidquid reſtat ad poſſe abſolutum illius; ſed quod reſtat ad poſſe abſolutum termini data poſsibilitate illius non eſt aliud, quam virtus Omnipotentiæ: ergo propoſitio illa nihil aliud denotat, quã Deum habere ex ſe determinationem ad ſuã virtutem, & potentiam pro caſu poſsibilitatis termini. Secunda vero tantum ſignificat Deum ex ſe, & ab intrinſeco data impoſsibilitate termini non habere expeditionem ad illum, ſeu non habere potentiam expeditam ad illum; ſed potentia non expedita ex ſe ad terminum pro caſu impoſsibilitatis illius aliud non eſt præter ipsã Omnipotentiam non afferentem ex ſe poſsibilitatem termini: ergo dicta propoſitio non ſignificat aliam determinationem in Deo pro caſu impoſsibilitatis, niſi vt ſit id, quod eſt nullo alio extrinſeco admixto.

63 Inde etiam conſtat quomodo explicanda ſit illa altera propoſitio probativa conſequentiæ negatæ, ſcilicèt: *Deum conecti metaphiſicè cum poſſe abſoluto termini pro caſu poſsibilitatis illius eſt connecti metaphiſicè cum eo quod eſt, vel infert poſſe abſolutè producere terminum*. quæ ſub diſtinctione accipienda eſt, adhibitis his terminis: Deũ cõnecti metaphiſicè cum poſſe abſoluto termini *ſecundum totum, quod dicit poſſe abſolutum termini* pro caſu poſsibilitatis termini, eſt connecti metaphiſicè cum eo quod eſt, vel infert poſſe abſolutè producere terminum, concedo propoſitionem: *ſecundum aliquid, quod dicit poſſe abſolutum termini* eſt connecti metaphiſice cũ eo, quod eſt vel infert poſſe abſolutũ termini, ſubdiſtinguo *cum omni eo quod eſt, vel infert* poſſe abſolutum termini, nego propoſitionẽ *cum aliquo, quod eſt, vel infert præſuppoſitis aliis* poſſe abſolutum termini, concedo propoſitionẽ, cumque illud aliquid, quod dicit *poſſe abſolutum termini* præſuppoſita aliunde poſsibilitate ipſius non ſit quid diſtinctum ab ipſa Omnipotentia ſolum deducitur, divinam potentiam eſſe inſeparabilem à ſe ipſa,

Ex-

64 Explicatur exemplo solutio data. Ignem ex se esse absolutè potentem comburere lignum pro casu approximationis, & non esse ex se potentem absolutè comburere lignum pro casu defectus approximationis; quid aliud significat, nisi ignem ex se habere virtutem combustivam, quæ adiuncta approximatione est virtus absoluta comburendi, & quæ remota approximatione non est virtus absoluta; verum impedita comburēdi per defectum illius, quod ex se permittit, & ex se non affert; quin inde valeat inferri, aut ignem ex se adhuc pro aliquo casu habere connexionem cum applicatione, aut connexionem cum defectu applicationis: ergo similiter: Deum ex se, & ex intrinsecis esse potentem absolutè producere terminum pro casu *possibilitatis* termini, & non esse potentem absolutè producere terminum pro casu *impossibilitatis*, aut *defectus possibilitatis* termini non infert connexionem ipsius adhuc pro aliquo casu cum possibilitate, aut impossibilitate termini; sed præcisè determinationem Dei ad propriam, & indistinctam virtutem, & vt sit id quod est independenter ab omni alio extrinseco.

65 Respondetur secundò, permittendo: veritatem illam deductam ex nostra sententia: *Deus ex se, & ab intrinseco connectitur cum eo, quod si sit possibilitas termini, sit potestas divina absoluta ad illum producendum* includere connexionem Dei non modo secum ipso, verum cum extrinseco possibilitatis termini, & negando inde inferri aliquid detrimenti contra inconnexionem Dei absolutam cum possibilibus, & impossibilibus, quam tuemur. Ratio est: quia connexio purè ex suppositione, quam Deus ex se non affert cum possibilitate termini non opponitur cum inconnexione absoluta, respectu eiusdem, nec dependentia ex suppositione, quam Deus ex se non affert à possibilitate termini non excludit independentiam absolutam ab eadem possibilitate; sed tota connexio, & dependentia deducta ex nostra sententia est connexio, & dependentia à possibilitate ex suppositione eiusdem possibilitatis, quam Deus ex se non affert: ergo illa connexio, & dependentia nullo modo est exclusiva in connexionis, & independentiæ absolutæ; quas propugnamus. Hinc ad dilema in quo vltimo sistit instantia dicendum: eam dependētiam probatam, non dicere vllam imperfectionem in Deo, cum sit dependentia ex suppositione, quam Deus ex se necessario non affert, quæ nomen dependentiæ non mereretur, propterea quod non alleget simpliciter fundamentum connexionis, & dependentiæ ad terminum; vndè immeritò fit consequentia ex ipsa ad connexionem aliam absolutam, & independentem à suppositione Deo contingente, vt est illa, quam admittunt contrarij asserentes: Deum independenter ob omni suppositione connecti metaphisicè cum omnibus possibilibus, & impossibilibus.

66 Id comprobat manifestè inconnexio, & independentia Dei à contingentibus, quam omnes tuentur, quin contrà eam liceat arguere ex dependentia, & connexione ex suppositione Deo non necessaria, quæ similiter est admittenda: etenim licèt Deus sit absolutè inconnexus cum hoc mundo, quem produxit, tamen ex suppositione decreti circa hunc mundum ipsi liberi est Deo necessarius hic mundus contingens, aliter decretum divinum esset frustrabile, & Deus non feciſſet, quæ efficaciter voluit facere: similiter, quamvis Deus sit absolutè inconnexus cum defectu contingente huius mundi; non ideò desinit habere connexionem ex suppositione sibi contingente, & libera omissionis huius mundi cum defectu contingente illius. Nec liceret cuiquam cordatè arguere ex independentia absoluta cum contingentibus ad independentiam ex suppositione cum eisdem, aut ex dependentia, & connexione dumtaxat ex suppositione ad dependentiam, & connexionem absolutam cum contingentibus; sicut nec probare perfectionem in Deo ex independentia ex suppositione si probetur ex independentia absoluta, aut vicissim ex dependentia absoluta, si probetur ex dependentia tantùm ex suppositione. Constet ergo nullius roboris esse modum illum arguendi ab admissa connexione Dei cum possibilibus, & impossibilibus ex suppositione ei contingente, & non necessaria ad connexionem absolutam eiusdem cum possibilibus, & impossibilibus

67 Obijcies sextò. Deus ex se, & ab intrinseco est potens coexistere Petro si Petrus existat, & non est potens coexistere impossibili si impossibile existat:

ergo infert Petrum poſſe exiſtere, & impoſsibile non poſſe exiſtere, quod formaliter eſt inferre ex ſe, & ab intrinſeco Petrum eſſe poſsibilem, & impoſsibile eſſe impoſsibile: antecedens quoad primam partem conſtat ex intrinſeca neceſsitate Dei ad exiſtendum ſemper, & pro ſemper, quæ ſtare non poteſt, quin coexiſtat cuicumque exiſtenti: quoad ſecundam probatur: Deus eſt ab intrinſeco impotens coexiſtere duplici contradictorio; ſed impoſsibile ſi exiſteret includeret duplex contradictorium: ergo Deus ex ſe, & ab intrinſeco eſt impotens coexiſtere impoſsibili. Probatur maior: ſi Deus coexiſteret duplici contradictorio involveret in ſe duplex contradictorium: ergo Deus ex ſe eſt impotens coexiſtere duplici contradictorio. Antecedens probatur, & ſupponamus duplex contradictorium eſſe *Petrum*, & *carentiam Petri*: iam ſi Deus coexiſteret Petro, & carentiæ Petri, coexiſteret Petro, & non coexiſteret Petro; ſed hoc eſt involvere in ſe duplex contradictorium: ergo ſi Deus coexiſteret duplici contradictorio involveret in ſe duplex contradictorium. Probatur maior: coexiſtere carentiæ Petri, eſt coexiſtere defectui Petri, & coexiſtere defectui Petri eſt non coexiſtere Petro; aliunde coexiſteret Petro: ergo ſi Deus coexiſteret Petro, & carentiæ Petri, coexiſteret Petro, & non coexiſteret Petro.

68 Leviſsimum quidem argumentum. Primò ab inſtantia ſupra facta. Nam ſi connecti metaphiſicè Deum ex ſe, & ab intrinſeco cum poſsibili, & non connecti ex ſe, & ab intrinſeco cum exiſtenti permittit in ſententia contraria id quod eſt poſsibile eſſe idēticè id quod eſt exiſtens, & è contra, cur ex ſe, & ab intrinſeco poſſe coexiſtere poſsibili ſi exiſtat, & non poſſe coexiſtere impoſsibili ſi exiſtat, non permittet ex parte Dei id quod eſt poſsibile eſſe id quod eſt impoſsibile, & id quod eſt impoſsibile eſſe id quod eſt poſsibile? Secundò: quia illud poſſe ex ſe coexiſtere ſub hypotheſi, & non poſſe coexiſtere ex hypotheſi permittit Deum reſpicere ex ſe eodem modo poſsibile, & impoſsibile, cum permittat idem verificari quantum eſt ex parte Dei de poſsibili, & de impoſsibili: nimirùm de poſsibili, quod ſi ſit poſsibile, & exiſtat, poſsit illi coexiſtere, & ſi ſit impoſsibile, & exiſtat, non poſsit illi coexiſtere, & viciſsim de impoſsibili; quod ſi ſit impoſsibile, & exiſtat, non poſsit illi coexiſtere, & ſi ſit poſsibile, & exiſtat, poſsit illi coexiſtere; quin vlla ſit diverſitas ex parte Dei, quoad poſsibile, & impoſsibile. Tertiò: quia illud: *Poſſe coexiſtere vni ſi exiſtat, & non poſſe coexiſtere alteri* ſi exiſtat ſupponit, & eſſe conceptum *poſsibilis*, & conceptum *impoſsibilis*; ſed hanc ſuppoſitionem Deus ex ſe non fert: quia propter ſuam independentiam ab omni extrinſeco permittit poſsibile, & impoſsibile ita extingui in ſuis conceptibus, vt nihil ſit de ipſis affirmabile; ac proinde nec illud *poſſe coexiſtere vni ſi exiſtat, & non poſſe coexiſtere alteri ſi exiſtat*: ergo ad ſummum quod poteſt ſuaderi per propoſitum argumentum eſt aliqua connexio Dei cum poſsibili, & impoſsibili ex ſuppoſitione Deo contingenti, & quam Deus ex ſe neceſſario non affert, quod eſt nihil probare contra inconnexionem abſolutam eiuſdem cum poſsibilibus, & impoſsibilibus.

69 Ex his ad formam diſtinguo antecedens: Deus ex ſe, & ab intrinſeco eſt potens coexiſtere Petro ſi Petrus exiſtat, & non poteſt coexiſtere impoſsibili ſi impoſsibile exiſtat *ex ſuppoſitione poſsibilitatis Petri, & impoſsibilitatis impoſsibilis, quas Deus non infert; ſed permittit ex ſe inverſo modo ſe habere*, concedo antecedens: *ex ſuppoſitione poſsibilitatis Petri, & impoſsibilitatis impoſsibilis, quas Deus ex ſe inferat*, nego antecedens, & diſtinguo conſequens, Deus infert ab intrinſeco Petrum poſſe exiſtere, & impoſsibile non poſſe exiſtere *illatione abſoluta*, nego conſeq. *illatione ex ſuppoſitione*, quam Deus ex ſe non trahit permitto conſequentiam, vel aliter diſtinguo antecedens, Deus ex ſe, & ab intrinſeco eſt potens coexiſtere Petro ſi Petrus exiſtat, & non poteſt coexiſtere impoſsibili ſi impoſsibile exiſtat *datis cōceptibus obiectivis poſsibilis, & impoſsibilis, quos Deus ex ſe permittit extingui*, permitto antecedens. *Afferendo ex ſe conceptus poſsibilis & impoſsibilis.* Nego antecedens, & conſequentiam: vel diſtinguendo conſequens per terminos datos *illationis abſolutæ, & illationis ex ſuppoſitione.*

70 Sic vitatur diſsidium, quod ex ſolutione communi aliorum poſſet excitari, & quam ego olim tenui, & reducitur ad negandum abſolutè Deum non poſſe coexiſtere impoſsibili ſi exiſteret: quia

quia inde verificaretur Deum susceturum in se duo contradictoria ex coexistentia, & non coexistentia ad Petrum coniunctum cum sua carentia, quod inquiunt falsum est: nam licet tunc verificaretur: Deum coexistere duplici contradictorio; scilicet Petro, & carentiæ ipsius; non tamen verificaretur: Deum coexistere, & non coexistere Petro, vt esset contradictio Dei. Rationem præbent: quia quamvis Deus tunc coexisteret carentiæ Petri, cum hæc carentia simul excluderet, & relinqueret Petrum pro casu illo, quo Petrus impossibilis existeret, alias non coniungerentur tunc duo contradictoria, ideo etsi coexisteret carentiæ Petri; non propterea non coexisteret Petro pro quo erat necessarium, vt Petrus non existeret; sed præcisè coexisteret Petro, & carentiæ eiusdem.

71 Cæterum hæc solutio rebus benè inspectis displicet. Videtur enim nimis probare vnde ad intentum nihil probat; nec nodum dissolvit: ostendo sic: nam si quia carentia Petri impossibilis ita excludat existentiam, vt ipsam relinquat impedit verificari *non coexistentiam Dei ad Petrum*, & infert duntaxat *coexistentiam ad se*: quia dum simul cum Petro existit ita excludit existere, ipsius vt ipsum relinquat simul, & cum ipso coniungatur impediet verificari *non existere Petrum*, & inferet tantum Petrum *coexistentem* ad se: ex quo rursus deducere licebit: Petrum impossibilem pro casu, quo existeret non esse impossibilem, cum in casu existentiæ præcisè *existeret*, & nullo modo verificaretur de ipso *non existere*, quamvis verificaretur *coexistere suo contradictorio*, quod est seimplicare in ipsa assignatione conceptus obiectivi *impossibilis*, vocareque immerito *impossibile* illud *quod si existeret præcisè existeret, & impossibilem coniunctionem* duplicis contradictorij in qua existentia se haberet sicut existentia possibilis, quæ præcisè existit, & carentia sicut carentia possibilis, quæ præcisè suo modo est: nec placet motivum impellens in hanc doctrinam difficilem, nimirum evitare in coexistentia Dei ad impossibile illa duo contradictoria *Deus coexisteret Petro, Deus non coexisteret Petro.* Nam rogo, quod monstrum est istud ita pertimiscendum, vt facilè devorari nō possit: aut quid inconvenientis in eo, quod per repugnantiam extrinsecam terminorum, & per denominationes semiextrinsecas provenientes ab ipsis, convenirent Deo intrinsece immutato duo illa contradictoria extrinseca, quæ non Deum repugnantem; sed Petrum ostenderent? Non secus; ac si existeret in Petro chymærico cognitio naturalis Dei repugnans, & quæ simul existeret, & non existeret, Deus sine vllo incommodo, quod detegam *esset cognitus, & non esset cognitus*: quia id est repugnare in se cognitionem, & non Deum: quare ad argumentum negato primo antecedenti; videlicet Deum ex se posse coexistere possibili si existat, & nō posse coexistere impossibili si istud existat; negandum etiam est Deum non posse coexistere duplici contradictorio, sicut, & Deum non posse susscipere duo contradictoria extrinseca, & provenientia à denominationibus semiextrinsecis quales sunt *coexistere, & non coexistere* in quibus tota immutatio, & repugnantia intrinseca se teneret ex parte constitutivi extrinseci secus ex parte Dei. Sic respondere poteris si placet, quamvis hæc solutio ex dictis non sit necessaria.

72 Obijcies septimò. Deus est essentialiter distinctus à possibilibus, & impossibilibus: ergo infert ex se distinctionem possibilium, & impossibilium. Antecedens est certum, cum Deus sit essentialiter tantum id quod est: ac proinde essentialiter non sit id quod non est. Consequentia probatur: distinctio à possibilibus, & impossibilibus maiorem amplitudinem habet, quam distinctio à solis possibilibus, aut à solis impossibilibus; sed Deus essentialiter exigit distinctionem à possibilibus, & impossibilibus: ergo essentialiter exigit distinctionem, quæ maiorem amplitudinem habeat, quam distinctio, aut à solis possibilibus, aut à solis impossibilibus; sed si possibilia non distinguerentur ab impossibilibus Deo deficeret distinctio illa maioris amplitudinis à possibilibus, & impossibilibus ipsi essentialis: ergo si Deus essentialiter distinguitur à possibilibus, & impossibilibus, etiam essentialiter infert distinctionem possibilium, & impossibilium, & propterea connectitur metaphisice cum possibilibus, & impossibilibus.

73 Insto in existentibus contingenter: Deus essentialiter distinguitur à Petro existente actualiter, & alijs tribus existentibus actualiter: ergo essentialiter

in-

infert distinctionem actualem Petri ab alijs tribus existentibus actualiter. Antecedens est certum: quia Deus essentialiter est id quod est, & essentialiter non est id quod non est. Probatur consequentia distinctio ab vno actualiter existente, & ab alijs tribus actualiter existentibus maiorem amplitudinem habet; quam distinctio à solo Petro actualiter existente, aut à solis tribus actualiter existentibus; sed Deus essentialiter exigit distinctionem à Petro actualiter existente, & alijs tribus actualiter existentibus: ergo exigit essentialiter distinctionem, quæ maiorem amplitudinem habeat, quam distinctio, aut à solo Petro actualiter existente, aut à solis tribus actualiter existentibus; sed si tres actualiter existentes non distinguerentur actualiter à Petro actualiter existente deficeret Deo distinctio illa maioris amplitudinis à Petro actualiter existente, & alijs tribus actualiter existentibus ipsi essentialis: ergo si Deus essentialiter distinguitur à Petro actualiter existente, & alijs tribus actualiter existentibus, etiam essentialiter infert distinctionem Petri actualiter existentis ab alijs tribus actualiter existentibus: ac proinde connectitur metaphisicè cum Petro actualiter existente, & alijs tribus actualiter existentibus. Si dicant: Deum non exigere absolute illam distinctionem maioris amplitudinis; sed solum pro casu, quo non indiget existentiæ actualis illorum quatuor, idem dictum accipiant pro ampliore distinctione Dei à posibilibus, & imposibilibus, quam non exigit Deus absolutè; verum pro suppositione, qua Deus non indiget quod sint posibilia, & imposibilia.

74 Ad argumentum distinguo antecedens, quo penitus eluditur eius vis. Deus est essentialiter distinctus à posibilibus, & imposibilibus *inadæquatè*, concedo antecedens *adæquatè*, nego antecedens, & consequentiam. Ad cuius probationem distinguo maiorem, distinctio à posibillbus, & imposibilibus *adæquatè sumpta* habet maiorem amplitudinem, quam distinctio à solis posibilibus, aut à solis imposibilibus. Concedo maiorem: *Inadæquatè sumpta*, & provt se tenet ex parte Dei, nego maiorem, & distinguo minorem. Deus essentialiter exigit distinctionem à posibilibus, & imposibilibus, *secundum inadæquatum, & intrinsecum Deo, quod dicit talis distinctio.* Concedo minorem. *Secundum adæquatum, & extrinsecum.* Nego minorem, & sub eisdem terminis distinguo consequens exigit distinctionem, quæ maiorem dicat amplitudinem, *secundum inadæquatum, & sibi intrinsecum*, quod dicit talis distinctio concedo consequentiam: *Secundum adæquatum, & sibi extrinsecum* Nego consequentiam. Explicatur solutio: distinctio Dei à posibilibus, & imposibilibus adæquatè sumpta claudit *Deum, posibilia*, & *imposibilia*. Nam omnis distinctio adæquatè sumpta stat, & consistit in extremis, quæ distinguntur: vnde Deus præcisè ex se habet esse partem illius coniuncti in quo consistit distinctio, & esse ex se capacem suscipiendi denominationem *distincti ab alio*, fidetur illud aliud. Hinc licet distinctio Dei *posibilium*, & *imposibilium* dicat maiorem amplitudinem distinctione *Dei*, & *posibilium tantum*, aut *Dei*, & *imposibilium* tantum, talis amplitudo non infertur ex solo Deo, & intrinsecis ipsius; sed ex coniuncto *Dei, posibilium* & *imposibilium*: Deus enim ex se precisè dicit suam entitatem, & esse sibi sufficientissimum, quod ex se nihil addit, vt coniunctum ex Deo, posibilibus, & imposibilibus amplietur magis, quam coniunctum ex *Deo*, & *solis posibilibus*, aut ex *Deo*, & *solis imposibilibus*, pro quo quantum est ex parte sui tantum confert, quantum pro coniuncto ampliori.

75 Obijcies octavò. Deus habet scientiam posibilium, & imposibilium: ergo est connexus metaphisicè cum posibilibus, & imposibilibus. Probatur consequentia: deficientibus posibilibus, & imposibilibus deficeret Deo id quod est ipsi metaphisicè necessarium; sed deficienti Deo metaphisicè ipsi necessario, deficeret Deus: ergo deficientibus posibilibus, & imposibilibus deficeret Deus, quod est connecti metaphisicè cum posibilibus, & imposibilibus. Consequentia est legitima; nam quid aliud est connecti metaphisice Deum cum posibilibus, & imposibilibus, nisi quod à defectu horum arguatur metaphisicè ad defectum Dei. Min. etiam apparet certa. Ex eo quod illud, quo Deus non indiget non sit ipsi metaphisicè necessarium: ergo deficere Deo metaphisicè necessarium est deficere Deo illud quo metaphisicè indiget, & sine quo non potest existere. Maior autem probatur. Deficientibus posi-

sibilibus, & impossibilibus deficeret Deo scientia possibilium, & impossibilium; alias falso posset cognoscere; sed Scientia possibilium, & impossibilium est ipsi metaphisicè necessaria, cum per nullam potentiam possit ei deficere: ergo deficientibus possibilibus, & impossibilibus deficeret Deo id quod est ipsi metaphisicè necessarium.

76 Respondetur: scientiam possibilium, & impossibilium esse Deo necessariam eadem necessitate, qua Deo sunt necessaria possibilia, & impossibilia; hæc autem non sunt Deo necessaria necessitate intrinseca ipsi Deo, & proveniente à prædicatis ipsius; sed necessitate extrinseca proveniente à conceptibus invariabilibus possibilium, & impossibilium: vnde necessitas scientiæ correspondentis possibilibus, & impossibilibus est etiam extrinseca Deo, & absolutè non exacta à prædicatis divinis, quæ sine ipsa (eodem sensu ac sine actibus contingentibus divinis) possunt consistere; non secus ac sine ipsis possibilibus, & impossibilibus inde non valet: *Hæc scientia est necessaria Deo: ergo est scientia debita Deo; nec est necessaria Deo: ergo Deus indiget illa*: quia istæ consequentiæ tantum sunt rectæ in necessarijs Deo necessitate intrinseca; non sic in necessarijs ipsi necessitate extrinseca, & quę etsi nullà potentia *subiectivè*, & *terminativè* absoluta possint deficere Deo; possunt tamen deficere potentia *subiectivè absoluta* ex parte Dei non repugnantis ex se defectui eorum: quamvis iste defectus ex parte, & conditione termini sit impossibilis, ex quibus facilè constabit ad formam.

77 Sed replicabis. Deus facit necessarium necessitate intrinseca id quod si deficeret repugnaret Deus; sed deficiente scientia possibilium. & impossibilium repugnaret Deus: ergo Deus facit sibi necessariam necessitate intrinseca scientiam possibilium, & impossibilium. Probatur Minor. Solum deficeret Scientia possibilium, & impossibilium repugnante Scientia possibilium, & impossibilium; sed scientia possibilium, & impossibilium est aliquid divinum: ergo deficiente scientia possibilium, & impossibilium repugnaret Deus. Probatur Maior: solum deficeret scientia possibilium, & impossibilium factis possibilibus impossibilibus, aut impossibilibus, possibilibus, aut extinctis in suis conceptibus possibilibus, & impossibilibus; sed in tali casu repugnaret talis scientia; quia factis possibilibus impossibilibus repugnaret, quod esset scientia possibilium, cum esset falsa, & factis impossibilibus possibilibus repugnaret, quod esset scientia impossibilium propter eandem rationem; necnon extinctis possibilibus, & impossibilibus etiam repugnaret ex defectu necessario sui obiecti: ergo solum deficeret scientia possibilium, & impossibilium repugnante scientia possibilium, & impossibilium.

78 Ducit nos replica ad arduam difficultatem de constitutivo actuum divinorum contingentium de qua satis in hoc Tractatu disputat. 4. cap. 1. Ast ne in dicta difficultate modo implicemur, respondendum est cum amplitudine, & dicendum, quod si actus contingentes constituantur per aliquid Deo extrinsecum, vt multi componunt vana redditur instantia: nam licet scientia possibilium, & impossibilium Deo ex se contingens sit aliquid divinum inadæquatè; non tamen adæquatè, cum includat etiam aliquid Deo extrinsecum, & ab ipso distincto: vnde quamvis deficientibus possibilibus, & impossibilibus repugnaret scientia, non ideo repugnaret aliquid divinum; verùm præcisè illud extrinsecum distinctum à Deo; siquidem ad repugnantiam coniuncti sufficit repugnantia vnius ex constitutivis. Si vero constituantur Deo adæquatè intrinseci, dicendum: quod sicut Deo indefectibili non repugnat aliquid divinum, aut respectivè, aut virtualiter, aut terminativè pro sentẽtiarum diversitate deficere, vt deficit quando Deus non habet scientiam contingentem, quam potest habere, aut decretum liberum, quo potuit aliquid decernere, quod non decrevit: Sic Deo possibili non repugnat, quod aliquid divinum, aut respectivè, aut virtualiter, aut terminativè fiat ex aliqua suppositione, quam ex se non affert, & ex se permittit, repugnans, & tale quod si existeret implicaret: & ideo negandum, quod deficiente scientia possibilium, & impossibilium repugnaret Deus, sicut negatur, quod deficiente scientia contingenti, aut decreto contingenti deficeret Deus, & sicut perfectio Dei est: quod deficienti contingenti deficiat aliquid divinum modo explicato; sic perfectio Dei est, quod

quod repugnante aliquo necessario obiective repugnaret aliquid divinum modo dicto, & cum eisdem limitationibus adhibitis defectui actuum contingentium.

79 Hinc manet excluſum fundamentum aliquorum Recentiorum, qui cum ex vna parte aſſerant Deum non eſſe connexum metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus titulo Omnipotentiæ, & perfectionis ipſius; ex alia affirmant Deum eſſe connexum metaphiſicè cum poſsibilibus, & impoſsibilibus prætextu ſcientiæ ipſorum, quam Deus eſſentialiter exigit, titulo ſummæ ſimplicitatis ex qua debet concedi identificatus adhùc virtualiter cum tali ſcientia, itavt ſi ſcientia deficeret, & ſi Deus exiſtat ſcientia neceſſario ex parte Dei debeat exiſtere. In quo nimis falluntur, tum quia vt vidimus diſputat. 4. citata recte componitur contingentia actuum divinorum cum divina ſimplicitate, tàm reali, quàm virtuali; tum etiam: quia in tantum Deus indiget ſcientia in quantum indiget obiecto illius; non verò è contra indiget obiecto in quantum primario indigeat ſcientia: vnde prius inveſtigandum eſt: An Deus ex aliqua perfectione, & titulo indigeat poſsibilibus, & impoſsibilibus qui ſi adſit ſimul probabit indigere ſciẽtia ex attributo divinæ Sapientiæ expoſcentis eſſentialiter cognoſcere quidquid eſt cognoſcibile; ſi vero deſit, pariter deficiet pro indigentia abſoluta ſcientia, quæ tantumerit conditionatè exacta ex parte Dei ex ſuppoſitione ipſi cõtingente de eo quod ſit obiectum. Qui modus procedendi comprobatur in contingentibus; v.g. in exiſtentia huius mundi de quo prius examinatur. An ſit aliquo titulo Deo neceſſarius, & non invento trãſimus ad deducendum, tam ſcientiam viſionis, quam decretum ipſius eſſe Deo contingentia, quod non accideret ſi prius inciperemus à ſcientia, comparando ipſam cum attributo ſimplicitatis, & indefectibilitatis, quo modo appareret hic mundus Deo neceſſarius, ne ſcientia, & decretum, quæ erga ipſum habet ipſi aliquomodo deficerent.

80 Obijcies nonò. Deus ex ſe, & ab intrinſeco infert, quod ſi poſsibile exiſtat ſit ſapiens, & ſi impoſsibile exiſtat ſit ignorans: ergo ex ſe & ab intrinſeco infert poſsibile poſſe exiſtere, & impoſsibile non poſſe exiſtere quomodo etiam infert poſsibile eſſe poſsibile, & impoſsibile impoſsibile: cõſequentia apparet legitima: nam ſi Deus ex ſe infert conſervationem ſuorum attributorũ ſub exiſtentia poſsibilis, & defectum alicuius attributi ſub exiſtentia impoſsibilis per ſe infert poſsibile quantum eſt de ſe poſſe exiſtere, & impoſsibile quantum eſt de ſe non poſſe exiſtere. Probatur antecedens quoad ſecundam partem difficilem: nimirũ: inferre, quod ſi impoſsibile exiſtat ſit ignorans. Nam Deus ex ſe infert, quod ſi impoſsibile exiſtat ſit falſo cognoſcens; ſed falſo cognoſcens eſt ignorans: ergo infert quod ſi exiſtat impoſsibile ſit ignorans. Probatur maior. Deus ex ſe infert, quod ſi exiſtat impoſsibile cognoſcat dari exiſtentiam, & non exiſtentiam, quæ clauduntur in exiſtentia impoſsibilis; ſed cognoſcere exiſtentiam tunc eſt falſo cognoſcere, cum cognoſcere exiſtentiam, quæ non eſt affirmando dari ſit falſo cognoſcere: ergo Deus ex ſe infert, quod ſi exiſtat impoſsibile ſit falſo cognoſcens.

81 Nil firmum eſt in hoc argumento, cuius ſubtilitas ab aliquibus proclamata levi conatu hebetatur. Tum quia vt in ſimili advertimus: medium aſſumptum connexionem Dei cum poſſibilibus, & impoſsibilibus non probat. Siquidem dato, & non conceſſo: Deum inferre ex ſe: ſapientem eſſe ſub exiſtentia poſsibilis, & ignorantem ſub exiſtentia impoſsibilis id non vetat ex parte Dei permittere, aut quod poſsibile, & impoſsibile commutent eſſentias, ita vt quod eſt modo poſsibile fiat impoſsibile, & quod eſt modo impoſsibile fiat poſsibile, aut quod vnum, & aliud extinguantur in ſuis conceptibus in vtroque enim caſu ſemper permaneret illa determinatio ex parte Dei, vt ſi poſsibile exiſteret permaneret ſapiens, & ſi impoſsibile exiſteret eſſet ignorans, quæ vtpote conditionalis terminative poſſet conſiſtere non purificata conditione, quam determinatio conditionalis non requirit in eſſe. Tum præcipuè: quia falſum eſt Deum ex ſe eſſe determinatum, vt ſi exiſteret impoſsibile eſſet ignorans: nam tunc eſſet omniſcius ſicut modò, nec haberet cognitionem falſam; ſed veram de vtroque contradictorio, quod tunc exiſteret, & ideo defectus exiſtentiæ, qui eſſet in illo caſu non redderet falſam cognitionem exiſtentiæ ex eo;

quod

quod ita excluderet existentiam, vt simul relinqueret, qua ratione maneret in intellectu divino vera vtraque scientia de existentia, & non existentia; non vero falsa aut scientia de existentia, aut scientia de non existentia, quæ non considerandæ sunt, sicut in casu possibili in quo existentia dividitur à sua carentia reddendo falsam affirmationē defectus, & carentia dividitur ab existentia reddendo falsam affirmationem existentiæ. Vnde ad formam, vel permitti, vel negari potest Deum habere ex se illam determinationem.

82 Obijcies decimò. Si Deus non connectitur cum possibilibus, & impossibilibus non salvatur in ipso conceptus Omnipotentiæ: ergo connectitur cum possibilibus, & impossibilibus. Probatur antecedens: si Deus non connectitur tantum potest id quod potest dependenter à conditione, quam non infert, scilicet *possibilitatis*, & tantum non potest id quod non potest dependenter à conditione quam non infert, nimirum *impossibilitatis*: sed in hoc non salvatur conceptus Omnipotentiæ: ergo si Deus non connectitur cum possibilibus, & impossibilibus, non salvatur in ipso conceptus Omnipotentiæ. Probatur minor. Non salvatur conceptus Omnipotentiæ in illa potentia, quæ arguit ignem; v. g. & quamcumque aliam creaturam esse Omnipotentem; sed illud posse, & non posse conveniens Omnipotentiæ inconnexæ arguit ignem, & quamcumque aliam creaturam esse Omnipotentem: ergo in illo non salvatur conceptus Omnipotentiæ. Probatur minor: quia sicut illud posse Dei est ad omnia sub conditione, quam Deus non infert, *quod sint possibilia*, ita ignis omnia potest producere, & conservare si *induant naturam ignis* non inferendo purificationem conditionis: & sicut illud non posse Dei est ad omnia sub conditione, quam Deus non infert, *quod sint impossibilia*, ita ignis est impotens ad omnia, quæ non habent naturam ignis, aut effectus sibi proportionati non inferendo purificationem conditionis huius, vt similiter dici potest sua proportione de quacumque alia creatura: ergo illud *posse*, & *non posse* conveniens Omnipotentiæ inconnexæ arguit ignem, & quamcumque aliam creaturam esse Omnipotentem.

83 Respondeo: maximam, & patentissimam esse disparitatem inter *posse*, & *non posse* Dei, & *posse*, & *non posse* conveniens igni, & cuicumque alij creaturæ, vt sub illo iure Deus dicatur Omnipotens, secus ignis, aut altera creatura. Primo ex amplitudine conditionis non restrictæ ad certam, & determinatam speciem; sed quæ per omnia entia, quæ possunt existere divagatur. Secundo ex natura conditionis, quæ est possibilitas termini: vnde verificatur, quod quidquid quomodocumque fieri potest debet procedere ab influxu sive positivo, sivè permissivo divinæ Potentiæ pro casu suæ existentiæ: ideoque talis potentia extenditur ad omnia, & sibi meritò arrogat rationem Omnipotentiæ. Tertiò ex independentia, quam habet posse divinum, quod non est ab alio acceptum; sed potius ab ipso omne aliud posse descendit. Quæ omnia, vt per se est manifestum, nec potentiæ ignis, aut cuiuscumque alterius creaturæ possunt convenire. vtpote, quæ vltra conditionem possibilitatis termini indiget alia conditione per contractionem termini ad propriam speciem, neque est potentia à qua reliqua omnia, quæ existant debeant procedere; sicut nec est independens in essendo cum sit à Deo accepta, qui potest illam tollere, & impedire. Similiter non posse Deo conveniens est sub præcisa conditione impossibilitatis, qua secluſa nihil aliud restat, vt terminus contineatur intra potentiam Dei; non sic in creatura, cui non sufficit terminum non esse impossibilem; vt virtus, & potentia ipsius ad illum extendatur.

84 Instabis Omnipotentia divina vltra conditionem possibilitatis termini etiam requirit aliquid aliud, vt sit potens absolutè ponere terminum: ergo ex hoc capite nulla est disparitas inter vnam, & alteram potentiam. Antecedens probatur: quia in sententia nostræ Scholæ consensus salutaris est possibilis sub libertate determinata constituta per auxilium supernaturale; & tamen sæpè Deus non est potens absolutè acquirere consensum salutarem à creatura: quia hæc sub tali libertate dissentit, aut prævidetur dissensura si talis determinata libertas ei à Deo conferatur: ergo Omnipotentia divina vltra conditionem possibilitatis termini etiam requirit aliquid aliud, vt sit potens absolutè ponere terminum.

Ref-

85 Respondeo: Hanc instantiam non pendere à sententia inconnexionis, cum æque cõprehendat connexionistas nostræ Scholæ, qui eandem difficultatem tenentur solvere, vt explicent conceptum Omnipotentiæ, & discrimen ipsius à potentia limitata, & finita. Insuper dico: me consulto non explicasse Omnipotentiam, dicendo solum indigere conditione possibilitatis termini, vt sit potens ad illud absolutè; sed solum indigere conditione possibilitatis, vt terminus si existat debeat procedere ab eius influxu, sivè positivo, sivè permissivo, vt præscindit ab eo, quod sola conditio possibilitatis sufficiat ad posse absolutum Omnipotentiæ, quod non requiritur, cum sufficiat, vt virtus divina dicatur Omnipotentia, quod sit talis, vt nihil valeat existere quin eius influxus ad ipsum extendatur. Ast vt difficultas præsens explicetur cum fructu pro alijs materijs. Sciendum: illam propositionem *est possibile, seu fieri potest: ergo absolutè potest fieri à Deo*, esse falsam in omni sententia, nec posse per illam explicari conceptum Omnipotentiæ: patet nam deficit in malitia formali peccati, quæ licet sit possibilis, & fieri possit; non tamen absolutè potest fieri à Deo: ergo vltra possibilitatem termini aliquid aliud est necessarium, vt Deus sit potens absolutè ponere terminum. Quare ergo dicitur Omnipotentia? Si quidquid fieri potest non potest facere. Est ne quia quidquid voluerit potest facere? Minimè: quia iste conceptus donec explicet, an velle divinum sit illimitatum, & possit respicere omnia possibilia non explicat quare Deus dicatur omnia potens, aut Omnipotens. Quid ergo est Omnipotentia? Iam dico: Omnipotentia est cuius influxus sensu iam explicato ad omnia possibilia extenditur, & insuper, quæ talis est, vt si quodcumque possibile existat debeat procedere ab ipsa, vt absolutè potente facere, aut permittere, quibus merito dicitur Omnipotentia, tum quia eius virtus extenditur ad omnia, quæ possunt fieri, tum quia nihil quod potest fieri potest existere nisi per aliquam potentiam absolutam Dei: vnde est potens absolutè ad omnia.

86 Ex quibus ad instantiam propositam dicendum verum esse, quod potentia divina in aliquibus effectibus possibilibus vltra conditionem possibilitatis indigere aliquo alio, vt denominet Deum potentem absolutè; at sola conditio possibilitatis sufficit, vt intelligatur determinatio, tàm ex parte possibilis, quam ex parte Dei, vt non possit existere nisi per potentiam absolutã ipsius: id autem non deficit in casu obiecto ex principijs nostræ Scholæ: nam licet intellecta sola possibilitate consensus salutaris sub determinata libertate nondum intelligatur potestas Dei absoluta ad talem consensum obtinendum à creatura; tamen intellecta sola possibilitate consensus salutaris sub determinata libertate, intelligitur determinatio tum ex parte consensus, tum ex parte Dei, vt si existat non aliter quam per potentiam absolutam Dei valeat existere: quomodo verificatur in casu existentiæ consensus salutaris sub libertate Deus est propriori potens absolutè ad obtinendum eundem consensum à creatura. Sic nihil simile invenitur in potentia creata, & manet semper discreta potentia divina in ratione Omnipotentiæ, ab omni altera virtute finita, & limitata.

CAPVT IV.

Solvuntur obiectiones alterius ordinis.

87 FECIMVS satis provt potuimus argumentis, quæ connexionem Dei absolutam, & sine limitatione vlla cum possibilibus, & impossibilibus suadere tentant. Restat nunc solvere ea quæ Authores mitioris connexionis Dei cum possibilibus, & impossibilibus proponunt conantes probare: Deum esse adstruendum connexum metaphisicè saltem cum aliquibus possibilibus, & impossibilibus. Pro quo obijciunt primò. Deus connectitur metaphisicè cum his veritatibus obiectivis, *Si existeret Petrus sine contradictione cognosceretur à Deo sic existens*, necnon, *si existat divina revelatio de existentia alicuius obiecti existet tale obiectum qualecumque illud fuerit*, & cum alijs huius generis, quæ excogitari possunt: ergo Deus non est adeo inconnexus cum possibilibus extra se, vt non patiatur connexionem cum aliquibus veritatibus sibi extrinsecis. Consequentia apparet recta siquidem illæ veritates non includunt præcisè

sè intrinseca Dei; sed aliquid extrinsecum, aut ex parte conditionis, aut ex parte conditionati, aut ex parte vtriusque: Antecedens probatur: quia si Deus pro casu quo Petrus sine contradictione existeret illum sic non cognosceret, non esset summe sapiens; si autem pro casu quo revelaret aliquod obiectum existere, istud non existeret, non esset summe verax: ergo non est Deus ex se componibilis cum defectu earum veritatum; proindeque ad prædictas veritates est essentialiter determinatus.

88 Respondetur: ex his, & similibus veritatibus obiectivis non probari connexionem vllam absolutam Dei cum aliquo à se distincto, & sibi extrinseco. Ratio est. Nam vel istæ veritates identificantur adæquatè cum Deo, vel inadequatè cum Deo, & inadæquatè cum aliquo extrinseco, vel adæquatè cum aliquo extrinseco? Si Primum: præcisè probatur connexio logica, quam Deus habet secum ipso, & quæ extra rem est ad intentum præsens. Si secundum, aut tertium: etiam non probatur connexio absoluta Dei cum aliquo sibi extrinseco; sed ad summum conditionatè, & ex suppositione quam Deus ex se non affert: nam Deus propter suam independentiam ab omni non ipso ex se permittit quodcumque obiectivum extrinsecum ita extingui in suo conceptu, vt nec possibile, nec impossibile, nec vllo modo, aut positivè sit in se affirmabile: quare nullam habet connexionem absolutam cum aliqua veritate obiectiva sibi extrinseca; sed si vellis dumtaxat ex suppositione, quod obiecta extrinseca maneant in se aliquomodo conceptibilia, quam suppositionem Deus ex se non affert; verum, vt sibi contingentem admittit.

89 Objciunt secundò: Deus per nos ex se, & essentialiter est inconnexus cum possibilibus, & impossibilibus: ergo est connexus cum aliquo possibili, & cum aliquo impossibili: propterea que eius inconnexio non est absolutissima cum omnibus possibilibus, & impossibilibus. Probatur consequentia. Si Deus ex se, & essentialiter est inconnexus cum possibilibus, & impossibilibus per se essentialiter repugnat connexioni cum possibilibus, & impossibilibus, & per se essentialiter est determinatus ad defectum necessarium talis connexionis: sed hoc est connecti cum aliquo impossibili, & cum aliquo possibili: ergo si Deus est ex se, & essentialiter inconnexus cum possibilibus, & impossibilibus est connexus cum aliquo possibili, & cum aliquo impossibili. Maior videtur certa. Nam si Deus ex se essentialiter non repugnaret connexioni cum possibilibus, & impossibilibus, ex se essentialiter posset habere talem connexionem: similiterque, si ex se, & essentialiter non afferret defectum connexionis cum eisdem extremis ex se, & essentialiter posset permittere, talem defectum non esse, & loco ipsius connexionem existere. Probatur minor: connecti cum aliquo, quod non possit deficere est connecti cum aliquo possibili, & connecti cum aliquo, quod non possit existere est connecti cum aliquo impossibili: sed si Deus per se essentialiter repugnat connexioni cum possibilibus, & impossibilibus, & per se essentialiter est determinatus ad defectum talis connexionis per se essentialiter connectitur cum aliquo quod non possit deficere, nempe *carentia connexionis*, & per se essentialiter est connexus cum aliquo, quod non possit existere, nempe *connexione*: ergo si Deus per se essentialiter repugnat connexioni cum possibilibus, & impossibilibus, & per se essentialiter est determinatus ad defectum necessarium talis connexionis; connectitur cum aliquo possibili, & cum aliquo impossibili.

90 Respondeo: Deum ex se, & essentialiter non habere aliam connexionem, nec aliam determinationem, quam ad se ipsum, & ad esse sibi sufficientissimum omni aliò extrinseco secluso: vnde nec habet connexionem absolutam cum eo quod connexio sit repugnans; nec cum eo quod defectus connexionis sit suo modo necessario existens. Quomodo hæc componantur cum essentiali inconnexione, iam insinuatum est in solutione præcedentis argumenti, & est doctrina generalis pro omnibus difficultatibus, quæ ad probandam aliquam connexionem restrictam Dei cum aliquibus possibilibus, & impossibilibus possunt occurrere. Itaque verum est Deum ex se, & essentialiter esse inconnexum: cæterum cum hoc numquam sit magi sve-

rum, ac quando connexio nullum habeat conceptum obiectivum, nec sit vllo modo affirmabilis, neque vt possibilis, neque vt impossibilis: inde ad summum infertur in Deo connexio quædam ex suppositione, quam ex se non affert cum impossibilitate connexionis nimirum si non extinguatur in suo conceptu obiectivo. Pariter considerandum est de carentia necessaria connexionis, quam Deus absolutè ex se non affert, nisi duntaxat ex suppositione, quod conceptus obiectivus connexionis non extinguatur taliter, vt nullo modo sit conceptibilis, quod si accideret, vt esse Dei ex se permittit, etiam extingueretur in suo conceptu obiectivo carentia talis connexionis, & quidem sine vllo detrimento ex parte sui, cum numquam melius se haberet independentia Deo essentialis, ac quando nihil extra Deum haberet conceptum obiectivum; Igitur ex inconnexione Dei nulla infertur connexio adhùc restricta ad aliquod impossibile, & ad aliquod possibile. Iam pro forma benè cognoscitur terminos esse *connexionem absolutam*, *& connexionem ex suppositione*, ex quibus illa neganda semper est, & ista concedenda.

91 Si replicent: esse impossibile, connexionem necessario non esse in Deo, nisi per defectum necessarium illius: insuperque, illud *extingui conceptus obiectivos* esse vnum ex impossibilibus, quod deberet semper manere: dicendum est omnia ista vera, attentis naturis rerum extrinsecarum Deo; secus attenta natura perfectissima entis à se completissimi, & sibi sufficientissimi, quæ ex se permittit, omnia illa quæ extra ipsam sunt, pati omnes illas inversiones; imò totalem extinctionem in suis conceptibus; ita vt nihil esset affirmabile, aut conceptibile extra Deum. Necessitas autem, quæ datur vt ita non fiat est necessitas extrinseca Deo, & ab ipso non exacta, taliter, vt si non esset idem in se perseveraret, qui nunc est iuxta amplitudinem illius assertionis ab ipso Deo prolatæ: *Ego sum qui sum*, ex qua innuitur permanentia quædam in esse excedens omnem aliam permanentiam, sivè existentialem, sivè quidditativam, & purè obiectivam cuiusvis ab ipso distincti, quæ non consisteret, si à defectu extrinsecorum valeret ad defectum Dei, sicut à defectu Dei ad defectum cuiusvis ipsi extrinseci, qualitercumque considerati.

92 Obijciunt tertiò: Deus est metaphisicè connexus cum suis attributis: ergo est metaphisicè connexus cum illo sine quo non possunt metaphisicè existere talia attributa; sed plura sunt Dei attributa, quæ sine aliquo Deo extrinseco existere metaphisicè nequeunt: ergo Deus metaphisicè connectitur cum aliquibus sibi extrinsecis. Maior est certa: quia Deus metaphisicè connectitur cum illo sine quo non esset summè perfectus, quomodo non esset si deficerent ei attributa, quæ censentur debita essentiæ perfectissimæ, & vlterius verum etiam est Deum esse metaphisicè inseparabilem ab omni quod metaphisicè afferunt ea attributa sine quibus metaphisicè non potest existere. Probatur minor: quia plura sunt Deo attributa, quæ vocantur negativa, vtpote importantia, vel constitutive, vel connotative aliquam negationem necessariam imperfectionis, quæ Deo competere nequit; sed hæc negatio necessaria est aliquid extrinsecum Deo ex doctrina generali circa negationes, & exclusiva formalia entium positivorum, quæ in positivo non possunt consistere: ergo plura sunt Dei attributa, quæ sine aliquo Deo extrinseco existere metaphisicè nequeunt. Probatur maior: ex attributis, quæ Deo attribuuntur *vnici, increati, impeccabilis, indefectibilis, incomprehensibilis*, & alijs huiusmodi, quæ important metaphisicè, aut constituuntur per negationem necessariam imperfectionis oppositæ, scilicet *pluralitatis, creabilitatis, peccabilitatis, defectibilitatis, & comprehensibilitatis*: ergo plura sunt Deo attributa, quæ vocantur negativa vtpote importantia, vel constitutive, vel connotative aliquam negationem necessariam imperfectionis, quæ Deo competere nequit.

93 Explicatur, & confirmatur primò prædicta difficultas: opponi metaphisicè cum vno extremo est connecti metaphisicè cum defectu formali illius; sed Deus metaphisicè opponitur cum *peccabilitate, creabilitate, pluralita-*

te

re, &c. ergo connectitur metaphisicè cum formali exclusivo talium defectuum: at illud est non esse, seu negatio illorum: ergo Deus metaphisicè connectitur cum eis negationibus. Secundò: si existerent tales imperfectiones; v. g. *alter Deus*; verus Deus deficeret: ergo verus Deus existere nequit sine defectu alterius Dei; sed id sine quo Deus existere nequit est terminus conexionis eius: ergo defectus alterius Dei est terminus connexionis metaphisicæ Dei cum ipso. Tertiò. Deus est ab intrinseco ita infinitè perfectus, vt si existeret in ipso aliqua ex imperfectionibus enumeratis non esset Deus: ergo vt sit Deus indiget ab intrinseco non esse eas imperfectiones; sed indigere ab intrinseco non esse eas imperfectiones est ab intrinseco esse inseparabilem à non esse talium imperfectionum: ac proinde esse ab intrinseco cum tali *non esse* connexum: ergo Deus ab intrinseco, & metaphisicè connexus est cum pluribus negationibus, quod est connecti cum pluribus possibilibus; nec solum cum pluribus possibilibus; verum etiam cum pluribus impossibilibus, patet: nam qui connectitur ab intrinseco cum negatione necessaria alicuius extremi, connectitur ab intrinseco cum eo quod tale extremum non possit existere, alias si permitteret posse existere, permitteret etiam negationem posse deficere, quomodo negatio non esset necessaria; sed Deus ex se, & ab intrinseco connectitur cum negationibus necessarijs illorum extremorum, quæ numeravimus; & aliorum, quæ numerari possent: ergo connectitur ex se, & ab intrinseco cum impossibilitate illorum.

94 Hoc argumentum si benè inspiciatur quæstionem præsentem aliò transfert, videlicet ad quæstionem diversissimam, & penitus ab hac independentem de rerum non esse; idest, quæ inquirit: in quonam consistat rerum defectus? Quod vt constet, pone me defendere cum Ribadeneyra, & alijs omne formale exclusivum, & non esse alterius consistere in entitate positiva incomponibili cum alia, sive hoc sit decretum Dei, sivè aliud positivum incomponibile, vt affirmare poteram sine præiudicio inconnexionis Dei, quam defendo. Quid de argumento cum suo apparatu confirmationum? Nam dicerem consequenter ad illa principia; verum esse Deum connecti metaphisicè cum exclusione illarum imperfectionum; at exclusivum formale ipsarum non esse quid distinctum à positiva entitate Dei incomponibili metaphisice cum peccato, cum altero Deo, & cum comprehensione sui extra se; quare non probat Deum connexum metaphisicè cum aliquo sibi extrinseco. En iam difficultatem translatam ad probandum, *non esse* formale rei positivæ non posse consistere in aliquo positivo incomponibili: quomodo frigescit satis obiectio, & vanæ redduntur impensæ factæ pro tuenda connexione Dei, & oppugnanda nostra sententia. Cæterum quia nostra sententia semper fuit, *defectum formalem* rerum positivarum non consistere in positivo incomponibili cum ipsis; sed in puro non esse earum, hoc prius animadverso, onus totius difficultatis assumimus, cui consequenter ad dicta in antecedentibus est dicendum.

95 Attributa illa negativa proposita, & alia, quæ proponi possunt non probare in Deo connexionem absolutam cum aliquo sibi extrinseco, vt est impossibilitas illarum imperfectionum, quæ de facto excluduntur à divino esse per carentiam necessariam, aut carentia ista necessaria, quæ de facto est exclusivum formale illarum: ratio est, quia dicta attributa salva omnino manerent extinctis penitus in suis conceptibus obiectivis illis imperfectionibus, ita vt nihil de ipsis esset affirmabile, aut negabile in quo casu non existeret carentia necessaria illarum, quæ ex se, & ab intrinseco exigit conceptum vllum illius, quod per ipsam excluditur, vt vere posset affirmari aliquid necessariò per ipsam excludi, & aliquid etiam in re per ipsam non esse; tunc enim Deus maneret distantissimus ab imperfectionibus, cum non præcisè essent ipsi impossibiles, verum nec conceptibiles: inde liquet determinationem quam Deus habet ad carentiam necessariam earum imperfectionum solum esse, ex suppositione *non extinctionis* in proprijs conceptibus, quam ex se non affert; sed permittit ex se non esse; connexio autem ex suppositione, vt sæpè dictum est nobis non nocet dum per argumenta

non probetur connexio absoluta de qua procedit quæstio.

96 Idem quod dictum est de connexione cum impossibilitate imperfectionum, & cum carentia possibili, & necessaria illarum; dicendum etiam venit de oppositione, & incompatibilitate cum eisdem imperfectionibus. Nam oppositio, & incompatibilitas Dei cum ipsis non est absoluta, & independens à conditione; verum ex suppositione, quod dictæ imperfectiones fixæ, & stabiles maneant in suis conceptibus, & quidditatibus, quibus secluſis, Deus ex se permittit, nulla esset oppositio, aut incompatibilitas, sicut, nec vlla convenientia, & compatibilitas, propterea quod nihil esset affirmabile, aut negabile per ordinem ad illos conceptus. Vnde patet ad primam, & secundam confirmationem arguentes connexionem absolutam cum carentia necessaria ex oppositione, & incompatibilitate Dei cum termino excluso per eam carentiam. Etenim connexio cum vno ex contradictorijs est pro modo oppositionis, & incompatibilitatis cum altero: ergo si oppositio, & incompatibilitas est tantum ex suppositione, connexio cum extremo opposito non absoluta; verum ex suppositione solummodo comprobatur. Ad tertiam dicendum: verum esse, quod si in Deo existeret aliqua ex illis imperfectionibus Deus non esset. Ast cum illæ imperfectiones quatenus est ex parte Dei dupliciter valeant deficere, vel per defectum necessarium, quo excludantur ab existere, vel per extinctionem totalem in suis conceptibus; per consequens non probatur Deus ex sua, & infinita perfectione determinate, & absolutè connexus cum carentia necessaria talium imperfectionum; sed tantum ex suppositione nō extinctionis.

97 Contra solutionem possunt insistere primò. Ergo Deus est ex se determinatus, vt vel existat carentia necessaria illarum imperfectionum, vel vt sit extinctio earum in proprijs conceptibus; sed hoc est esse Deum ex se determinatum ad aliquid sibi extrinsecum: ergo ex attributis negativis, quæ Deo competunt probatur determinatus ad aliquid sibi extrinsecum. Sequella videtur recta: nam in tantum iuxta nos Deus non exigit ex se determinatè carentiam necessariam imperfectionum in quantum ex se est componibilis cum extinctione conceptuum earum imperfectionum: ergo Deus est ex se determinatus ad disiunctum *extinctionis*, & *carentiæ necessariæ*: hoc autem est esse Deum ex se determinatum, vt vel existat carentia necessaria illarum impefectionum, vel vt sit extinctio earum in proprijs conceptibus. Iam probatur minor subsumpta. Disiunctum carentiæ necessariæ, & extinctionis est aliquid extrinsecum Deo, cum Deus intrinsece nec sit carentia necessaria imperfectionum, nec sit extinctio conceptuum illarum: sed Deus est determinatus ad disiunctum supposita illa sequella: ergo ea suppositа Deus est ex se determinatus ad aliquid sibi extrinsecum.

98 Respondeo negando sequellam, quæ in ratione consequentis falsa est, & in ratione consequentiæ male deducta: etenim licet verum sit, & benè deducatur ex nostra sententia, & modo respondendi, Deum ex se esse determinatum, vt si non sit destructio, & plena extinctio imperfectionum in suis conceptibus sit carentia necessaria earum; non tamen est verum, Deum ex se esse determinatum disiunctim, vt vel sit extinctio, vel carentia necessaria. Et ratio sumitur ex conditione ipsius extinctionis, quæ nullam capacitatem habet ad vllam affirmationem, aut denominationem, alias non esset plena extinctio, cum maneret aliquomodo affirmabilis, & conceptibilis, scilicet, vt terminus veræ exigentiæ, & veræ disiunctionis: igitur, vel debemus falli in concipienda extinctione conceptuum, vel debemus asserere non esse capacem dum sit, veritatis, aut falsitatis; ac proinde, nec exigentiæ, quæ esset tunc pro tunc, nec exigentiæ quæ sit nunc pro tunc, aut in Deo, aut in quavis alia entitate. Inde non confundenda; sed potius maximè discernenda est exigentia, quæ datur in Deo *carentiæ necessariæ imperfectionum* pro suppositione sibi contingente de eo quod *non detur extinctio*, ab exigentia qua disiunctim ex se petat, *vel dari carentiam necessariam, vel dari extinctionem imperfectionum.*

Nec

99 Nec obstat si immediatè vrgeant. A conditionali vera benè valere ad disiunctum carentiæ conditionis, & existentiæ conditionati, vt patet in hac conditionali vera, quæ exemplum potest esse pro omnibus, *si existat hæc determinata libertas existet consensus*, ex cuius veritate benè valet ad hoc disiunctum, *vel non existit hæc determinata libertas, vel existit consensus*: ergo si Deus est ex se determinatus ad hanc conditionalem veram, *si imperfectiones habeant suos conceptus obiectivos, sit carentia necessaria illarum*: pariter etiam erit ex se determinatus ad hoc disiunctum, *vel imperfectiones non habent suos conceptus, vel datur carentia necessaria illarum*. Non quidem obstat: quia illud tantum est verum, quando sub defectu conditionis potest perseverare veritas conditionalis; non vero quando cum defectu conditionis veritas conditionalis est incomponibilis, vt contingit in illa conditionali, *si imperfectiones habeant suos conceptus obiectivos sit carentia necessaria illarum*, quæ vera non potest permanere; imò nec falsa nec vllo modo sub defectu conditionis, qui est extinctio conceptuum obiectivorum imperfectionum, & quo dato, nullo modo essent assumptibiles, aut conceptibiles, neque vt existentes, neque vt deficientes tales conceptus. Quod explicari potest exemplo veritatis disiunctivæ in qua benè valet, & recte arguitur à negatione vnius extremi ad affirmationem alterius; sed quando? Semper ne ac sit vera disiunctiva? Minimè; sed solum quando exclusio vnius extremi non sit impedimentum veritatis disiunctivæ, vt cernere licet in hac veritate disiunctiva, *vel Deus non existit, vel Petrus existit*, quæ licet detur, vt talis veritas est quando Petrus existit; non ideo benè valet à *defectu Petri ad defectum Dei*.

100 Possunt insistere secundò. Per nos Deus est ex se, & ab intrinseco determinatus, vt si imperfectiones retineant suos conceptus obiectivos detur carentia necessaria illarum: ergo ex se, & ab intrinseco est determinatus, vt imperfectiones persistant in proprijs conceptibus; ac propterea, vt sint impossibiles. Probatur consequentia: si imperfectiones extinguerētur in proprijs conceptibus, non maneret in Deo determinatio intrinseca, vt *si manerent in proprijs conceptibus esset carentia necessaria imperfectionum*; sed Deus est ab intrinseco determinatus ad id sine quo determinatio ipsi intrinseca non maneret: ergo ex se, & ab intrinseco est determinatus, vt imperfectiones persistant in proprijs conceptibus. Probatur maior: si imperfectiones extinguerentur in proprijs conceptibus non potest manere in Deo id quod reddit imperfectiones aliquomodo conceptibiles; sed determinatio illa, *si manerent in proprijs conceptibus esset carentia necessaria imperfectionum* reddet imperfectiones aliquomodo conceptibiles vt per se est constans: ergo si imperfectiones extinguerentur in proprijs conceptibus non maneret in Deo determinatio intrinseca, vt *si manerent in proprijs conceptibus esset carentia necessaria imperfectionum*.

101 Respondetur: determinationem illam, vt *si maneant in proprijs conceptibus imperfectiones sit carentia necessaria illarum*, in tantum dici intrinsecam Deo in quantum dicitur intrinseca Deo scientia de quovis contingenti in sententia nobis probabiliori de constitutivo actuum divinorum contingentium per adæquatum intrinsecum Deo; non vero in sensu denotante non posse deficere Deo adhùc eo modo, quo possunt ei deficere, actus contingentes adæquatè intrinsecos: inde benè componitur ex vna parte, determinationem illam, vt *si maneant in proprijs conceptibus imperfectiones, sit carentia necessaria illarum* esse intrinsecam Deo, & ex intrinsecis adæquatè ipsius; & ex alia, quod in casu extinctionis conceptuum illarum imperfectionum, deficeret defectu proportionato denominationibus intrinsecis Deo, & ipsi contingentibus. Vnde subinfertur, determinationem illam si aliquando vocetur essentialis Deo, accipiendam esse eodem sensu, & modo, quo actus contingentes dicuntur essentiales ipsi, scilicet sub adhibitione terminorum *fundamentaliter realiter*, aut quoad *absolutum* iuxta diversitatem explicationum, & sententiarum; secus *terminative virtualiter*, aut *quoad respectivum*; quin sit in præsenti specialis difficultas contra nos, quæ non vrgeat contra omnes in alijs materijs.

102 Possunt insistere tertiò. Quod imperfectiones extinguantur in suis conceptibus est vnum ex impossibilibus, cum tam repugnans sit, *impossibile non esse impossibile* neque possibile, *nec vllo modo affirmabile*, aut *cognoscibile*; ac est

impoſsibile fieri poſsibile, aut *poſsibile impoſsibile*, propter neceſsitatem obiectivam, quam quodcumque habet, vt ſit id quod eſſentialiter eſt, & diſtinguatur ab eo, quod eſſentialiter aliud eſt: ergo extinctio conceptuum talis eſt, quæ ſi exiſteret eſſet, & non eſſet; maneretque in ratione impoſsibilis. Iam ſic: ergo Deus per extinctionem conceptuum nõ liberaretur à coexiſtendo impoſsibili: vnde ſemper manet in neceſsitate, vel coexiſtendi carentiæ neceſſariæ imperfectionum ſibi repugnantium, vel coexiſtendi *impoſsibili extinctionis*: quomodo vt per ſe innuitur nihil iuvare poteſt effugium extinctionis conceptuum, vt Deus liberetur à neceſsitate, & dependentia connexionis in coexiſtendo alicui ſibi extrinſeco.

103 Dicendum: attentis naturis rerum, & earum conceptibus non ex parte Dei; ſed ex parte neceſsitatis extrinſecæ, quæ datur, vt quodvis neceſſariò ſit id quod eſt, & neceſſariò diſtinguatur ab eo, quod non eſt, verum eſſe extinctionem conceptuum eſſe talem, quæ ſi exiſteret eſſet, & non eſſet, daretur que extinctio, & non daretur; cæterum id quod ex parte rerum extrinſecarum eſt neceſſarium, ex parte Dei eſt contingens: quia ex ſe permittit, quod talis neceſsitas non ſit, & quod conceptus *extinctionis* provt modo eſt immutaretur in ſe admittendo medium inter poſsibile, & impoſsibile, ita vt ſi eſſet pro modo ſuo præcisè eſſet extinctio conceptus; quin ſimul eſſet *non extinctio eiuſdem conceptus*, ſic *impoſsibile fieri poſsibile* attentis naturis rerum eſt vnum ex impoſsibilibus, quod ſi daretur eſſet, & non eſſet in ratione poſsibilis; at ſi conſideretur ex parte Dei poteſt eſſe ſimpliciter poſsibile cum nihil noceat divinæ perfectioni; imò ipſam maximè commendet, vt ſæpè diximus adeo independentem eſſe ab omni extrinſeco, vt ſi omnes conceptus neceſſarij commutarentur, aut penitus obrruerentur, quin aliquid vltra Deum maneret perceptibile, ipſa eadem infinita, & omnino immutata perſiſteret. Sic vt ita dicam, *ludit in externis divina eſſentia rebus.*

104 Poſſunt inſiſtere quartò. Deus modò cognoſcit, quod eſſet extinctio conceptus tunc quando exiſteret: ergo nunc habet cognitionem veram circa *extinctionem*, quæ tunc eſſet: ergo Deus eſt determinatus ex ſe, vt *extinctio conceptus* ſit impoſsibilis. Probatur hæc vltima conſequentia: Deus eſt determinatus ex ſe, vt non habeat cognitionem falſam: ſed vt non habeat cognitionem falſam opus eſt *extinctionem conceptus* eſſe impoſsibilem: ergo Deus ex ſe eſt determinatus, vt *extinctio conceptus* ſit impoſsibilis. Probatur minor. Vt Deus non habeat cognitionem falſam, ſcilicet circa *extinctionem conceptus*, quæ tunc eſſet, opus eſt quod *extinctio cõceptus* quando eſſet verificaret ſcientiam quam modo habet; ſed hoc eſt *extinctionem conceptus eſſe impoſsibilem*: ergo vt Deus non habeat cognitionem falſam opus eſt *extinctionem conceptus* eſſe impoſsibilem. Probatur minor: extinctionem conceptus eſſe verificativum quando eſſet, eſt *extinctionem cõceptus* habere conceptum verificativi quando nullum habet conceptum; ſed hoc eſt *extinctionem conceptus* eſſe impoſsibilem: ergo opus eſſe, vt *extinctio conceptus* quando exiſteret verificaret ſcientiam, quam Deus modo habet eſt *extinctionem conceptus* eſſe impoſsibilem.

105 Hæc inſtantia non minus premit connexioniſtas, quam nos: oſtendo ſub hac forma. Deus modo cognoſcit connexionem quam habet cum impoſsibilibus: ergo nunc habet cognitionem veram circa connexionem ſuam cum impoſsibilibus: ergo Deus habet cognitionem veram circa hoc, quod eſt: *Si exiſterent impoſsibilia Deus non eſſet*: ergo Deus eſt ex ſe determinatus, vt ſit verus Deus etiam exiſtentibus impoſsibilibus, quod eſt eſſe connexum, & non connexum de facto, ac proinde repugnans. Probatur hæc vltima conſequentia. Deus eſt ex ſe determinatus, vt habeat nunc cognitionem veram præ falſa circa hoc quod eſt *ſi exiſterent impoſsibilia Deus non eſſet*; ſed vt Deus habeat nunc cognitionem veram præ falſa circa hoc quod eſt, *ſi exiſterent impoſsibilia Deus non eſſet* opus eſt, Deum eſſe determinatum ex ſe, vt ſit verus Deus etiam exiſtentibus impoſsibilibus: ergo Deus eſt ex ſe determinatus, vt ſit verus Deus etiam exiſtentibus impoſsibilibus. Probatur minor. Deus habet nunc cognitionem verã præ falſa circa hoc quod eſt *ſi exiſterent impoſsibilia Deus non eſſet* ab eo quod tunc eſſet quãdo exiſterent impoſsibilia: ergo illud quod tunc eſſet quando exiſterẽt impoſsibilia deberet habere rationẽ *verificativi*, præ non *verificativo* huius

ſcien-

scientiæ, aliàs nunc non esset ab eo, quod tunc contingeret vera præ falsa scientia, quæ modo existit in Deo; sed hoc est Deum esse determinatum ex se, vt sit Deus verus, etiam existentibus impossibilibus: ergo vt Deus habeat nunc cognitionem veram præ falsa circa hoc, quod est *si existerent impossibilia Deus non esset*, opus est Deum esse determinatum ex se, vt sit verus Deus etiam existentibus impossibilibus. Probatur minor: Deus est ex se determinatus, vt existentibus impossibilibus, vel omnia repugnent, vel ipse non repugnet; patet, nam si aliquid non repugnaret repugnante Deo aliquid esset magis necessarium in sua possibilitate, quam ipse Deus; sed si id, quod contingeret quando existerent impossibilia esset verificativum præ non verificativo scientiæ, quę de facto vera præ falsa est in ratione verificativi non repugnaret, & esset simpliciter possibile: ergo illud, quod tunc contingeret esse verificativum præ non verificativo huius scientiæ, quæ de facto datur, est Deum ex se esse determinatum, vt sit verus Deus etiam existentibus impossibilibus.

106 Pro omnibus dicendum: in illis conceptibus obiectivis, qui per sui existentiã destruerent conceptum suum quidditativum, vt sunt conceptus *extinctionis, inintelligibilis, inverificabilis*, & illud memoratum *si existerent impossibilia Deus non esset*, duo esse necessaria: vnum, quod si existerent impediretur cognitio vera, quæ nunc de illo datur; alterum, quod scientia, aut cognitio vera, quæ nunc datur de illo, quod tunc contingeret verificetur vnicè à quidditate, quæ de facto suo modò datur, secus ab eo quod quando deponderent, suum statum quidditativum haberent. Vndè colligitur solutio difficultatis obiectæ: nam quamvis Deus modò cognoscat verè, quid esset extinctio alicuius conceptus si daretur, nullatenus hæc scientia habet pro verificativo extinctionem, quæ tunc esset; sed quidditatem extinctionis, quæ nunc est, & quę si extinctio esset, deficeret. Id cernere licèt in conceptu *inintelligibilis* de quo verè nunc Deus cognoscit quid esset suo modò si daretur, & tamen si in re esset suo modò, nec vnquam fuisset cognitio, quam nunc habet de *inintelligibili*, nec per consequens *inintelligibile*, quod tunc esset haberet rationem verificativi scientiæ, quæ de facto datur: non ergo Deus in vi determinationis, quam ex se habet, vt non cognoscat falso probatur connexus cum impossibili *extinctionis*. Hæc omnia, quæ proposuimus difficilia satis sunt, & diligenter attendenda; at tota difficultas provenit ex conditione ipsa conceptuum impossibilium, non ex independentia Dei ab omni non ipso, quæ optimè se habet ex se cum extinctione reliquorum omnium, quidquid sit, an ab extrinseco sit impossibilis.

107 Obijciunt quartò: nimis inhærentes ponderationibus illis iam supra memoratis, scilicèt desumptis ex attributis Divinæ *liberalitatis, beneficentiæ, misericordiæ, & dominij*, quæ omnia impedita manerent extrinsecè a suis exercitijs: ac propterea Deus quatenus est ex se posset manere solitarius, sine vllo cultu, & honore, vt apparet esse Deo indignum, & indecorum; non secus ac esset in humanis Rex, qui conservato titulo, careret aliunde subditis, veneratione, & dependentia, taliter vt solum apud se, & apud propriam existimationem Rex, & Dominus haberetur: ergo vt hæc evitentur, & illis satisfiat, opus est concedere in Deo connexionem metaphisicam, si non cum omnibus possibilibus, saltem cum aliquibus: quomodo nec erit Deus tam dependens, vt alij volunt, nec tam independens, & exemptus, vt nos intendimus.

108 Dum similes obiectiones video, miror apud viros doctos potuisse invalescere iudicium quo existiment dependentiam ab extrinseco, & non sufficientiam per sola intrinseca esse prædicatum adeò æstimabile, & sine quo nequeat consistere divina perfectio, quando tam insitum est omnibus, & ab experientia ipsa edoctum nihil tam deterius, & vilius, quam dependentia ab alio inferioris ordinis; præcipuè attestante Sacro textu, & terminis absolutissimis, nobis proponente divinam excellentiam, vt discretam primario ab omni non ipsa sub conceptu *independentis, non egentis, & per sola intrinseca sibi sufficientis*. Nec minus mirabile nobis est, ipsis non occurrere aliqua, quæ ipsorum exagerationes evertunt. Vt sunt: primò, quod apud plures ipsorum repugnat creatura, tàm permanens, quàm successiva ab æterno: vndè Deus est determinatus ex se, vt per totam æternitatem à parte ante sit sine exercitio aliquo illorum attributorum, & quidem non ex acci-

accidenti sibi extrinseco; sed ex impotentia intrinseca: quomodo si ponderationes factæ vigent, tenentur concedere Deum quendam insulsum, & quasi avidum durationis finitæ, vt aliquid possit, & torporem attributorum excutiat: adhibeantque paritatem Regis cuius medium tempus deberet esse sine subditis, sine veneratione, & sine exercitio aliquo dominij. Secundò: prædictas perfectiones in sua sententia optimè componi cum carentia omnis exercitij, vt iam alibi notavimus, quia Deus nullam habet necessitatem producendi aliquid extra se: quare si nihil produceret, nullum aliud haberet exercitium præter illud liberum non producendi. Nec vllum haberet cultum, nullam haberet venerationem, nullos haberet subditos, & tantum apud se esset cognitus: reclament ergo paritatem Regis, qui sic se gereret, & concludant: Deum non modo esse connexum cum possibilibus, verum cum existentibus. Si autem benè componunt, *beneficum*, *liberalem*, *misericordem* sine vllo exercitio quando adest potentia, componant etiam, aut saltem apprehendant, benè componi prædictas perfectiones cum omnimoda independētia, & cum repugnantia extrinseca ex defectu materiæ, quomodo vilitas huius ostenditur, & excelentia illarum extolitur.

109 Ideò dicendum, quod sicut perfectio divina non requirit exercitia illorum attributorum, nec vllam rem extra se, vt optimè, & fœliciſsimè se habeat: quia omnem fœlicitatem, & perfectionem à possessione sui esse infiniti obtinet; ita neque ad suam excellentiam exigit habere potentiam expeditam ad similia exercitia quando impedimentum non provenit ab eo quod in operando cohibeatur ab alia potentia superiore; verùm solummodo à repugnantia ipsa materiæ, & subiecti circa quæ versari debent exercitia: sic enim, nec in minimo deficit perfectio Dei, & attributorum; imò quam depurata sit ab omni imperfectione ostenditur. Pro quo facit dictum illud Ambrosij, Epist. 37. ad Chromatium expendentis verba illa Apostoli ad Hebræos 6. *Impossibile est Deum mentiri*, & aientis: *Impossibile istud (seu impotentia ista) non infirmitatis est; sed virtutis, & maiestatis*: vndè ad rem satis se explicat Bellovisius in sua explicatione termin. tractatu 2. cap. 9. apud Rainaudum in Theologia naturali, distinct. 8. quæst. 5. articul. 1. appositè inquientis: *Cum aliquis dicitur posse docere Philosophiam propositio non reditur falsa ex eo, quod non possit docere Asinum: quia hic non est defectus potentiæ in Magistro; sed capacitatis in Asino.* Inde elucet quam absre sit paritas adducti Regis creati, cuius magna pars splendoris, & fœlicitatis cōsistit in externis, quin sibi sit sufficientissimus; imò potius à se, & per se valdè infœlix si deficiant auxilia extrinseca.

110 Hæc sunt fundamenta, libera provt potuimus à difficultatibus adversis, quæ pro stabilienda omnimoda, & absolutissima supremi Numinis independentia à Philosophia ipsa nobis occurrerunt, quæ si sint alicuius roboris alij videant: forsan ex genio, vt alibi dixi independentia placet; Restabat nunc solvere argumenta alia, quæ contra secundam, & tertiam conclusionem hypotheticam objici valent: verum quia ista iam sunt soluta disputatione præcedenti, cap. 4. ab ipsis in præsenti abstinemus: legantur ibi dicta, & mutua correspondentia vnius, & alterius disputationis in promptu sit pro maiore luce cuiusvis.

DISPV-

JHS.

DISPUTATIO DECIMA.

QVOT MODIS SCIENTIA DEI in communi dividatur.

CAPVT I.

Prima divisio in Scientiam simplicis intelligentia, & visionis.

1 DEI Simplicissima scientia, vt notavit Ruiz, disputatione 2. sectione 7. dividi potest multipliciter, iam pro varietate obiectorum, iam pro diverso modò, quo terminatur ad obiecta, iam pro varijs muneribus, quæ circa obiecta cognita exercet. Nec constans est apud omnes præcipuè antiquos idem modus dividendi ex diversa acceptione terminorum, ex qua sæpè numero cum convenientia in re oritur disidium pure vocale, & divisio ab vno tradita reijcitur ab altero: omissis ergo divisionibus minus frequentibus, in quibus enumerandis tempus sine fructu insumeretur, communiores tantùm designabimus, & quæ apud Theologos post D. Thomam communius vsurpantur, quibus expensio facilè erit alias, si quando apud Authores inveniantur, ad traditas reducere, aut ex eis exponere, & intelligere.

2 Prima igitur celebris divisio est in scientiam *visionis*, & *simplicis intelligentiæ*, huius meminit Angelicus Doctor in præsenti articulo 9. ibi: *Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ quæ tamen, nec sunt, nec erunt, neque fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis; sed simplicis intelligentiæ*: tum etiam in 3. dist. 14. quæstione 1. articulo 2. §. *ad quæstionem secundam*, dicens: *Duplex distinguitur in Deo cognitio: vna, quæ dicitur visionis scientia, per quam Deus cognoscit illa, quæ aliquando existunt; alia autem, quæ dicitur simplicis intelligentiæ per quam scit Deus non solum illa; sed etiam omnia, quæ potest facere; numquam autem faciet.* Similiter libro 1. contra Gentes, cap. 66. §. 7. & de veritate, quæst. 2. ad 2.

3 Scientia *simplicis intelligentiæ* ea dicitur, quæ attingit suum obiectum præscindendo ab eo, quod existat; vel non existat, non quia ex se permittat obiectum suum, neque existere, neque non existere; sed quia ex se non potius requirit existentiam; quàm non existentiam illius, ita taliter, vt modus tendendi pertinens ad talem scientiam æque sit componibilis cum existentia, ac cum non existentia sui obiecti; nec aliter quàm ex suppositione potius requirat existentiam, quàm non existentiam, aut non existentiam; potius quàm existentiam sui obiecti. Hinc præcisio ab existentia, & nō existentia sui obiecti, quam in suo conceptu dicit hæc scientia, est tam in essendo, quam in repræsentando præcisio vniversalitatis, & non inclusionis, secus exclusionis. Constat primum ex eo, quod tam in essendo, quam in repræsentando sit componibilis cum existentia, aut non existentia obiecti, & cum repræsentatione obiecti, & non repræsentatione obiecti, sive vt existentis, sive vt non existētis, & aliunde, neque determinatè requirat existentiam aut non existentiam obiecti, neque repræsentationem existentiæ, aut non existentiæ obiecti pro suo signo, quod est præscindere, tā in essendo, quàm in repreſentando præcisione vniversalitatis, & non inclusionis. Constat secundum: quia neque opponitur existentiæ sui obiecti, neque non existentiæ illius, sicut neque repræsentationi existentiæ, neque repræsentationi non existentiæ, quod est formalissimè non præscindere præcisione exclusionis.

Scien-

4 Scientia *visionis* appellatur illa, quæ tendit in suum obiectum non præscindens ab existentia, vel non existentia illius, ita taliter, vt determinatè illud respiciat, aut tanquam existens, aut tanquam non existens. Inde constat discrimen à *scientia simplicis intelligentiæ*. Siquidem hæc eadem permanere potest ob suam præcisionem ab existentia, & non existentia sui obiecti, obiectis, quæ nunc non existunt, existentibus, aut obiectis, quæ nunc existunt, non existentibus: non sic scientia visionis, quæ propter alligationem ad existentiam, aut non existentiam sui obiecti, provt in rebus fuerit, existente obiecto, quod modò non existit, aut non existente, quod modo existit eadem permanere non potest. Ratio autem quare scientia sic non præscindens ab existentia, & non existentia sui obiecti dicatur *scientia visionis* ea est, quam tradit D. Thom. in præsenti art. 9. Inquiens, quod ideo dicitur: *quia ea, quæ videntur apud nos habent esse distinctum à vidente*, quasi diceret cognominari *scientiam visionis* per ordinem ad nostrã corporalem visionem, quæ nullo modo attingit obiectum suum præscindendo ab existentia illius.

5 Terminos *simplicis intelligentiæ, & visionis* aliter vsurparunt Antiquiores Theologi Divo Thoma: nam per *simplicem intelligentiam*, aut notitiam diuini intellectus significabant scientiam illam divinam, cui non subiungitur diuina volitio, aut divinum beneplacitum, vt fiat, & exequutioni mandetur obiectum, quod per talem notitiam repræsentatur: vndè scientiam *simplicis intelligentiæ* accipiebant, provt contradistinctam à scientia *approbationis* de qua postea, & provt confunditur cum scientia *visionis* siquidem plura sunt, quę Deus cognoscit non præcisivè ab existentia eorum, vt sunt peccata, respectu quorum saltem pro formali non habet adiunctam volitionem, aut beneplacitum. Visionem etiam accipiebant latissimè, & provt opponitur cognitioni impropriæ, & abstractivæ, quomodo sub scientia *visionis* comprehenditur omnis divina notitia quæ sivè cognoscat suum obiectum *præcisivè*, aut *non præcisivè* ab existentia, semper cognoscit propriissimè, & non *abstractivè*, aut impropriè.

6 Huic frequentissimæ acceptioni *visionis, & videndi*, vtpotè repertæ in Patribus attendens Angelicus Doctor. quæstione 2. de veritate, articulo 9. ad 3. monuit: *Nihil prohibere aliquando omnem scientiam divinam visionem dici, aliquando verò solam illam, quæ est præsentium, præteritorum & futurorum*: vbi videtur approbata diversa acceptio *visionis*, iam pro cognitione propria, & non habita per species alienas, aut repræsentante rem aliter ac est, qua ratione omnem divinam notitiam comprehendit, iam pro cognitione non præscindente ab existentia sui obiecti, quomodo formaliter omni notitiæ Dei accomodari nequit.

7 Quæritur primò. *An scientia simplicis intelligentiæ, & visionis differant ex obiecto, vel solum ex modo tendendi?* Communis sententia nostrorũ negat differre ex obiecto, pro qua stant Herice, prima parte, disputatione 5. capite 6. Albiz, disputatione 4. Arriaga, disputatione 22. Cardinalis de Lugo, in manuscriptis, disputatione 4. sect. 5. Quirós, disputatione 45. sectione 6. Ribadeneyra, disputatione 10. de scientia, capite 4. Herrera, quæstione 9. de scientia, sectione 1. & generaliter quotquot sentiunt essentiam, & possibilitatem rerum non distingui ab existentia earum. Affirmat pugnacissimè Izquierdo, tum in Pharo, disputatione 10. quæstione prima, propositione 5. tum disputat. 23. de scientia, quæstione 5. divisione 4. cæterùm, cum iam dicat veritates illas obiectivas esse aliquomodo tantum diversas, iam inde non argui distinctionem realem inter vnam, & alteram veritatem, timeri iure potest, ne ad voces quæstio declinet. In eadem sententia sunt omnes illi qui possibilitatem, aut quidditatem rerum ab existentia distinguunt, quibus adscribendus est noster Lince, quamvis hic tantum distinctionem virtualem inter obiectum vnius, & alterius scientiæ admittat.

8 Dicendum cum prima sententia: *scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis* non diversificari ex obiecto; sed idem omninò obiectum attingere. Probatur primò ad hominem contra Izquierdo: nam iuxta ipsum diversitas, quę datur inter virtutes obiectivas, quæ ad vnam, & aliam ex his scientijs pertinent non obstat, vt prædictæ veritates eidem obiecto realiter identicè conveniant: ergo nec obstat, vt dictæ veritates sint idem realiter inter se; sed diversitas illa, quæ non impedit indentitatem realem di-

diversorum inter se, aut non est vera diversitas, aut si vera diversitas est, non sufficit, vt impediat veritatem attactam per vnam scientiam attingi per aliam, aut veritatem obiectivam pertinentem ad vnam pertinere ad aliam: patet nam quando obiectum vnius scientiæ non distinguitur realiter ab obiecto alterius, idem, quod est obiectum vnius, est obiectum alterius: ergo *scientia simplicis intelligentiæ* non distinguitur in obiecto à scientia *visionis*, ac per consequens idem, quod per vnam attingitur, attingitur per aliam.

9 Probatur secundò vniversaliùs. Scientia simplicis intelligentiæ proponit suum obiectum, vt non repugnans, & vt determinatum ad talem quidditatem; sed id, quod non repugnat, aut determinatum est ad talem quidditatem, est identice idem, quod existit, & quod per scientiam visionis attingitur: ergo scientia *simplicis* intelligentiæ idem obiectum attingit, quod attingit scientia visionis. Probatur minor. Id quod existit, per se identicè est id quod est, & per se identicè distinguitur ab omni non ipso: vlterius per se identice excludit suum contradictorium; sed id quod per se identice est id, quod est, distinguiturque ab omni non ipso, & per se identicè excludit suum contradictorium, per se identicè est determinatum ad talem quidditatem, & per se identice est possibile, quod est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ: ergo id, quod non repugnat, aut determinatum est ad talem quidditatem, est identice idem, quod existit, & quod per scientiam visionis attingitur.

10 Confirmatur. Omne quod existit, & quod per scientiam visionis attingitur, aut est possibile, & determinatum per se ad talem essentiam, & quidditatem, aut per aliquid distinctum? Si per se ipsum independenter à quovis distincto: ergo id ipsum, quod est possibile, & determinatum ad talem quidditatem est id, quod realiter existit: si per aliquid distinctum: ergo ipsum existens, provt sic distinctum ab omni non ipso, est per se non repugnans, & per se determinatum, vt sit id, quod est; sed provt sic determinatum, & sic non repugnans est obiectum *scientiæ simplicis intelligentiæ*, & simul *scientiæ visionis*: ergo demum vincitur quidquid difficultatis potest esse in eo, quod obiectum vtriusque scientiæ sit idem.

11 Probatur tertiò: quia *scientia simplicis intelligentiæ*, vt post videbimus, est scientia practica, & quæ Deum dirigit ad efficiendum suum obiectum; sed scientia practica, & directiva ad efficientiam sui obiecti, id ipsum repræsentat, quod in re efficitur, aliàs non rectè dirigeret, cum aliud ostenderet, & ad aliud terminaretur: ergo *scientia simplicis intelligentiæ* respicit pro obiecto id ipsum, quod in re efficitur, & existit; sed id, quod in re efficitur, & existit, est obiectum attactum per *scientiam visionis*: ergo obiectum, quod attingitur per scientiam visionis, idem est, ac illud, quod attingitur per scientiam *simplicis intelligentiæ*. Confirmatur *posse habere existentiam* non potest attingi, quin attingatur existentia, vt potens convenire subiecto, & subiectum, vt potens habere existentiam; sed subiectum potens habere existentiam est idem subiectum, quod in re suscipit existentiam, & existentia potens convenire subiecto est existentia ipsa, quæ in re convenit subiecto, quæ duo attinguntur per scientiam *visionis*: ergo idem, quod attingitur per scientiam visionis, attingitur per scientiam *simplicis intelligentiæ*. Indè rectè intulit Herrera, quid impertinens esse distinctionem rei possibilis ab existentia ad probandam distinctionem inter obiectum scientiæ *simplicis intelligentiæ*, & *visionis*: nam quod illa duo distinguantur inter se, non impedit vtrumque attingi per quamvis scientiam.

12 In contrarium objiciuntur omnia illa fundamenta, quibus communiter intenditur probare distinctionem possibilitatis, & essentiæ ab existentia, quorum præcipua pro nunc sunt. Primum: statum rei possibilis esse separabilem ab statu existentiæ, vt constat in omnibus illis, quæ remanent intra statum puræ possibilitatis sine transitu ad existentiam; sed ea quæ sunt separabilia distinguuntur: ergo status possibilitatis, quem respicit scientia *simplicis intelligentiæ*, distinctus est ab statu existentiæ, quē respicit *visio*. Secundum: quia si obiectum vtriusque scientiæ esset omninò idem, quando obiectum est proportionatum ad vnam scientiam, & veritatem illius, scilicèt, *simplicis intelligentiæ*, esset etiam proportionatum ad aliam, & ad veritatem illius scilicèt *visionis*: sed non semper ac obiectum est proportionatum

tum ad vnam ſcientiam, & ad veritatem illius, ſcilicèt: *ſimplicis intelligentiæ*, eſt proportionatum ad aliam ſcientiam, & veritatem illius ſcilicèt: *viſionis*, vt innegabile eſt in omnibus illis, quæ Deus cognoſcit, vt poſsibilia; quin ea cognoſcat, vt exiſtentia: ergo veritas obiectiva, & proportio illius ad vnam ſcientiam, diſtincta eſt à veritate obiectiva, & proportione illius ad alteram ſcientiam. Indè tertium: quia ſi Deus de Petro purè poſsibili iudicaret eſſe poſsibilem, & eſſe exiſtentem, primum iudicium eſſet verum, & ſecundum falſum non ob aliam rationem, niſi quia Petrus re ipſa habet in ſe eſſe poſsibilē, vti aſſeritur per primum iudicium, & non habet eſſe exiſtentem, vti aſſeritur per ſecundum; ergo quid diverſum re ipſa eſt in Petro eſſe poſsibilem, quod eſt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & eſſe exiſtentem, quod eſt obiectum ſcientiæ viſionis; ſiquidem primum eſſe re ipſa habet non ſic ſecundum.

13 Hæc, & alia quæ, quoad normam ipſorum formari poſſunt, & ſatis ſunt quoad aſpectum difficilia, patiuntur inſtantiam ab omnibus ſolvendam in ipſo ſtatu abſoluto, cui competit, provt diſtincto ab omni non ipſo, ſua poſsibilitas, quidditas, & exiſtentia: vel hæ ergo inter ſe rurſus diſtinguuntur, vel identificantur? Si identificantur: ecce contra talem identitatem omnia argumenta propoſita, quorum ſolutio data, erit ſolutio accepta: ſi rurſus diſtinguuntur: in quocumque diſtincto inſtauratur argumentum, ſiquidem cuicumque illi, provt diſtincto ab omni non ipſo, convenit ſua poſsibilitas, quidditas, & exiſtentia, quæ ſi iterum diſtinguantur, erit res quævis ex parte rei in infinitum diviſibilis adhùc metaphiſicè conſiderata: vndè tota compoſitio metaphiſica vertetur in phiſicam interminabilem.

14 Quare omnibus reſpondendum eſt doctrina obſervata, diſputatione 4. pro actibus contingentibus Dei, vbi notavimus: ea ſeparari in ſuo eſſe, qualecumque ſit, quibus non convenit conformitas in eſſe, nec vnum deficit ſicut alterum deficit, nec vnum permanet, ſicut alterum permanet; quando vero, & ſi vnum vno modò deficiat, alterum eodem modo deficit; aut ſi vnum permanet, alterum eodem modò permanet: tunc non datur ſeparabilitas in eſſe, aut argumentum vllum diſtinctionis. Et ratio eſt: quia non poteſt dari diſtinctio inter vnum, & aliud eſſe, quando datur ſumma conformitas in prædicationibus quoad eſſe vnius, & alterius; at quando vnum deficit modo, quo alterum deficit, & permanet modo, quo alterum permanet, datur ſumma conformitas in prædicationibus quoad eſſe vnius, & alterius: ergo nulla intervenit ſeparabilitas, aut ratio diſtinctionis vnius ab alio.

15 Vndè ad primum negatur, ſtatum poſsibilitatis ſeparari ab ſtatu exiſtentiæ ex eo, quod res aliquæ ſint purè poſsibiles, & non exiſtentes abſolutè: nam tunc, & ſi deficiat exiſtentia abſoluta in ratione exiſtentis *abſolutè*; permanet tamen in ratione non repugnantis, & potentis exiſtere: quomodo manet poſsibilitas; & poſsibilitas & ſi permaneat in ratione non repugnantis, & potentis exiſtere; deficit tamen in ratione exiſtentis abſolutè quomodo vniformiter ſe habent in eſſendo exiſtentia, & poſsibilitas, quidditas, & exiſtentia: ac proinde nullam inter ſe habent ſeparabilitatē arguitivam diſtinctionis, quamque explicuit Ariſtoteles loco citato, *quando contingit vnum ſine altero eſſe* taliter, vt modò, quo vnum deficit, alterum exiſtat, & modò, quo vnum exiſtit, alterum non permaneat.

16 Ad ſecundum reſpondetur: malè probari diſtinctionem obiecti vnius, & alterius ſcientiæ ex improportione, quam dicit ad vnam; ſecus ad alteram, cum idem omninò obiectum, quia non eſt præcisè realiter in vno ſtatu; ſed in alio, quod poteſt habere, & non habere, poſsit eſſe iam proportionatū ad vtramque ſcientiam; iam ad vnam ſolam: modò quo idem obiectum *Animal rationale*, quod attingitur per cognitionem *Animal*, & per cognitionem *rationale*, poteſt eſſe proportionatū, dum eſt à longe, pro hac cognitione *Animal*, & non pro hac cognitione *rationale*. Vndè malè etiam arguitur ab identitate obiecti ad proportionem pro vna, & altera ſcientia. Si replicēt, proportiones ſaltem vnius obiecti debere diſtingui, cum vna deficiat altera exiſtente. Reſpondebo: vnam proportionem deficere eodem modò, quo altera deficit, & vnam exiſtere eodem modo, quo altera exiſtit: deficit enim vtraque proportio in ratione terminantis ſcientiam *viſionis*; & vtraque exiſ-

existit in ratione terminantis scientiam *simplicis intelligentiæ*, modò, quo in exemplo appositò *Animalis, & rationalis* vtrumque deficit in ratione terminantis cognitionem *rationale*, & vtrumque existit in ratione terminantis cognitionem *Animal*.

17 Ad tertium respondetur: verum esse, quòd si Deus iudicaret de Petro purè possibili esse existentem, falsum futurum iudicium: ideòque ipsi repugnans, quod stare non potest sine defectu veritatis obiectivæ, quæ correspondeat tali iudicio; cæterum, cum ille modus deficiendi non arguat disconformitatem in esse cum illo, quod remanet, scilicèt, cum possibilitate obiecti: quia vtraque, idest *possibilitas, & existentia* deficiunt in verificando illud iudicium *est existens*, & vtraque permanet in ratione verificantis aliud: *est possibile*, nec arguere potest distinctionem, quæ, vt diximus, sine disconformitate prædicationum stare nequit; aliàs, quæ semper sunt determinata, vt eodem modò se habeant taliter, vt vtrumque sit subiectum cuiusvis affirmationis, aut negationis, possent esse distincta, quod est chymæra. Demum, vt quidquid difficultatis in hac materia occurrerit, suavius fiat, memorentur instantiæ factæ, & cui non placuerit solutio, exigatur, vt placeat,

18 Quæritur secundò. *An scientia visionis dicenda sit scientia seu notitia intuitiva?* Ratio dubitandi est: quia extremum correlativum *notitiæ, seu scientiæ intuitivæ, est notitia, seu scientia abstractiva*: ast, vt vidimus ex vsurpatione Patrum, & Scholasticorum, approbante Divo Thoma, omnis scientia Dei appellari potest *visio provt visio* contraponitur *notitiæ abstractivæ, & impropriæ*: ergo nulla scientia Dei reputari debet *intuitiva*: ac per consequens, nec *scientia visionis*; ne aliter notitia alia *simplicis intelligentiæ*, aut quæ *visionis* rationem non participet, dicenda sit *scientia*, aut *notitia abstractiva*.

19 Dicendum nihilomius est: *Scientiam visionis* strictè, & propriè acceptam, & non in significatione illa latissima, qua diximus comprehendere omnem divinam notitiam, converti cum *scientia intuitiva*, aut cum intuitione sui obiecti. Ratio est: quia intuitio obiecti ea dicitur, quæ cum cognoscat obiectum propriè, & provt est in se, quod generale est omni diuinæ notitiæ, vlteriùs terminatur ad suum obiectum, provt existens; sed *scientia visionis* præter attingere suum obiectum propriè, & provt est in se, terminatur ad illud provt existens, cum ab existentia illius minimè præscindat: ergo *scientia visionis* eadem est formaliter cum *notitia, & scientia intuitiva*.

20 Distinguit tamen Ruiz, disputatione 17. section. 5. num. 9. in ipsa *scientia visionis*, provt terminatur ad obiectum creatum, & provt terminatur ad ipsum Deum, & inquit: *scientiam visionis*, provt terminatur ad obiectum creatum, esse propriè *intuitivam*; sed non propriissimè, & perfectissimè *intuitivam*; at, provt terminatur ad obiectum increatum, seu ad ipsum Deum, esse non modò propriè, & perfectè; verùm propriissimè, & perfectissimè intuitivam. Motivum distinctionis ipsi est: quia scientia perfectissimè intuitiva fertur immediatè in rem, quam intuetur, & specificatur ab illâ, tamquam ab obiecto formali, quod non habet scientia divina, provt fertur in creaturas existentes: namque non fertur in ipsas immediatè, & ratione sui; sed ratione scientiæ divinæ, à qua sumit speciem: ac per consequens constituitur in ratione talis, & distinctæ specifice à scientia abstractiva. Cæterùm de hac differentia non est curandum in nostris principijs supra statutis, ex quibus constat: scientiam divinam etiam, provt terminatam ad creaturas, respicere pro motivo veritatem obiectivam ipsarum, & inde sumere speciem, si non formaliter, & intrinsecè, saltem arguitivè, & extrinsecè. Prætereaque datis his omnibus, quæ hic Author intendit, nil nisi purè vocale, & ad arbitrium dictum videtur remanere.

21 Ad rationem dubitandi suprà adductam planè concedit Eximius Doctor, libro 3. de attributis Dei positivis, capite 4. num. 2. scientiam Dei, quæ non sit visionis vocandam esse scientiam *abstractivam* ly *abstractivam* sano modò intellecto, & provt non sonat scientiam impropriam, & per alienam speciem habitam, vndè procedat notitia rei aliter ac est, seu ad modum alterius; sed scientiam præcisivam ab existentia sui obiecti modò iam dicto. In qua nulla est imperfectio; imò potius summa proportio ad cognoscibilitatem obiecti ha-

bentis in ſe, & in prædicatis ſuis quidditativis præciſionem ab exiſtentia abſoluta abſolutè ſumpta, cui non conformaretur divina mens in repræſentando, ſi ſub ſimili præciſione, quam in ſe habet, non attingeret. Vndè conſtat: ſcientiam viſionis in Deo eſſe abſque inconvenienti admittendam vt correlativam ſcientiæ abſtractivæ, dummodo ſcientia hæc depuretur ab omni imperfectione, & cum notitia impropria, & repræſentativa rei aliter ac eſt non confundatur. Eàndem diviſionem ſcientiæ divinæ in *intuitivam*, & *abſtractivam* admittit citatus Ruiz, numero 19. Reſpondens argumento Gregorij, Gabrielis, & Maioris, intelligentium per ſcientiam abſtractivam notitiam impropriam & imperfectam.

22 Quæritur tertiò. *An diviſio tradita ſit adæquata*; id eſt, an omnis notitia divina comprehendatur ſub aliquo ex membris dividentibus *ſimplicis intelligentiæ*, & *viſionis*? Diſsidium movet ſcientia conditionatorum contingentium, in quo negant eſſe adæquatam quotquot ex noſtris cenſent ſcientiam veritatum conditionalium contingentium dicendam eſſe mediam inter ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & *viſionis*, propterea quod, neque omninò præſcindat ab exiſtentia, ſicut ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*, cum affirmet exiſtentiam ſui obiecti ſub aliqua conditione: neque tendat in ſuum obiectum, vt exiſtens abſolutè, ſicut ſcientia *viſionis*, & intuitio, cum abſque eo, quod exiſtat abſolutè ſuum obiectum, dari valeat.

23 Communior, & verior ſententia, tàm apud exteros, quàm apud noſtros Doctores tenet eſſe adæquatam; diſcrepant verò in aſsignando extremo ad quod pertineat ſcientia conditionatorum contingentium. Vazquez, Belarminus, Valentia, Arrubal, Faſolus, & alij ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ* eſſe adſcribendam tuentur; Aſt Thomiſtæ, & plures ex noſtris cenſent ad viſionem reduci debere. Vtrumque loquendi modum approbat Ruiz, diſputatione 76. ſectione tertia, Izquierdo, diſputatione 23. quæſtione 5. diſtinguit inter veritates conditionales pertinentes ad eſſentiam rerum, & veritates conditionales pertinentes ad earundem exiſtentiam. Ex his primas, inquit, ſpectare ad ſimplicem intelligentiam; ſecundas verò ad viſionem, & intuitionem. In re levis momenti, & purè vocali arbitror dicendum: ſcientiam conditionatorum contingentium ſub ſcientia *viſionis* eſſe collocandam ex eo, quod talis notitia non omninò præſcindat ab exiſtentia, vt videtur præſcindere ea, quæ ſtrictè, & propriſsimè dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Nec fundamentum illud, quod apud aliquos ex noſtris invenitur deſumptum ex nomine ſcientiæ mediæ, quo ſcientia conditionata contingens de conditionato pertinente ad noſtram libertatem, poſt Doctiſsimum P. Molina, inſignitur æſtimari debet, nam talem titulum, non ſibi arrogavit: quia intercedat media inter *ſimplicem intelligentiam*, & *viſionem*, ſed inter ſcientiam *naturalem*, & *liberam* participans cuiuſvis aliquid, & neutrius totum, vt latius in propria ſede explicabitur.

24 Quæritur quartò. Quomodo exponendi ſint Patres, ſi quando videantur præcludere additum huic diviſioni ſcientiarum in Deo, vt videre eſt in Auguſtino, libro quinto de Geneſi ad literam, cap. 18. fine cum ait: *Nec audeo dicere alio modo innotuiſſe, cum ea feciſſet; quàm illo, quo ea noverat, vt faceret apud quem non eſt tranſmutatio, nec momenti obumbratio.* Quod confirmat teſtimonio Eccleſiaſtici, cap. 23. libro 15. de Trinitate, capite 13. dicens: *Non aliter ea ſcivit creata, quàm creanda. Non enim eius ſapientiæ aliquid acceſsit ex eis; ſed illis exiſtentibus, ſicut oportebat, & quando oportebat illa permanſit vt erat: ita ſcriptum eſt in libro Eccleſiaſtici: (antequam crearentur omnia nota ſunt illi, ſic & poſtquam conſumata ſunt) ſic non aliter, & antequàm crearentur, & poſtquam conſumata ſunt, ſic ei nota ſunt.* Et libr. 10. de Civitate Dei, cap. 12. poſt medium: *Nec aliter novit facienda, quàm facta, nec aliter invocantes exaudit, quàm invocaturos videt.* Etiam in D. Thoma, de veritate, quæſt. 2. articulo 9. ad 2. vbi docet ſcientiæ *viſionis*, & *ſimplicis intelligentiæ*, nullam eſſe differentiam ex parte ſcientis, & ſcientiæ; nec alio modo ſcire Deum, quæ numquam erunt, quàm ea, quæ ſunt aliquando futura.

25 Quod ſi Deus eodem modò ea, quæ non ſunt, ac ea quæ ſunt, cognoſcit, nec aliter creata, quam creanda ſcivit,

vit, sine admissione alicuius differentiæ inter vnum, & alterum modum cognoscendi; quid sibi vult divisio exposita scientiæ, aut quomodo locus remanet, vt tam diversimodè scientia Dei consideretur, & diversa exponatur in propria ratione scientia *visionis*, & *simplicis intelligentiæ*? Respondeo: intentum Patrum per has, & similes loquutiones esse dumtaxat firmiter statuere simplicitatem, & immutabilitatem scientiæ divinæ absque vlla reali distinctione, cōpositione, & successione obviando nostris imperfectis apprehēsionibus, & conceptionibus, quibus scientiam divinam admodum creatæ, & per species illius pro nunc cognoscimus; hoc tamen non vetat rectitudinem divisionis factæ, quæ sine vlla reali distinctione explicat conceptus reales, quæ in ipsa inveniuntur, vel penes diversitatem obiectorum, vel penes multiplicem, & diversum modum formaliter tendendi in idem: vndè quando dicunt vnam, & alteram scientiam non esse diversam, procedunt de diversitate reali; secus de diversitate formali, & quæ cum fundamento in re, iam sic, iam aliter verè valeat explicari, in quantum in vna, & eàdem scientia realiter, non est præcisè realiter cognoscere obiecta cum alligatione ad existentiam; sed cum præcisione ab illa, nec per tendentiam vllam deperdat aliam: hocque ad summum probat sine distinctione vlla reali mirum illud beneficium distinctionis intrinsecæ virtualis, quod adeò invaluit apud Recentes; apud nos verò neque id probat, aliter similes difficultates passim in divinis occurrentes conantes expedire per solam distinctionem virtualem extrinsecam quatenus tota, & indivisibilis Dei scientia vno modo accepta non præscindat ab existentia obiecti; non sic altero. Quomodo totus homo metaphisicè realiter indivisibilis *prout rationalis* præbet fundamentum obiectivum, vt discernatur à bruto, & *prout animal* præbet fundamentum obiectivum, vt cum illo confundatur.

***

***
*** ***
***

CAPVT II.

Altera divisio scientiæ in necessariam, seu naturalem, & contingentem liberam, & non liberam.

26 SVBDIVIDITVR scientia Dei in necessariam, & contingentem: Scientia necessaria est, quæ ita existit in Deo, vt non potuerit in ipso non existere, aut deficere: scientia contingens, quæ ita existit in Deo, vt potuerit in ipso non existere, aut deficere, vel non existentia, vel defectu virtuali, vt tenet sententia plurium, vel non existentia, & defectu reali respectivo, vt nos cum alijs probabilius tenemus. Exemplum primæ sit scientia, & notitia, qua Deus suam essentiam, & possibilitatem possibilium, sicut & impossibilitatem impossibilium cognoscit. Exemplum secundæ cognitio, qua Deus ea omnia, quæ defacto contingenter existunt videt, quæ si deficerent, vt potuerunt, non hæc scientia, quæ defacto datur; sed opposita de non existentia eorum existeret.

27 Hæc subdivisio adæquatè sumpta non ita comprehendit scientiam *simplicis intelligentiæ*, & *visionis*, vt quævis ex his subdividatur in *necessariam*, & *contingentem*; sed solam scientiam visionis præcipuè, si de necessitate, & contingentia *absolutis* sensus procedat. Ratio est: quia sola scientia visionis est extremum partim contingens absolutè, & partim necessarium absolutè, vt patet in exemplis oppositis de notitia, qua Deus se videt existentem, & de scientia, qua videt existentem mundum, qui defacto existit. Scientia verò simplicis intelligentiæ vnicè necessitatem absolutam permittit, cum non respiciat obiectum absolute contingens, vt constabit dum de obiecto cuiusvis scientiæ in particulari nobis sit sermo.

28 Ast si abstractiùs sumatur necessitas, & contingentia comprehendunt sub se *absolutam*, & *respectivam*, & *mixtam*, totidemque venit dividen-

da ſcientia in neceſſariam , & contingentem *abſolutè*, & neceſſariam , & contingentem *reſpectivè* , necnon mixtam ex neceſsitate *abſoluta*, & contingentia *reſpectiva*. Scientia *abſolutè* neceſſaria ea dicitur, quæ Deo non poteſt deficere, vt eſt ſcientia, qua Deus ſe comprehenſivè cognoſcit, & ſcientia poſsibilium, & impoſsibiliũ, ſicut & notitia attingens omnes veritates neceſſarias circa rerum quidditates, & eſſentias. Scientia *abſolutè* contingens ea appellatur, quæ ſecundùm ſuum modum tendendi formaliter ſumptum poteſt in Deo non exiſtere, qualis eſt ſcientia, qua cognoſcit exiſtentiam huius mundi. Scientia *reſpectivè* neceſſaria ea eſt, quæ non modò neceſſario exiſtit in Deo neceſſitate aliunde; quàm ex ipſo Deo proveniente ; verùm ex intrinſeca determinatione Dei in quantum Deus eadem neceſsitate , qua exigit ſuum eſſe , exigit talem ſcientiam, vt eſt ſcientia , qua Deus cognoſcit ſuam eſſentiam , & attributa ſibi eſſentialia. Scientia *reſpectivè* contingens illa iure dicitur , quæ ex parte Dei determinationem non habet , vt exiſtat , quidquid ſit : an extra Deum detur determinatio abſoluta , vt non deficiat ; v. g. Scientia poſsibilium , & impoſsibilium in noſtra, & communi ſententia inconnexionis Dei cum poſsibilibus , & impoſsibilibus, quam Deus ex ſe permittit deficere ; tametſi ex neceſsitate ſui obiecti à Deo non exacta non poſsit non exiſtere , vndè eſt contingens *reſpectivè* ad Deum , qui eodem modò perſiſteret , quamvis illa ſcientia ex deficientia poſsibilium , & impoſsibilium fieret contingens , & neceſsitatem ſuam amitteret.

29 Scientia *abſolutè* , & reſpectivè neceſſaria eſt , quæ neque ex ſe neque ex parte Dei poteſt deficere, vt ſcientia , qua ſe , & ſua attributa eſſentialia repræſentat. Scientia abſoluta , & reſpectivè contingens ea erit, quæ tam ex ſe , quam ex parte Dei poteſt deficere ; v. g. Scientia exiſtentium extra Deum , cum nec Deus ex ſe exigat illam , neque extra Deum ex neceſsitate ſui obiecti debeat exiſtere. Inde mixta ex neceſſaria , & contingenti illa erit , quæ aliquid de vtraque participat; verum cum abſoluta neceſsitas, & abſoluta contingentia includant prædicata oppoſita ; vt ſunt *poſſe abſolutè deficere, & debere neceſſario dari*; propterea mixtio hæc ex neceſſaria, & contingenti tantum poteſt eſſe ex neceſſaria *abſolutè* , & contingenti *reſpectivè*, quomodo invenitur in relata ſcientia poſsibilium , & impoſsibilium ſuppoſita inconnexione Dei cum ipſis , quæ abſolutè eſt neceſſaria ex eo quod poſſibilia , & impoſsibilia nequeant non eſſe talia , & reſpectivè contingens ex non exigentia ex parte Dei talis neceſſitatis. Nec propterea iudices poſſe dari mixtionem aliam ex abſolutè contingenti , & reſpectivè neceſſaria: quia hæc tam repugnans eſt ac ſcientia , quæ eſſet abſolutè contingens , & abſolutè neceſſaria ; eſt clarum : quia cum reſpectiva neceſsitas ſit ad Deum exigentem ex ſe dari talem ſcientiam non poteſt eſſe ſine abſoluta neceſsitate in termino exacto : neque enim id quod Deus ex intrinſecis exigit dari poteſt deficere : ergo ſi aliundè ſcientia illa, vt ſupponitur eſſet abſolutè contingens coniungerentur in ipſa prædicata repugnantia *abſolutæ neceſsitatis* , *& abſolutæ repugnantiæ*.

30 Fit inde: ſolam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ , & quæ terminatur ad conceptus impoſsibiles , quæ *viſionis* , vt apparebit ex dicendis eſt cognominanda , participare rationem neceſſariæ , & contingentis , ſcilicèt neceſſariæ abſolutè , & contingentis reſpectivè : namque omnis alia ſcientia præter ipſam , vel eſt contingens abſolutè , vel neceſſaria abſolutè : ſi contingens abſolutè , non poteſt participare rationem neceſſariæ abſolutè cum ſint differentiæ eſſentialiter repugnantes , neque neceſſariæ reſpectivè: quia omnis neceſsitas ſcientiæ reſpectivè accepta tranſit in abſolutam , vt oſtendimus : vndè eſſet incidere in contingentiam abſolutam , & neceſſitatem abſolutam inter ſe repugnantes ; ſi neceſſaria *abſolutè* , id non poteſt provenire ex neceſsitate ſui obiecti extrinſeca Deo , cum nullum obiectum præter obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ , & viſionis impoſſibilium habeat neceſsitatem abſolutam , vt ſit eo modo , quo repræſentatur independenter à determinatione intrinſeca Dei , vt ita ſe habeat : quare non poterit coniungere in ſe neceſsitatem abſolutam cum contingentia reſpectiva.

Scien-

31 Scientia contingens, prout abstrahit à contingenti absolutè, & respectivè, dividitur in *liberam*, & *non liberam* Deo. Scientia *libera* Deo ea censenda est, quæ vel requirit decretum Dei absolutè existens, cui innitatur, vel saltem dependet à conditionato libero divinæ voluntati. Scientia autem *non libera* reputari debet, quæ neque requirit decretum Dei absolutè existens, neque à conditionato libero voluntatis divinæ dependet. Exemplum primæ sit scientia cuiusvis creaturæ existentis, quæ sine decreto aliquo Dei existere non valet, aut scientia sic conditionatè tendens, *si præbidissem auxilium A efficax, illud conferrem; si existeret alter mundus, incarnasset Spiritus Sanctus.* Exemplum secundæ: scientia conditionatè tendens in nostrum exercitium liberum ponēdum dependenter ab exercitio libero Dei se habente, vt hypothesi, & conditione, qualis est in sententia Societatis hæc scientia: *Si existat auxilium, existet consensus,* & insuper scientia *simplicis intelligentiæ, & visionis* impossibilium suppositа inconnexionis sententia.

32 Prima dicitur *libera*: quia quod pendet essentialiter ab exercitio libero alicuius agentis, liberum aliquomodo ipsi est, cum liberè possit auferre fundamentum connexionis, qui liberè possit non ponere connexionis terminum; sed scientia Dei, quæ vel requirat decretum Dei absolutè existens, vel dependens sit a conditionato libero divinæ voluntati, pendet essentialiter ab exercitio libero Dei: ergo ipsi libera est. Propter oppositam rationem secunda dicitur non libera: nam id, quod nullo modò dependet ab exercitio libero vnius agentis nō potest dici ipsi liberum; sed scientia, quæ, neque requirat decretum Dei absolutè existens, neque à conditionato libero divinæ voluntati saltem conditionatè dependeat, nullo modò dependet ab exercitio libero Dei: ergo non est ipsi libera.

33 Hæc secunda dicitur *non libera*, & non dicitur *necessaria*: quia *non liberum* latius patet; quàm *necessarium* cum benè valeat *est necessarium*: ergo *non est liberum*; secus: *non est liberum*: ergo *est necessarium*. Ratio est: quia vt aliquid non sit liberum alicui, sufficit excludi contingentiam electionis, & determinationis sub indifferentia libertatis ab ipso, quod cum contingentia absoluta in existendo potest existere: sic homini secundum sua prædicata considerato non est liberum existere in rebus, nec ideò existere in rebus est ipsi necessarium. Præterquamquod id, quod vni agenti non est liberum, potest esse alteri liberum; sed id, quod alicui est liberum, non est necessarium: ergo id, quod alicui non est liberum, non ideò est ipsi necessarium. Dicta intelligenda sunt formaliter, & attentis præcisè conceptibus *non liberi, & necessarij*: aliter sæpè ratione materiæ mutuò convertuntur *non liberū & necessarium*, vt patet in scientia simplicis intelligentiæ, visionis necessariorum Dei, & visionis impossibilium, in quibus benè valet *non sunt liberæ Deo*: ergo *sunt necessariæ*; habita tamen consideratione in scientia simplicis intelligentiæ, & visionis impossibilium ad necessitatem extrinsecam, & absolutam; secus ad intrinsecam, & respectivam propter repetitam suppositionem inconnexionis Dei cum possibilibus, & impossibilibus.

34 Iterum: scientia libera Deo dividitur in scientiam liberam Deo *positivè, & negativè, & influxivè*. Scientia libera Deo *negativè* dicitur, quæ potest impediri à Deo per exercitium liberum connexum cum nō existentia illius; non determinari; v. g. in sententia non prædeterminatorum, neque intrinsecè, neque extrinsecè, sicut, & non admittentium decretum Dei comitans actiones nostras liberas, scientia Dei, qua videt nostrum consensum liberum absolutè existentem, quam quidem potest impedire per ablationem, aut non collationem libertatis ad consensum; secus determinare, cum omne medium, quod Deus potest liberè determinativè dare, sit indifferens ad consensum, & dissensum; & in omnium sententia, scientia, qua Deus videt peccatum pro formali absolutè existens, quam quidem Deus potest impedire, non sic determinare; ne aliter peccatum pro formali determinaret. Scientia libera Deo *positivè* est, quam Deus non modò potest impedire; verùm determinare per exercitium connexum cum existentia illius; v.g. scientia de existentia mundi in omnium sententia, & scientia de nostris exercitijs liberis excepto peccato pro formali, in sententia admittentium prædeterminationem, sive intrinsecam, sive extrinsecam, aut decretum comitans efficax, &

cum operatione libera connexum.

35 Scientia libera *influixivè* venit dicenda, quæ &si non posit acquiri, aut impediri à Deo determinativè, ideſt, aut per exercitium connexum cũ eius exiſtentia, aut per exercitiũ connexum cum eius impeditione, poteſt tamen acquiri, aut impediri à Deo per poſitionem alicuius medij indifferentis, tum ad exiſtentiam, tum ad defectum talis ſcientiæ poſitum in circunſtantijs, quibus, aut videtur infallibiliter determinatè extitura, aut videtur infallibiliter determinatè non extitura: quomodo in noſtra ſententia excludente omnem determinationem divinam, aut prævium, aut concomitantem, & connexam cum noſtris actibus liberis, eſt Deo liber noſter conſenſus liberè à noſtra voluntate poſitus, & eſt libera etiam ſcientia viſionis per conſenſum abſolutum liberum immediatè determinata, in quantum, ſcilicèt, Deus prævidens infallibiliter extiturum noſtrum conſenſum liberè ſub auxilio aliquo determinatè accepto, illud nobis liberè confert, & in ipſo liberè donat: quod etiam ſua proportione intelligendum eſt de exercitio negativo libero honeſto, aut ſaltem non peccaminoſo. Vndè pro qualitate extremorum noſtræ libertatis ſubdividi poteſt ſcientia iſta libera *influxivè*: in liberam *influxivè poſitivè*, & liberam *influxivè negativè*, quarum prima ſit, quæ liberè adquirit extremum poſitivum, & ſecunda, quæ liberè impedit extremum poſitivum, & liberè acquirit illius impeditionem.

36 Vltimò. Scientia *non libera* celebri diviſione dividitur in *neceſſariam*, & *mediam*. Scientia non libera *neceſſaria* eſt, quæ vltra independentiam ab exercitio libero Dei ipſi neceſſario convenit, ſeu eſt impotens ei deficere, ſive impotentia intrinſeca, & extrinſeca; ſive impotentia tantùm extrinſeca modo iam explicato in ſcientia poſsibilium, & impoſſibilium, & in ſcientia, qua Deus cognoſcit, quæ ſibi ſunt neceſſaria, & quibus deficientibus repugnantèr tantum exiſteret. Scientia non libera *media ſtrictiſsimè* eſt ſcientia contingens conditionalis, quam Deus habet de noſtris actibus liberis ſub hypotheſi libertatis independens omninò ab omni decreto abſolutè exiſtenti, & quæ non eſt de conditionato pertinente ad libertatem divinam; v. g. *Si conferam Petro auxilium, ſeu libertatem A, ſub ipſa eliciet conſenſum*, hæc dicitur *media*, ſcilicèt inter neceſſariam, & liberam: quia cuiuſvis aliquid participat, quin ſit *libera*, nec *neceſſaria*; participat quidem de libera *contingentiam*; ſed non eſt libera: quia eſt independens à decreto Dei abſolutè exiſtenti, & à conditionato, quod ſit de libertate divina: participat de neceſſaria *independentiam à decreto*; at non eſt *neceſſaria*, quia eſt contingens. Vndè cum aliquomodo attingat extrema ſcientiæ *neceſſariæ*, & *liberæ*, & tamen maneat extra vnam, & alteram iurè denominationem mediæ inter vnam, & alteram accipit. Dixi *media ſtrictiſsimè*: nam ſcientia media *latè accepta* non excludit rationem liberæ, vt poſt ſuo loco dicemus.

CAPVT III.

Tertia diviſio Scientiæ in approbationis, & ſimplicis notitiæ: practicam, & ſpeculativam.

37 DISSENTIVNT Aliquantulum Doctores in explicandis membris huius diviſionis, & præcipuè in deſignando conceptu ſcientiæ, provt ad ſimplicem notitiam, & provt ad approbationem attinet. Aliquorum iudicium eſt, nomen ſcientiæ approbationis mereri eam, quæ tendit in obiecta, provt exiſtentia, & terminantia divinam complacentiam, vel in actu ſecundo, vel ſaltem aptitudinaliter, & in actu primo; vndè ſcientiam approbationis, cum ſcientia viſionis de obiectis bonis, & Deo in actu ſecundo placentibus, vel quæ placere poſsint, confundunt. Singularius Alvarez lib. 2. de auxilijs diſputatione 6. concluſione 2. apud Izquierdo diſputione 23. quæſtione 5. diviſione 4. non diſtinguit ſcientiam approbationis à ſcientia viſionis etiam de obiectis pravis, & peccaminoſis, quæ concedere approbari per divinam ſcientiam; quamvis non per divinam voluntatem, & ſi admodum loquendi referatur: an ſit loquutio fugienda, & parum conſona Scripturæ, & Patribus, ipſe viderit. Communior explicatio apud Theologos tenet, per ſcientiam approbationis debere intel-

intelligi eam, quæ est causa rerum, provt coniuncta cum divino decreto positivè causanti: vnde eadem est cum Scientia causativa rerum, quæ secundum diversas sententias, vel Scientiæ simplicis intelligentiæ, vt quidam, vel Scientiæ visionis, vt alij, applicabitur. Per oppositum colligitur ex præmissis explicationibus Scientiæ approbationis dicendam esse Scientiam simplicis notitiæ eam, quæ vel non sit Scientia visionis, vel non habeat adiunctum affectum prosequutivum divinę voluntatis in obiectum, quod repræsentat.

38 Dicendum est cum Doctore Eximio libr. 3. de attributis Dei positivis cap. 4. non incongruè dici posse approbationis Scientiam quamcumque Dei notitiam, quæ circa obiectum suum habet adiunctam complacentiam divinæ voluntatis, sivè efficacem, sivè inefficacem, sivè in actu primò, sivè in actu secundò. Ratio est: quia illa inter Scientias propriè dicitur Scientia approbationis, quæ respicit obiectum, in quod Deus, vel actu complacet, vel complacere potest; sed omnis divina notitia, quæ circa suum obiectum habet adiunctam complacentiam divinæ voluntatis, sivè inefficacem, sivè efficacem, sivè in actu primò, sivè in actu secundò, est Scientia respiciens obiectum, in quo Deus, vel actu complacet, vel complacere potest: ergo omnis notitia, quæ sit huiusmodi non incongruè dici potest approbationis Scientia.

39 Dividerem ego tamen Scientiam approbationis sub acceptione dicta in Scientiam approbationis *formaliter* talem, & Scientiam approbationis *connotative* talem. Hanc secundam appellarem notitiam intellectus divini, provt præcisè respicientem obiectum, in quo Deus quomodocumque complacet, aut complacere potest præcisso respectu in tali Scientia ad expressionem intellectus, qua iudicat tale obiectum, vel coniungi de facto cum complacentia divinæ voluntatis quomodolibet sumpta, vel esse dignum, & aptum ex se, vt coniungatur cum divina complacentia, sivè efficaci, sivè inefficaci. Primam dicerem notitiam intellectus divini, non vt cumque respicientem obiectum coniunctum, aut coniungibile cum complacentia divinæ voluntatis; sed formaliter intellectualiter exprimentem, aut suum obiectum de facto coniungi cum divina complacentia, aut saltem esse dignum, & aptum, vt talem complacentiam terminet. Ex his solam formaliter approbativam nominarem strictè approbationis Scientiam, cum non alius mihi appareat proprius approbationis modus se tenens ex parte intellectus, provt contradistinguitur à voluntate; quàm ille, quo intellectus iudicat in prædicatis sui obiecti, quod repræsentat esse aptitudinem, & dignitatem, vt à voluntate honestè amplectatur.

40 In hoc sensu videtur proposuisse Scientiam approbationis Scriptura Geneseos cap. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Vbi ly *vidit* non tantùm appellat supra *cuncta quæ fecerat*; sed supra *valdè bona* idest, cognovit Deus cuncta à se facta, & esse apta, & digna divina complacentia, & cum illa defacto coniungi. Consonat Apostolus ad Romanos cap. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, idest, *quos prævidit fore dignos: aut quos cognovit esse suos*, vt exponunt D. Chrysostomus, & Æcumænius apud à Lapide in præsenti: vnde à contrario dici potest dari in divina Scientia aliud extremum, nempè Scientia reprobationis sumpta pro notitia sui obiecti, vt indigni, & alieni à divina complacentia, & quæ explicatur in sacris litteris sub terminis *non visionis, ignorantiæ, & nescientiæ*, vt constat ex Abacuc cap. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum*, exponente Hieronymo: *Quia non libenter videt illud*, & ex Psalmo 100. *Declinantem à me indignum non cognoscebam*, super quæ Augustinus: *Quid est non cognoscebam? Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoscere enim in Scripturis invenimus aliquando pro eo quod est, placere nobis.* Idem sentiens libr. 2. quæstionum quæstione 152. *Deus dicitur scire, quæ illi placent, nescire, quæ displicent, non quia ignorat ea; sed quia non approbat.* Et ex Matthæi cap. 25. *Nescio vos*, idest, vt vertit Author imperfecti apud Maldonatum: *Non video in vobis signaculum spiritus mei.*

41 Sic accepta Scientia approbationis, quid sit simplex notitia facilè constat, nempè Scientia illa, quæ neque repræsentat obiectum dignum divina complacentia, neque tendit in obiectum, quod ex se possit terminare divinam complacentiam quæ subdividi potest in simplicem notitiam *purè talem*, &

in

in *ſcientiam reprobationis* : hæc eſt illa, quæ vt diximus, non modò repræſentat ſuum obiectum, vt non dignum divina complacentia; verùm, vt poſitivè indignum, ſeu vt dignum divina diſplicentia. Illa quæ tantum non proponat ſuum obiectum, vt dignum divina complacentia, & modò quodam negativo ſe habeat quoad dignitatem ſui obiecti, quam iudico, ſolum poſſe tenere locum admiſſa ſententia, quæ tuetur, creaturas poſsibiles, vt poſsibiles non eſſe obiectum divinæ voluntatis, nec Deum poſſe ferri in illas, prout tales, vllo affectu proſequutivo, iuxta quem modum diſcurrendi Scientia ſimplicis intelligentiæ, prout reſpiciens creaturas poſsibiles, erit ſimplex notitia purè talis, cum nec proponat obiectum illud, prout dignum divina complacentia, neque, vt poſitivè indignum, taliter, vt valeat terminare divinam diſplicentiam.

42 Vtraque hæc Scientia approbationis, & ſimplicis notitiæ convenire poteſt tum Scientiæ viſionis, tum Scientiæ ſimplicis intelligentiæ. Convenit ſcientiæ viſionis: quia hæc repræſentat plura, vt digna divina complacentia, ſicut, & aliqua non digna tali affectu, & inſuper coniungitur cum divina complacentia circa aliquod ſuum obiectum, ſicut cum diſplicentia erga aliud, quod eſt participare ſecundum propriam rationem *Scientiæ viſionis* vtrumque extremum Scientiæ ſimplicis notitiæ, & approbationis in diviſione proxima aſsignatum. Idem contingit in Scientia ſimplicis intelligentiæ proponente inter ſua obiecta multa apta, vt à Deo approbarentur, ſi fierent, multa etiam quæ ſi fierent, apta eſſent, vt per divinam voluntatem reprobarentur, aut quæ per ſimplicem affectum etiam, vt poſsibilia, digna ſint, quæ approbentur, aut reprobentur, vt tenet communis ſententia Theologorum iudicantium creaturas poſsibiles, vt tales, terminare poſſe affectus ſimplices complacentiæ, aut diſplicentiæ.

43 Quibus non obſtantibus, advertit idem Suarius retinendam etiam eſſe communem acceptionem *Scientiæ approbationis* pro ea, *quæ coniungitur cum affectu efficaci Dei circa exiſtentiam ſui obiecti*: quia ſtrictiſsimè, & ſimpliciter non ſolet dici Deum approbare ea, in quibus efficaciter non complacet: quo modo accepta *Scientia approbationis*, duntaxat *ſcientiæ viſionis*, quæ cum decreto efficaci Dei coniungitur, competere poteſt. Vnde omnis alia Scientia etiam ſi cum complacentia Dei inefficaci coniungatur, erit Scientia *ſimplicis notitiæ*, propterea que Scientia *ſimplicis intelligentiæ* ſub hac conſideratione conceptum Scientiæ approbationis non participabit.

44 Vltimo dividitur Scientia divina in *practicam*, & *ſpeculativam*. Scientia *ſpeculativa eſt, quæ ſiſtit in contemplatione ſui obiecti; quin dirigat ad operationem*, aut *effectionem illius*, vel quia obiectum ex ſe non ſit *operabile*, vel quia etſi tale ſit, non proponit ipſum *modo operabili*. *Practica* verò eſt *notitia dirigens ad effectionem ſui obiecti*, vel *in actu primò*, vel *in actu ſecundò in quantum proponit ſuum obiectum modo operabili*; vnde diſtinctio vnius, & alterius ſumitur aliquando ex ſolo modo tendendi, vt quando vtraque tendit in obiectum ex ſe operabile; cæterum vna proponit modo operabili; ſecus altera: aliquando etiam ex obiectis, vt quãdo vna reſpicit obiectum factibile, & operabile; altera obiectum infactibile, & inoperabile. Effectio in Scientia practica intelligenda eſt, vel *realis*, vel *virtualis*, & vlterius exponitur ſub illa diſiunctione, *vel in actu primò, vel in actu ſecundò*: quia, vt Scientia ſit practica, ſufficit, quòd ex ſe poſsit dirigere, & concurrere ad praxim ſui obiecti, tametſi in re, & in actu ſecundo non dirigat, nec obiectum exequutioni mandetur: dicitur tandem debere dirigere ad operationem ſui obiecti: quia cognitio non cenſetur practica reſpectu illius, quod non repræſentat, licet ad exiſtentiam illius prærequiratur, & cum ipſo, velut conditio ad exiſtentiam comparetur; alias nulla Scientia divina dicenda foret ſpeculativa, cum nulla ſit, quæ non poſsit dirigere ad effectionem alterius obiecti; cæterùm hoc intelligendum eſt in rigore loquendo; aliter namque latè, & impropriè dici poteſt practica Scientia quovis modo influens, aut dirigens ad aliud, quæ omnia ex acceptione terminorum pendent, & quæſtionibus purè vocalibus ſunt obnoxia; ni velis communiſsimo modo loquendi conformari.

45 Tam Scientiam *ſpeculativam*; quàm *practicam* Deo convenire, ſatis evidenter conſtare, inquit citatus Suarius, quamvis in contrarium videatur ſtare ſubtilis Doctor in 4. quæſtione pro-

prologi §. *tertius articulus*, & in 1. distinct. 38. quæst. 1. vbi postquam negasset Scientiam divinam habere rationem *practicæ*, prout respicit intrinseca Dei, etiam negat includere talem rationem, prout respicit creaturas, quo manet exclusa iuxta ipsum Scientia practica à Deo cum tantùm posset esse practica, vel respectivè ad Deum, & eius intrinseca, vel respectivè ad alia distincta à Deo, & ipsi extrinseca. Conclusio constat satis clarè ex Scriptura proponente divinam cognitionem, iam vt Scientiam, & Sapientiam, vt Esther cap. 14. *Domine, qui habes omnium Scientiam.* Psalm. 146. *Sapientiæ eius non est numerus.* Ad Romanos cap. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei*, quomodo innuitur speculatio. Iam vt *Artem, & Prudentiam.* Sapientiæ cap 7. *In manu illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia*: sicut etiam *omnium Artifex docuit me sapientia*, & cap. 8. *Quis horum, quæ sunt magis, quam illa est Artifex*, quæ respiciens Augustinus libr. 11. de Civitate cap. 21. dixit: *Nec Author excellentior Deo, nec ars efficatior Dei verbo.* Proverbiorum cap. 3. *Dominus Sapientia fundavit terram, stabilivit Cœlos prudentia.* Ieremiæ cap. 10. & 15. *Qui fecit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua & prudentia sua extendit cœlos.*

46 Accedit ratio efficaciſsima: siquidem inter obiecta, quæ divinum intellectum latere non possunt, cum quidquid cognoscibile est eo modo, quo cognoscibile est ab ipso cognoscatur, ne aliter infinita eius vis cognoscitiva ex insciti a aliqua labefactetur, non modo sunt obiecta necessaria, & inoperabilia; verùm contingentia, & operabilia, non vtcumque; sed cum dependentia essentiali à divino concursu, & causalitate: ergo ne cœco modo à divina Omnipotentia procedant, quomodo divinæ perfectioni primæ causæ, & primi operantis repugnat, debet prælucere Scientia proponens ea, vt factibilia, & operabilia, & modum quo ipsa factibilia, & operabilia sunt, vt sic dirigat agens perfectiſsimum ad eorum exequutionem; sed Scientia proponens suum obiectum, vt operabile, ostendensque modum, quo operabile est, vt Artifex illius ad operationem & exequutionem procedat, est Scientia practica, & artificiosa: ergo non tantùm datur in intellectu divino Scientia sistens in contemplatione sui obiecti: ac proinde *speculativa*; sed insuper Scientia dirigens ad effectionem, & operationem sui obiecti; ac per consequens *practica* strictiſsimè, & propriè.

47 Confirmatur: innegabile est dari in Deo providentiam, & dispositionem iuxta illud Sapientiæ cap. 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere constituisti*, & Proverbiorum cap. 18. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: ergo in Deo est Scientia constitutiva providentiæ, & dispositionis; at Scientia constitutiva providentiæ, & dispositionis est Scientia effectrix sui obiecti, ac propterea practica, vt constat ex illo Proverbiorum cap. 8. *Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens, necnon quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſsos, quando Æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos*: ergo vtraque Scientia *ſpeculativa, & practica* in divino intellectu cum proprietate reperitur.

48 Patet hinc: cognitionem practicam sub se comprehendere *prudentiam, & artem*, dicitur *prudentia* cognitio practica dirigens actiones liberas, & morales operantis, & respiciens pro fine perfectionem moralem operantis: dicitur *ars* cognitio practica dirigens ad opus distinctum ab actibus liberis, & moralibus, & respiciens pro fine perfectionem phisicam operis. Prima versatur immediatè circa actus voluntatis; secunda circa opera externa: vnde Scientia Dei, provt dirigens actus liberos divinæ voluntatis appellanda est *Prudentia*, & provt respicit operationes ad extra dicenda est *Ars*.

49 Fundamenta autem Scoti ad negandam Scientiam practicam in Deo, cui ex parte consentit Ruiz disputatione 16. sect. 5. dicens divinam Scientiam non esse practicam per modum *Ethicæ*, quæ non alienas; sed proprias operantis actiones dirigit ad honestatem; sed per modum Æconomicæ Prudentiæ, vel Civilis, in quantum Deus per suam prudentiam ad honestum bonum virtutis dirigit operationes suæ domus sivè familiæ, quæ est Ecclesia maximè vero pusilli gregis electorum, seu prædestinatorum, non difficilè refelluntur. Quorum primum est. Intellectum in Deo non esse regulam voluntatis; sed hanc sibi

ſibi eſſe regulam; quoniam divinæ volitiones, quantum ad intrinſecam honeſtatem, non ſunt dirigibiles, neque rectificabiles per Scientiam, cum ipſis eſſentialis ſit honeſtas, & contradictionem implicet ab illa deflectere, vel amplecti obiectum turpe, non minus quàm non eſſe Deum. Secundum: quia ante determinationem liberam voluntatis divinæ non præcedit dictamen in intellectu dictans: *Hoc eſſe faciendum, eligendum, vel amandum*: non ergo locus eſt in Deo Scientiæ *practicæ*; quam non aliter, quàm immediate circa voluntatem verſari poſſe, ſupponit Subtilis Doctor.

50 Nam ad primum reſponderi poteſt divinam voluntatem non eſſe ſibi regulam honeſtatis formaliter; ſed tantum arguitivè, in quantum ex ſe eſt determinata eſſentialiter, vt conformetur regulæ formali, id, & non amplius probat intrinſeca repugnantia ad turpè, ſiquidem voluntas illa, quæ ab intrinſeco ſit determinata eſſentialiter, vt in ſuis actionibus non diſcedat à regula rationis proponente honeſtatem, per ſe eſt etiam eſſentialiter determinata ad honeſtatem ſuæ actionis, ſicut, & eſſentialiter repugnans turpitudini ipſius: ergo quod actiones liberæ, & morales divinæ voluntatis ſint eſſentialiter determinatæ ad honeſtatem, ſicut, & eſſentialiter repugnantes turpitudini, non probat voluntatem divinam non indigere regula rationis, & intellectus; ſed annexionem metaphiſicam ad talem regulam, qua ſeclusâ non aliter divina voluntas eſſet honeſta, quàm cœco quodam modo, & materiali quadam intellectione honeſti, ex qua procederet in ſenſu formali verificari: *Voluntatem divinam, etiamſi non cognoſceret honeſtum, illud amplexuram*, quod immutare eſt naturam voluntatis, & non illam perficere in propria linea. Ad ſecundum permitti poſſet dictamen illud intellectus non præcedere electionem divinæ voluntatis, & tamen negare dictamen illud non eſſe practicum, & directivum: quia in multorum ſententia Scientia, qua dirigitur amor divinus neceſſarius non præcedit actum propter indiſtinctionem realem, & virtualem, quam ab ipſo dicit; nec ideo cognitio divina non eſt directiva talis amoris. Abſolutè tamen dicendum eſt ex Suario dictamen illud præcedere ordine rationis ad actus liberos Dei: quia, quòd actus illi cognoſcantur honeſtiſsimi ſub hac, vel ſimili tendentia: *Velle hoc, vel illud, rectum erit ſecundum Prudentiam, Liberalitatem, vel Iuſtitiam*, pertinet ad Scientiam naturalem, & neceſſariam, neceſſaria autem, & naturalia in Deo priora ſunt liberis, & contingentibus in ipſo, quomodo ſunt actus voluntatis divinæ, qui Deo poſſunt ſuo modo deficere.

51 Dubitatur primò. An Scientia Dei, provt reſpicit Deum ſecundùm neceſſaria ſortiri valeat rationem practicæ? Probabile reputat vtrumque Scotus in citata quæſtione 4. Prologi in Magiſtrum Sententiarum. Negant communiter Theologi cum quibus Suarius diſputatione citata, & Ruiz diſputatione 16. ſectione 1. citantes pro ſe D. Thomam quæſtione 14. articul. 16. in corpore vbi videtur id clare inſinuare dicens: *Secundum hoc ergo dicendum eſt: quòd Deus de ſe ipſo habet Scientiam ſpeculatiuam tantùm: ipſe enim operabilis non eſt; de omnibus verò alijs habet Scientiam & ſpeculativam, & practicam.* Affirmat abſolutè Aureolus in 1. diſtinctione 35. art. 3. poſt medium propoſitione 1. quod idem ſentire videntur omnes illi, qui propugnant cognitionem practicam poſſe verſari circa obiectum neceſſarium, & ſine libertate vlla contradictionis, aut contrarietatis exercitum ab agente rationali per voluntatem, vt ſunt Oviedo controverſia 1. præemiali logicæ adducens pro ſe Puente Hurtado diſputatione 11. de Anima ſectione 2. & Arriaga diſputatione 1. logicæ ſectione 4. ſub ſectione 3. quod ſequitur Peynado diſputatione 1. logicæ ſectione 3. §. 1. nec apparet diſſentire Izquierdo diſputatione 23. de Scientia quæſtione 5. diviſione 3. diverſum tamen eſt fundamentum ipſorum à fundamento Aureoli, qui vnice innititur identitate reali, virtuali, & rationis, quæ datur inter Scientiam repræſentantem divinam eſſentiam, & creaturas, quæ ſunt obiectum ex ſe operabile, & ex directione Scientiæ ipſas proponente exequibile.

52 Cum controverſia hæc verborum potius, quàm rerum eſſe videatur, & nominibus non ſit pro libito vtendum cenſeo, vt in ſimili dixit Vazquez 1. parte diſputatione 8. cap. 5. communi loquutioni Theologorum, & Philoſophorum eſſe ſtandum quoad naturam, & conditionem Scientiæ, & notitiæ practicæ, & dico primò: Scientia divina, ſal-

saltem provt repræsentat divinam essentiam, non est cognitio practica. Ratio est, quam adducit Suarez in præsenti: quia cognitio practica talis dicitur per ordinem ad praxim; sed esse divinum, provt dicit divinam essentiam, non habet rationem praxis: ergo neque cognitio Dei repræsentans suum esse, & suam essentiam habet rationem notitiæ, & Scientiæ practicæ. Probo minorem. Siquidem praxis non est nisi, vbi est dominium actionis, & electionis ex receptissima sententia Philosophi dicentis: *Facultatem practicam non esse eorum, quæ necessario, & secundum naturam fiunt* Ast essentia divina non est ex dominio, seu voluntate eligentis cum naturaliter, & necessario existat: ergo esse divinum, provt dicit divinam essentiam, non habet rationem praxis.

53 Propter eandem rationem. Dico secundò: nec Scientiam Dei provt respicit amorem necessarium quo Deus se amat, aut prout respicit productionem Spiritus Sancti, esse practicam notitiam: dixi *propter eandem rationem*, vt excludam fundamentum aliquorum dicentium, ad cognitionem practicam requiri ita respicere opus, quod istud sit strictus effectus, & cum stricta dependentia non modo à principio, verùm à causa, à qua sicut, & à cognitione distinguatur realiter absolutè: quomodo nihil Deo necessarium potest existere: in quo falluntur, vt nimis probantes, cum ex eodem fundamento deberent dicere adhùc actus contingentes, & Deo liberos non habere rationem praxis, neque Scientiam ad illos dirigentem practicam esse, per consequensque nec fieri ex prudentia. Verum igitur fundamentum est illud iam tactum pro prima assertione, nempè tam amorem, quo Deus se amat, quàm productionem Spiritus Sancti procedere naturaliter, & necessario: vnde non relinquunt locum Scientiæ dirigenti, quæ contingentiam aliquam in illo ad quod dirigit exposcit.

54 Nec obstat in contrarium si dicant primò: inde inferri, amorem beatificum non esse praxim, cum eliciatur necessario à beatis: quia planè conceditur absque vllo absurdo. Nec si dicant secundò: amorem necessarium non fieri à prudentia, quæ practica est, cum fiat necessariò; quia ita etiam est cum prudentia non sit de necessarijs. Nec si dicant tertiò amorem necessarium Dei existere voluntariè: quia ad voluntarium præcisè requiritur procedere ab intrinseco cum cognitione, quod stare potest cum necessitate; ast pro praxi requiritur dominium, & electio. Nec si dicant quartò. Cognitionem, ex qua procedit amor divinus necessarius, proponere modum, quo Deus sit amandus, ac per consequens ostendere modum, quo debeat existere ipsa operatio amoris, quæ videntur sufficere, vt talis cognitio sit practica: quia id tantùm provenit ex naturali subordinatione voluntatis ad intellectum, quæ ferri non valet in incognitum; secus ex stricta directione, aut consiliatione, provt erat necessarium ad praxim, cum ex terminis nullus, aut directione, aut consilio indigeat in necessarijs. Nec si dicant quintò: cognitionem requisitam ad opus necessarium non minus influere in illud, ac influit cognitio in opus liberum; cum falsum sit, propterea, quod cognitio influens in opus non necessarium addat influxum directivum, & consiliativum, & faciat magis debitum sibi opus, ac quando aliunde potentia est ad illud determinata. Nec si dicant sextò: in tantum cognitionem practicam non posse respicere opus necessarium, in quantum præcautio errorum in operatione spectat ad cognitionem practicam, & hoc aperte fallere tum in Deo, tum in Christo, qui non possunt errorem habere in operando, & tamen habent Scientiam practicam, & actus ad praxim pertinentes: quia nobis fundamentum non est talis præcautio; sed tantum quod stricta directio: ac proinde nec prudentia nec ars non sunt ex terminis ipsis, & ex communi conceptione de necessarijs; verùm de contingentibus, & quæ sic vel aliter, quamvis semper absque errore fiant, possunt contingere. Et hęc sufficiant pro vocali diffidio.

55 Dubitatur secundò. An Scientia divina dicenda sit tantum simpliciter, principaliter, & absolutè speculativa; practica verò tantum quasi secundariò minus principaliter, & secundum quid: an ex æquo simpliciter & absolutè practica, & speculativa? Occasionem dubio præbet argumentum, quo solet impugnari Scientia practica in Deo, sub hac forma proposito apud Ruiz. Nam finis Scientiæ practicæ non est mera contemplatio; sed opus: ast Scientiæ, quæ in Deo posset dici practica, vt est Scien-

Scientia creaturarum non eſt finis opus; ſed Dei contemplatio: ergo in Deo nulla eſt Scientia practica. Probatur min. quoniam Deus creaturas cognoſcit, & intelligit, in quantum cognitio illarum eſt neceſſaria, vt ſe ipſum perfectè cognoſcat, & comprehendat: ergo finis, in quo ſiſtit notitia creaturarum, eſt Dei contemplatio, & non opus aliquod, quomodo erat neceſſarium, vt diceretur Scientia practica. Confirmant: quia finis eſt nobilior, & perfectior ea re, quæ ordinatur ad illum; ſed opus creatum non eſt nobilius Scientia, qua Deus illud cognoſcit: ergo Scientia Dei non ordinatur ad opus tanquam ad finem, ac ſubinde non eſt practica.

56 Diſcurſus iſte, & ſi aſſumptum ſuum de excludenda in Deo Scientia practica non convincat: quia reſpondetur communi ſolutione ſufficere pro notitia practica finem proximum, & immediatum eſſe opus; quamvis finis vltimus, & mediatus, in quo demum ſiſtit, opus non ſit, vt contingit in ſcientia creaturarum reſpiciente pro fine immediato, & proximo opus efficiendum ab Omnipotentia, & ſi hic ipſe finis vlterius ordinetur ad contemplationem tanquam ad vltimum finem: quemadmodum obſervavit D. Thomas 3. contra Gentes cap. 25. num. 6. docens omnes artes humanas quantuncumque practicas, vltimatè deſtinari ad vltimum finem hominis, qui eſt ſpeculatio: vnde ad confirmationem tranſmiſſo, quod non probet de Scientia practica, quæ eſt in Deo per modum prudentiæ, & quæ immediatè reſpicit actus divinos non inferiores ipſa Scientia, reſpondetur ſimiliter dicendo: finem vltimum, in quo res ordinata ſiſtit, debere eſſe nobiliorem, aut ſaltem æque nobilem ipſa re; non verò finem proximum, & non vltimum; ſed vlterius ordinabilem ad alium.

57 Attamen ex ipſa ſolutione probare efficaciter apparet ſpeculationem eſſe vltimum finem, in quo ſiſtit Scientia omnis, & notitia divini intellectus, etiam ipſa Scientia, & notitia, quæ dicitur practica; ſed hoc eſt formaliſsimè Scientiam divinam eſſe principaliter, ſimpliciter, & abſolutè ſpeculativā, minuſque principaliter, & ſecundum quid practicam: ergo in Scientia divina ita apparet comparanda ratio ſpeculativæ, & practicæ.

58 Reſpondeo: ita eſſe, vt per rationem propoſitam ſuadetur, dicendamque Scientiam Dei *ſimpliciter, & abſolutè ſpeculativam*; & tantum *minus principaliter, & ſecundum quid practicam*; modo ly *ſecundum quid* non ſignificet improprietatem, aut alienationem aliquam in ratione practicæ; verùm vſurpetur eodem ſenſu quo S. Thomas quæſtione 1. primæ partis articul. 4. dixit de Scientia Sacra, ſeu Theologia: *Vnde licèt in Scientijs Philoſophicis alia ſit ſpeculativa, & alia practica, ſacra tamen doctrina comprehendit ſub ſe vtramque; ſicut, & Deus eàdem Scientia ſe cognoſcit, & ea, quæ facit: magis tamen eſt ſpeculativa, quàm practica: quia principaliùs agit de rebus divinis; quàm de actibus humanis, de quibus agit ſecundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo conſiſtit*; qua ratione etiam Scientia practica Dei ordinatur ad Scientiam ſpeculativam ſui, & ideo non habet principalitatem in ratione practicæ, quam habet ſpeculativa in ratione talis.

59 Dubitatur tertiò: An Scientia Dei dicenda ſit practica comparativè ad res moraliter turpes, negationes, ſeu privationes, & impoſsibilia? Vbi quoad primum de peccatis, & actionibus pravis moraliter concluſio eſt affirmativa cum Divo Thoma in hac quæſtion. 14. art. 16. in fine corporis, ibi: *Mala verò licèt ab eo non ſint operabilia; tamē ſub cognitione practica ipſius cadunt, ſicut, & bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea: ſicut, & ægritudines cadunt ſub practica Scientia medici, in quantum per artem ſuam curat eas*: aſt licèt Scientia Dei practica ſit reſpectu peccatorum, ſemper habenda præ oculis eſt differentia, quæ intercedit in modo, quo eſt practica reſpectu malarum, ac bonarum operationum: de iſtis enim proponit quomodo Deus poſsit eſſe cauſa illarum, prædefiniendo, excitando, ſuadendo, & cooperando, quæ omnia non dictat de peccatis; imò potius oſtendit nullum ex dictis exercere poſſe circa ea, vtpote repugnans ſuæ bonitati perfectioni, & potentiæ.

60 Eſt ergo practica reſpectu malorum, in quantum dictat quomodo Deus poſsit concurrere ad actiones peccatorum eas nullomodo per ſe cauſando ſaltem quoad formale malitiæ, nec determinando; ſed relinquendo voluntati creatæ integrum qualiter valeat ab ipſis retrahi, & contineri inſuper

per quales occasiones, & exteriora obiecta possit offerre; etiam quomodo, & propter quos fines sit permittenda malitia, necnon quæ bona possint ex peccatis elici, & quomodo inordinatio peccatorum reduci queat ad ordinem per supplicium, aut pœnitentiam. Vnde manet expositum quomodo intelligendum sit ly *cadunt sub cognitione practica sicut, & bona* contentum in verbis Div. Thomæ denotantis præcisè convenientiam vtriusque Scientiæ in ratione practicæ; secus in modo quo vna, & altera Scientia practica est respectu sui obiecti.

61 Quoad secundum etiam resolutio est affirmativa, & dicendum: Scientiam Dei esse practicam comparatione negationum, & privationum eo gradu, & ratione, quibus prædictæ negationes, & privationes dicuntur fieri non simpliciter; sed quodammodo iuxta suum esse negativum, & exclusivum entium positivorū, vt nostra sententia fuit in Philosophia. Etenim sicut divina Scientia dictat: quomodo Deus possit se exercere per productionem mundi, ita similiter dictat: quomodo possit non se exercere per illius non productionem, quod est esse practicam respectu non esse illius sicut pariter dicendum est de morte, cœcitate, sterilitate, & tenebris, reliquisque privationibus, aut negationibus.

62 Quoad tertium respondendum est negativè, & dicendum. Scientiam impossibilium non esse practicam; sed speculativam respectu sui obiecti: ratio est manifesta: quia cognitio non proponens suum obiectum modo operabili non est practica respectu illius, vt constat ex conceptu ipso Scientiæ, & cognitionis practicæ; sed cognitio proponens suum obiectum, vt impossibile, non proponit illud modo operabili; quin potius vt inoperabile, & impotens existere: ergo Scientia proponens suum obiectum, vt impossibile non est Scientia practica; sed purè speculativa.

63 Vltra hæc resoluta dubia spectantia ad Scientiam practicam, restant alia tria magis ex proposito tractanda: quia prolixius petunt examen ideo sequentibus divisim discutienda reservantur.

***

CAPVT IV.

An Scientia simplicis intelligentiæ sit practica, & causa rerum?

64 NEGANT communiter Thomistæ, si ratio *practica* sumatur actualiter, & plusquam in virtute, & actu primo, vt frequentius dicunt apud Godoy disputatione 40. §. 2. vel *immediatè*, & *proximè*; quamvis actualiter remotè sit practica, vt ipse tenet ibidem: concedentes sub his considerationibus dictis tantum esse practicam Scientiam visionis, de qua postea. Per oppositum sentiunt omnes nostri Doctores Scientiam simplicis intelligentiæ esse propriè actualiter, & immediatè practicam; quin opus sit ob vniformem consensum aliquem in particulari proponere.

65 Dico primò: Scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam in virtute, & in actu primo, & non posse esse practicam actualiter, & in actu secundo repugnat. Probo propositionem mihi clarissimam. Omnis actus primus sivè proximus, sivè remotus est virtus, & aptitudo ad actum secundum; sed esse virtutem, & aptitudinem ad actum secundum, & non posse ei convenire actum secundum repugnans quid est: ergo Scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam in actu primo; & non posse esse practicam actualiter, & in actu secundo repugnans est. Discursus est legitimus, & minor certa. Probatur maior. Omnis actus primus, sivè proximus, sivè remotus est potentia, & virtus ad aliquid, quod non sit præcisè esse in actu primo: aliàs ipse actus primus non esset formaliter, & actualiter actus primus; sed virtus, & aptitudo ad ipsum actum primum, quo redderetur imperceptibilis actus primus; sed illud aliud, quod non sit actus primus, ad quod est potentia & virtus actus primus, est actus secundus: ergo omnis actus primus, sivè proximus, sivè remotus, est virtus, & aptitudo ad actum secundum. Confirmatur: cui non potest convenire exercitium in actu secundo alicuius lineæ

& rationis, non competit virtus, & aptitudo, vt sit in exercitio talis lineæ, & rationis; sed virtus, & aptitudo vt sit in actuali exercitio, est actus primus: ergo cui non potest convenire actualiter exerceri in determinata linea, & ratione, non potest convenire actus primus eiusdem lineæ, & rationis.

66 Idem suadet paritas cuiusvis actus primi comparati ad actum secundum. Siquidem implicat, intellectum esse in actu primo intelligendi, & non posse ei convenire actualiter *intelligere*: implicat voluntatem esse in actu primo volitivam, & non posse esse in actu secundo volitivam, & actualiter velle; implicat ignem esse in actu primo, & virtute combustibum, aut calefactivum; quin possit in actu secundo comburere, & calefacere: ergo implicat scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam in actu primo, & virtute; & quod nequeat esse practica actualiter, neque ipsi ratio actualiter dirigentis convenire.

67 Hinc non percipio, quid sibi velint Authores relati, cum dicunt Scientiam simplicis intelligentiæ esse tantum practicam in actu primo, & virtute: at actualiter dirigere, Scientiæ visionis competere, quod consonum non est doctrinæ Div. Thomæ, qui loquens de Scientia, quæ est causa rerum in hac quæstione 14. articulo 16. ad 1. inquit: *Scientia Dei est causa non sui; sed aliorum quorundam quidem actu scilicèt eorum, quæ secundum aliquod tempus fiunt; quorundam vero virtute, scilicèt eorum quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt.* Vnde sic arguo. Eorum, quæ Deus potest facere, & nunquam fiunt, datur tantum Scientia Dei scilicèt, Scientia simplicis intelligentiæ, cum de numquam existentibus non detur Scientia absoluta visionis, vt practica, & causa tantùm virtute, & in actu primo; sed eorum quæ Deus potest facere, & non facit, si fecisset, daretur Scientia illa, vt causa, & vt practica, non tantum virtute; sed in actu secundo: quia se haberet respectu illorum tunc, sicut modo se habet respectu eorum, quæ Deus de facto produxit, in quibus nulla Scientia est practica tantùm virtute; alias non rectè dixisset Div. Thomas absolutè, & sine distinctione vlla: *Quorundam quidem actu scilicèt, eorum, quæ secundum aliquod tempus fiunt*: ergo Scientia simplicis intelligentiæ, quæ est practica in virtute, seu in actu primo, iuxta D. Thomam est etiam practica actualiter, & in actu secundo.

68 Dico secundò principaliter: Scientia simplicis intelligentiæ est practica, & causa rerum simpliciter actualiter, & immediatè. Probatur Authoritate, & ratione. Authoritate quidem omnium illorum Patrum, qui negant Scientiæ visionis causalitatem, infra referendi: vnde clarè colligitur Scientiam simplicis intelligentiæ habere rationem practicæ, alias Scientia Dei non esset practica, cum omnis Dei Scientia sub ratione simplicis intelligentiæ, & visionis comprehendatur. Cœterùm, quia probatio hoc modo proposita non est positiva, & directè ostendens rationem practicæ convenire Scientiæ simplicis intelligentiæ.

69 Aliter positivè, & immediatius constat ex Div. Augustino, libro 11. de Civitate capite 21. vbi declarans verba illa Geneseos capite 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: prius ea intelligit de Scientia operis iam facti, & deinde exponit etiam de Scientia operis faciendi dicens: *Quod nisi vidisset antequam fieret non vtique fieret.* Ex quibus propositionem Suadeo. Div. Augustinus loquitur de illa Scientia, qua deficiente non esset opus secundum artem factum, vt constat ex verbis aliquantulum præcedentibus: *Nisi operis approbatio secundum artem facti*; sed Scientia, qua deficiente, non esset opus secundum artem factum est maximè Scientia practica, & directiva operis artificiosi: ergo Scientia, de qua loquitur magnus Parens, dum dicit: *quod nisi vidisset antequam fieret, non vtique fieret*, est Scientia practica, & per modum artis: At hæc Scientia non est alia, quàm Scientia simplicis intelligentiæ, & operis faciendi, quæ contraponitur Scientiæ operis iam facti, & visionis: ergo iuxta Div. Augustinum Scientia simplicis intelligentiæ, & operis faciendi, provt contrapositæ Scientiæ visionis & operis iam facti, est Scientia practica in Deo.

70 Clariùs adhùc Div. Thomas varijs in locis apud Ruiz disputatione 15. sect. 4. cui hæc omnia debentur. Primò:

mò : ex præsenti articulo 8. corpore: *Cum enim* (inquit) *forma intelligibilis ad opposita se habeat* (*cum sit eadem Scientia oppositorum*) *non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum, vt dicitur in 9. metaphisicæ textu 10. manifestum est autem, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere. Vnde necesse est, quod sua Scientia sit causa rerum secundùm quod habet voluntatem coniunctam* ; sed Scientia simplicis intelligentiæ est, quæ se habet ad opposita ob præcisionem, quam ex se dicit ab existentia, & non existentia rei, quomodo non se habet Scientia visionis ex se omninò determinata ad vnum : ergo Scientia simplicis intelligentiæ est productiva effectus, & practica respectu illius ex determinabilitate, quam habet ad vnum ex subsequuta voluntate Dei exequutiva effectus. Quod idem, & propter eandem rationem tenet 1. Sententiarum distinctione 38. quæstione 1. articulo 1. & de veritate quæstione 2. articulo 14.

71 Secundò ex 1. contra Gentes capite 66. numero 2. vbi ex proposito docens Deo non deesse Scientiam eorum, quæ numquam futura sunt ex eo, quòd *Artifex suæ artis cognitione etiam ea, quæ non dum sunt artificiata cognoscit. Formæ enim artis, ex eius Scientia efluunt in exteriorem materiam ad artificiorum constitutionem: Vnde nihil prohibet in Scientia artificis esse formas, quæ nondum exterius prodierunt : sic igitur nihil prohibet Deum eorum, quæ non sunt, notitiam habere.* Notetur ly *suæ artis cognitione*, quæ formaliter est Scientia artificiosa, & practica, & ly *etiam ea, quæ non sunt artificiata, cognoscit*, sicut, *& nihil prohibet in Scientia artificis esse formas, quæ nondum exterius prodierunt*, quæ omnia conveniunt soli Scientiæ simplicis intelligentiæ, propterea que ex mente Angelici Doctoris est practica.

72 Tertiò ex his, quæ habet quæstione 19. primæ partis articulo 4. ad 4. *Scientia, & voluntas sunt causa eiusdem operis ; sed Scientia, vt dirigens, & voluntas, vt imperans*, & quæstione 25. articulo 1. ad 4. *Potentiam exequi, quod voluntas imperat, & ad quod Scientia dirigit* : sed Scientia dirigens ad id, quod Potentia per voluntatis imperium exequitur, est Scientia practica, & dirigens ad opus agens rationale, in quo est : nec potest esse visionis, cum antecedat imperium voluntatis divinæ, vt dirigens, alias divinam voluntatem non liberam ; sed determinatam ad vnum relinqueret : ergo procedit de Scientia simplicis intelligentiæ practicè dirigente. Quartò, & vltimò ex articulo 16. præsentis quæstionis 14. vbi docet : *Scientiam Dei esse causam, quorumdam quidem actu scilicèt eorum, quæ secundum aliquod tempus fiunt ; quorumdam verò virtute, scilicèt eorum quæ potest facere, & tamen numquam fiunt* ; sed Scientia, quæ possit esse causa, & in actu, & in virtute sine actu, non est alia, quàm Scientia simplicis intelligentiæ ; nam Scientia absoluta visionis sine actu existere non potest : ergo Scientia simplicis intelligentiæ in Deo practica est

73 Probatur ratione: quia Scientiæ illi competit ratio practicæ, quæ proponit rem operabilem modo operabili à sciente per ipsam in signo apto, vt per ipsam dirigatur ad operationem taliter, vt si velit, possit se illi conformare per operationem, aut non conformare per suspensionem operationis ; sed Scientia simplicis intelligentiæ ita se habet : ergo Scientiæ simplicis intelligentiæ convenit ratio practicæ. Probatur minor. Scientia simplicis intelligentiæ pro priori ad decretum liberum voluntatis divinæ imperans potentiæ exequtivæ, & opus exequendum, & modum, quo exequi debet, proponit eidem voluntati Scientis per ipsam, & opus possibile, & modum quo sibi possibile est ; sed Scientia ita proponens suum obiectum est Scientia, quæ proponit rem operabilem modo operabili à sciente per ipsam in signo apto, vt per ipsam dirigatur ad operationem taliter, vt si velit, possit se illi conformare per operationem, aut non conformare per suspensionem operationis : ergo Scientia simplicis intelligentiæ ita se habet.

74 Confirmatur. Scientia præcedens ad actus liberos divinæ voluntatis includit dictamen prudentiæ, ex qua procedunt tales actus cum præcisione, tum ab existentia eorum, tum ab existentia cuiusvis operis externi

dependentis ab illis ; ſed Scientia includens dictamen prudentiæ cum præciſsione ab exiſtentia actus, ad quem dirigit, & eſt Scientia practica, ſicuti prudentia practica eſt, & eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ , qualis eſt omnis Scientia de obiecto præſcindens ab exiſtentia , & non exiſtentia illius : ergo Scientia ſimplicis intelligentiæ ſcientia practica eſt. Diſcurſus eſt legitimus. & minor certa. Probatur maior, ſi in ipſa poteſt eſſe aliquid non conſtans. Siquidem Scientia præcedens ad actus liberos divinæ voluntatis eſt Scientia , per quam redduntur prudentiſsimi , quod ſine incluſione dictaminis prudentiæ ſtare nequit : deinde præſcindit ab exiſtentia , & non exiſtentia actus , vt ſalva maneat libertas ipſorum : ergo Scientia præcedens ad actus liberos divinæ voluntatis , includit dictamen prudentiæ , ex quo procedunt tales actus cum præciſsione tum ab exiſtentia eorum , tum ab exiſtentia cuiuſvis operis externi dependentis ab illa.

75 Iterum confirmatur ex ſententia antiquorum omnium vno ore clamantium : ſolam Scientiam Dei non eſſe cauſam rerum ; ſed adiuncto divino beneplacito , & actu divinæ voluntatis , redduntque rationem ex eo, quod Scientia præciſſo actu voluntatis ex ſe eſt indifferens ad bonum , & malum , futurum , & non futurum: ideoque indiget determinativo , vt potius vnum , quam aliud cauſet; ſed Scientia ſimplicis intelligentiæ , non Scientia viſionis abſoluta , vt intendunt contrarij , habet hanc indifferentiam propter præciſsionem , quam dicit ab exiſtentia operis , & exercitij : ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ maximè practica eſt, & vt talis directiva operis exequendi.

76 Nec obſtat ſi obijciant primò plures Patres dicentes *res eſſe, quia videntur ; non autem videri , quia ſunt* ; quorum verba dedimus ſupra diſputatione 7. & videntur ſonare non Scientiæ ſimplicis intelligentiæ ; verùm viſionis tribuendum eſſe influxum. Quia verbum illud *videndi* ex quo materialiſsimè ſumitur obiectio , non ſemper ſignificat peculiariter ſcientiam viſionis; ſed ſcientiam Dei in communi , quæ quia non expoſita errori , aut obſcuritati, explicatur verbo *videndi* per alluſsionem ad noſtram viſionem , qua oculis cernimus res præſentes , & ex qua etiam oritur in nobis cognitio clarior , quam habere poſſumus , vt conſtat ex multiplici , & frequente loquutione Patrum , & Scholaſticorum iuxta quam dixit Div. Thomas ſupra citatus capite 1. numero 6. *Nihil prohibere aliquando omnem Scientiam divinam viſionem dici*, & roboratur per præmiſſam numero præcedenti confirmationem : nam de illa viſione loquuntur , quæ habet adiunctum divinum beneplacitum à quo determinetur, quo non indigeret titulo indifferentiæ ſi de viſione abſoluta , & connexa procederent, ſententiam illam proferentes.

77 Nec ſi obijciant ſecundò: Scientiam cauſativam rerum debere eſſe liberam , & contingentem , qualiter non eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ , vtpote neceſſaria , & aſſumptum probant : quoniam Scientia , quæ eſt cauſa rerum potuit eas non cauſare, ſicut res ipſæ potuerunt non exiſtere: ergo Scientia , quæ eſt rerum cauſa, præſupponit liberum Dei decretum, vt pro nutu divinæ voluntatis res , quæ contingenter exiſtunt , exiſtant ; ſed Scientia præſupponens decretum ſcientia libera eſt: ergo Scientia, quæ eſt rerum cauſa , libera eſt , ac per conſequens non eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ.

78 Nam ſimili diſcurſu probare poſſent : nec divinam libertatem , & potentiam Dei ad vtrumvis , vt debet eſſe potentia , qua Deus res contingentes decernit , eſſe cauſam rerum. Oſtenditur clarè ; ſiquidem divina libertas, ita res cauſat, vt potuerit non eſſe cauſa rerum, ſicut enim res potuerunt non exiſtere , ita divina libertas potuit eas non decernere , & non cauſare : ergo propriori ad divinam libertatem , vtpote cauſantem contingenter, debuit præcedere aliud determinativum , & ad illud aliud , quo omnis divina libertas fiet neceſsitas ; quod ſi præfatum argumentum hic tam apperte fallit, quid roboris remanebit, vt cauſalitatem Scientiæ ſimplicis intelligentiæ impugnet?

79 Abſolutè reſpondetur , negando primam propoſitionem , quæ falſiſsima eſt : nam Scientia ſtrictiſsimè practica eſt , quæ oſtendit rerum eſſen-

essentias, & quomodo producendæ sint convenienter ad propriam naturam, & conceptum, in quarum repræsentatione nulla potest esse contingentia, nec iam sic, iam aliter possint cognosci, qua propter per Scientiam necessariſsimam, & non dependentem à libertate Dei debent necessariò cognosci. Nec ratio probativa aliud suadet, niſi quod influxus Scientiæ est contingens, & dependens à libertate divinæ voluntatis: diversum autem quid est principium, aut causam esse contingentem in influendo, & esse contingentem in existendo nam primum potest esse sine secundo, vt ostendit evidentiſsimè ipsa Omnipotentia summè necessaria in existendo, contingens tamen in influendo.

80 In eadem æquivocatione sunt obijcientes tertiò. Si Scientia Dei necessaria, & quæ dicitur simplex intelligentia foret practica, & rerum causa, inferretur hanc causalem esse veram: *Quia Deus naturali Scientia ſimplicis intelligentiæ creaturas cognoſcit, ideò erunt*: patet nam ab existentia causæ causantis effectum valet causaliter ad existentiam effectus. Iam si dicta causalis vera esset, rursus inferretur: *Ante decretum omne divinæ voluntatis, & independenter ab illo res intelligi futuras*, quod dici nequit, reclamante Apostolo ad Ephesios capite 1. *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Et Apocalipsis capite 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Igitur Scientia simplicis intelligentiæ, & necessaria nequit esse Scientia practica.

81 Cui similiter respondetur. Aliud esse, quod Scientia influens sit in existendo necessaria; aliud quod sit necessaria in causando: Scientia simplicis intelligentiæ: quia repræsentat suum obiectum, secundùm veritatem obiectivam necessariam, est indefectibilis, & necessaria in existendo; cœterùm in causando est contingens, & dependens ab exercitio divinæ libertatis, quam dirigit, sine quo non erit influens in actu secundo in operabile, quod ostendit: male ergo infertur ex Scientiæ necesitate verificari illam causalem adeo independenter, & per solam existentiam Scientiæ, vt non sit necessarium ad eius influxum actualem, & vt existat effectus in actu secundo exercitium aliud divinæ voluntatis determinans indifferentiam, quam habet Scientia in causando, ita vt tàm cum effectu; quàm cum carentia illius possit coniungi. Præterquamquod insulsiſsimum, & debiliſsimum est, arguere ex eo, quod aliquid influat in effectum, illi soli tribuere causalem illam ad effectum absque dependentia vlla ab omni alio, quod in consortio illius simul influat. Aliàs verum esset, quod, quia cognitio alliciens influit in effectum liberum, sola cognitio alliciens, cum independentia à voluntate, quam allicit, influit in effectum sibi soli, & cum independentia ab omni alio tribuens causalem illam *quia existit cognitio alliciens existit opus, & exercitium liberum*, quod quam distans à vero sit, per se innotescit.

82 Nec si obijciant quartò. Scientiam simplicis intelligentiæ, vtpote necessariam, & naturalem, se habere æqualiter, & indifferenter ad omnia possibilia: ergo si sit causa rerum, non produxisset hunc mundum; potius quàm alium possibilem, aut hoc individuum naturæ humanæ, vel alterius speciei, potius quàm aliud quod sub eadem natura, & specie contineatur. Quia respondetur: id tantum probare Scientiam simplicis intelligentiæ ex se indifferentem, vt ad hunc, vel alium effectum concurrat, indigere determinativo voluntatis divinæ libere decernentis ex effectibus sibi possibilibus, & modo operabili per Scientiam sibi propositis, hunc potius quàm illum existere, quod non vetat Scientiam concurrere, sicut quod habitus charitatis ex se indifferens, vt existat amor, & carentia amoris indigeat determinatione voluntatis, vt potius ad amorem concurrat; quàm suspensus ab operatione maneat, non impedit actum charitatis procedentem liberè, & determinativè à voluntate, procedere etiam ab habitu tanquam à virtute, vel totali, vel partiali pro sententiarum diversitate.

83 Debilius adhùc est si dicant quintò: Scientiam approbationis, seu beneplaciti esse solam causam rerum,

vt dicunt omnes Theologi; sed Scientia simplicis intelligentiæ non est Scientia approbationis, & beneplaciti, cum id competat tantùm Scientiæ visionis absolutæ, provt coniunctæ cum diuino decreto: ergo Scientia simplicis intelligentiæ, sicut nullius potest esse causa, ita nec habere rationem practicæ. Quia respondetur facillimè negando minorem. Etenim licèt Scientia visionis iure vocetur Scientia approbationis, etiam id convenit, vt supra diximus Scientiæ simplicis intelligentiæ, quatenus coniunctæ cum simplici complacentia Dei erga suum obiectum, vel si plus velis, provt coniunctæ cum decreto, & actu efficaci voluntatis decernentis existere id quod per Scientiam proponitur factibile, & operabile.

JHS.

DISPUTATIO VNDECIMA.

APPENDIX PRÆCEDENTIS De alijs pertinentibus ad ſcientiam Dei practicam.

CAPVT I.

An & quomodo ſcientia viſionis ſit practica, & cauſa rerum?

1 SCIENTIA viſionis vt diximus ſupra, ea eſt quæ non præſcindit ab exiſtentia, & non exiſtentia ſui obiecti, quæ iam eſt neceſſaria, iam contingens. *Neceſſaria*, quæ attingit ſuum obiectum ſub exiſtentia indefectibili. *Contingens*, quæ attingit ſuum obiectum ſub exiſtentia defectibili. *Contingens* alia eſt Deo libera; alia non libera. *Libera*, quæ innititur divino decreto. *Non libera*, quæ tali decreto non innititur, vt eſt ſcientia de poſsibilibus, & impoſsibilibus, quæ ſaltem reſpectivè ad Deum poteſt deficere, & ſcientia conditionalis contingens de operatione libera creaturæ. Deinde *libera*, & indigens divino decreto poteſt conſiderari de effectu vnice dependente à libertate Dei, vt creatio mundi, vel de effectu libero creaturæ, vt eſt bonus conſenſus, aut actus charitatis ſub libertate creata. Poteſt vlterius conſiderari viſio, ſive *neceſſaria*, ſive *libera*, ſive *contingens*, provt eſt ſcientia ſui obiecti in ſe, vel provt eſt ſcientia ſui obiecti in alio connexo cum illo; conſtat ex ante dictis: Deum videre obiecta cognoſcibilia omni eo modò; quo talia ſunt, ideòque non ſolum ea cognoſcere in ſe ipſis, verum in omni alio determinato connexo cum illis. Demum ſcientia viſionis poteſt conſiderari, ſive provt *neceſſaria*, ſive provt *libera*, & *contingens*, tàm reſpectu ſui obiecti, quàm reſpectu alterius ad quod conducat, modò, quo viſio peccati vnius, vel boni operis poteſt conducere, vel ad prædeſtinationem vel ad permiſſionem lapſus alterius. Nec non ſcientia viſionis *libera* poteſt attendi ante omne decretum erga ſuum obiectum, vel ſuppoſito iam aliquo decreto, vt quando iuxta communem ſententiam, datur decretum purè intentivum prævium ad exequutivum. Quæ ſi ſit viſio libera, verum de actu creaturæ libero poteſt adhuc comparari ad ipſum *proximè*, & *remotè*. *Proximè* ſi inveniatur inter eius principia proxima. *Remotè* ſi ſit extra principia proxima actus nobis liberi, & duntaxat in ſigno remoto ad illum, in quantum conſtituat poteſtatem proximam ad principium proximum ipſius actus liberi: quomodò ſe habet in noſtra ſententia prædefinitio, & ſcientia media ad actum liberum.

2 Hæc cum præſentia habeantur, certum debet eſſe primò: ſcientiam viſionis *neceſſariam*; v. g. ſcientiam, qua Deus ſe, & ſua neceſſaria cognoſcit poſſe eſſe practicam, & aliquomodo influxivam, talemque ex ſe eſſe, reſpectu alterius obiecti, modò quo diximus tract. de prædeſtinatione, diſput. 2. Scientiam neceſſariam, qua Deus ſe, & ſua neceſſaria cognoſcit conducere, & eſſe requiſitam ad providentiam, & prædeſtinationem, vt effectus vtriuſque procedant à Deo perfectiſsimè, & cum omni ea voluntarietate, quæ decet agens rationale perfectiſsimum, vt eſt Deus: etenim Deum ſe cognoſcere ſecundum ſua intrinſeca, & neceſſaria oſtendit ſuam independentiam à contingentibus, ac proin-

Proinde hæc non esse decernenda à Deo aliter, quam vt sibi non necessaria: insuper decernere ea, vt sibi subiecta, & à se dependentia tamquam à prima causa stare nequit sine cognitione sui ipsius, vt primæ causæ. Nec per id volumus significare tendentiam aliquam decreti in necessarium, quasi Deus velit, quod *si res existant existant, vt à se dependentes, & vt sibi non necessariæ*; id namque decernere fatuum esset; sed quatenus prælucentia talis scientiæ reddit impossibile divinæ voluntati, ne aliter ac res ipsæ possunt existere eas decernat, & ostendit non aliter posse decerni, quàm reddendo ad actum existentiæ dependentiam illam, quam habent à Deo activè sumptæ; sicut independentiam, & non necessitatem, quam habent sumptæ passive, idest tanquam termini non indigentiæ, & non necessitatis, quæ in Deo est respectu ipsarum. In quo non potest esse specialis difficultas, quæ non inveniatur in quavis scientia Deum dirigente, vt res producat secundum proprios conceptus.

3 Certum debet esse secundò: scientiam contingentem visionis Dei *non liberam*, quia *mediam* inter *liberam*, & *necessariam*, vt est scientia conditionatorum contingentium, spectantium ad libertatem creatam, quæ ex dicendis constabit possibilis, esse etiam ex se practicam, & maximè Deum dirigentem, vt obtineat à nobis bonos actus liberos, aut præcaveat malos. Ratio est: quia illa scientia est practica, quæ vnicè ostendit suum obiectum, vt proximè assequibile per ipsum: sed talis scientia vnicè ostendit suum obiectum, vt proximè assequibile per Deum, ipsa namq; secluſa Deus non est potens proximè assequi nostros actus liberos: ergo est scientia practica. Propter eandem rationem etiam dicenda venit practica in Deo, extra præsentem controversiam, scientia alia contingens *libera à Deo*, & non *stricte media* inter *liberam*, & *necessariam*, cum sit de conditionato libero Deo, vt est illa, *si prævidero auxilium efficax illud conferam.* Quia vt dictum est tractatu de prædestinatione, etiam hæc scientia est constitutiva providentiæ, & prædestinationis, maximèque conducens ad plenam voluntarietatem effectuum provenientium à Deo, concurrensque ad ostensionem modi, quo effectus operabilis per divinam voluntatem, & potentiam existere, & exequi valet.

4 Certum debet esse tertiò: scientiam visionis vnius obiecti, sive liberi tantum Deo, sive liberi creaturæ posse esse scientiam practicam respectu alterius, sive liberi tantum Deo, sive liberi creaturæ, quia nihil vetat Deum moveri ex prævisione vnius obiecti ad decernendum aliud sic vel aliter, sive vnum, & aliud obiectum sit dependens à libertate creata, sive vnicè à divina. Patet: nam visio creationis Angelorum potest dirigere ad productionem hominum, & visio creaturarum in his, vel illis speciebus ad producendas alias, & constituendam, sic vel aliter pulchritudinem, & harmoniam vniversi: necnon visio meritorum maximè practica est in ordine ad decernendum præmium cõdignum, & æquale dignitati meritorum, imò & ad conferendum vtcumque præmium. Idem considerari potest in prævisione lapsus Angelorum ad reparandas eorum sedes per homines, aut in prævisione peccati originalis ad decernendam vnionẽ hypostaticam. Id quod etiam teneri debet in scientia visionis conditionata, sive libera Deo, sive tantum contingente, cum prævisio conditionata vnius obiecti valeat movere ad sic, vel aliter decernendum aliud. Vbi benè advertunt Eximius Suarius, & Ruiz aliquando dictas scientias vnius obiecti, comparativè ad aliud dici practicas *per accidens*; aliquando verò practicas *per se*. Tunc dicuntur practicæ *per accidens* quando solum ex accidenti sunt in signo apto, vt moveant ad decernendum aliud; v. g. Prævisio Angelorum ad productionem hominum, vel prævisio hominum ad creationem Angelorum, cum id tantum pendeat ex libera voluntate Dei decernentis prius homines quam Angelos, vel è contra. Tunc dicuntur practicæ *per se* quando ex se habent existere in signo apto vt dirigant, & moveant ad productionem alterius: quidquit sit: an defacto taliter in actu secundo moveant, vel non: vt est prævisio, sive absoluta, sive conditionata meriti ad conferendum præmium, aut prævisio necessariorum Dei ad productionem contingentium. Hæc tantum certa nobis apparent.

5 Ideò displicet primò Pater Doctor Herrera, qui vt certum, & extra præsentem quæstionem supponit influxum remotum scientiæ visionis, sive in effectum nobis liberum, sive in effectum pen-

pendentem solum à libertate Dei, ratione alicuius decreti purè intentivi effectus, ex cuius prævisione absoluta, & simul effectus voteſt Deus dirigi ad productionem effectus. Displicet quidem: nam hoc dato, & extra controversiam posito, maximè infringuntur rationes pro sententia nostræ Scholæ, & præcipuè argumentum validius, quod ex sententia Patrum sumitur: etenim iam concederetur si res sint effectus nobis liberi *esse quia à Deo videntur saltem remotè*, &si sint effectus tantùm Deo liberi; *esse quia à Deo videntur non tantum remotè; verum etiam proximè*, quoties decretum aliquod intentivum præcedat: vndè satis obscuratur ratio Patrum, vt iam videbimus: est igitur comprehendendus sub quæstione, influxus tàm *proximus*, quàm *remotus* scientiæ visionis in suum obiectum. Nec obstat, si nobis aliquando placuit eadem suppositio, vt constat ex tractatu de prædestinatione, disputatione secunda, num. 22. tum quia ibi non amplexi sumus suppositionem vt certam, & incontrovertibilem; sed præcisè conclusionem, vt probabilem: tum quia in eodem tractatu, disputat. 12. quæ est de prædefinitionibus purè intentivis oppositum iam probabiliter etiam insinuavimus, quod rebus melius inspectis placet nunc retinere.

6 Displicet secundò. Dum quæstionem contrahit ad solas operationes liberas creaturæ supponens scientiam visionis effectuum, qui procedunt à causa creata necessaria, vel quæ vnicè liberè procedunt à solo Deo, esse practicam, & causam immediatam illorum; motus ex eo, quod tales effectus procedunt per decretum exequutivum cõnexum, quod virtualiter est scientia sui, & effectus: quare causalitas immediata, quæ sit in decreto, transcendet etiam ipsam scientiam reddens illam practicam, & causativam rerum. Ratio displicentiæ nobis est; vel quia doctissimus hic Magister supponit scientiam visionis decreti non esse posteriorem illo, quod ex superioribus constat esse nobis falsum, vel quia &si comitanter, & identicè virtualiter se haberent scientia visionis, & decretum, non ideò esset practica, & rerum causa formaliter provt est visio; sed provt est decretum: quomodo materialissimè tantum esset rerum causa: vel quia scientia identificata etiam virtualiter cum decreto esset tantum practica physicè, & non per modum scientiæ intentionaliter dirigentis, cum non restaret potentia vlla, quæ cognitione dirigeretur: vndè in linea intentionali practica, potius illa visio dicenda foret praxis alterius scientiæ dirigentis decretum, quàm practica.

7 His circa quæstionis sensum præmissis. Quod in dubium vertitur, est: an scientia visionis, sive effectus tantum liberi Deo, sive liberi creaturæ sit proximè, vel remotè practica respectu sui obiecti, & sic causativa rerum? Sub qua latitudine. Prima sententia tenet: scientiam visionis esse practicam, & quidem vnicè saltem immediatè, & proximè, ita vt id alij scientiæ non competat. Sic sentiunt communiter Thomistæ præcipuè Recentiores pro qua citat Ruiz, disput. 15. sect. 3. Zumel, Cabrera, Albarez Cabezudo, Navarrete, & Ledesma quibus addit Illustrissimus Godoy, Albelda, Cornejo, Salmanticenses, & Ioannem à S. Thoma, subscribitque ipse tractatu 4. disput. 40. §. 3.

¶ Secunda sententia per oppositum censet: scientiam visionis non esse immediatè, & proximè practicam, seu causam rerum, quia id tantum convenit scientiæ simplicis intelligentiæ in quam, vt inquit citatus Godoy vniformi plausu omnes Doctores Societatis conspirarunt. Videantur Molina, 1. parte, quæst. 14. artic. 8. Eximius Doctor, libro 3. de attributis positivis, capit. 4. Vazquez, disput. 68 cap. 6. Ruiz, disput. 16. section. 6. Becanus, Arrubal Herice, Alarcon, Arriaga, & alij plures videndi apud Izquierdo, disput. 37. quæst. 7. quibus ipse adhæret prop. 1. necnon Ribadeneyra, disput. 18. de scientia, cap. 2. Herrera, quæst. 11. de scientia, sect. 4. & reliqui Recentiores. Non tamen plures ex relatis renuunt concedere scientiæ visionis influxum, & causalitatem remotam in suum obiectum ratione alicuius decreti intentivi efficacis purè remotè se habentis.

8 Propterea adiungi, & referri potest tertia sententia, quæ scientiæ visionis omnem influxum, sive proximum, sive remotum, & ratione alicuius decreti prævij intentivi modò explicato detrahit. Pro qua iudico debere stare omnes illos Authores, qui tenent actum imperantem non adimere libertatem immediatam actui imperato, nec decretum intentivum exequutivo, aut in-

intentionem efficacem finis electionl mediorum, qui non sunt pauci cum Suario libr. 12. de gratia, cap. 11. num. 11. de cuius mente quoad hanc partem legenda sunt, si placet, quæ adduximus, tractatu de prædestinatione, disputatione 13. cap. 1. num. 8.

9 Sit conclusio: scientia visionis nullo modò est causa rerum; imò id tantum competit scientiæ simplicis intelligentiæ. Probatur primò ab authoritate Scripturæ, & Patrum omnibus illis locis propositis supra, disputat. 7. cap. 2. & habendis præsentissimis pro hac nostra propositione: constat enim ex ibi dictis Scripturam proponere scientiam visionis absolutam, vt consequentem ad opus factum & decretum illius: ac propterea vt existentem in signo inepto, vt sit practica, & operativa illorum. Quin obstet Divum Augustinum exposuisse prædictos textus etiam de scientia practica, & dirigente ad effectionem: quia dum sic exponit, clarè loquitur de scientia operis faciendi provt contradistincta à scientia visionis, & operis iam facti, quæ scientia simplicis intelligentiæ tantum est, vt per se patet: quare nihil remanet subsidij Adversarijs ex mente magni Parentis, vndè valeant colligere favisse causalitati scientiæ visionis absolutæ, aut iudicasse prædictam scientiam esse practicam, & directivam operis faciendi.

10 Confirmatur, & explicatur. Ex ordine Scripturæ in referendo, & narrando maximè inspiciendo iuxta regulas intelligendi textum Sacrum, aliqua scientia operis facti collocanda est, vt subsequens decretum, & vt connexa cum illo sine indifferentia vlla, vt sit, aut non sit absolutè opus, & decretum: sed nulla scientia, quæ non sit absoluta visionis, potest esse subsequens decretum, & cum illo connexa: nam omnis alia scientia, & præcedit decretum, & præscindit ab existentia illius, sicut & operis facti, & per illud determinati: ergo sola scientia visionis absoluta concipienda, & collocanda est, vt subsequens decretum operis facti: at scientia absoluta subsequens decretum operis facti non est practica respectu illius, cum serò, & inutiliter adveniat directio, & cognitio practica operis in signo, quo supponitur opus iam factum: ergo ex Scriptura scientia visionis absoluta non est practica, & directiva Dei, vt Artificis eorum, quæ exterius facit.

11 Constat etiam: communem, & vniformem sententiam Patrum esse: *Non ideo res esse existentes aut futuras: quia à Deo ita prævidentur; sed potius sic prævideri, quia tales in se sunt*, verba recole. Iam sic: si scientia visionis esset immediatè practica, & causa rerum, propositio opposita propositioni Patrum esset vera, sicut & illa falsa: sed propositio opposita propositioni Patrum non est vera, sicut nec illa falsa: ergo scientia absoluta visionis nō est immediatè practica, & causa rerum. Discursus est legitimus, & minor certa. Probatur maior. Propositio opposita propositioni Patrum est: *res esse existentes, aut futuras: quia à Deo ita videntur*; sed si scientia visionis absoluta esset immediatè practica, & causa rerum, talis propositio esset vera; cum ab ea scientia sint res futuræ, & existentes, quæ immediatè est practica, & influens, vt tales sint: ac per consequens opposita propositio Patrum ei immediatè contradicens esset falsa: ergo si scientia visionis esset immediatè practica, & causa rerum, propositio opposita propositioni Patrum esset vera sicut, & altera falsa.

12 Confirmatur: sentire scientiam visionis esse immediatè practicam, & causam rerum, est sentire *res esse existentes, aut futuras, quia sic videntur*; patet, cum sentire aliquem effectum esse ex influxu alicuius causæ, sit sentire talem effectum existere, quia existit talis causa: ergo ab oppositio, sentire *res existentes, aut futuras non esse tales: quia sic prævidentur*, est sentire scientiam visionis non esse immediatè practicam, & causam rerum: cum sentire aliquem effectum non esse ex influxu alicuius causæ, sit sentire talem effectum non dari, quia datur talis causa: at Patres vnanimiter sentiunt, & proferunt absolutè: *res non esse existentes, aut futuras; quia sic prævidentur à Deo*: ergo vnanimiter etiā sentiunt scientiam visionis absolutam non esse immediatè practicam, & causam rerū. Vrgetur: non stat excludere absolutè, & sine restrictione causalem à scientia visionis ad res existentes, & futuras, & admittere immediatum influxum, & causalitatem scientiæ visionis in res existentes & futuras: sed Patres absolutè, & sine restrictione excludunt causalem à scientia visionis ad res existentes, & futuras, vt constat ex illa eorum propositione: *res non sunt existentes, aut futuræ, quia sic viden-*

dentur : ergo non admittunt immediatum, & verum influxum scientiæ absolutæ visionis in res existentes, & futuras.

13 Sed videamus solutiones, quas fundamento proposito authoritatis parant Adversarij. Respondent primò: Patres in dicta causali *non ideo res sunt, quia videntur* procedere de scientia simplicis intelligentiæ, secus de scientia visionis, & huiusmodi intelligentiam sumi non aliunde, quàm ex nobis, quibus cum ex adverso objiciantur Patres sæpè dicentes, *non ideò res sciri à Deo, quia sunt; sed potius esse, quia sciuntur*, vt supra vidimus dicta disputatione 7. iam citata, respondemus: Patres accipiendos esse de scientia simplicis intelligentiæ; non de scientia visionis: quod si nobis liberum est, positionem illius causalis *res sunt, quia sciuntur* intelligere de scientia simplicis intelligentiæ; cur ipsis non erit integrum, intelligere exclusionem illius causalis *non ideò res sunt, quia sciuntur* de scientia simplicis intelligentiæ? Præcipuè cum intentum Patrum sit in his locis statuere contra Manichæos, concordiam divinæ præscientiæ cum libertate humana, cui plus videtur esse incommodi influxus scientiæ simplicis intelligentiæ, vtpotè necessariæ, quàm influxus scientiæ visionis, vtpotè contingentis. Sic Gonetus apud Herreram.

14 Data solutio incongrua omnino apparet menti & intento Patrum. Ostenditur primò. De illa scientia loquuntur Patres, dum negant causalitatem in existentia, & futura, de qua concedunt, esse quia res existunt, & futuræ sunt; sed scientia de qua concedunt esse, quia res existunt, & futuræ sunt est scientia visionis: ergo scientia, de qua procedunt Patres, dum ei negant causalitatem in existentia, & futura, est scientia visionis, & non simplicis intelligentiæ. Discursus est legitimus, & minor certa: quia non possunt dicere de scientia independente ab existentibus, & futuris, vt est scientia simplicis intelligentiæ, esse quia res existunt, & futuræ sunt. Probatur maior. Patres in prædicto discursu procedunt adversativè negando influxum scientiæ in res futuras, & præsentes, quem concedunt rebus præsentibus, & futuris in scientiam, quomodo manifestum facit propositio ipsorum: *res non sunt, quia sciuntur; sed sciuntur quia sunt*; sed non procederent adversativè, si de diversa scientia in vno extremo ac in altero loquerentur: ergo de illa scientia loquuntur Patres, dum negant causalitatem in existentia, & futura, de qua concedunt esse; quia res existunt, & futuræ sunt.

15 Secundò: frustra & invtiliter Patres assumerent, vt medium ad probandum scientiam Divinam non inducere necessitatem, oppositam libertati, excludere causalitatem illius scientiæ, quæ etiam si detur, non esset fundamentum vllum necessitatis oppositæ libertati; sed etiam si detur causalitas scientiæ simplicis intelligentiæ in operationem liberam, non potest esse fundamentum vllum inducendi necessitatem oppositam libertati: ergo quando negant causalitatem scientiæ in res existentes, & futuras, procedunt de scientia visionis, non de scientia simplicis intelligentiæ. Maior est certa. Probatur minor. Id, quod si causet, tantum causat, vt indifferens, tàm ad rem præsentem, & futuram, quàm ad eius defectum, non potest esse fundamentum ad inducendam necessitatem libertati; magis quam ipsa libertas etiam indifferens ad vtrumvis; sed scientia simplicis intelligentiæ, si causet, tantùm causat, vt indifferens, tam ad rem præsentem, & futuram, quàm ad eius defectum propter indifferentiam, quàm ad vtrumvis dicit possibilitas rerum contingentium repræsentata per scientiam simplicis intelligentiæ; ergo etiam si detur causalitas scientiæ simplicis intelligentiæ in operationem liberam, non potest esse fundamentum vllum inducendi necessitatem oppositam libertati.

16 Tertiò: de illa scientia procedebat argumentum Patrum intendens per illam adversativam ostendere benè componi cum libertate, & dominio ipsius, de qua iudicabant adversarij cum quibus agebant, vel non dari in Deo, vel necessitatem imponere; patet, aliàs extra rem loquerentur, & provt non decet, extra controversiam exirent; sed scientia, de qua iudicabant adversarij, vel non dari in Deo, vel necessitatem imponere, & funditus libertatem evertere, erat scientia futurorum, & cum defectu exercitij liberi non componibilis, qualis est scientia vlsionis; non verò scientia simplicis intelligentiæ, quæ propter suam indifferentiam non plus diffi-

difficultatis poterat illis ingerere ad libertatem ſervandam; quam exiſtentia ipſa Dei, quam non negabant, & cum libertate benè compoſita cognoſcebant: ergo ſcientia tacta in adverſativa illa eſt ſcientia viſionis; ſecus ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Explicatur: Gentiles, & Hæretici eam ſcientiam negabant in Deo; quam iudicabant libertati officere; ſed non negabant ſcientiam poſsibilium in Deo: ergo nec iudicabant ſcientiam poſsibilium libertati officere: at ſi Patres per medium illud aſſumptum ad convincendos Gentiles, & Hæreticos, tantum reſpicerent ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quaſi oſtendentes hanc ex defectu cauſalitatis, libertati non nocere, actum agerent, & omiſſo errore Gentilium, & Hæreticorum, id ipſum, quod benè ſentiebant, confirmando inculcarent, quo potius ludibrio quam victoriæ ſe exponerent: ergo patentiſsimum oſtenditur ſcientiam ſimplicis intelligentiæ fuiſſe extra illorum intentum, & mentem.

17 Hinc videat Magiſter Gonet quo iure, aut qua facilitate, vt ipſe vult, poſsit ſe convertere ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, niſi velit vt efficaciam argumenti fugiat, Patrum diſcurſum ita debilem reddere; & à propoſito diſtrahere, vt ſub prætextu impugnandi errorem, deturbandique Gentiles, & Hæreticos à ſua falſa ſententia, quaſi aliud omnino agentes nihil minus, quam de impugnatione ſuſcepta curaſſe. Paritas autem qua vtitur ex noſtro modo reſpondendi, vnde putat ſibi liberum eſſe terminos pro nunc invertere, nulla eſt: quia ſi cauſalitatem attributam ſcientiæ per ipſos ſimplici intelligentiæ, non viſioni conſignamus, id facimus fundamento deſumpto ex ipſis Patribus, & circunſtantijs, quibus procedebant, vt verba ipſorum clarè inſinuant. Videantur dicta ſupra diſputatione 7. & capite præcedenti præſentis diſputationis, num. 49. iterum refricanda, cum ſe offerat occaſio. At pro ſua intelligentia, quodnam fundamentum adducit ſenſui Patrum benè concernens, & intentum ipſorum non invertens? Nullum profecto, niſi mirabilem illam facilitatem, qua ſe ab omnibus expedit: quare libenter annuam ipſi dicenti: *ſibi liberum eſſe ita exponere:*

18 Nec diſsimulanda congruentia illa adducta ex neceſsitate ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, vt propter ipſam potius ingereret difficultatem contra libertatem quam ſcientia viſionis contingens, in quo liberè etiam, & ad nutum, vt ſibi proſpiciat, facit Gentiles, & Hæreticos adeò ſtolidos, vt ex neceſsitate principij in exiſtendo arguerent neceſsitatem effectus; & cauſandi. Vndè rurſus ſtolidiùs, & inconſequentius procederent, ſi negantes ſcientiam, non negaſſent exiſtentiam Dei, & Omnipotentiam neceſſariſsimam in exiſtendo: ac per conſequens in cauſando; necnon exiſtentiam libertatis in nobis, quæ ſine exiſtentia primæ libertatis neceſſariæ nobis in eſſendo, ne aliter daretur proceſſus infinitus libertatum ſe quoad exiſtendum liberè determinantium exiſtere nequit.

19 Reſpondent ſecundò alij: Patres affirmantes *non ideò res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo*, intelligendos eſſe de ſcientia Dei ſecundùm ſe ſumpta, quatenus non habet voluntatem adiunctam, quomodo rerum cauſa non eſt, & ideò non eſt cauſa peccati quamvis iſtud à Deo præſciatur; non verò de ſcientia, prout habet adiunctam voluntatem, qua ratione ſcientia viſionis cauſa eſt. Hæc ſolutio quoad ſpeciem videtur deſumpta ex Divo Thoma ex præſenti articulo 8. vbi propoſito ſibi argumento ex verbis Origenis dicentis ſuper Epiſtolam ad Romanos: *Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ideò ſcitur à Deo antequam fiat.* Reſpondet: *ad primum ergo dicendum eſt, quod Origenes loquutus eſt attendens rationem ſcientiæ, cui non competit ratio cauſalitatis, niſi adiuncta voluntate, vt dictum eſt.*

20 Sed contra primò: quia ſi ex nō adiunctione voluntatis ad ſcientiam, ſed ex conſideratione ipſius ſecundum ſe, dicerent: *non eſſe res, quia ſciuntur*; ſimiliter ex non adiunctione voluntatis ad res; ſed ex conſideratione ipſarum ſecundùm ſe, dicerent: *Non ſciri res, quia ſunt*; neque enim minùs indigent res exiſtentes, aut futuræ, (præcipuè in ſententia Thomiſtarum, apud quos futuritio conſiſtit in voluntate actuali, & decreto Dei, vt tales ſint ſicut & ratio exiſtendi ſcientiam) voluntate adiuncta, quàm ſcientia ipſas repræſentans indiget voluntate adiuncta, vt ſit ratio quare ipſæ futuræ ſint, aut exiſtant; nec magis ſcientia poteſt conſiderari ſecundùm ſe, & ſine adiuncta voluntate, vt ſic non ſit ratio exiſtendi res, quàm iſtæ poſſunt

con-

considerari secundum se, & secundum sua prædicata essentialia, vt sic non sint ratio existendi essentiam visionis: ergo si Patres causalitatem, quam negant scientiæ respectu rerum, concedunt rebus respectu scientiæ, signum est, quòd non procedunt de scientia considerata secundum se, & sine adiuncta voluntate.

21 Contra secundò: scientiam ex adiuncta voluntate, & non secundum se tantum esse causam rerum, non impedit scientiam esse causam rerum: id enim, quod ex alio, & cum alio rem causat illius causa est, aliàs immerito dicerent Thomistæ scientiam visionis esse causam rerum, cum apud ipsos tantum ex adiuncta voluntate causet illas; tum sic: aut Patres iudicabant difficultatem sibi obiectam de non cohærentia divinæ præscientiæ cum libertate, esse solvendam per remotionem causalitatis à scientia vel non? Si hoc secundum: quare soliciti de exclusione causalitatis hoc, vel illo sensu, provt volueris, quam sentiebant non conducentem ad intentum. Si primum: quid efficaciæ in removenda causalitate à scientia secundum se, si adhuc ex adiuncta voluntate vera causa manebat: redargui enim facillimè possent sub hac forma: impedimentum nostræ libertatis est causalitas scientiæ; sed per vos, quod scientia non causet, nisi ex adiuncta voluntate, non tollit, quod scientia causet, & sit ratio à priori nostræ operationis: ergo quod visio non sit causa nostræ operationis, nisi ex adiuncta voluntate; non tollit impedimentum nostræ libertatis.

22 Explicatur: non remota causalitate à scientia secundum se, nihil apud Patres erat in scientia, aut *influxus*, aut *connexionis* cum operatione libera, quod remota causalitate à scientia secundum se, & admissa causalitate ex adiuncta voluntate, non invenirent in coniuncto scientiæ, & voluntatis; nempè, *& influxum ex se*, cum coniunctum illud non causet ex alio adiuncto, *& connexionem* cum effectu causato, quæ per se est patens in illo coniuncto: ergo vel nihil incommodi vitabant quoad cohærentiam præscientiæ, & libertatis per remotionem causalitatis à scientia secundum se, ideoque de ipsa non erat curandum, vel incommodum, quod vitabant non admissa causalitate scientiæ secundum se sumptæ, devorabant in coniuncto ex scientia, & voluntate: vndè per solutionem argumenti, aut in eàdem difficultate insoluta persistebant; aut novam excitabant, & non solvebant.

23 Contra tertiò. Difficultas concordiæ præscientiæ, & libertatis oriebatur apud Gentiles, & Hæreticos ex antecedentia, & connexione scientiæ ad obiectum, & cum obiecto, quod repræsentabat; sed pro hac antecedentia, & connexione vitanda, vnde apud contrarios antecedebatur necessitas; non erat medium aptum antecedentiæ, & & connexioni scientiæ adiungere aliud antecedens, & connexum, vt est voluntas sine cuius adiunctione scientia non causat: ergo inepte ad temperandam difficultatem concordiæ præscientiæ, & libertatis assumerent, vt medium, exclusionem causalitatis scientiæ secundùm se consideratæ. Probatur minor. Non est medium aptum pro antecedentia, & connexione vitanda ex vno capite addere aliud cum simili antecedentia, & connexione conservativum primi; sed antecedentiæ, & connexioni scientiæ adiungere aliud antecedens, & connexum, vt est voluntas, sine cuius adiunctione scientia non causat, est connexioni, & antecedentiæ ex vno capite addere aliud cum simili antecedentia, & connexione conservativum primi: ergo pro antecedentia, & connexione vitanda, vnde apud adversarios oriebatur necessitas, non erat medium aptum antecedentiæ, & connexioni scientiæ adiungere aliud antecedens, & connexum, vt est voluntas sine cuius adiunctione scientia non causat.

24 Explicatur vis huius rationis, ostendendo quale esset medium assumptum à Patribus, stante doctrina solutionis ad probandum scientiam non inducere necessitatem; sed benè cum libertate componi. Itaque difficultas erat: quomodo præscientia antecedens, & connexa, cum, provt talis, esset ratio infallibilis existendi suum obiectum, non imponeret necessitatem voluntati, cuius operationem repræsentabat? Cui difficultati, vt occurrerent Patres, & eam extirparent, sic procedebant ex doctrina solutionis. Præscientia antecedens, & connexa, & si provt talis, sit ratio infallibilis existendi suum obiectum, non est sola ra-

tio infallibilis exiſtendi ſuum obiectum; ſed aſſociata cum altera ratione infallibili fundata etiam in præcedentia, & connexione; ſed ratio infallibilis alicuius effectus fundata in præcedentia, & connexione multiplicata neceſsitatem non inducit, cum id tantum competat vni rationi infallibili fundatæ in præcedentia, & connexione: ergo &ſi ſcientia divina præcedat, vt connexa ad actus voluntatis, huic neceſsitatem non imponit. Ecce diſcurſum, & medium aſſumptum a Patribus ſtante doctrina ſolutionis ad probandam cohærentiam præſcientiæ, & libertatis, quo quid inefficacius, aut magis à mente ſeria exorbitans, cum ad hos terminos breviter reducatur *vna antecedens connexio neceſsitatem inducit; duplex verò libertatem ſervat.*

25 Contra quartò: Scientia viſionis reſpectu omnis operationis non malæ habet ex ſe, & ex intrinſecis adiunctam voluntatem cauſativam illius: quia eo modo, quo eſt connexa metaphiſicè cum exiſtentia operis boni, etiam eſt metaphiſicè connexa cum illo, ſine quo exiſtere nequit opus bonum. Iam, aut quod ſcientia Dei habeat adiunctam ex ſe voluntatem cauſativam operis officit libertati; vel non? Si non officit: vt quid ad eam ſervandam recurrunt ad excludendam determinationem ex parte ſcientiæ ſecundum ſe ſumptæ ad coniunctionem cum voluntate cauſativa. Si primum: ergo in ſolo peccato cohæret præſcientia Dei cum libertate: quia ibi tantum ſcientia viſionis, neque eſt ex ſe determinata ad coniunctionem voluntatis cauſativæ, neque coniuncta cum tali voluntate: vndè maiori ex parte cederent Patres difficultati propoſitæ, & tantum probarent, non deeſſe voluntati libertatem ad peccandum. In quo iterum ſe implicarent: nam quomodo poſſet eſſe libertas ad peccandum, ſi excluſio peccati, quæ recta eſt, non aliter ac neceſſario eſſet ponenda.

26 Contra quintò: quia quòd rationi ſcientiæ ſecundum ſe non competat cauſalitas; ſed ex adiuncta voluntate, vt probant in ſcientia de peccato, quæ cauſa illius non eſt, propterea, quod non coniungatur cum voluntate cauſativa illius, præciſè probat: ſcientiam Dei non eſſe cauſam peccati: ergo Patres ſic reſpondentes quæſtionem propoſitam deſererent, & ad aliam tunc non controverſam de cauſalitate Dei in peccatum litem devolverent: rogantique quomodo ſcientia antecedens, & connexa cum voluntatis exercitio eam non neceſsitet? Reſponderent: quia ſcientia non eſt cauſa peccati: vndè potius difficultates foverent; quàm extinguerent per replicas ſtatim occurrentes, ſcilicèt: quomodo ſcientia Dei non eſt cauſa peccati, aut non coniungitur cum voluntate cauſativa illius, ſi ex præcedentia, & connexione apparet neceſsitas antecedens illius? Aut quomodo cum libertate boni operis componitur, ſi ſibi deficit ratio, *ob quam* per vos cum libertate operis pravi cohæret?

27 Contra ſextò: quia, vt data ſolutio ſubſiſteret, propoſitio illa Patrum, *non ideò ſunt res, quia ſciuntur* deberet intelligi in ſenſu ſtrictè cauſali; ſed apud vtentes prædicta ſolutione propoſitio illa Patrum non debet intelligi in ſenſu ſtrictè cauſali: ergo neque apud ipſos ſtare poteſt ſolutio adhibita. Maior eſt certa, ex doctrina ipſorum apud quos propoſitio illa negativa Patrum intelligitur de ſtricta ſcientiæ cauſalitate. Probatur minor. Propoſitio illa negativa Patrum, *non ideò res ſunt, quia ſciuntur* debet intelligi in eodem ſenſu, in quo intelligitur propoſitio altera adverſativa affirmans: *Ideò ſciuntur res, quia ſunt*; patet, nam intentum Patrum ad ſalvandam cohærentiam præſcientiæ, & libertatis eſt in eodem ipſiſsimo ſenſu, quo negant ſcientiæ, eſſe rationem quare res exiſtant concedere rebus eſſe rationem, quare ſcientia exiſtat, alias obſcurè nimis procederent ex diverſitate ſenſuum duarum propoſitionum propoſitarum, vt ſibi adverſantium; ſed apud vtentes prædicta ſolutione propoſitio illa adverſativa affirmans *ideò ſciuntur res, quia ſunt*, non poteſt intelligi in ſenſu ſtrictè cauſali, cum dicant debere intelligi in ſenſu purè illativo; non in cauſali, ſeu de cauſalitate conſequentiæ, & non de cauſalitate in eſſendo, ideſt quod benè valeat *res eſt futura, aut exiſtens*: ergo *ſcitur à Deo, vt talis*, propter connexionem quam dicunt ad ſcientiam: ergo apud vtentes prædicta ſolutione propoſitio illa negativa Patrum, *non ideò res ſunt, quia ſciuntur*, non debet intelligi in enſu ſtrictè cauſali.

Di-

28 Dixi in propositione impugnatæ solutionis ea quoad speciem vsum fuisse Divum Thomam; quia quoad rem iudico, Angelicum Doctorem omninò distare ab ea interpretatione, quoad scientiam visionis, & in sensu, quo ea vtuntur Thomistæ. Ratio mihi est efficacissima: quia Sanctus Thomas in dicto articulo octavo proponit generaliter investigandum: *Vtrum scientia Dei sit causa rerum?* præscindendo à scientia cui talis ratio determinatè, & in particulari competat, & pro ratione dubitandi, favente parti negativæ causalitatis sub tali præcisione scientiæ adducit verba relata Origenis. Quibus (post quæstionis resolutionem, in qua tenet: Scientiam illam esse causam rerum, quæ cum se habeat indifferenter ad opposita, indiget determinatione voluntatis, vt in effectum prodeat, quod quidem, vt per se patet, competit scientiæ simplicis intelligentiæ, non visionis, quæ propter connexionem, quam habet cum existentia sui obiecti non se habet indifferenter ad opposita; ac per consequens dari in Deo scientiam, quæ sit causa rerum) respondet: Origenem esse intelligendum, ita vt loquutus fuisset, *attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adiuncta voluntate, vt dictum est.* Ac si diceret: si quamvis Origenes in re tantum negaverit causalitatem scientiæ visionis; ex quo non sequitur deesse in Deo rationem scientiæ causativæ rerum, cum vltra scientiam visionis remaneat scientia simplicis intelligentiæ, quam probavi, & resolvi, esse causam rerum: vndè mihi non est contrarius; adhuc tamen, si velis ipsum intelligere vniversalius, & provt comprehendit omnem divinam scientiam; assero, neque hoc modò propositionem statutam oppugnare, neque rationem scientiæ causatiuæ rerum in tota sua latitudine acceptæ ab Origene excludi, cum satis aptè possit intelligi de negatione causalitatis scientiæ in actu secundo independentis ab exercitio divinæ voluntatis, quomodo à me est expositum, & sine discrimine ab Origene; imò cum ipso conveniens, relinquitur firma ratio causalitatis in divina scientia. Vide quomodo neque ex resolutione Divi Thomæ, neque ex interpretatione, quam præbet verbis Origenis, deducatur aliquid favens causalitati scientiæ visionis.

29 Respondent tertiò. Posse intelligi de divina præscientia, & prænotione, & temporaliter manifesta, & ostensa per os Prophetarum; non de divina scientia increata, & æterna, & secundùm se considerata, quod videtur insinuare Origenes, quando post verba iam citata subiunxit: *Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcircò prodidit Iudas; sed quia futurus esset proditor ea, quæ ille ex propositi sui nequitia gesturus erat, prædixerunt Prophetæ.*

30 Sed contra: quia quid pro difficultate orta ex scientia æterna, & increata solutio desumpta ex prænotione manifestata temporaliter per os Prophetarum? Aut qua veritate posset dici: prænotionem, provt manifestatam esse, *quia res erat futura*, nisi in quantum res futura erat in causa, vt existeret scientia; quæ manifestabatur in tempore per os Prophetarum? Quod si Patres aliquando mentionem fecerunt de scientia, provt manifestata per os Prophetarum non fuit, quia propositionem illam adversativam intelligerent de tali manifestatione; sed, vt per illud exemplum manifestationis temporalis scientiæ fieret perceptibile, quod de scientia increata, & æterna similiter asserebant, vel quia doctrinam generalem de scientia contrahebant ad prædictiones temporales in quibus erat eadem difficultas: vel denique quia ex prædictionibus Prophetarum arguebant non esse negandam Deo scientiam futurorum, & tam scientiam, quàm prædictionem esse eodem modò explicandam, ne libertati præiudicium inferrent.

31 Respondent quartò: scientiam absolutam visionis; v. g. consensus Petri absolutè existentis, aut futuri, duplicem habere respectum, & ad decretum, cui innititur, & ad consensum ipsum, quem repræsentat existentem in sua duratione. Secundùm illum respectum ad decretum dicitur scientia practica; secundum istum verò ad obiectum, quod repræsentat, dicitur speculativa. Indè Patres interpretantur, & dicunt, quod quando negant scientiæ causalitatem, procedunt de ipso, provt est scientia speculativa, & dicit ordinem ad obiectum, quod repræsentat; secus de ipsa, provt est practica, & scientia approbationis secundum respectum, quem

dicit ad decretum. Cum hoc modò respondendi coincidit altera solutio, quam præbent alij dicentes: in scientia esse considerandam rationem *imperij, & repræsentationis*: scientia igitur divina, provt habet rationem imperij, est practica, quomodo non negatur a Patribus esse rationem, & causam, quare res existant; ast, provt habet rationem repræsentationis, est speculativa, sub qua ratione dixerunt Patres ei non competere, quod sit causa rerum, & res non esse, quia sciuntur.

32 Vtraque hæc solutio, sive duplex modus explicandi eandem solutionem non est conformis menti Patrum, nec vtilis pro intento eorum. Probo primam partem. Mens Patrum iudicabat necessarium ad cohærentiam præscientiæ, & libertatis aliquid tribuere obiecto repræsentato per scientiam, quod non tribueretur scientiæ; & aliquid negare scientiæ, quod non negaretur obiecto: patet ex ipsa propositione adversativa ipsorum *res non sunt, quia sciuntur; sciuntur verò quia sunt*: sed si tantum negassent causalitatem scientiæ secundum vnam rationem, nempè: secundum rationem *repræsentativæ*, aut *speculativæ*, nihil restaret tribuendum obiecto, quod non tribueretur scientiæ, aut negandum scientiæ, quod non negaretur obiecto: ergo prædicta solutio non est conformis menti Patrum. Probo minorem. Non restaret tribuendum obiecto, quod non tribueretur scientiæ, aut negandum scientiæ, quod non negaretur obiecto, nisi vel illatio, aut causalitas; sed neque illatio, neque causalitas: ergo si tantum negassent scientiæ causalitatem secundùm vnam rationem, nempè: secundùm rationem *repræsentativæ*, aut *speculativæ*, nihil restaret tribuendum obiecto, quod non tribueretur scientiæ, aut negandum scientiæ, quod non negaretur obiecto. Probo minorem, quoad vtramque partem. Non *illatio* vnius ad aliud: quia sicut ab obiecto ad scientiam benè valet consequentia rationalis, sic à scientia ad obiectum eo modo, quo per ipsam repræsentatur, benè valet similis consequentia: non *causalitas*; quia si semel causalitas, quæ negatur scientiæ secundùm vnam formalitatem tribueretur obiecto respectu eiusdem formalitatis, iam obiectum esset causa, & ratio existendi scientiam secundùm aliquam formalitatem, nempè in ratione *repræsentationis*, quod negant Aduersarij, & præterea nulla esset ratio, vt non præcederet scientia secundum omnem formalitatem, præcipuè cum præcedentia obiecti ad scientiam esset in diverso genere causæ: ergo neque illatio, neque causalitas restaret tribuenda obiecto, quæ non tribueretur scientiæ, aut neganda scientiæ, quæ non negaretur obiecto.

33 Aliter eandem partem promoveo. Si de mente Patrum esset tantùm excludere causalitatem scientiæ secundum vnam considerationem, non se explicassent modo illo adversativo: *Sed ideò sciuntur, quia sunt* minimè necessario ad explicandum scientiam secundum vnam formalitatem causare, non secundum alteram, & quidem satis frigido ex eo quod causalitatem sonaret & nullam causalitatē contineret: ergo vel de mente Patrum fuit potius omnem causalitatem, & secundum omnem rationem scientiæ auferre, eamque secundum omnem rationem obiecto tribuere, quomodo etiam ad rem erat modus ille se explicandi adversativè, quam aliqua causalitate, & secundum aliquam rationem scientiæ cōcessa, aliam & sub diversa consideratione eidem scientiæ negare.

34 Probo iam secundam aliam partem *de inutilitate ad intentum*. Quod erat, vt dictum est, ostendere contra Hæreticos, & Gentiles, præscientiam Dei non officere libertati arbitrij: quia licèt, vtpotè vera essentialiter, esset essentialiter connexa cum effectu repræsentato; non tamen erat ratio existendi operationem voluntatis; v. g. *consensus*; sed potius consensus erat ratio existendi scientiam: vndè tota illa necessitas connexionis, quæ putabatur à Gentilibus, & Hæreticis antecedens, ostendebatur à Patribus per illum modum adversativum in ratione causalitatis, & rationis existendi purè consequens, & libertati non infensa: vndè constat clarè, quod si Patres causalitatem, & rationem existendi res, quam excludebant à scientia, excluderent dumtaxat restrictè, & secundùm vnam considerationem, id ipsum, quod intendebant, destruerent: nam profecto quid pro excludenda necessitate antecedente penitus, & ex omni titulo, quam ex causalitate scientiæ proventuram innuebant, eam ex parte tantùm removere, & ex parte relinquere, vt sic fa-

facillimè ad hominem redarguerentur sub hac forma. *Per vos eo modo quo in scientia sit causalitas, & ratio existendi res, est necessitas; sed per vos aliquomodo non deficit causalitas in scientia: ergo aliquomodo existit necessitas.* Ideò argumentum Patrum non tam ostenderet : scientiam Dei non imponere necessitatem voluntati ; quàm necessitatem , quæ in re dabatur, ex omni consideratione non provenire : quod quantum distet ab intento Patrum, per se satis ostenditur.

35 Respondent quintò. Patres per illos loquendi modos tantum intendisse ostendere, præscientiam Dei nullam imponere necessitatem , neque arbitrio voluntatis nocere : quare non negant absolutè causalitatem scientiæ; sed causalitatem non attemperatam libertati , & in hoc sensu affirmant *res non esse : quia sciuntur* , ideſt non sunt ex necessitate , aut cum libertatis dispendio, quia sciuntur;quamvis verè sint ex scientiæ causalitate proportionata libertati servandæ , quod intendunt suadere esse ex mente Divi Thomæ , quæstione 2.de veritate , artic.14. ad 1. dicentis pro expositione Origenis in eiusdem repetitis verbis , *quod intentio Origenis est dicere, quod scientia Dei non est causa , quæ inducit necessitatem in scito , vt ex hoc cogatur aliquid evenire.*

36 Solutio ista difficilior est omnibus præcedentibus , in qua (ni fallor) respondentes ex nimia adhæsione ad propriam sententiam , se ostendunt parum curantes de discursu Patrum , quos vsque ad petitionem principij deducunt in solutione difficultatis sibi propositæ, & ostensione componibilitatis præscientiæ , & libertatis. Id facilè ostenditur ex ipsa terminorum propositione. Siquidem ineptissimum , & inefficacissimum medium est ad suadendam conclusionem, de qua est controversia,ipsius conclusionis repetitio: sed iuxta doctrinam solutionis ad suadendam conclusionem cohærentiæ præscientiæ divinæ,& libertatis , de qua erat controversia , non aliud medium assumerent Patres, quàm repetitionem ipsius conclusionis , quam studebant firmare: ergo ex data solutione inefficax , & ineptus redditur discursus Patrum. Probatur minor , ad quam reducitur difficultas. Cõclusio stabilienda erat compositio præscientiæ,& libertatis , quam impugnabant Gentiles , & Hæretici ex eo , quod præscientia Dei ob suam præcedentiam , & connexionẽ debebat esse ratio determinativa, vt existeret obiectum scitum ; sed pro hac conclusione suadenda non aliud medium proponebant Patres (ex tradita solutione) nisi quòd divina præscientia erat ratio existendi obiectum scitum taliter attemperata libertati ipsius, vt libertatem non destrueret , quod est formalissimè asserere . præscientiã ex se benè componi cum libertate;& conclusionem impugnatam repetere: ergo iuxta doctrinam solutionis ad suadendam cõclusionem cohærentiæ præscientiæ divinæ , & libertatis , de qua erat controversia , non aliud medium assumerent Patres , nisi repetitionem ipsius conclusionis,quam studebant firmare.

37 Quod , vt videant , ponant Thomistæ ,cum sint , & impugnatores scientiæ contingentis conditionatæ non innitentis decreto absoluto Dei , quam tuetur Iesuitarum Schola , ex eo , quòd videatur opposita divino dominio, cum faciat dependentes operationes Dei ab operatione liberâ creaturæ : vndè potius creatura apparet Domina ; quàm Deus,cui,vt primæ causæ debet esse subiecta: Doctores Societatis respondentes ponderi Authoritatis,& rationis,quibus doctissimè ab ipsis impetuntur:hæc tantum locũ tenere quoad scientiã contingentem conditionatam non innitentem decreto, & non attemperatã divino dominio ; secus quoad scientiam ex se attemperatam divinæ libertati , & dominio , & quæ ex suo modo tendendi respicit operationem creaturæ, vt operatio est creaturæ subiectæ , & benè compositæ cum causa prima perfectissima, à qua dependet , qualis est scientia à nobis admissa,quæ tẽperata ad servandã illæsam omnem divinam perfectionem proclamatur : non ne dicerent modum istum respondendi continere egregiam petitionem principij , & vnicè in ipsa conclusione obstinatè protecta effugium quærere ? Id igitur quod in nobis iure reprehenderent , ad Patres protegentes cohærentiam præscientiæ , & libertatis transferunt , & perspicaciam eorum in probando, quasi hebetare non respuunt.

38 Itaque Patres contra Gentiles, & Hæreticos pro conclusione tenebant, scientiam Dei libertati nõ officere ; imò fœdere amico cum ipsa componi ; verùm , vt id ostenderent,& ab obiectis liberarent , non ibi sistebant dicentes

ſcientiam Dei eſſe rationem obiecti ſciti attemperatam libertati ipſius, ne ſic de petitione principij notarentur; ſed medium aſſumebant proportionatum ſcilicèt, ſcientiam non eſſe rationem, quare cauſaliter res exiſterent, è converſo tamen res eſſe cauſaliter rationem, quare ſcientia exiſteret: vndè remota omni cauſalitate à ſcientia in obiectum ſcitum clariſsimè inſinuabant neceſsitatem, quæ ex connexione ſcientiæ ad obiectum repræſentatum reſultabat, eſſe neceſsitatem ſolam conſequentem ad ipſum exercitium liberum, vndè ortum ducebat, ac per conſequens non violantem libertatis iura pluſquam neceſsitas inducta per exiſtentiam ipſius exercitij liberi, quæ planè libertati non nocet, cum ab ipſo libertatis dominio deſcendat. En quomodo cauſalitatem aliquam, quia attemperatam libertati, non relinquebant in ſcientia, ſed omnem cauſalitatem ab ipſa removebant, vt ſic demonſtrarent ſcientiam, & connexionem illius libertati attemperatam. Id ipſum ſuadet non leviter modus adverſativus ponderatus, ſe explicandi, quo vſi ſunt Patres, *ſed ideò res ſciri, quia ſunt* quem, vt ſuperfluum, reliquiſſent, ſi animus eſſet intentum aſſequi per ſolam poſitionem cauſalitatis ſciētiæ temperatæ libertati, ſufficeret enim, aut aſſerere poſitivè: *res ſunt, quia ſciuntur cauſalitate proportionata libertati*; aut negativè: *res non ſunt, quia ſciuntur cauſalitate non proportionata libertati obiecti ſciti.*

39 Confirmatio adducta ex verbis Divi Thomæ in expoſitione Origenis intentum adverſariorum non ſuadet. Vel quia modus ille negativus, quo ſe explicat Præceptor Angelicus, *intentio Origenis eſt dicere, quod ſcientia Dei non eſt cauſa, quæ inducit neceſsitatem*, non probat eſſe de mente illius: *eſſe cauſam non inducentem neceſsitatem*, cum iudicante Origene ſcientiam nullo modò eſſe cauſam, verum ſit: intentionem Origenis eſſe quod ſcientia Dei non eſt cauſa, quæ inducit neceſsitatem. Vel quia ex doctrina ſupra data cōſtat, Divum Thomam accepiſſe verba Origenis, provt comprehendentia omnem ſcientiam, ſcilicèt viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, quomodo dum aſſerit *res non eſſe, quia ſciuntur*, ne videatur removere à ſcientia divina in tota ſua latitudine cauſalitatem, expoſuit Divus Thomas intentionem Origenis tantum fuiſſe excludere cauſalitatem ſcientiæ, quæ induceret neceſsitatem, vt eſſet cauſalitas ſcientiæ viſionis; ſecus cauſalitatem ſcientiæ non inducentem neceſsitatem, qualis eſt cauſalitas ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.

40 Specialiter authoritate Divi Thomæ probatur concluſio ex omnibus illis locis, quibus capite præcedenti à numero 50. probavimus ex mente eiuſdem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe practicam, & cauſam rerum, vbi ex medio probativo, quo vtitur ad id ſuadendum cōvincitur excludere ſcientiam viſionis à ratione practicæ, & cauſæ rerum. Suadetur mihi pluſquam probabiliter, ne dicam evidentiſsimè, ex eo, quòd Doctor Angelicus in corpore huius articuli vbi inquirit: an ſcientia Dei ſit practica? Ait: eam ſolam ſcientiam eſſe practicam, & cauſam rerum, quæ ex indifferentia ſui ad oppoſita indiget determinari ad operandum per actum liberum divinæ voluntatis; ſed ſcientia viſionis ex ſe non eſt indifferens ad oppoſita propter cōnexionem, quam dicit cum exiſtentia obiecti ſciti, & repræſentati: ergo de mente ipſius non eſt ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum: idem repetit alijs in locis loco citato recolendis, in quibus ſemper loquitur de ſcientia Dei, vt Artificis, quæ practica eſt, & cauſativa rerum, tanquam de ſcientia ex ſe indifferente ad artificiatum, quæ propterea indiget voluntate adiuncta determinante, vt prodeat in opus determinatum.

41 Accedit quòd, vt benè ponderat Arrubal, diſputat. 32. cap. 3. num. 11. ſententia eſt Divi Thomæ, quæſt. 2. de veritate, artic. 14. circa finem, & in 1. diſtinctione 38. quæſt. 1. articulo 1. ad vltimum; inter ſcientiam Dei, quæ eſt cauſa rerum, & ipſam rem cauſatam mediare aliud principium, nempè voluntatem; necnon creaturas non eſſe à Deo per neceſsitatem ſcientiæ; ſed per libertatem voluntatis: at ſcientia viſionis non eſt ſcientia inter quam, & rem cauſatam mediet divina voluntas, cum ante determinationem divinæ voluntatis res poſsibilis intelligatur indifferens, vt exiſtat, vel non exiſtat, & cum hac indifferentia non componatur ſcientiæ viſionis determinatio, vt res repræſentata potius exiſtat; quam non exiſtat vel è converſo, quare ſi præcederet divinam voluntatem, res cauſata non eſſet à Deo

per

per libertatem voluntatis: sed ex necessitate scientiæ determinantis voluntatem: ergo dici nequit ex sententia D. Thomæ scientiam visionis esse causam rerum.

42 Addo in idem assumptum rationem aliam non incongruam desumptam ex his, quæ docet Illustrissim. Godoy disputatione citata §. 2. num. 17. Etenim ait, esse innegabile iuxta Div. Thomam, Scientiam simplicis intelligentiæ esse aliquomodo practicam, concurrereque actualiter ad productionem rerum, propterea que asserit ipse dicendam practicam, & causativam rerum remotè: vnde sic arguo. Per te de mente Div. Thomæ est, scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam, & causativam rerum; sed si iudicasset esse remotè tantum practicam, & causativam rerum; darique aliam scientiam, nempè visionis, proximiùs practicam, & causativam rerum, id distinxisset, quando ex proposito investigabat: vtrùm scientia Dei sit practica? Vt facit in præsenti articulo, alias nimis obscurè quæstionem resolveret, & non provt decet tantum Doctorem: ergo quia de mente eius non fuit talis distinctio scientiæ in remotè, & proximè practicam; verùm vnicè esse practicam illam scientiam, videlicèt: *simplicis intelligentiæ*, quam fateris esse practicam iuxta Div. Thomam.

43 Ex his miror doctissimum hunc Magistrum §. 3. post statutam conclusionem de causalitate scientiæ visionis asseruisse, esse expressam D. Thomæ pluribus in locis: quare magis acquiesco nostro Arrubali dicenti, oppositam sententiam esse de mente Angelici Præceptoris manifesta ratione convinci, in quo socios habet duos Dominicanos nobilissimos Magistros, vnum Generalem eiusdem Ordinis Fr. Franciscum Romæum, cuius verba supra dedimus disputatione 7. num. 48. alterum in Gallia Inquisitorem Fr. Matthæum Orium, aientem lib. contra hæreses de quinque verbis Pauli verbo *libertas* circa finem: *Manifestum est, quòd visio Dei, qua videt aliquem agere, vel non agere, non est causa talis actus, vel operationis, sicut homo videns incedentem per viam non est causa illius incessus; ita nec Dei visio causat operationem in nobis.* In quo modo se explicandi sequutus est morem Sanctorum Patrum frequenter vtentium exemplo visionis nostræ ad explicandam concordiam infallibilis præscientiæ Dei cum nostra libertate: quamvis dixerit Magister Gonet Patres vsos fuisse ea similitudine tanquam populari, & ad vulgi captum accommodata, eaque solum intendisse declarare Scientiam visionis non esse in Deo obscuram, & ænigmaticam, sicut est cognitio Prophetarum. In quo parum cautè processit non videns, quod si similitudo tantum teneret quoad claritatem scientiæ divinæ, non esset medium ad explicandam concordiam præscientiæ, & libertatis; sed ad augendum difficultatem illius.

44 Deinde probatur 1. ratione proposita à Div. Thom. in præsenti articulo, & aliis locis: quia Scientia Dei est causa rerum eo modo, quo Scientia Artificis est causa artefacti; vnde causalitas Scientiæ divinæ est consideranda, & attendenda ex causalitate, qua Scientia Artificis opus artificiosum operatur; sed Artifex creatus, qui operatur per Scientiam practicam dirigentem ad operis artificiosi exequutionem, istud non efficit per Scientiam intuitivam, & quæ illud repræsentat, vt existens; sed per aliam Scientiam, qua cognoscit naturam, & conditionem effectus, provt factibilis, & operabilis, necnon modum, quo factibilis, & operabilis est: ergo Deus similiter, cuius Scientia practica, & causativa rerum ad modum Scientiæ, qua dirigitur Artifex, non efficit res creatas per scientiam intuitivam, & visionis, qua illas cognoscit, vt existentes; verùm per scientiam ostendentem naturam, & conditionem rei creatæ provt factibilis, & modum, quo ab ipso factibilis, & operabilis est, quæ est scientia simplicis intelligentiæ. Minor à qua dependet vis rationis, facilè probatur. Scientia intuitiva Artificis operis, seu artefacti, provt existentis, est Scientia, quæ in illo datur per species acquisitas ab ipso effectu: ac per consequens Scientia præsupponens ipsum effectum, vt iam factum, & existentem, vtpote ab illo, provt existente causata: sed scientia præsupponens effectum causatum, & repræsentans opus, vt iam factum, non est Scientia practica respectu illius, cum nemo dirigatur ad iam factum; verùm ad faciendum, & adhùc operabile: ergo Artifex creatus, qui operatur per scientiam practicam dirigentem ad operis artificiosi exequutionem, istud non efficit per Scientiam intuitivam, & quæ illud repræsentat vt existens; sed per aliam scientiam, qua cognoscit natu-

ram,

ram, & conditionem effectus, provt ab ipso factibilis, & operabilis, & modum quo factibilis, & operabilis est.

45 Respondent: Scientiam Dei se habere, sicut se habet Scientia Artificis quantum ad omnia, quæ circa rem producendam exercent; non verò quantum ad modum, quo illa omnia exercent; nec Div. Thomam voluisse tenere paritatem in omnibus; sed præcisè, in quantum Scientia Artificis ostendit finem, quem intendit voluntas, deinde imperat operis exequutionem, & illud informat, quæ omnia inveniuntur in Scientia divina, & si non conveniant in eo, quod, sicut Scientia artificis est abstractiva, ita Scientia practica divina abstractiva sit.

46 Sed contra: quia tametsi in alijs admittenda sit disparitas inter vnam, & aliam Scientiam, minimè in eo quòd vna sicut altera sit directiva operis exequendi, quod stare nequit quin Scientia divina practica proponat opus, vt exequendum, & modo operabili, non vt exequutum, & modo operato, qua ratione practica non est, & ostenditur per Scientiam visionis tendentem in opus, provt exequutum, quomodo incapax est iam operabilitatis: hoc benè videns, & approbans Div. Thomas dixit in præsenti articulo, vt semel, & iterum notavimus: Scientiam practicam tàm in Artifice creato, quàm in increato debere esse indifferentem ex se ad oppositа; ac per consequens indigere determinatione voluntatis, quam non exoneret si Scientia practica esset visionis connexa determinatè cum opere exequuto: ergo Scientia Dei practica, & Scientia Artificis creati pariter procedunt in repræsentatione indifferente ad operis exequutionem, ideoque neutra est visionis, & intuitiva, vt intendunt contrarij; at præcisiva ab existentia, vt nos intendimus, & competit tantùm Scientiæ divinæ, quæ dicitur simplicis intelligentiæ,

47 Promovetur, & explicatur ratio præcedens. Aliqua Scientia operis exequuti, vt talis, non est practica; sed speculativa: at si aliqua Scientia operis exequuti, vtalis, est speculativa, ea est Scientia visionis: ergo Scientia visionis non est practica nec causa rerum. Maior est certa cum Scientia repræsentans opus, vt factum, & modum, quo factum est, sit Scientia operis exequuti, vt talis, & sit speculativa, vtpote supponens suum obiectum, vt iam factum iuxta illud Genesis 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, vbi ly *fecerat* denotat præsuppositionem operis, & modi, quo factum erat, ad Scientiam qua cognoscebatur. Probatur minor. Scientia visionis est illa, quæ repræsentat, & opus & modum illius cum determinatione ad existentiam vtriusque; sed Scientia, quæ sit operis exequuti, vt talis, repræsentat, & opus, & modum illius cum determinatione ad existentiam vtriusque: ergo si aliqua scientia operis exequuti, ut talis, est Scientia speculativa, ea est Scientia visionis. Iam rectitudo illationis constat: siquidem omnis Scientia visionis eodem modo tendit in suum obiectum: ergo si aliqua Scientia operis exequuti, vt talis, est Scientia visionis, & speculativa; omnis Scientia visionis erit talis: ac per consequens Scientia visionis non erit practica, nec causa rerum.

48 Nec dicas: Scientiam visionis esse considerandam, vt repræsentationem & vt imperium: si autem primo modo consideretur: verum est, omnem scientiam visionis esse speculativam, nec causam rerum, cum supponat suum obiectum, vt exequutum; at si consideretur, vt est imperium, præcedere ad opus vt exequutum neque illud supponere; imò potius obiectum, & opus ad illam, ordine causalitatis subsequi. Nam contra est primò: ex eo, quòd hic modus contineat, provt iudico, fugam ab intento, & conclusionis desertionem, sic suadeo. Scientia visionis, provt formaliter Scientia visionis, est formaliter repræsentatio; non imperium: sed per te Scientia visionis, provt est repræsentatio, est speculativa, nec rerum causa: ergo Scientia visionis, provt formaliter Scientia visionis est, non est practica, nec rerum causa. Probatur maior: Scientia visionis, provt formaliter talis, sic dicitur à *videndo*, seu ab expressione clarissima sui obiecti; sed visio intellectualis, & expressio clarissima sui obiecti, provt talis, est formaliter repræsentatio: ergo Scientia visionis, provt formaliter Scientia visionis, est formaliter repræsentatio.

49 Inde contra secundo. Si scientia visionis tantum, provt est imperium, practica esset, hæc propositio *Scientia visio-*

sionis est practica, & causa rerum, esset falsa: ergo si Scientia visionis tantum, vt est imperium, est practica, & causa rerum, Scientia visionis non est practica, nec causa rerum. Probatur antecedens: si scientia visionis tantùm, provt est voluntas, esset practica, & causa rerum, hæc propositio: *Scientia visionis est practica, & causa rerum*, esset falsa: ergo si scientia visionis tantùm, provt est imperium, practica foret, hæc propositio *Scientia visionis est practica, & causa rerum*, esset falsa. Antecedens est certum. Consequentiam probo: Non minus est extra formalem conceptum repræsentationis formalis obiecti existentis, esse imperium illius, quam extra conceptum formalē repræsentationis formalis obiecti, vt existentis esse voluntatem practicam illius: ergo si propter primum propositio illa *Scientia visionis est practica, & causa rerū* esset falsa: propter secundum eadem propositio falsa etiam reputari debet. Nec iuvat: quod imperium sit de linea intellectuali, & repræsentativa: quia etiam Scientia simplicis intelligentiæ est de linea intellectuali, & repræsentativa, & non propterea dicent id quod convenit Scientiæ simplicis intelligentiæ, provt tali, convenire scientiæ visionis, provt tali. Nec si addant: imperium, vt tale, esse cognitionem perfectam creaturæ xistentis: quia vel est formaliter cognitio perfecta creaturæ existentis, provt cognitio perfecta creaturæ existentis formaliter visio est; vel secundùm alium conceptum visionis? Si primum: non erit locus illi duplici considerationi in eadem ratione formali: si secundum: ergo ratio imperij extra rationem formalem visionis est, & reddit argumentum.

50 Contra tertiò: quia sic potius dicenda esset Scientia practica immediatè, & per modum imperij Scientia simplicis intelligentiæ; quàm scientia visionis. Ratio est: quia in primis, sicut per adversarios, non repugnat scientiam visionis secundùm vnam formalitatem præcedere ad suum obiectum, & secundum aliam subsequi: sic non repugnabit, scientiam simplicis intelligentiæ secundum vnam formalitatem esse remotam effectioni operis, & secundum aliam proximam: Deinde, sicut non repugnat, scientiam visionis ab eo, quod habet secundùm vnam considerationem tantum, absolutè denominari practicam, & causativam rerum, sic non repugnabit, scientiam simplicis intelligentiæ ab eo, quod habeat duntaxat secundùm vnam considerationem immediatè, denominari absolutè immediatè causativam rerum. Vltimò: ratio cognitionis perfectissimæ obiecti, vt existentis, quæ tamen adhùc in via est ad existentiam obiecti, quomodo est cognitio per modum imperij tendens ad dandum esse operi non modo non distat à conceptu Scientiæ simplicis intelligentiæ; imò magis congruit ex eo, quod non supponat existentiam rei, in quam tendit, quod proprium est talis Scientiæ.

51 Si autem velis difficultatem eludere, dicens: imperium esse cognitionem perfectam rei existentis, idque competere non posse Scientiæ simplicis intelligentiæ: dicam esse cognitionem perfectam rei existentis *vialiter*, quod non magis dissonat conceptui Scientiæ simplicis intelligentiæ, quàm esse cognitionem rei existentis, aut futuræ possibiliter. Si adhùc insistas: Scientiam simplicis intelligentiæ debere præscindere ab existentia sui obiecti: præterquam quod ego etiam dicam, Scientiam visionis etiam debere ex se præscindere à causalitate sui obiecti; vlteriùs respondebo: Scientiam simplicis intelligentiæ debere præscindere ab existentia sui obiecti, vt iam exercita; non verò provt est in via, & causalitate, vt sit, quo sufficienter discrimen habitur à Scientia visionis: ergo de primo ad vltimum, stante hac doctrina Thomistarum, non est maior ratio, vt Scientiam visionis à conceptu practicæ immediatè excludant, & scientiam simplicis intelligentiæ in tali conceptu admittant; quàm, vt per oppositum Scientiam simplicis intelligentiæ excludant, & Scientiam visionis, vt causam rerum, desumant.

52 Probatur secundò. Scientia simplicis intelligentiæ, seu possibilium sola, & præcisa à quavis alia Scientia, continet in se quidquid perfectionis requiritur, vt simul cum voluntate res producat: ergo accedente voluntate ad scientiam simplicis intelligentiæ res statim causantur independenter à quavis alia Scientia, quæ sit in signo posteriori, vt est Scientia visionis, quæ proinde non erit practica. Antecedens probatur: nam scientia simplicis intelligentiæ per se spectata, & provt præscindit à scientia futurorum, & præsentium sufficientissimè pro-

proponit voluntati naturam, & conditionem effectus producendi, & modum, quo producibilis, & operabilis est cum ordine, & respectu ad reliquos alios effectus, quibus coexistat; sed scientia sufficientissimè, & plenissimè proponens rem operabilem modo operabili se sola practica est, & perfectissima, vtpote, quæ non indiget alia scientia directiva pro modo, & perfectione operis exequendi: ergo scientia simplicis intelligentiæ, seu possibilium sola, & præcissa à quavis alia Scientia continet ex se quidquid perfectionis requiritur, vt simul cum voluntate res producat.

53 Respondet Godoy: id verum esse comparativè ad potentiam exequentem finitam; non verò ad potentiam exequentem infinitam respectu cuius scientia, quæ tantum proponat rem operabilem modo operabili, & omni ratione, qua operabilis est, non continet quidquid perfectionis requiritur, vt simul cum voluntate, præcissa omni alia scientia res producat.

54 Sed contra: quia excessus, qui debet dari in exequenti infinito respectu exequentis finiti, tantum pensari debet ex perfectione scientiæ proponentis rem operabilem, & modum omnem, quo operari potest, & ex promptitudine, & expeditione potentiæ exequentis ad sequendum ductum, & directionem scientiæ: quo excesu dato omnis alius, qui in re datur ex parte vnius, & alterius exequentis impertinens erit ad praxim, tametsi in alia linea sit conducens, & debeat reperiri: sed sola intellecta in Deo scientia simplicis intelligentiæ, voluntate, & potentia exequutiva divina, intelligitur scientia proponens rem operabilem modo omni, quo operabilis est, & potentia exequens promptissima, & expeditissima ad sequendum ductum, & directionem scientiæ, infinitè excedentis scientiam, & potentiam exequutivam cuiusvis exequentis creati: ergo sola scientia simplicis intelligentiæ considerata, vt præcissa à quavis alia scientia: quia proponit perfectissimè naturam rei operabilis & modum omnem, quo operabilis est, continet quidquid perfectionis requiritur, vt accedente voluntate producat res perfectione debita virtuti exequenti infinitæ.

55 Probatur tertiò: quia, vt benè Ruiz, adhùc dato, quòd Scientia simplicis intelligentiæ per se requireret Scientiam visionis, quæ, vt imperium proximiùs dirigeret ad opus, tantum illud requireret, vt applicationem sui ad opus exercendum, in quantum voluntas per imperium applicat ad opus efficiendum Scientiam, sivè artem, quæ secundum se erat indifferens; sed applicatio Scientiæ, seu artis ex se indifferentis ad opus efficiendum, non aufert scientiæ immediationem in ratione *practicæ*: quia computatur, vt actus secundus ipsius medio, quo eius directio opus efficit: non aliter ac actio, & si mediet inter virtutem, & terminum, quia mediat, vt applicatio virtutis ad dandum esse termino per determinationem, vt ab ipsa procedat, non illi aufert rationem virtutis immediatè influentis: ergo adhùc si Scientia visionis requiratur propriori ad opus exercendum ex directione scientiæ simplicis intelligentiæ, & immediatiùs, quàm illa; dicenda tamen est sola scientia simplicis intelligentiæ practica, & causativa rerum: quia ipsa sola est, quæ in ratione Scientiæ practicæ dirigit, & ostendit opus factibile, vt *quod*; licèt scientia visionis etiam concurrat vt *quo*, & vt applicatio, & xercitium illius.

56 Probatur quartò omnibus illis rationibus quibus tractatu de prædestinatione disputation. 3. cap. 3 excluſimus à Deo rationem imperij intellectualis, vt non necessarij, imò, vt repugnantis: vnde sic. Scientia visionis in tantum esset practica, & rerum causa, in quantum haberet in se rationem imperij intellectualis applicantis ad operis exequutionem; sed ratio imperij intellectualis non datur in Deo, nec possibilis est: ergo nec Scientia visionis, aut est practica, & causa rerum, aut potest esse practica, & causativa illarum. Pro minoris probatione, à qua pendet efficacia discursus, videantur fundamenta adducta loco citato, hìc tantum molestè repetenda.

57 Probatur quintò ab inconvenienti. Sequeretur enim si Scientia visionis esset causa rerum, & non potius res ipsæ ratio, vt existeret scientia visionis, quod nostra destrueretur libertas. Constat ex principijs generalibus pro libertate servanda. Etenim connexum cum determinato nostræ volũtatis exercitio & inimpedibile per eius voluntatis potestatem aufert libertatem illius; sed scientia visionis, si causa rerum foret, esset quid connexum cum determinato exer-

exercitio noſtræ voluntatis, quod repreſentat, & aliunde inimpedibile per voluntatis poteſtatem tanquam quid pertinens ad poteſtatem proximam exercitij' quod impedire nequit, ne aliter poteſtas libera, quæ ad vtrumque debet eſſe indifferens, & cum vtroque componibilis, deſtrueretur per ſuum exercitium, & ex poteſtate libertatis converteretur in poteſtatem neceſsitatis: ergo Scientia viſionis, ne iſta inferantur, nequit eſſe practica, & cauſa rerum. Pro veritate maioris videantur, quæ latè tractavimus diſp. 5. & 6. de prædeſtinatione agentes de prædeterminatione intrinſeca, & extrinſeca. Inſuper quæ dicta ſunt eodem tract. diſp. 12. cap. 5. contra principium immediatum prærequiſitum ad actum, & componibile cum libertate actus.

58 Nec ſiſteret ex tali ſuppoſitione in læſione libertatis creatæ; ſed etiam ad everſionem libertatis divinæ ſe extenderet. Nam Scientia viſionis præcedens ante omne decretum voluntatis divinæ circa opus exercendum practicè, penitus libertatem divinam deſtruit potiori titulo, quàm creatam, cum reſpectu eius detur ſuperior alia libertas à qua fluat connexum, & inimpedibile, & in qua libertas ſecunda contineatur tanquam in virtute, & radice; at reſpectu divinæ libertatis non detur alia, cui in operando, & eligendo ſit ſubiecta, & per cuius dominium expediatur ab impedimento oppoſiti exercitij. Quod ſi propterea dicant: Scientiam viſionis non præcedere omnem divinæ voluntatis actū; ſed potius ſubſequi ad aliquem, vt alium præcedat, quem facit neceſſarium tantùm ex ſuppoſitione; non abſolutè, cum ablato liberè primo actu, à quo ſcientia viſionis dependet, auferretur etiam ſecundus, quem ſecum trahit imperativè Scientia viſionis. Inferam inde non neceſsitatem Scientiæ viſionis, vt practicæ, & inconſequentiam ponendi eam, vt cauſam rerum Motivum mihi erit: quia, ſi pro primo actu, in quo tanquam in virtute continetur tota praxis operis exequendi, propterea quod ad normam, & modum illius ſit exercendum, ſufficit ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quin vrgeant rationes illæ adverſariorum deſumptæ ex illo principio *nihil volitum quin præcognitum*, & ex eo, quod agens perfectiſsimum duci debet ad opus conficiendum cognitione perfectiſsima, & minus præciſsiva, vt eſt ſcientia viſionis comparativè ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ: cur non ſufficiet ſemel determinata, & applicata per primum actum, vt reliquos immediatè dirigat, ſine indigentia cauſalitatis, & influxus Scientiæ viſionis?

CAPVT II.

Solvuntur Argumenta Adverſariorum.

59 OBIJCIES primò ab authoritate Patrum dicentium non rarò: *res eſſe, quia à Deo ſciuntur*: verba Auguſtini ad intentum ſupra dedimus diſp. 7. cap. 5. quibus addendus eſt ipſe Divus Auguſtinus lib. 13. confeſſionum cap vltim. Deum ſic alloquens: *Nos iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt. tu autem, quia vides, ea ſunt. & nos foris videmus, quia ſunt, & intùs, quia bona ſunt, tu autem, vbi vidiſti facta, ibi vidiſti facienda*, & lib. 5. de Civitate, cap. 9. fine: *Voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſcivit, & ideo quidquid valent certiſsimè valent, & quod faciuræ ſunt ipſæ, omninò facturæ ſunt: quia valituras, atque facturas ille præſcivit, cuius præſcientia falli non poteſt.*

60 Gregorius lib. 20. Moralium cap. 23. alias cap. 24. à medio: *Quæ ſunt* (inquit) *non ab æternitate eius ideo videntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* & lib. 32. moralium cap. 6. circa medium: *Non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet. Quidquid ergo creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret.* Boetius de Conſolatione proſa vltima propè finem: *Ex quo illud quoque ſolvitur, quod paulò ante poſuiſti indignum eſſe, ſi Scientiæ Dei cauſam futura noſtra præſtare dicantur. Hæc enim Scientiæ vis præſentaria notione cuncta complectens rebus omnibus modum ipſa conſtituit, nihil verò poſterioribus debet.*

61 Quæ ſic vrgent: ſicut Patres aliquando proferunt adverſativam illam: *Non ideo res ſunt, quia ſciuntur; ſed potius ſciuntur, quia ſunt*; ſic non nunquā etiam proferunt oppoſitam: *Non ideo res ſciuntur, & videntur, quia ſunt; ſed potius ſunt, quia ſciuntur, & videntur*: ergo ſi propter primam excludimus cauſalitatem Scientiæ viſionis, propter ſecundam debemus eam adſtruere: neque enim

enim vna adverſativa maiorem vim poteſt habere ad negandum ; quàm altera ad affirmandum, aut ſaltem negare non poterit argumentum deſſumptum ex Patribus non eſſe adeo firmum pro noſtra ſententia, vt pariter non inæquali vi ex eorum ſententia vrgeamur : ſit ergo licitum Adverſarijs ex ſecunda adverſativa cauſalitatem Scientiæ viſionis inferre, ſicut licitum nobis eſt ex prima, cauſalitatem ſcientiç ſoli ſimplicis intelligentiæ adſcribere.

62 Hæc cum vidiſſet Herrera, iure dixit, quòd ſi diſcurſus iſte adverſariorum, provt iacet, vim haberet, vix niſi in rebus fidei Authoritas Patrum deſerviret, cum ſæpè ſi verba Patrum tantum quoad corticem accipiantur, videantur oppoſita docere : inveſtigandi ergo ſunt ex fine, ex circunſtantijs, & ex contextu, vt ſic eruatur legitimus ſenſus. Commodam expoſitionem Patrum iam dedimus ſupra loco citato occaſione deſumpta ex verbis Auguſtini quæ etiam aptari poteſt reliquis, in quantum per iſtam obiectam adverſativam nihil aliud ſignificare voluerunt, niſi quod datur in Deo Scientia practica, quæ, vt talis, debet influere in res exiſtentes, & verificare: *Potius res eſſe, quia ſciuntur; quàm ſciri quia ſunt*; ſed quid mirum ſi loquuntur de Scientia neceſſaria, vt eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ independens omninò ab exiſtentia rerum: ac propterea verificans tantum : *Res eſſe, quia ipſa eſt, adiuncta voluntate*; ſecus: *ipſam eſſe, quia res ſunt*: quibus non eget. Nec te moveat, ſi explicetur à Patribus ſub terminis *videndi*, & *viſionis*, qui videntur ſonare ſpecificè pro Scientia viſionis: quia vt ſemel, & iterum vidimus ex Div. Thoma non incongruè omnis divina Scientia *viſio* dicitur, & ſic generaliter apud Patres intelligitur multotiès; ne vero nimis hæreat in voce, & termino *viſionis*; ſit ſponte, quod aliquando loquantur de Scientia viſionis ſtrictè ſumptæ: attamen tunc non loquuntur de Scientia viſionis abſoluta, & libera Deo; verùm de Scientia viſionis conditionata, & non libera Deo; ſed media inter liberam, & neceſſariam, quæ frequentiſsima eſt apud Patres, vt ſuo loco oſtendemus, & pro nunc mihi ſatis ſuadent verba citata, & obiecta D. Auguſtini libr. 5. de Civitate cap. 9. vbi loquens de noſtris operationibus liberis, & de modo, quo Deus per Scientiam practicam illas in nobis aſſequitur, vt monſtrat illud : *Voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſcivit*, non ſe explicat adverſativè tribuens influxum Scientiæ in operationem liberam, & denegans operationi liberę in Scientiam, dicendo: *Voluntates noſtras valituras, quia præſcivit; non verò præſcivit quia valituras*; ſed tantum proponens influxum Scientiæ: *Quia valituras atque facturas ille præſcivit, cuius præſcientia falli non poteſt*: in quo oſtendit procedere de Scientia viſionis non libera Deo, & immediatè directiva ipſius, quæ etſi habeat influxum mediatum in operationes liberas proponendo quantum ſint voluntates noſtræ valituræ, ſub libertate nobis conferenda, non excludit influxum obiectivum operationis liberæ in ſe ipſam à quo determinatur, vt ſit, verificando etiam alteram propoſitionem : *Cognoſcit Deus quid, aut quantum valituræ ſunt: quia ipſæ ſub tali libertate eo modo valituræ ſunt.*

63 Vndè brevius, & liquidò conſtat: Patres, ſi quando tribuunt influxum ſcientiæ, minimè favere cauſalitati ſcientiæ viſionis, nec in dubium vertere excluſionem cauſalitatis eiuſdem ſignificatam per illam adverſativam : *Non res ſunt, quia videntur*; *ſed potius videntur quia ſunt*, vel quia ſi talem influxum tribuerent adverſativè, concedendo influxum ſcientiæ, & negando ipſum obiecto, tantùm intendunt eſſe in Deo ſcientiam practicam, ac proinde influxivam in res exiſtentes, quæ quia præſcindens ab exiſtentia ipſarum: *non exiſtit, quia ipſæ ſunt*, quæ quidem, vt clarè videtur, ſola eſt ſcientia neceſſaria ſimplicis intelligentiæ. Vel quia quando tribuunt influxum ſcientiæ non adverſativè, etſi loquantur de ſcientia viſionis non loquuntur de Scientia viſionis abſoluta, & libera; ſed de Scientia viſionis conditionata contingente ; ſed non libera Deo, quorum neutrum favet cauſalitati ſcientiæ viſionis abſolutæ, & liberæ, nec malè componitur per excluſionem illius ex prima adverſativa.

64 Hanc eſſe legitimam expoſitionem, & non ad arbitrium compoſitam, vt difficultas eludatur, probant ipſæ propoſitiones adverſativæ, quæ ſic vſurpantur in ſenſu ſtrictè cauſali, quem præſeferunt, quem obſervare non poſſunt contrarij in illa propoſitione *res non ſunt, quia videntur; ſed ideò videntur, quia ſunt.* In qua partē illam: *Sed ideò videntur, quia*

quia ſunt extrahunt ab illatione cauſali, & traducitur ad conſequentiam purè illativam: vnde, vt patet, deſtruitur ſenſus adverſativus. Quod ſi Div. Thomas ſic eam intellexit, dum dixit ad primum ex verbis citatis Origenis in præſenti articulo 8. *ſed quod dicit : ideo præſcire Deum aliqua: quia ſunt futura: intelligendum eſt ſecundum cauſam conſequentiæ, non ſecundum cauſam eſſendi*, quod idem eſt ac dicere: eſſe veram in ſenſu conſequentiæ pure illativæ; non cauſalis; adhùc non adverſatur nobis: quia, vt diximus, ibi Sanctus Thomas interpretatus eſt dictum illud non ſecundum rem, & mentem Origenis; verum provt quoad ſpeciem poterat inde ſumi fundamentum ad impugnandam cauſalitatem Scientiæ divinæ in tota ſua latitudine accepta, qua ratione comprehendit Scientiam ſimplicis intelligentiæ, in qua ab exiſtentia rerum ad ipſam datur ſolummodo conſequentia purè illativa; non cauſalis.

65 Inſiſtit tamen Gouoy intendens probare, illud dictum: *Res ſunt, quia videntur*, numquam poſſe rectè exponi de ſcientia poſsibilium, ſeu de ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Ratio eſt: quia rederet hunc ſenſum: *Ideo creaturæ ſunt exiſtentes : quia Deus novit eſſe poſsibiles*, qui falſiſsimus eſt: nam propoſitio cauſalis petit ad ſui veritatem, quod ſit bona conſequentia; ſed hæc conſequentia bona non eſt *Deus cognoſcit res, vt poſsibiles: ergo erunt exiſtentes*, cum componatur in Deo Scientia poſsibilium, ſine exiſtentia poſsibilis, vt accidit in omnibus poſsibilibus, quæ remanent intra ſtatum puræ poſsibilitatis; quin numquam exiſtentiam ſortiantur: ergo ſenſus ille falſus eſt.

66 Sed mirum eſt, vt iam ſupra notavimus, non vidiſſe Sapientiſsimum Magiſtrum; ſuum argumentum probare: nullum principium non connexum cum effectu poſſe influere in illum: ac per conſequens, neque Omnipotentiam poſſe influere in res creatas: quia non connectitur cum ipſis, vt exiſtentibus, qua ratione facit; ſed ad ſummum cum ipſis, vt poſsibilibus, qua ratione non fiunt; ſed ſupponuntur, vt fiant. Ratio eſt: quia propoſitio illa, cuius veritas requiritur ad influxum, & cauſalitatem: *Res ſunt, quia datur Omnipotentia: effectus exiſtit, quia datur principium ex ſe indifferens ad illum*, erit falſa, cum ſit propoſitio cauſalis, cuius veritas requirit bonitatem conſequentiæ, quæ non invenitur in hac: *exiſtit Omnipotentia: ergo exiſtent creaturæ: exiſtit principium, aut cauſa non connexa cum effectu: ergo exiſtit effectus*: ſi autem in his argumentum manifeſtè deficit, quid efficaciæ relinquitur in ipſo ad intentum?

67 Reſpondetur, vt ipſe arguens reſpondere tenetur. Propoſitionem illam redere ſenſum aſsignatum, ſcilicèt : *Ideo creaturæ ſunt exiſtentes : quia Deus novit eſſe poſsibiles*, nec prædictum ſenſum falſitatem continere: ad probationem dicendum: propoſitionem cauſalem petere ad ſui veritatem, quod ſit bona conſequentia retento ſenſu cauſali, & non tranſmutato in ſenſum purè illativum, vt transfertur, quando arguitur à ſola exiſtentia cauſæ ad exiſtentiam effectus, qualiter fit in illa conſequentia *Deus cognoſcit res, vt poſsibiles: ergo erunt exiſtentes*, quæ ex defectu connexionis, quæ non datur inter cauſam, & effectum, & quam requirebat ad ſui bonitatem, deficit conſequentia verè cauſalis: cum arguat ab exiſtentia ſolius cauſæ; ſed provt coniunctæ cum influxu, nec requirit, vt bona ſit, connexionem cauſæ cum effectu ſumpta cauſa ſecundum ſe, nec fundat alteram conſequentiam purè illativam ab exiſtentia cauſæ ſecundum ſe ad exiſtentiam effectus. Brevius adhùc, & expeditiùs dicendum: non eſſe idem dari veritatem cauſalem inter aliqua, & dari conſequentiam cauſalem inter ipſa, cum valeat non mutuò: *Eſt conſequentia cauſalis: ergo eſt veritas cauſalis*; non ſic: *Eſt veritas cauſalis: ergo eſt conſequentia cauſalis*, vt patet in hac veritate cauſali : *Quia exiſtit libertas, exiſtit conſenſus.*

68 Vrget: hæc propoſitio eſt falſa in ſenſu formali: *Creaturæ exiſtentes cognoſcuntur à Deo per Scientiam ſimplicis intelligentiæ*: quia in ſenſu formali fit reduplicatio ſupra exiſtentiam: ergo pariter iſta erit falſa in ſenſu formali : *Ideo ſunt creaturæ: quia Deus novit*, ſi intelligatur de Scientia ſimplicis intelligentiæ. Probat conſequentiam : quia verbum *novit* cadit ſupra creaturas exiſtentes. Interrogo prius: an in ſua ſententia altera propoſitio Patrum *res non ſunt, quia ſciuntur* ſicut, & illa: *Res ſciuntur, quia ſunt* accipiantur in ſenſu formali? Quod ſi ab ipſo non vſurpantur, provt ſonant; verum ad ſenſus diſtantes; ne dicant

improprios, referuntur: cur absque scrupulo nobis non permittet de ipso discere? Respondeo: quod licèt hæc propositio *creaturæ existentes cognoscuntur à Deo per Scientiam simplicis notitiæ*, sit falsa in sensu formali speculativo propter reduplicationem quam innuit, non ideo, esse falsam alteram in sensu formali causali, quem continet: *ideo creaturæ sunt, quia Deus novit* ex eo quod verbum *novit* non appellet supra creaturas existentes repræsentativè; sed causaliter sicut ipse tenetur dicere in influxu remoto, quem concedit simplici notitiæ respectu rerum existentium formaliter; cum tamen falsa sit in omni sensu formali propositio illa: *Res existentes cognoscuntur à Deo per Scientiam simplicis intelligentiæ.*

69 Deinde opponit nobis Div. Thomam tanquam expressè tenentem contrariam sententiam pluribus in locis, ex quibus reliquis omissis, duo seligit: vnum ex 1. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad 5. illis verbis: *Esse Dei non subiacet libertati voluntatis sicut scire operativum creaturæ.* Vnde subsumit: at Scientia quæ subiacet libertati voluntatis non est possibilium, & simplicis notitiæ; sed futurorum, & visionis: ergo ista ex mente D. Thomæ est creaturarum causa. Alterum ex art. 8. non semel relato ad 1. in inculcata solutione ad Origenis verba, ibi: *Ad primum dicendum, quod Origenes loquutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis nisi adiuncta voluntate*: ex quo sic; sed si D. Thomas sentiret solam scientiam simplicis intelligētiæ esse causam rerum, & non causari per Scientiam visionis, qua futura cognoscuntur, vt talia, non sic explicaret Origenis verba; sed illa admitteret, vt absolutè vera: ergo scientia libera visionis est causa creaturarum ex mente D. Thomæ. Probat minorem; nam hæc propositio; *non propterea aliquid erit, quia id scit Deus, esse futurum*, quam D. Thomas ex Origene exponit, est vera; vt iacet, absque vlla explicatione si sola Scientia simplicis intelligentiæ sit causa futuritionis rerum; quia scientia simplicis intelligentiæ non terminatur ad res, vt futuras; sed tantum vt possibiles: ergo licèt per illam sint res futuræ, *quia sciuntur possibiles*; non tamen *quia sciuntur futuræ*, & consequenter cum D. Thomas dictam propositionem non admisserit, vt absolutè veram; sed Origenem explicuerit loquutum de scientia, cui non competit ratio causalitatis, nisi adiuncta voluntate, manifestè sentit, Scientiam, cui adiuncta voluntate competit ratio causalitatis, repræsentare futura, vt futura; ac per consequens esse Scientiam visionis.

70 En ad verbum fundamenta quæ induxerunt Sapientissimum Magistrum (manifestè vt inquit) ad sibi adscribendum Doctorem Angelicum. Miratus semel sum, & iterum atque iterum admirationem repetam, dum viderim ex his motivis Divum Thomam pro causalitate Scientiæ visionis aclamari, quæ me potius vsque ad evidentiam ex mente eiusdem in contrarium ferunt. Igitur quam inefficaciter ex primo testimonio arguatur, ostenditut ex eo, quod vel nobis non sit contrarius, vel ipsis arguentibus sit adversus. Probaret namque Scientiam simplicis intelligentiæ non modò proximè; verùm nec remotè esse operativam, & practicam, quod ipsi negant; sic arguo: *esse* Dei non subiacet libertati divinæ voluntatis, sicut *scire* operativum creaturæ; sed *scire* operativum remotè est *scire* operativum: ergo scire operativum remotè subiacet libertati voluntatis divinæ: at Scientia, quæ subiacet libertati voluntatis, non est Scientia possibilium; sed futurorum: ergo ex mente D. Thomæ sola futurorum Scientia, quæ visionis est, creaturas causat: ac proinde ex mente ipsius Scientia simplex notitia, nec proximè, nec remotè res causat: quare sicut ad tuendam suam causalitatem remotam, quam concedunt Scientiæ simplicis intelligentiæ, Sanctum Thomam dicentem: *scire* operativum subiacere divinæ voluntatis libertati, intelligendum esse dicunt, de *scire* operativo non specificativè accepto; verum reduplicativè, & provt causativo in actu secundo, qua ratione ex doctrina eiusdem S. Doctoris *scire* Dei habet adiunctam voluntatem, & ideo sub tali reduplicatione liberum est. Pariter ego solutionem præstabo intelligendo D. Thomam de *scire* causativo proximè, quod tantum liberum est reduplicativè, & in ratione causantis in actu secundo, & benè componitur absque eo, quod ipsum *scire* secundum se sit liberum, vt erat necessarium ad convincendum, tale *scire* pertinere potius ad visionem; quàm ad simplicem notitiam.

71 Si

71 Si replicent: hoc modo non persistere contrapositionem, quam facit Div. Thomas inter *esse* Dei, & *scire* causativum: nam esse Dei, si accipiatur reduplicativè, vt causativum est creaturarum, etiam subiacet libertati voluntatis; vnde eodem modo, quo subiacet, aut non subiacet *scire* causativum libertati voluntatis, subiaceret aut non subiaceret esse Dei eidem libertati, quo resultaret paritas inter *scire*, & *esse*, & auferretur discrimen intentum, & designatum à Div. Thoma. Respondeo: id verum esse, si comparatio facta inter *esse*, & *scire* acciperet vtrumque in eodem sensu, aut specificativè, aut reduplicativo; cœterùm sic non accipit; verùm vnum in sensu specificativo, scilicet *esse divinum*: alterum in sensu reduplicativo, nempè: *scire divinum*; quo subsistit discrimen non aliter obseruandum ab ipso obijciente quoad *scire* causativum remotè competens Scientiæ simplicis intelligentiæ, vt dictum est.

72 Minus efficax ostenditur adhùc in secundo, si attendatur titulus, & intentum Div. Thomę in dicto articulo à nobis iam supra insinuata. Itaque titulus præfixus art. 8. ostendens materiam, & intentum illius est: *Vtrùm Scientia Dei sit causa rerum?* Id est: an in toto ambitu Scientiæ divinæ sit scientia, cui competat rerum causalitas? Quomodo distinguitur quæstio ab altera, quæ inquirat *quænam sit ex scientijs Deo conuenientibus scientia practica factiua rerum*, & quæ supposita causalitate Scientiæ in creaturas contrahit controversiam ad determinatam scientiam, cui talis ratio conveniat. In prima ergo quæstione proponit D. Thomas verba Origenis, vt argumentum quoad aspectum opugnans causalitatem Scientiæ divinæ, non provt contractæ ad hanc, vel illam speciem; sed in tota sua vniversalitate acceptę; alias si, vt purè impugnans determinatæ scientiæ causalitatem, illud acciperet cum titulo proposito quæstionis non conveniret, nec pro ratione dubitandi in causalitate scientiæ vniversalissimè acceptæ deservire posset.

73 Inde mihi eruitur clare argumẽti solutio, & legitima explanatio mentis D. Thomæ qui licèt, vt constat ex corpore articuli, vbi quæstionem resolvit dicens: Scientiam Dei practicam eam esse, quæ indifferens est ad opposita, iudicaverit Scientiam visionis non esse causam rerum: ac proinde veram esse propositionem illam Origenis: *Non ideo aliquid erit quia id scit Deus esse futurum*; si contractè de Scientia visionis. & provt in re erat sensus Origenis, intelligeretur; non tamẽ eam planè, & sine expositione concesit, ne videretur rationem dubitandi, quam in prædicta propositione, provt iacet, in verbis Origenis fundavit, in sua vi relinquere, & omnem causalitatem Scientiæ divinæ excludere efficaciter: expossuit ergo, & quomodo? Aptissimè quidem pro nostra sententia, & pro resolutione, quam ante præmisserat, dicens: quod etsi verba, & propositio illa Origenis: *Non ideo aliquid erit, quia id scit Deus esse futurum* intelligenda forent de Scientia in tota sua latitudine, exponi sic debere, vt sensus sit, tantùm voluisse excludere causalitatem à scientia secundum se qualiter etiam Scientiæ visionis, quæ conceptum scientiæ participat, conveniret, & admittere causalitatem scientiæ, quæ ob suam indifferentiam indiget voluntate adiuncta determinante: quod idem est, ac asserere: sententiam Origenis fuisse excludere causalitatem Scientiæ visionis, retentâ Scientiæ simplicis intelligentiæ causalitate, & ideo non favebat parti neganti Scientiæ divinæ in tota sua latitudine causalitatem.

74 A ratione vltra ea, quæ solvimus capite præcedenti contra causalitatem Scientiæ simplicis intelligentiæ. Obijciunt secundo. Deo, vt perfectissimo Artifici, tribuendus est perfectior modus operandi, & causandi; sed modus perfectior causandi est per scientiam visionis, vtpote clariorem; quàm per scientiam simplicis intelligentiæ, vtpotè præscindentem ab existentia obiecti: ergo modus causandi res per scientiam visionis Deo est tribuendus.

75 Argumentum sic propositum instari potest contra Aduersarios sub hac forma: Deo, vtpote perfectissimo Artifici, tribuendus est perfectior modus operandi immediatè; sed modus perfectior operandi immediatè est per scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, vtpote coniunctivè; quàm divisivè clariorem, cum coniunctive sit scientia completa obiecti secundum omnem eius statum; potius quàm divisivè accepta quomodo quævis repræsentat tantum vnum obiectum, neque est comprehensiva scientia illius: ergo talis modus cau-

ſandi immediatè Deo eſt concedendus: ac per conſequens non modo Scientia viſionis; verùm & ſimplicis notitiæ eſt immediatè cauſativa rerum. Vlterius: Deo, vt perfectiſsimo, & prudentiſsimo eligenti, debet tribui modus perfectior eligendi; ſed modus perfectior eligendi eſt per Scientiam viſionis potius quàm per ſcientiam ſimplicis notitię, cum ſciẽtia viſionis clarius, & perfectius, vtpote ſine abſtractione ab exiſtentia, proponat extremum eligendum: ergo talis modus eligendi eſt Deo concedendus: vnde ſcientia præcedens omne decretum divinum, quod per divinam voluntatem eligitur, erit ſcientia viſionis illius, & non ſola Scientia ſimplicis intelligentiæ.

76 Reſpondeo: conceſſa maiori nego minorem: quia modus cauſandi per ſcientiam viſionis non eſt perfectior modus cauſandi; quàm per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quia ſcientia viſionis in ſuo genere non eſt perfectior nec clarior quàm ſcientia ſimplicis intelligentiæ in ſua linea: vtraque enim ſuum obiectum, provt ad ipſam ſpectat clariſsimè, & perfectiſsimè repræſentat; & dato, quod in linea repræſentandi obiectum, eſſet perfectior ſcientia viſionis formaliter ſumpta, quàm ſcientia ſimplicis intelligentiæ; non tamen ideo eſſet perfectior in ratione practicæ, & dirigentis, qua ratione erat neceſſarius exceſſus perfectionis, vt ex ipſo reſultaret modus operandi perfectior in agente perfectiſsimo. Ratio huius eſt: quia perfectio cognitionis in ratione practicæ conſiſtit indiviſibiliter in eo, quod repræſentet naturam, & conditionem effectus operabilis, & modum quo operabilis eſt; ſed id facit ſcientia ſimplicis intelligentiæ præciſivè à ſcientia viſionis: ergo cum ſub hac conſideratione non valeat excedi à ſcientia viſionis: neque poterit excedi taliter, vt ex ſcientia viſionis reſultet perfectior modus operandi; quàm ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

77 Replicabunt: Scientia, quæ ſi exiſtit in Deo, non eſt in ſigno inepto ad cauſandum effectum, eſt Scientia, quæ cauſat effectum; ſed Scientia viſionis non eſt in ſigno inepto ad cauſandum effectum, quem repræſentat: ergo Scientia viſionis eſt cauſa rerum. Maior eſt certa: quia ſcientia, quæ ſi exiſtat, non eſt in ſigno inepto ad cauſandum effectum, eſt Scientia, quæ exiſtit in ſigno priori ad effectum, cum omne aliud ſignum prius non ſit ſignum cauſæ; ac proinde neque ſit ſignum aptum ad cauſandum effectum, qui non poteſt aliter exiſtere cauſativè, & influxivè, niſi ab eo, quod exiſtit pro priori ad ipſum: ergo Scientia, quæ ſi exiſtit in Deo, non eſt in ſigno inepto ad cauſandum effectum, eſt Scientia, quæ cauſat effectum. Probatur igitur minor, in qua eſt difficultas. Scientia viſionis non conſtituitur in ſigno inepto ad cauſandum ſuum obiectum ex eo, quòd repræſentet ſuum obiectum, vt abſolutè exiſtens, neque ex eo, quod ſupponat decretum de ſuo obiecto cauſando; ſed non eſt alius titulus, vt conſtituatur in ſigno inepto: ergo Scientia viſionis non eſt in ſigno inepto ad cauſandum effectum, quem repræſentat. Minor videtur certa, vel oſtendatur aliud caput. Probatur maior quo ad vtramque partem: quoad primam: quia decretum exequutivum efficax, quod eſt cauſa rei, habet pro effectu ſuum obiectum, in quod tendit, vt exiſtens, & Scientia Patris, à qua procedit Verbum, habet pro obiecto ipſum Verbum ab illa procedens, vt abſolutè exiſtens: ergo Scientia viſionis non conſtituitur in ſigno inepto ex eo, qnod tendat in ſuum obiectum, vt abſolutè exiſtens: quoad ſecundam: quia decretum præcedens ſcientiam viſionis poteſt non eſſe ſufficiens ad rem cauſandam abſque influxu ſcientiæ viſionis, quæ ſe habeat, vt imperium, ſicut decretum purè intentivum prævium ad exequutivum indiget decreto exequutivo ad rem cauſandam: ergo neque titulo præſupponendi decretum non conſtituitur Scientia viſionis in ſigno inepto ad cauſandum ſuum obiectum.

78 Replica fortius inſtari poteſt, vt Scientia ſimplicis intelligentiæ non excludatur à ſigno immediatæ cauſalitatis, vt volunt contrarij. Ratio eſt: quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt in ſigno inepto ad cauſandum immediatè: ergo immediatè cauſat. Probatur antecedens. Scientia ſimplicis intelligẽtiæ non conſtituitur in ſigno inepto ad cauſandum immediatè ex eo quod ſe habeat pro priori ad id, quod immediatè cauſat; ac per conſequens in ſigno remoto ad effectum: ſed non eſt alius titulus eam conſtituendi in ſigno inepto ad cauſandum immediatè: ergo ſcientia

ſim-

simplicis intelligentiæ non est in signo inepto. Probo minorem probaturus post maiorem: quia si alius esset titulus maximè perfectio scientiæ causativa operis, qui non est ad excludendam Scientiam simplicis intelligentiæ à signo proximo; sed ad associandum illam cum Scientia visionis, vt sic Scientia de effectu completissimè sumpta immediatè causet opus perfectissimi Artificis. Iam probo maiorem: se habere pro priori ad id, quod immediatè causat: ac per consequens in signo mediato ad effectum, non impedit esse in signo comitanti cum eo, quod immediatè causat, & in signo immediatè priori ad effectum, vt constat in Omnipotentia, quæ cum se habeat pro priori ad creaturas immediatè causantes suos effectus, non ideo extrahitur à signo comitanti, & immediatè priori ad effectus causarum secundarum, cum quibus immediatè producit effectus: ergo Scientia simplicis intelligentiæ non constituitur in signo inepto ad causandum immediatè ex eo, quod se habeat pro priori ad id quod immediatè causat: ac per consequens in signo remoto ad effectum.

79 Ad argumentum concessa maiori. Nego minorem. Ad cuius probationem nego antecedens quoad primam partem, scilicèt: non constituere eam in signo inepto ad causandum suum obiectum quod illud repræsentet, vt absolutè existens, & ratio est: quia cum in præsenti non sit quæstio de influxu scientiæ visionis in obiectum quomodocumque; sed per modum scientiæ practicæ dirigentis, talemque influxum impediat repræsentatio obiecti, vt facti, & absolutè existentis: quia nemo dirigitur practicè per cognitionem operis facti; sed per ostensionem operis faciendi, & modi, quo exequibile est, ideo à repræsentatione obiecti, vt absolute existentis, constituitur in signo inepto ad causandum. Inde probatio in contrarium adducta ex cognitione, per quam procedit Verbum ad rem non est: tum quia operatio necessaria, vt est productio Verbi, non est praxis, nec dirigibilis, vnde nec cognitio ad illam præcedens est practica; tum quia illa scientia non procedit, vt imperium, quo solum modo Scientia visionis est practica apud Adversarios; sed vt repræsentatio, qua ratione nolunt esse causam; tum demum: quia processio Verbi est per modum loquutionis, quæ debet supponere Scientiam in loquente illius, quod loquitur: ast res aliæ productæ non debent præsupponere ex parte causæ producentis scientiam de se ipsis, vt existentibus; nisi in hoc ipso supponatur conclusio asserens scientiam visionis debere esse causam rerum aliunde non probata.

80 Obijciunt tertiò. Scientia in tantum dirigit voluntatem, & practicè se habet comparative ad illam, in quantum ei ostendit quid decernendum, & producendum est; sed id quod decernendum, & operandum est, existentia; non possibilitas est: neque enim voluntas decernit necessarium, & quod independenter ab ipsa tale est, aut res efficitur in ratione possibilis; verùm in ratione existentis: ergo Scientia dirigens Deum ad productionem creaturarum est scientia representans existentiam earum, ac proinde Scientia visionis, non quæ repræsentat possibilitatem, & quæ dicitur simplicis intelligentiæ. Confirmatur: iuxta D. Thomam in hac quæst. articulo 9. ea quæ nec sunt, nec fuerunt, nec aliquando erunt attinguntur per Scientiam simplicis intelligentiæ; ea verò, quæ aliquando sunt, Scientia visionis cognoscuntur; sed ea quæ aliquando sunt, causantur à Deo: ergo causantur per Scientiam visionis. Probatur consequentia: ea, quæ à Deo procedunt, causantur per Scientiam, quæ de ipsis est: sed Scientia de his, quæ aliquando sunt, & causantur à Deo, est scientia visionis: ergo ea, quæ à Deo causantur, procedunt à Deo per Scientiam visionis.

81 Vt ratio ista non sit plenè demonstrativa, vt intendit Gonet; verùm falsissima, & levissimæ apparentiæ, statim se offert instantia non facilè ab ipso, neque ab vllo alio contrariæ sententiæ devoranda. Probaret enim scientiam visionis, non vtcumque præcedere existentiam rerum; verùm omne divinum decretum in illam tendens, quo fieret, vt Deus non nisi necessitatus creaturas produceret. Est clarum. Deus nullo decreto potest decernere existentiam rei, quin præcognoscat id quod decernit; sed id quod decernit, est existentia rei: ergo Deus nullo decreto potest decernere existentiam rei, quin præcognoscat illius existentiam: at per te Scientia, qua cognoscitur existentia, est Scientia visionis: ergo Scientia visionis debet præcedere omne decretum tendens in

existentiam rerum. Clarius. Divina voluntas per suum decretum non tantùm dat esse rei; sed decreto: ergo pro priori ad decretum debet cognoscere existentiam decreti in quam tendit; sed scientia de existentia decreti est Scientia visionis illius: ergo ante omne decretum Dei præcedit non modo Scientia visionis rei, quam decernit; sed ipsius decreti.

82 Respondetur: scientiam eatenus dirigere voluntatem ad rerum effectionem, quatenus illi ostendit quid decernendum, & producendum est, vt possibile absolutè, & respectivè: ac per consequens ostendit illi existentiam ipsam rei, vt exercibilem, & producibilem; quamvis non vt exercitam, & productam, qui modus ostendendi est aptissimus, & propriſsimus practicè dirigendi in rei effectionem, quam sicut non supponit voluntas ex parte sui, sic nec supponere debet ex parte cognitionis: Inde Scientia simplicis intelligentiæ non discriminatur à Scientia visionis ex eo, quod hæc attingat rerum existentiam; secus illa; verùm ex eo, quod hæc repræsentet existentiam, vt exercitam: illa verò vt possibilem, & exercibilem. Quod ab omnibus tenendum est, sivè essentia distinguatur, sivè non distinguatur ab existentia, cum omnibus planum, & inconcusum esse debeat, Scientiam simplicis intelligentiæ non modo repræsentare possibilitatem essentiæ; sed insuper existentiæ: imò ob id repræsentat essentiam possibilem: quia eam ostendit in existendo non repugnantem. Iam dicant: an Scientia simplicis intelligentiæ, quæ repræsentat existentiam rei, vt possibilem, sit Scientia visionis illius, aut non feratur in existentiam ipsam?

83 Confirmatio ex Div. Thoma non est ad rem: tum quia quamvis dicat eorum, quæ aliquando existunt, dari Scientiam visionis, non negat dari etiam Scientiam simplicis intelligentiæ, vt erat necessarium ad intentum Adversariorum: tum, quia quando affirmat eorum, quæ numquam erunt, dari scientiam simplicis intelligentiæ, non dicit eam scientiam non terminari ad existentiam; sed solum non terminari ad existentiam eo modo, quo terminatur Scientia visionis scilicèt proponendo eam, vt exercitam; alias videant: sit ne de mente S. Thomæ negare in Deo cognitionem existentiæ possibilis eorum, quæ neque sunt, nec fuerunt, nec erunt? Quod si non est, nec potest esse: per consequens scientia illa de possibilitate existentiæ erit scientia simplicis intelligentiæ; quin tamen feratur in aliud, quod non sit ipsa existentia: non ergo ex mente Div. Thomæ diversitas vnius, & alterius scientiæ pensanda est penes id quod vna feratur in existentiam; secus altera.

84 Insistunt ex D. Thoma quæst. 2. de veritate articul. 9. ad 2. Tota distinctio Scientiæ visionis, & scientiæ simplicis intelligentiæ non se tenet ex parte Dei; verùm ex parte ipsius obiecti, & connotati materialis, id autèm locum non haberet, si Scientia simplicis intelligentiæ, & visionis terminarentur ad idem obiectum: ergo cum proprium obiectum Scientiæ visionis sit existentia; hęc non erit obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ: at Scientia dirigens ad dandam existentiam rebus attingit, & proponit existentiam illarum: ergo Scientia visionis est quæ dirigit, & causat existentiam rerum.

85 Respondeo: D. Thomam ab omnibus esse explicandum in Scientia simplicis intelligentiæ attingente non repugnantiam ipsius existentiæ, quæ componibilis est, sicut cum defectu actualis existentiæ, sic etiam cum defectu Scientiæ visionis illius, quæ quidem ex parte obiecti nullam habet distinctionem realem, per quam diversificetur à scientia simplicis intelligentię eiusdem obiecti; ni velint ipsius existentiæ dare vnam existentiam tactam per scientiam simplicis intelligentiæ; alteram per Scientiam visionis, quo adhùc vltra processum infinitum difficultatem non fugient, vel quia iam concedunt scientiam simplicis intelligentiæ terminari ad existentiam, vel quia omne illud, quod superaddatur existentiæ, vt proprium Scientiæ visionis, id ipsissimum, vt possibile, debet attingi per scientiam simplicis intelligentiæ. Propterea respondendum: mentem D. Thomæ non esse statuere Scientiam vnam, & alteram debere distingui ex obiecto; sed tantum, quod si ad concedendam in Deo Scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ aliqua distinctio esset ponenda, hæc potius in obiecta, aut in connotata illorum esset transferenda; quàm in ipsas Scientias, quæ ob simplicitatem in essendo nullam distinctionem realem per-

permittunt, quæ affirmatio conditionalis componitur cum eo, quod nulla distinctio realis obiectiva sit absolutè necessaria, & sufficiat distinctio formalis vnius, & alterius scientiæ coniuncta cum distinctione virtuali extrinseca, vt dictum est supra ex generali doctrina pro omnibus denominationibus, quæ Deo competunt, & pro constitutione actuum contingentium, & liberorum ipsius.

86 Obijciunt quartò. Scientia visionis non efficiens; sed supponens suum obiectum, est scientia *quæ potius datur, quia est obiectum*; quam è contra: *obiectum datur quia est scientia*: ergo perfectio, veritas, & certitudo, quæ est in scientia, potius erit, *quia est obiectum*; quam perfectio, quæ est in obiecto, *quia est scientia*; sed hoc repugnat, cum ita obiectum esset ratio, mensura, & id penès cuius adæquationem desumeretur perfectio scientiæ divinæ, quòd non convenit cum excellentia, & perfectione scientiæ divinæ: ergo repugnat scientiam visionis ita se habere ad suum obiectum, vt illud præsupponat, & non causet: ac per consequens, quod non sit causa rerum.

87 In hac difficultate, si quæ est, benè agnoscitur æquè ac nos impugnari propositionem illam Patrum: *Res non sunt, quia videntur, aut sciuntur; sed potius videntur, aut sciuntur quia sunt*, quæ vel falsa debet esse, vel continere inconveniens propositum imperfectionis divinæ scientiæ: deinde patitur instantiam in scientia simplicis intelligentiæ, quæ iuxta ipsos suum obiectum non facit, & tamen per ordinem ad ipsum certa est certitudine formali, sicut & vera veritate formali, imò & in ipsa scientia visionis instari potest, provt ab Aduersarijs ponitur, quæ &si causet suum obiectum, non ideò desinit commensurare suam veritatem formalem cum obiecto, à quo formaliter constitutivè habet esse conformem suo obiecto; ac per consequens veram formaliter, cum ab eo, quod res est, provt peractum repræsentatur, actus sit verus formaliter.

88 Respondeo. Scientiam visionis suum obiectum præsupponentem, & non causantem habere ab illo suam perfectionem, & esse respectivum purè in genere obiectivo, non in genere physico, aut strictè causali, quod non dedecet diuinam scientiam; sicut non dedecet diuinam voluntatem præsupponere aliquid finitum in genere causæ finalis à quo moueatur ad eligenda, & decernenda media: neque ideò obiectum est regula perfectionis scientiæ, aut scientia est quid commensuratum in ratione perfectionis cum obiecto: quia aliud est, quod, vt sit perfectio, sit necessaria adæquatio cum aliquo extremo; aliud, quod adæquatio sit mensura perfectionis, vt patet in Omnipotentia, cuius perfectio sumitur per ordinem ad adæquationem cum omni re possibili; quin ideò adæquatio cum omni possibili sit mensura perfectionis Omnipotentiæ: nam adæquari cum omni finito non potest esse mensura, vndè resultet infinitum. Pariter diuina visio, &si perfectionem suam habeat per ordinem ad adæquationem, quam dicit in ratione veræ formaliter cum suo obiecto, non ideò habet eandem adæquationem pro regula, & mensura suæ perfectionis: quomodo si haberet, resultaret scientia imperfecta ex commensuratione suæ perfectionis cum perfectione finita: vndè necessum erat, quod resultaret non excedens perfectionem finiti.

89 Obijciunt quintò. Scientia, quæ est causa rerum, concurrit ad illas, vt causa determinata; sed causa indifferens ad causandum, & non causandum, vt est scientia simplicis intelligentiæ, non est causa determinata: ergo scientia simplicis intelligentiæ non est causa rerum. Probatur maior. Omnis vera causa nō aliter causat suum effectum, quàm per determinationem ad illum: ergo si scientia causat res, eas causat provt ad eas determinata; sed scientia concurrens ad res producendas, provt ad eas determinata, est scientia concurrens ad illa, provt causa determinata: ergo scientia, quæ est causa rerum, concurrit ad illas producendas, vt causa determinata.

90 Ad argumentum distinguo maiorem. Scientia, quæ est causa rerum, concurrit ad illas, vt causa determinata *in essendo*, concedo maiorem; *in causando* subdistinguo: vt causa determinata *intrinsecè*, nego maiorem, vt causa determinata *extrinsecè*, *& ex adiuncta voluntate*, concedo maiorem, & distinguo minorem. Causa indifferens ad causandum, & non causandum, vt est scientia simplicis intelligentiæ, non est causa determinata *in essendo*, nego minorem; *in causando* subdistinguo: non est determinatè

natè *intrinsecè*, concedo minorem: *extrinsecè*, nego minorem, & consequentiam. Vnde constat, ad probationem dicendum, omnem veram causam non aliter causare suum effectum; quàm per determinationem ad illum *intrinsecam in essendo. In causando* vero *intrinsecam*, vel *extrinsecam*, provt fuerit conditio causæ necessariæ, vel contingentis; non verò determinatè intrinsecam; cum omne principium cõtingens in causando, quomodo est scientia simplicis intelligentiæ non aliter causet, quàm provt determinatum ab extrinseco, determinatione proveniente ab adiuncto comprincipio, vt alibi iam diximus.

91 Vrgent: si scientia simplicis intelligentiæ concurreret, vt indifferens in causando *intrinsecè*, & vt determinata *extrinsecè*, concurreret vt indifferens, & determinata; sed concurrere, vt indifferentem, & determinatam, repugnat: quia indifferens, & determinatum sunt prædicata opposita, tanquam quæ constituuntur per negationem alterius, aut saltem eam inferunt; etenim esse indifferens dicit non esse determinatum, & esse determinatum dicit non esse indifferens: ergo scientia simplicis intelligentiæ non aliter, quàm repugnanter esset causa rerum.

92 Monita libertatis, & cuiusvis principij indifferentis instantia respondetur: esse *indifferens*, & *determinatum* non esse prædicata opposita, & quæ respectu eiusdem non possint verificari, præcipuè quando indifferentia, & determinatio sunt in diverso genere, vt accidit in casu præsenti, in quo *indifferentia* est intrinseca, & *determinatio* extrinseca, quæ optimè componuntur: quia indifferentia intrinseca nihil aliud est, quàm defectus connexionis scientiæ, cum effectu, vt à se causato; determinatio verò extrinseca est cõiunctio cum alio connexo cum eo, quod sit ab ipsa effectus: esse autem ex se inconnexam cum effectu; vt ab ipsa procedente, & coniungi cum alio connexo cum effectu, vt ab ipsa procedente, nullam dicit oppositionem inter se magis, quàm coniunctio non connexionis vnius respectivè ad aliquem terminum, cum connexione alterius respectu eiusdem extremi.

93 Obijciunt sextò, & vltimo ad probandum: saltem remotè, & supposito aliquo divinæ voluntatis decreto esse à nobis concedendam causalitatem scientiæ visionis in suum obiectum, quod si probetur, maximè debilitantur nostræ rationes, & præcipuè pondus Authoritatis, quod ex loquutionibus Patrum desumpsimus. Proponunt sub hac forma: in sententia communi Societatis, quam nos, vt veram admittimus; Deus non tantum potest prædefinire efficaciter intentivè operationes nostras liberas, & honestas, prædefinitione, scilicèt regulata, & dependens à Scientia media de tali operatione; verùm defacto sic eas prædefinit; sed si ita est, scientia visionis, & potest esse, & est causa obiecti, quod repræsentat: ergo scientia visionis, & potest esse, & est causa rerum. Probatur minor. Si res ita se habent, decretum intentivum efficax præcedit ad decretum exequutivum; sed si decretum intentivum præcedit ad decretum exequutivum, scientia visionis decreti intentivi, & obiecti illius præcedit ad decretum exequutivum, & media directione illius est causa obiecti, quod decretum exequutivum exequitur: ergo si res ita se habent, scientia visionis, & potest esse, & est causa rerum. Maior est certa. Probatur minor. Si decretum intentivum præcedit ad decretum exequutivum, signum immediatè subsequutum ad decretum intentivum, est signum cognitionis, qua videtur existens, tum decretum ipsum intentivum, tum obiectum illius cum quo metaphisicè connectitur: quia Deus quam primum obiectum est cognoscibile, illud debet cognoscere; sed signum istud cognitionis est signum immediatè præcedens ad decretum exequutivum, cum voluntas non aliter moveatur ad decretum exequutivum in vi intentivi, quàm ex directione cognitionis proponentis decretum intentivum, & insuper: quia voluntas pro priori ad decretum exequutivum, quàmvis non sit libera ad decretum exequutivum, & carentiam illius est tamen libera ad ponendum decretum executivum, vt intrinsecè relatum ad decretum intentivum per modum tendendi his terminis correspondentem, *exequor*, *quia intendi*, vel vt relatum materialiter, & sine tali modo tendendi: ergo si decretum intentivum præcedit ad decretum exequutivum, scientia visionis decreti intentivi, & obiecti illius præcedit ad decretum exequutivum, & media directione illius est

cau-

cauſa obiecti, quod decretum exequutivum exequitur.

94 Hanc difficultatem ſemel, & iterum verſavimus tractatu de prædeſtinatione agentes, iam de imperio intellectuali, iam de prædefinitione purè intentiva, & conſequenter ad ibi dicta reſpondetur. Aliud eſſe, quod dato decreto purè intentivo debeat dari cognitio, tum illius, tum obiecti intenti, cum quo provt exequendo connectitur; aliud, quod talis cognitio debeat dari in ſigno immediatè ſubſequuto, & præcedente ad decretum exequutivum. Ex his primum eſt verum; & ſecundum falſum. Ratio eſt: quia, vt prædicta cognitio probetur exiſtens in ſigno præcedenti ad decretum exequutivum, non ſufficit probari exiſtens, aut derivata ex decreto intentivo; ſed inſuper eſt neceſſarium probari vt influens in decretum exequutivum, quod non probatur, neque ex eo, quod intellectus divinus debeat cognoſcere obiectum, quàm primum eſt cognoſcibile: quia donec probetur cognitio illius decreti, & obiecti in decretum immediatè ſubſequens influere: ly *quàm primum* tantum denotat prioritatem *in quo* æternitatis, & temporis, id-eſt, obiectum illud debere cognoſci à Deo ab æterno, & in æternum, nec vllum eſſe tempus, aut menſura, in qua cognitio illius non coexiſtat cognitioni aliorum, quæ cognoſcuntur à Deo, idque impertinens omninò eſt ad probandam prioritatem *à quo*, ſeu *influxus*: neque ex eo quòd voluntas exequatur obiectum in vi intentionis: quia ſemel data cognitione requiſita ad regulandum decretum intentivum, ex quo manet neceſſarium decretum exequutivum, non eſt neceſſaria pro priori altera cognitio decreti intentivi: nec denique ex eo, quòd voluntas ſit libera ad decretum exequutivum ſic, vel aliter ponendum cum relatione ſignata ad actum intentivum: quia ad hoc ſufficit cognitio ſimplicis intelligentiæ, qua proponitur voluntati poſsibile decretū exequutivum, & quomodo ipſi poſsibile eſt, nempè aut cum reſpectu intrinſeco ſignato ad decretum intentivum, aut ſine illo: quod perceptibilius adhuc fit in noſtra ſententia, tenente actum imperantem non adimere proximam libertatem actui imperato; ac per conſequens, neque actum intentivum exequutivo. Vndè cum ex vno impetu eiuſdem proximæ libertatis exeat intentio, & exequutio, æque non indiget voluntas ex parte actus primi ad decretum exequutivum cognitione alicuius cōnexi cum decreto executivo, aut repræſentante, vt abſolutè exiſtens, tum ipſum decretum exequutivum, tum obiectum illius, quàm ex parte actus primi ad decretum intentivum cognitione alicuius connexi cum illo, aut repræſentante, vt abſolutè exiſtens ipſum decretum, & obiectum illius.

95 Inde fiunt duo: vnum, ſcientiam viſionis de decreto intentivo, & de decreto exequutivo, & obiecto illius, vt cognitis in decreto intentivo, aut non dicere ordinem cum decreto exequutivo; ſed diſparato quodam modo ad ipſum comparari; vel ſi dicit aliquem ordinem, eſſe poſterioris ad prius; non verò prioris ad poſterius: quia ordine cauſalitatis differtur eius exiſtentia vſque ad ſignum ſubſequutum ad obiectum, provt exercitum in vi decreti exequutivi, cuius viſio eſt, tum in ſe, tum in decreto intentivo, & exequutivo; nec te fallat motivum cognoſcendi exiſtere prius, vt inde inferas, cognitionem obiecti debere eſſe immediatam tali motivo: quia cum immediatio debeat eſſe in ordine cauſalitatis, id, quod probet cognitionem in illo fundatam non influere in id, quod immediatè ex tali motivo provenit, probat etiam cognitionem ex illo ortam non eſſe immediatam ordine cauſalitatis reſpectu alicuius tertij, in quod influit motivum cognitionis; ſecus cognitio. Nec iterum te fallat per dicta, Deum videri conſtitui ignorantem in aliquo ſigno, cum adſtante motivo cognoſcendi pro aliquo ſigno differat cognitionem ad aliud ſignum: quia non eſt ignorare in aliquo ſigno non cognoſcere obiectum in illo ſigno immediatè ſubſequuto ad motivum, quando hoc non eſt, nec poteſt eſſe motivum pro illo ſigno; verùm pro alio: præterquamquod eſt doctrina non invtiliter obſervanda, tàm pro caſu præſenti, quàm pro mille alijs, in quibus *ſimiles ignorantiæ ſigni* ſolent objici, eſſe implicationem in terminis *ignorantiam ſigni*, ſiquidem ignorantia conſtituitur per defectum cognitionis; non per id, quod cognitio exiſtens non influat in hoc, aut illud extremum: vndè ignorantia ſigni erit exiſtere cognitionem in intellectu ſine influxu in aliquem termi-

num;

num ; quid autem magis repugnans, quàm constituere ignorantiam aliquam per existentiam cognitionis non influentis, cum sit idem ac dicere: *ignorat, quia quod scit, non influit in hoc, vel illud.*

96 Alterum : hoc modo manere planissimam, & absque exceptione vlla propositionem illam adversativam Patrum: *res sciuntur, & videntur, quia sunt; non verò sunt quia sciuntur, & videntur*; quam non parum obscurant dicentes: esse tantummodò intelligendam de concursu immediato ; non autem de concursu mediato ; nec scio : an plus intendant Thomistæ, qui licèt dicant, scientiam visionis influere immediatè, non id dicunt, provt iudico, respectu effectus producendi ; sed respectu voluntatis exequentis : vndè oritur vsus passivus; sicque tota potentia proxima actus, præcipuè si liber sit, manet extra ipsam scientiam visionis, se habentem remotè ad actum. Quod si plus adhuc intenderent, non esset impugnanda causalitas scientiæ visionis titulo repræsentationis sui obiecti, vt absolutè existentis, & improportionis, quam habet ex modo repræsentandi suum obiectum, vt ad ipsum practicè dirigat ; sed vnicè titulo libertatis, & inimpedibilitatis illius iuxta generalia principia nostræ Scholæ. Ratio est: quia semel posito, modum tendendi circa obiectum cum determinatione ad existentiam, & sine præcisione ab illa non esse improportionatum, vt exerceat causalitatem in illud, saltem remotam, & practicè in eodem genere ad illud præcedere, non facilè explicabitur, cur attento titulo repræsentandi suum obiectum, vt existens, & factum, non valeat exercere concursum immediatum, & proximum, velut scientia practica ipsius? Melius ergo clarius, & expeditius procedet, qui cum neget scientiæ visionis causalitatem immediatam, & proximam, neget etiam causalitatem mediatam, & remotam, vt nos facimus præcludentes aditum paritati molestæ, & quæ nobis non habet facilem exitum, totamque quæstionem perturbat, & implicatam redit.

CAPVT III.

De Divinis Idæis.

97 CVM idêa, si in Deo sit, ad scientiam practicam illius, vt Supremi Artificis, spectare debeat, absolutis alijs quæstionibus pertinentibus ad scientiam divinam practicam hãc adiungere libuit, vt nihil, quod sciẽtiæ practicæ sit proprium, in alium locum remittatur.

98 Quod idea Græcis latinis *forma* dicitur non quæcumque; sed illa quæ se habet per modum prototypi, & exẽplaris *in quod respiciens Artifex operatur*: vndè idea, & exemplar ad cuius instar aliquid efficitur, pro eodem vsurpantur, derivato nomine *idea* à verbo Græco *idzo*, quod latinè idem est ac *inspicio*: propterea *idea* inspectio quædam operis faciendi, seu ratio illius existens in mente Artificis dicitur, ex qua dirigitur ad operis effectionem : sic ideam explicat Dionisius de divinis nominibus, cap. 5. dicens : *Exemplaria dicimus esse essentiæ rerum effectrices rationes*, Augustin. libr. 83. quæstionum, quæst. 46. sub initio : *Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles.* Anselmus in monologio cap. 8. in fine : *In facientis ratione præcedens aliquod rei faciendæ quasi exemplum, sive vt aptius dicatur forma, vel similitudo, aut regula.* Cæterum cum duplex distingui soleat exemplar ; aliud externum, quod sensibus obijcitur, se habens vt regula externa, quemadmodum frequenter evenit Architectis proponentibus exemplar quoddam, seu formam externam ædificiorum, quæ ob suam nobilitatem, & excellentiam singularem artem exposcunt. Aliud internum, id est, quod in mente Artificis interius formatur, quorum meminit Seneca epistola 66. inquiens : *Nihil enim refert virum foris habeat exemplar ad quod referat oculos, an intus, quod ibi ipse concepit, & posuit* ; pariter duplex idea distingui potuisset; *interna* vna ; *externa* altera ; verùm vt notat Ruiz, & colligitur ex dictis, frequentius, & proprius refertur idea ad exemplar interius, & mẽtale; quam ad exemplar exterius, & sensibile, quod non ita propriè, & formaliter continet causalita-

ta

tatem exemplarem; sed per attributionem ad interius, quod excitatur intuitu exterioris exemplatis, & insuper: quia ad faciendum illud exterius præcessit aliud interius non innitens altero externo: quare exemplar externum potius dicendum est pertinere ad opus ideatum, quam ad ideam operis faciendi.

99 Additur ex communi acceptione ideam, quam diximus, esse formam rei ab Artifice faciendę, debere esse formam realiter distinctam, & separatam à rebus quarum est forma, tum vt sic sortiatur rationem similitudinis, & exemplaris; quam quodque, respectu sui ipsius non participat, sicut nec propriè dici potest, eiusdem ad se dari exemplar, aut similitudinem, tum quia cum talis forma, provt idea, sit in Artifice propter opus contingenter faciendum: neque enim ad ea, quæ ex necessitate fiunt, datur practica directio, vt supra manet constitutum: per consequens debet esse forma compatibilis cum defectu operis, quod formaliter est esse ab ipso separabilem.

100 Ratione, & conceptu ideæ propositis. Queritur primò: an in Deo sint ideæ. In quo cōstans Patrum, Theologorum; imò & Philosophorum propositio est: Deo competere ideas creaturarum, nec sine temeritate, aut erroris periculo hoc negari posse, aut in dubiū verti: colligitur namque ex verbis Apostoli ad Hebræos, cap. 11. dicentis: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei vt ex invisibilibus visibilia fierent*, ideſt vt res, quæ in suis ideis erant invisibiles, ex illis vt ex exemplaribus, in quibus erant aptata, & disposita, fierent per productionem visibiles, quomodo intelligit Apostolum Anselmus ibi post traditam aliam explicationem, quā tenuit etiam Chrysostomus, homilia 22. reddens pro *ex invisibilibus*: *ex nihilo* dicens, *vel ex invisibilibus facta sunt visibilia, id est ex intellectuali mundo, visibilis: invisibilis enim mundus in Sapientia erat. & ad illius imitationem factus est iste visibilis*, approbante Divo Thoma, & sequente eundem sensum ad prædictum locum, lectione 2. necnon Glossa ordinaria referente, vt ex sententia Augustini, quamvis, vt advertit Ruiz, non inveniatur apud ipsum expressè; sed tantum velut in semine, & implicitè, in cuius tenorem cecinit Boëtius, libr. 3. de consolatione, metro 9.

——— *Tu cuncta superno*
Ducis ab exemplo; pulchrū pulcherrimus ipse
mundum mente gerens.

101 Idem comprobari potest ex illo Ioann. cap. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat*; id est, quod factum est, prius fuit in mente Dei Artificis tanquam in idea, & ratione præconcepta operis fabricando; neque aliter artefactum in Artifice præcedit, quam in fama ideali ipsius. Audiatur Augustinus prędicta verba exponens tractatu 1. in Ioannem, column. penultima. *Facta est terra; sed ipsa terra, quæ facta est non est vita; est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam qua terra facta est, hæc vita est*, quod explicat exemplo: *Faber facit arcam primo in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, non esset vnde fabricando illam proferret; sed arca sic est in arte, vt non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est in opere visibiliter*, & post pauca, *arca in opere non est vita, arca in arte vita est: quia vivit anima artificis.*

102 Accedit naturalis ratio demonstrativa eiusdem veritatis. Siquidem Artifex non aliter procedit ad opus, quod intendit, nisi ex præscriptione rationis ostendentis voluntati, & rem operabilem, & modum, quo operari debet, ideſt, mente præconcipiendo id ipsum, quod ad exequutionem perducere connatur: ergo Deus artifex perfectissimus, & rationabilissimus non aliter operari potest, quàm mente perfectissimè præconcipiendo id ipsum, quod operari intendit, & ad exequutionem ducere; sed talis mentis præconceptio ostendens modum, & rationem operis est idea: ergo in Deo operante, vt perfectissimo Artifice, datur idea. Quam rationem sub his verbis expressit Divus Augustinus, libr. 83. quæstionum, quæst. 46. post medium, *quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici, & credi non potest, restat, vt omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo quam equus: hoc enim absurdum est existimare: singula ergo propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes vbi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris* ex quibus immediatè colligit esse in Deo ideas creaturarum, & de his intelligit Platonicas ideas reputans mundum intelligibilem, quem Plato designavit, esse rationem sempiternam, qua Deus

fecit

fecit mundum ſenſibilem: vndè concludit: quam, qui eſſe negat, ſequitur, vt dicat *Deum irrationaliter feciſſe, quæ fecit.*

103 Pariter proponit Anſelmus in monologio, cap. 8. propè finem: *Nullo* (inquiens) *pacto fieri poteſt aliud rationabiliter ab aliquo, niſi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quaſi exemplum, ſive vt aptius dicitur forma, vel ſimilitudo, aut regula. Patet itaque quoniam priùs quam fierent vniverſa, erant in ratione ſummæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura eſſent.* Propterea divinæ ideæ non latuerunt, vel ipſos Philoſophos ſolo rationis naturalis lumine inſtructos, vt conſtare videtur ex Cicerone, Seneca, & Platone apud Ruiz, diſputatione 81. quæſt. 15. ſection. 1. & 2. quod confirmat Auguſtini dictum in quæſtione 46. citata: *Nam non eſt veriſimile ſapientes, aut nullos fuiſſe ante Platonem, aut iſtas, quas Plato, vt dictum eſt, ideas vocat, quæcumque res ſit, non intellexiſſe. Siquidem tanta in eis vis conſtituitur, vt niſi his intellectis, ſapiens eſſe nemo poſſit;* & poſt pauca: *Hos ergo* (ideſt Sapientes) *ſi qui fuerunt, non eſt exiſtimandum ideas ignoraſſe, quamvis alio fortaſſe eas nomine vocitaverint.* Nec obſtat, ſi dixerit Dioniſius, cap. 7. de divinis nominibus, *Deum non cognoſcere res ſecundum ideam*: quia, vt exponit D. Thomas in præſenti articulo 1. ad primum, intelligendus eſt de idea extra Deum exiſtente, aut aliunde accepta.

104 Quæritur ſecundò: an prædictæ ideæ Deo convenientes, ſint ipſi aliquid intrinſecum, & ad proprium eſſe divinum ſpectans; an vero aliquid extrinſecum, & tantum per intrinſeca Dei reſpectum? In quo certum debet eſſe ſecundùm fidem: ideas divinas non conſiſtere in aliquo eſſe reali æterno, & à Deo diſtincto, vt tribuitur Vvicleſpho, & impugnatur ab Vvaldenſe, tom. 1. cap. 5. & 8. & ratio eſt: quia, vt proclamant Patres, *quidquid ab æterno vere eſt, vel Deus eſt, vel nihil eſt*: nam vel exiſtit ab æterno, vt improductum, & non factum, & ſic à Deo indiſtinctum erit, vtpotè qui ſolus à ſe exiſtens eſt, nec ſecum permittat aliud à ſe exiſtens, ſicut non permittit Deorum multipliciratem; ſi verò exiſtat productum: aut exiſtit ab æterno neceſſariò, aut contingenter, & ex libera Dei determinatione? Si primum: Deus extra ſe operaretur ex neceſſitate naturæ, quod contra Dei independentiam, dominium, & libertatem eſt, ac proinde contra fidem teſtantem apud Paulum ad Epheſios, cap. 1. *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Si ſecundum: etiam contra fidem eſt, ex qua conſtat: omnia, quæ ex libera voluntate Dei proceſſerunt, in tempore incepiſſe.

105 Certum etiam debet eſſe: divinam ideam non conſiſtere vnicè, aut primario in aliquo exiſtente in tempore, & producto: nam benè argumentatur Doctor Eximius: ſi ideæ divinæ eſſent, quid creatum, & in tempore productum; aut producerentur à Deo per aliam ideam, vel non? Si ſine idea: ergo non vt ab Artifice perfectiſſimo; ſed modo quodam cœco, & irrationali, vt in ſimili arguebat Auguſtinus ſupra: ſi cum idea, de illa inſtauratur argumentum: aut enim illam produxit ſine alia idea, quomodo inartificiosè cœce, & irrationabiliter exiſtit: ſi cum altera idea, vel procedendum eſt viciosè in infinitum idearũ reſpectu cuiuſvis rei, vel deveniẽdum ad aliquid improductum, & in tempore non exiſtens, quod rationem ideæ primariæ, & fundamental's participet. Cui motivo alludens Auguſtinus, quæſt. 46. citata inquit: *Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper ſe ſe eodem modo habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipſæ, neque oriantur, neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interiri poteſt, & omne quod oritur, & interit.* Et poſt aliqua concludit: *Has autem rationes ubi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente creatoris? Non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat: nam hoc opinari ſacrilegum eſt.*

106 Dixi in prima propoſitione: ideam ſecundum fidem non conſiſtere in aliquo eſſe reali, & vt tali æterno, & diſtincto à Deo, vt ſic non comprehendatur eſſe purè obiectivum creaturarum, quod, provt reſpectum æternè à divina mente, habet ſecundum plures pios, & Catholicos Doctores rationem ideæ divinæ, vt conſtabit ex dicendis. Dixi etiam in ſecunda: procedere de idea vnicè, aut primario ſumpta: quia aliter accepta idea *non vnicè*, aut *ſecundariò*, non habet propoſitio gradum illum certitudinis, cum nec convincat ra-

ratio facta de processu in infinitum, aut de admissione alicuius ideæ improducibilis: verbaque Augustini videantur subire posse aliquam commodam explicationem, & insuper nescio: an talis modus discurrendi de idea in aliquo temporaliter existenti secundario, & non vnicè possit habere aliquod fundamentum ex illo Genesis cap. 2. *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi*, quod nec teneo, nec definio; verum tantum propono.

107 Quæritur tertiò, & est principalis controversia de divinis ideis: in quonam hæ consistat? An scilicèt in ipso esse obiectivo creaturarum, & operis faciendi, provt respecto à divina mente: vel in ipso esse divino, sic vel aliter explicato, vel in complexo Scientiæ divinæ repræsentantis creaturas factibiles, & operabiles, & ipsarum creaturarum, provt factibilium, & operabilium? In quo diversæ sunt sententiæ. Prima sententia docet: consistere ideas divinas creaturarum in ipsis creaturis, provt obiectivè existentibus in mente Dei secundum suum esse posibile. Pro hac sententia refertur Scotus in 1. dist. 35. quæst. vnica Ocham ibidem quæst. 5. Gabriel quæst. 5. art. 2. Durandus distinct. 36. quæst. 3. quos sequuntur Arriaga 1. parte disput. 23. sect. 4. & Herrera quæst. 11. de Scientia sect. 7.

108 Secunda communior sententia divinas ideas creaturarum in ipso esse divino, provt aliquomodo relato, seu comparato ad creaturas consistere statuit; verùm Authores huius sententiæ in varios explicandi modos se dividunt, quidam ideam ponunt in ipsa essentia Dei, provt est quædam similitudo illarum, ab ipsis imitabilis: sic communiter Thomistæ, & alij ex nostris allegantes pro se D. Thomam 1. part. quæst. 15. art. 1. & 2. At Illustrissimus Godoy tract. 5. disput. 33. §. 8. censet essentiam divinam sub ratione talis esse duntaxat ideã obiectivam; in ratione vero verbi seu cognitionis esse ideam formalem non absolutè; sed cognitam, provt comparatam ad creaturas, vt imitabilem diversimode ab illis Constituunt alij rationem ideæ in esse divino, provt est cognitio creaturarum, & ideo similitudo expressa illarum non quidem physica, sed intentionalis, quod idem est, ac constituere rationem ideę in scientia practica, seu simplicis intelligentiæ, qua Deus creaturas cognoscit, vt sibi factibiles, & operabiles, & modum, quo sibi factibiles, & operabiles sunt: ita Eximius noster Doctor disp. 25. metaphisicæ sect. 1. & lib. 3. de attributis c. 5. Vazquez 1. part. disp. 72. cap. 2. Granado tract. 7. de Scientia disp. 1. Tannerus disp. 2. quæst. 9. dub. 1. Martinon disp. 12. de Scientia, sect. 4. inter quos lis adhùc restat. An Scientia reflexè cognita, vel directè considerata ideæ rationem teneat. Alij denique ideę rationem considerant in essentia Dei, provt obiectum infinitum est, & sic ducens in cognitionem omnium factibilium à Deo, facienque, vt per cognitionem repræsententur creaturæ. Ita Smisingus tract. 3. de Deo vno, disp. 2. quæst. 7. Quiròs tom. 1. de Deo, quæst. 15. art. 1. num. 8. & alij.

109 Tertia sententia eorum est, qui asserunt divinas ideas resultare ex conceptibus formalibus, & obiectivis id est ex cognitione creaturarum factibilium, provt factibiles sunt, & ex ipsis creaturis, provt sic existentibus in divina cognitione, huius iudicij sunt Vekenus tomo de Deo disp. 20. de Scientia, cap. 3. Carleton tom. 1. Theologiæ, disp. 25. sect. 2. Oviedo controversia 11. physicæ puncto 3. Lincè lib. 4. physicorum, tract. 11. cap. 2. quibus adhæret Izquierdo disput. 29. quæst. 2. propositione 5.

110 Sit prima conclusio. Nihil distinctum à Deo quomodocumque acceptum, habet rationem divinæ ideæ propriæ, & strictè acceptæ. Est expressa D. Thomæ in præsenti quæst. 15. art. 1. in corpore, ibi: *Necesse est, quod in mente divina sit forma ad similitudinem cuius mundus est factus, & in hoc consistit ratio ideæ.* & quæst. 3. de veritate præsertim artic. 2. & lib. 1. sententiarum distinct. 36. quæst. 2. & 3. Videturque concors sententia Patrum, vt affirmat, & comprobat Ruiz disp. 82. de Scientia sect. 2. sicut, & Petavius lib. 4. Theolog. dogmatum cap. 10. & 11. Aliqua eorum testimonia dedimus supra in resolutione primæ quæstionis quibus addi potest Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. vltimo: *Verbum perfectum, cui non deest aliquid, & ars quædam Omnipotentis, atque sapientis Dei plena omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno, cum quo vnum ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipsam.* & lib. 11. de Civitate Dei, cap. 29. ait: *Creaturas in Verbo Dei habere causas,*

rationesque ſuas, ideſt, ſecundùm quas factæ ſunt incommutabiles permanentes. & lib. 5. de Geneſi ad literam poſtquam capitibus præcedentibus dixiſſet: ideas, & rationes rerum eſſe vitam in Deo cap. 15. concludit: *In qua vita vidit omnia quando fecit, & ſicut vidit ea, ita fecit: non præter ſe ipſum videns; ſed in ſe ipſo.*

111 Clariſsimè Anſelmus monologio cap. 10. *Nihil omninò aliunde aſſumpſit, vnde vel eorum, quæ factura erat formam in ſe ipſa compingeret, vel ea ipſa id, quod ſunt, perficeret.* Nec minus clarè Damaſcenus Oratione 1. de Imaginibus pag. 3. *Sunt in Deo Imagines, & exemplaria rerum, quæ ab ipſo futura ſunt.* Vnde ſubdit: *Non aliter antequam fierent erant expreſſa; quàm ſi quis velit domum ædificare prius Imaginem, ac formam ipſius in animo effingit, cogitationeque complectitur.* Conſequenter lib. 1. de fide cap. 12. conſtituit in Deo: *Imaginem, cuius exemplum, & expreſsio in præfinito tempore fit.*

112 Ex quibus ſic concludo: iuxta Patres id ſolum pertinet verè, & proprie ad divinam ideam tanquam id in quo formaliter conſiſtit, quod ſe habet, vt exemplar æternum, & incommutabile, vt Verbum Dei, vt ars quædam Omnipotentis, vt vita Dei, vt non aliunde acceptum, ſeu extra ſe poſitum, & denique, vt exemplar, & imago rerum, quæ ab ipſo futura ſunt; ſed nihil à Deo diſtinctum ſe habere poteſt, vt exemplar æternum, & incommutabile, vt Verbum Dei, & ars Omnipotentis, vt vita divina, vt non aliunde acceptum, ſeu extra ſe poſitum, & denique, vt imago rerum, quæ ab ipſo futura ſunt, cum omne diſtinctum à Deo ſit in ſe finitum, & limitatum, ac proinde incapax, vt ſit Verbum, & vita Dei, Imago omnium, aut non aliunde acceptum, aut extra Deum poſitum: ergo iuxta Patres nihil diſtinctum à Deo verè, & propriè participat rationem ideæ divinæ.

113 Explico, & confirmo: ex mente Patrum Deus, vt Artifex omnium rerum, ac per conſequens, vt habens ideam operabilium per quam conſtituitur in ratione perfectiſsimi Artificis, nihil extra ſe poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat; ſed omne diſtinctum à Deo eo modo, quo à Deo diſtinguitur, eſt extra Deum poſitum: ergo nihil diſtinctum à Deo eſt id, quod Deus intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret id quod conſtituebat: at id quod Deus non intuetur, vt ſecundùm illud conſtituat id quod conſtituit, & operatur, non habet rationem divinæ ideæ: cum idea ſit illud ad cuius inſtar, & imitationem Artifex operatur: ergo nihil diſtinctum à Deo ſortitur rationem divinæ ideę.

114 Si dicant: creaturas tantùm, provt exiſtentes, eſſe extra Deum poſitas, quomodo ex mente Patrum, nec ſunt, nec poſſunt eſſe conſtitutivæ divinæ ideæ; at provt factibiles, & poſsibiles non ſunt quid extra Deum poſitum, vtpotè non dum exiſtentes, quare ſub hac conſideratione, nec excluduntur à Patribus à ratione ideæ divinæ, & benè poſſunt illam conſtituere. Sed contra. Nam licèt creaturæ conſideratæ, vt poſsibiles, non ſint extra Deum poſitæ exiſtentialiter, donec exiſtant; verùm ſunt quid extra Deum poſitum ſuo modo, in quantum habent conceptum diſtinctum à Deo, & ſecundum eam rationem, qua verificant eſſe poſsibiles; non ſunt eſſe Dei; alias ſe implicarent, dum dicerent ex vna parte diſtinctum à Deo habere rationem ideæ, & ex altera habere rationem ideæ ſecundum quòd non diſtinguntur à Deo; ſed Patres omne quocumque modo extra Deum poſitum excludunt à ratione ideæ: ergo tàm creaturas exiſtentes; quàm poſsibiles excludunt à prædicta ratione.

115 Imò inde argumentum ſumo, & dicta fortius confirmo: per te nihil diſtinctum à Deo, provt exiſtens, poteſt ex mente Patrum habere rationem divinæ ideæ; ſed potior ratio eſt, vt ex mente Patrum, nihil diſtinctum à Deo, vt poſsibile, & factibile, non ſortiatur rationem ideæ: ergo ex ipſis nihil diſtinctum à Deo quomodocumque conſideretur, habet rationem ideæ. Probatur minor. Iuxta Patres omnis idea, provt talis, aliundè accepta repugnat in Deo; ſed omne diſtinctum à Deo, quod, provt poſsibile, eſſet divina idea, provt tale, eſſet idea aliunde accepta, cum omne diſtinctum à Deo in ratione poſsibilis ſit Deo extra omnem cauſalitatem, aut ſuppoſitionem, ſibi liberam, neceſſarium: ac proinde quodammodo aliunde acceptum, quæ ratio, cum non militet reſpectu exiſtentium diſtinctorum à Deo, infert potiorem rationem eſſe, vt ex mente Patrum nihil diſtin-

tinctum à Deo, vt posibile, & factibile, sortiatur rationem ideæ. Præterquam quod nihil distinctum à Deo, provt factibile & posibile, est verbum, aut vita Dei; sed verbum, & vita Dei dumtaxat est divina idea: ergo nihil distinctum à Deo adhuc, vt posibile, potest ex mente PP. habere rationem ideæ.

116 Vrgetur ex eo, quod notat Ruiz ad verba citata Damasceni. Nam ideæ sunt in Deo imagines, & exemplaria rerum, quæ ab ipso futuræ sunt; sed si ideæ forent res ipsæ producendæ, non dicerentur imagines rerum, & exemplaria ipsarum; sed potius ipsæ res in se ipsis, quomodo nec sunt imagines, nec exemplaria sui ipsarum, nec proponuntur, vt imitandæ; verùm, vt ad imitationem faciendæ: ergo ratio divinæ ideæ non ponitur à Patribus in ipsis rebus efficiendis, ac per consequens in aliquo quomodolibet à Deo distincto. Si dicant: res ipsas faciendas non secundum se acceptas, verùm provt cognitas, esse imagines, ex exemplaria sui, provt existentium, tam impropria loquutio erit, ac si dicerent: *res, provt cognita, est cognitio sui*, nam licèt, provt cognita res involvat cognitionem sui, nunquam illam involvit, vt denominantem rem cognitam *cognitionem sui*; pariter ergo sentiendum est de idea. Vlterius: quia, si res ipsa facienda sub aliqua consideratione putaretur à Patribus idea sui ipsius, aliquando id ipsum expressissent, nec semper loquerentur de imagine, provt est rei: non autem provt est ipsa res, & ab ipsa non distinguitur.

117 Ratione probatur primò. Omne, quo formaliter secluso, intelligitur in Deo ratio formalis operandi practicè non est formaliter divina idea; sed formaliter secluso omni realiter distincto à Deo intelligitur in Deo ratio formalis operandi practicè: ergo nihil distinctū à Deo, est formaliter divina idea. Discursus est legitimus, & maior certa: nam idea pertinet ad artificium rei, vt constitutiva rationis formalis operādi practicè: ergo omne, quo formaliter secluso, intelligitur in Deo ratio formalis operandi practicè, non est formaliter divina idea. Probatur minor. Formaliter secluso omni realiter distincto à Deo, intelligitur in Deo voluntas intentiva operis, potentia exequutiva illius, & cognitio perfectissima operis secundum modum, quo factibile est; patet ex eo, quod nullum ex dictis cōstituatur formaliter per aliquid distinctum realiter à Deo, ac per consequens secluso formaliter omni distincto realiter à Deo, dicta formaliter intelliguntur; sed intellectis formaliter voluntate intētiva operis potentia exequutiva illius, & cognitione perfectissima operis secundum modum, quo formaliter factibile est, intelligitur in Deo ratio formalis operandi practicè, aut quid aliud erit ratio formalis operandi practicè; præter voluntatem, imperantem potentiam exequutivam perfectissimam, ex directione cognitionis perfectissimæ proponentem rem factibilem, & operabilem modo, quo factibilis, & operabilis est? ergo formaliter secluso omni realiter distincto a Deo, intelligitur in ipso ratio formaliter operandi practicè.

118 Secundò: quidquid à Deo realiter distinguitur, aut est ipsa res efficienda, aut aliquid aliud finitum, & limitatum distinctum ab ipsa re: si sit res ipsa efficienda: hæc non potest habere rationem ideę sui ipsius, vel quia eiusdem ad se non datur imitatio, & exemplar, nec vera causatio, vt debet dari inter ideam, & ideatum, vel quia idea non est forma intrinseca rei, quæ ad instar illius efficitur, quævis autem res, provt fuerit forma sui, erit forma intrinseca: si propterea sit aliud ab ipsa distinctum, vrget argumentum supra insinuatum, & ex Augustino desumptum: nam illud distinctum est causabile per ideam, aut ergo ipsum est idea sui ipsius, & ita militant rationes factæ, ne idea sit ipsa res ideata, fitque inutilis recursus ad aliquid distinctum, aut quærenda est alia idea distincta pro illo distincto, quæ si sit causata, alia idea distincta indigebit: si infinita, & improducta: habeo intentum, & quod de hac idea dicitur, dicatur de omnibus; si producta: ecce processum infinitum idearum pro quacumque re; necnon infinitum entium cathegorematicè acceptum.

119 Tertiò: idea est forma extrinseca verè existens in mente Artificis, dirigens ad effectionem formæ intrinsecæ rei efficiendæ: sed nihil distinctum realiter à Deo est forma extrinseca verè existens in mente Artificis, & provt talis, dirigens ad effectionem formæ intrinsecæ rei efficiendæ, cum nihil distinctum à Deo sit intrinsecum menti divinæ, & provt tale, dirigens

ad effectionem rei operabilis: ergo nihil distinctum à Deo potest habere rationem divinæ ideæ. Minor constat ex implicita probatione, & maior probatur ex definitione recepta ideæ, secundùm quam est ratio operis existens in mente Artificis, cum vera similitudine dirigens ad imitationem sui in opere faciendo, quod formæ intrinsecæ artefacti, aut alterius rei distinctæ à Deo convenire non potest, vel quia deficiet vera similitudo, & imitatio, vel quia extrinsecè se habebit ad mentem Artificis, vtpotè quod non subiectivè; sed obiectivè in mente divina erit.

120 Quartò: idea divina multum excedit ideam creatam; sed quodcumque distinctum à Deo, secundum suum esse intrinsecum non est magis perfectum cõparativè ad Deum, quàm ad creaturam; imò per oppositum, multò imperfectius comparativè ad Deum, quàm ad creatum: ergo tantum secundum esse intrinsecum pensandus est iste excessus: maior est certa, ex ipsis terminis, & aliunde constat: quia quo perfectior est Artifex, perfectiorem continet operis rationem, & formam, cui se conformando perfectius operatur. Minor probatur: quia imperfectius est extremum comparativè ad illud, à quo imperfectione magis distat; sed creatum magis distat in perfectione ab infinito, quã à finito: ergo quodcumque distinctum à Deo, secundum suum esse intrinsecum non est magis perfectum comparativè ad Deum; quam ad creaturam. Iam ex prima consequentia legitimè illata, sic procedo: esse extrinsecum cuiusvis creati, in quo consistat ratio ideæ, non potest esse aliud creatum, propterea quod in quovis creato idem fiet argumentum: ergo debet esse aliqnid divinum comparativè ad Deum, qua ratione benè percipitur excessus divinæ ideæ ad creatam ideam.

121 Per hæc, non tantum manet improbata ratio divinæ ideæ, posita in aliquo obiectivo, distincto à Deo tanquam adæquato constitutivo ipsius: verùm etiam tanquam inadæquato, vt fert sententia relata eorum, qui dicunt divinam ideam resultare ex complexo conceptum formalium, & obiectivorum; scilicèt ex cognitionibus, quibus Deus cognoscit creaturas à se factibiles, & ex ipsis creaturis, provt existentibus in mente Dei, quæ manet excluſa, cum vis propositarum rationum, si quæ sit, pariter impugnet constitutionem adæquatam; quàm inadæquatam divinæ ideæ per aliquid à Deo distinctum: nihilominus addi potest impugnatio specialis prædictæ sententiæ sub hac forma.

122 Posito, quod tam res efficienda, quàm conceptus formalis intentionaliter expressivus illius existens subiectivè in mente Artificis, intrent constitutionem adæquatam ideæ, non est potior ratio, vt quodvis sit constitutivum adæquatum altero tantùm connotato, quàm vt ex æquo ideam constituat cum alio: ergo absque fundamento asseritur ideam ex vtroque coalescere. Assumptum probo: posito, quod ipsa res efficienda apta sit, vt constituat rationem operis directivam, in qua consistit idea, nihil est magis adæquata ratio ipsius operis efficiendi, quàm ipsa res obiectivè existens in mente Artificis, quæ si aliquando, vt exemplar sui ad se, posit concurrere, & ad imitationem inducere, concurret quidem, vt exemplar adæquatum tantùm indigens conceptu formali, vt applicatione sui in mente Artificis; sed ita concurrere ad operis effectionem est concurrere tanquam idea adæquata duntaxat connotata intentionali repræsentatione applicante ipsam: ergo posito, quod ipsa res efficienda, provt obiectivè existens in mente Artificis, sit constitutivum ideæ, nullus est titulus, quare non designetur veluti adæquatum constitutivum illius.

123 Confirmatur ad hominem contra adversarios, apud quos multum valet paritas causæ finalis ad exemplarem, intendentes: esse omnimodam proportionem inter vnam, & aliam; sed in causa finali sola bonitas obiectivè existens in mente operantis propter finem, habet rationem adæquatam causæ finalis, habente se cognitione illius tanquam mera applicatione, quo proportionatur, vt causet adæquatè finaliter: ergo pariter conceptus obiectivus rei efficiendæ potens per ipsos exercere causalitatem causæ exemplaris in se ipsum, non aliter opus habebit conceptu expressivo intentionaliter sui, quàm, vt application per quam proportionetur ad causandum adæquatè exemplariter, ac per consequens, vt idea totalis sui.

Non

124 Non absimiliter constare valet pars altera de constitutione adæquata ideæ per conceptum formalem, seu expressionem rei faciendæ existente in mente Artificis: etenim conceptus formalis, seu mentalis expressio rei faciendæ semel quod ad constitutionem ideæ pertineat, hanc constituit tanquam similitudo stricta rei operabilis propter distinctionem, quam ab ipsa dicit, & tanquam similitudo adæquata, cuius si agens in operando disconformetur, extra ideā operabitur non correspondente executione regulæ sibi præpositæ; sed id, quod ita se habet, ideam adæquatè constituit, connotato tantum obiecto in ratione possibilis, quomodo per cognitionem repræsentatur, vt sit adæquata regula directiva, cui per Artificem correspondere valeat adæquata conformitas ex operis executione: ergo dummodo conceptus formalis mentalis existens subiectivè in mente Artificis à constitutione ideæ non excludatur, fundamentum nullum erit ob quod ratio adæquata ideæ ipsi non tribuatur, cōnotata tantum re efficienda, vt obiectivè existente.

125 Nec deficiet confirmatio pro hac parte: nam sicut cognitio boni indiget, vt talis sit, bono obiectivè se habente, sine quo existere nequiret talis propositio: neque ideò bonum, vt obiectivè existens exposcit tanquam quid constituens propositionem boni; sed tanquam quid connotatum, vt propositio aliundè constitutivè existat: sic etiam conceptus formalis mentalis rei efficiendæ, licèt ea indigeat obiectivè existente ad rationem ideæ nō illam requirit tanquam quid constituens ideam; sed tanquam quid connotatum, vt idea aliunde constitutivè existat.

126 Contra conclusionem, provt excludit rem obiectivè existentem in mente Dei tanquam ab ipso operabilem à constitutivo adæquato ideæ, aliqua objiciunt Gabriel, & Durandus apud Suarez disput. citata, sectione 1. num. 8. Primum est memorata proportio causæ finalis, & exemplaris: nam sicut in fine non movet esse formale cognitionis; sed bonum ipsum obiectivè cognitum; ita in exemplari non dirigit actionem agentis esse formale cognitionis; sed forma ipsa rei efficiendæ cognitioni obiecta, vtpotè quæ proponitur imitanda in ipsa actione: ergo sicut finis non est obiectivè in intellectu, sed pūrè obiectivè: sic idea nō debet esse subiectivè in Deo; sed tantùm obiectivè. Secundum: ex communi modo loquendi circa causam exemplarem, ex quo exemplar tantùm dicitur illud, quod media attentione, & inspectione sui movet ad imitationē in opere efficiendo; sed id, quod intuetur Artifex, non est aliquid sui, aut in ipso subiectivè existens; verùm ipsa res efficienda modo, quo operabilis proponitur: ergo rei operabili obiectivè existenti convenit ratio ideæ sicut, & exemplaris. Tertium: Theologi dicunt esse in Deo plures ideas, ex sententia Augustini, libro 83. quæstionum, quæst. 46. citatis: aſt pluralitas ista nequit se tenere ex parte Dei subiectivè: ergo tantum ex parte obiectorum est consideranda, quorum distinctio nihil cōduceret pro idearum distinctione, si ideæ in ipsis obiectis non consisterent. Quartum: quia, si Beati videntes in verbo creaturas acciperent virtutem efficiendi illas, haberent propriè exemplaria, & ideas creaturarum; sed non per aliquid, quod esset in ipsis subiectivè: quia, si aliquid maximè conceptus formalis, aut verbum productum ab intellectu ipsorum: hoc autem minimè, cum iuxta plurium sententiam Beati non videant in verbo per speciem expressam, aut aliud verbum subiectivum formatum, & productum ab intellectu ipsorum: ergo per aliquid obiectivum, & extra ipsos existens: videlicèt, res ipsa cognita in verbo.

127 Ad primum respondetur: proportionem causæ finalis, & exemplaris aliam non esse, præter quod vna, & altera causat interventu cognitionis; cæterùm in modo, & rigore causandi multum differunt: nam finis causat trahendo affectum voluntatis ad se, cum de ratione finis sit, quod in eo voluntas aliquomodo sistat ex allicientia ipsius propositi per cognitionem, vt assequibilis. Exemplar verò non movet voluntatem ad se; sed ad imitationem sui in altero opere efficiendo, quare includit distinctionem sui ab exemplato ad quod dirigit tanquam forma extrinseca, cui cōformetur effectus secundùm formam intrinsecam. Indè exemplar in causando non debet reduci ad causam finalem, vt aliqui intēdunt; aut saltem in dubium vertunt apud Suarium, citatum sect. 2. num. 2. verùm ad causam efficientem. Ad secundum dicendum: loquutionem

illam, ſi rigidè accipienda ſit, procedere tantum de exemplari externo, quo vtuntur homines ob ſuam imperfectionem ad conſervandam ideam, & etiam, vt potentiæ exequutrices facilius menti, & ideæ formali obediant, quod quidem impropriè participat rationem exemplaris, & ideæ, concurritque per accidens ad ideatum; non verò, vt per ſe requiſitum. Quod ſi transferre velis etiam ad exemplar internum, & formalem ideam, non erit difficile aſſerere ideam non ſolùm movere formaliter inhærendo menti Artifici; ſed inſuper obiectivè in quantum reflexè cognitam; Artificemque in operando non ſolum attendere rei efficiendæ, cum etiam reſpiciat ideam ipſam, quam intendit imitari, & cum quo comparat rem efficiendam. Aſt non præter rationem videtur per dictam loquutionem non ſignificari attentionem Artificis ad ideam tanquam ad obiectum repræſentatum; ſed attentionem formalem directionis, in quantum operatur ex directione regulæ, & modo illius: quomodo ſolemus vulgariter dicere: *Petrus multum attendit dictamini, & conſilijs Ioannis*; quin per hoc intendamus ſignificare, Petrum non aliter moveri; quam ex actibus ſuadendi, & conſiliandi, vt cognitis, cum ſufficiat attendere ad motiva propoſita per actus ſuadendi, & conſiliandi.

128 Ad tertium: pluralitas idearum nō intelligenda eſt ſecundum rem; ſed tantum ſecundum rationem, in quātum dicunt ordinem ad diſtincta obiecta, nec aliud poterit intendere Auguſtinus, de cuius mente eſt, divinas ideas eſſe rationes æternas, & incommutabiles; quod cum multiplicitate reali non congruit cum multiplicitas inter abſota æterni, & incommutabilis, ſi realis ſit, non poſsit admitti. Quod ſi multiplicitas ſignificata idearum Adverſarios vſque ad realem multiplicitatem deducit, videant an expreſſa multiplicitas attributorum divinorum apud Theologos ex Patribus firma, & frequens ſit ipſis fundamentum ad ponendam diſtinctionem realem in ipſo eſſe divino. Ad quartum reſpondetur: in primis falſum eſſe: intellectum Beatorum non videre creaturas in Verbo per ſpeciem expreſſam, & verbum intentionale productum, vt latè probavimus tractatu de viſione: videant ergo, qui illam ſententiam tuentur: quomodo ideas divinas intelligant, & ipſis obiectio præſens reſeruetur. Deinde illa ſuppoſitione tranſmiſſa dici poteſt: Beatos eo modo, quo videant creaturas in verbo abſque ſpecie aliqua expreſſa, aut Verbo mentis producto viſuros eſſe etiam in Deo divinas ideas creaturarum, quibus inſtructi, addita ipſis virtute producendi, & efformandi creaturas, poſſent ad normam divinæ ideæ procedere, qualiter inter homines frequenter accidit Artifices inferioris notæ dirigi ad opera efficienda ex ideis formatis ab Artificibus peritioribus, & clarioris nominis. Demum in tali ſuppoſitione ſine verbo faciunt Beati in linea cognoſcendi obiectum id, quod, dum non ſunt Beati, faciunt per verbum à ſe productum: ergo ſicut quando adeſt verbum, res cognita non probatur idea, ſic quando verbum productum non adeſt, res cognita non ſortietur rationem ideæ, cum negari non poſsit ſub tali ſententia dari ſine verbo perceptionem, & intellectionem obiecti; hæc autem perceptio, quæ ſe tenet ex parte videntis, qualiſcumque ſit, dicam habere rationem ideæ; ſecus res intellecta, & percepta.

129 Objciunt quintò. In Artifice creato idea ferè ſemper eſt aliquid obiectivum extra ipſum exiſtens: ergo in Deo etiam idea in aliquo diſtincto ab eius eſſe conſiſtit. Antecedens videtur ipſa experientia comprobari, & conſequentia tenet: quia & ſi ex alijs capitibus idea divina debeat à creata diſcriminari quoad modum formalem conſtitutionis in ſuo eſſe vniformiter eſt cōſtituenda. Reſpondetur: pariter de Artifice increato, & de creato eſſe diſcurrendum non attenta differentia, quā inter vnum, & alium intendunt Vazquez, & Ruiz, quare ſicut in Artifice Divino idea in aliquo ſubiectivè ſe habente deſignatur; ita in Artifice finito, ſive cognoſcat per ſpecies proprias, ſive per alienas idea in aliquo ſubiectivè ſe habente conſtituitur, nec experientia in contrarium adducta aliquid probat pro conſtitutione ideæ in aliquo obiectivo; ſed pro dependentia formalis ideæ ab aliquo obiectivo, quæ tàm in divina idea, quàm in creata datur; ea tantum diverſitate obſervata pro perfectione vnius Artificis, & imperfectione alterius, quod in Deo formalis idea connotat præcisè obiectivè ipſam rem efficiendam; at idea formalis in Artifice creato ferè ſemper con-

connotat aliquod exemplar externum propositum, vt imitandum per effectum, quo secluso, aut interrumpitur, aut perturbatur formalis idea, aut potentiæ executivæ non obediunt directioni illius.

130 Obijciunt sextò Div. Thomam dicentem art. 2. in corpore huius præsentis quæstionis ideam operis efficiendi existere in Artifice tanquam quod intelligitur, non tanquam formam, qua intelligitur. Vnde concludit: multiplicitatem idearum divinarum non obstare simplicitati Dei: verba Div. Thomæ accipe: *Hoc autem, id est, multiplicitas idearum quomodo divinæ simplicitati non repugnet, facilè est videre, si quis consideret ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur; non autem sicut species, qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificantis est aliquid ab eo intellectum ad cuius similitudinem domum in materia formar. Non est autem contra simplicitatem divini intellectus, quod multa intelligat; sed contra simplicitatem eius esset, si per plures species eius intellectus formaretur.* En cognitum multiplex iuxta Div. Thomam est divina idea; sed nihil pertinens ad esse divinum subiectivè sumptum est cognitum multiplex: ergo nihil pertinens ad esse divinum subiectivè acceptum est divina idea.

131 Respondeo: mentem Div. Thomæ pro exclusione Ideæ divinæ in aliquo, quod non sit ipsum *esse Dei* esse clarissimam, vt constat ex eodem art. ad 1. ibi: *ergo dicendum quod idea non nominat divinam essentiam in quantum est essentia; sed in quantum est similitudo, vel ratio huius, vel illius rei*; sed essentia, provt est similitudo, vel ratio huius, vel illius rei, non est ipsa res, verùm ipsa essentia divina, quamvis non formaliter, vt essentia est: ergo ex Div. Thoma idea divina non est aliquid distinctum à Deo, & ab ipso intellectum; sed aliquid in divina essentia consistens, quamvis non formaliter, vt essentia; quare, dum dicit ideam divinam esse aliquid intellectum, accipiendus est de aliquo divino intellecto, quod per respectum ad plura efficienda, quorum est ratio, & similitudo, denominatur aliquomodo multiplex, multiplicitate quidem terminativa reali, & subiectiva formali: quod est idem, ac dicere: ideam divinam esse multiplicem in quantum per eam plura intelligit, non verò in quantum sit multiplex medium intelligendi plura: per quæ nihil favet Adversarijs, id vt clarius videant, sit ipse Div. Thomas, interpres sui fidelissimus per ea, quæ docet articul. 2. vbi mentem suam circa constitutivum ideæ divinæ, & inde quoad constitutivum ideæ creatæ clarissimè apperit dicens: *Deus autem vno intellectu intelligit multa & non solum secundum quod in se ipsis sunt; sed etiam secundum quod intellecta sunt, quod est intelligere plures rationes rerum. Sicut Artifex, dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus, vt à se speculatam (ex eo quod intelligit se intelligere eam) intelligit ideam, vel rationem domus. Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suam; sed etiam intelligit se intelligere multa per essentiam suam; sed hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in intellectu eius, vt intellectus.* Notetur ly *Artifex, dum intelligit formam domus, vt à se speculatam (ex eo quod intelligit se intelligere eam) intelligit ideam*, & ly *Deus etiam intelligit se intelligere multa per essentiam, & hoc est intelligere plures ideas* Vnde sic intelligere, quod intelligitur, sivè in Deo, sivè in creato Artifice est idea; sed intelligere in Deo non est distinctum ab eius esse, & intelligere intra creaturam non est extra ipsum intelligens: ergo ex Div. Thoma idea divina non distinguitur ab esse divino, & idea creata saltem se tenet subiectivè ex parte Artificis, & non purè obiectivè, vt cupiunt contrarij.

CAPVT IV.

Reliqua, quæ supersunt de divinis Ideis.

132 SECVNDA conclusio: *esse* divinum, provt est actualis intellectio repræsentans Deo rem operabilem, & modum quo operabilis est, habet adæquatè, & vnicè rationem formalis, & propriæ ideæ divinæ. Hæc sententia videtur mihi conformior Patribus relatis in quæstionis decursu, qui si benè inspiciantur, non aliud sentire de divinis ideis innotescet, atque in tantum ideas ab esse divino non distinguere, in quantum menti divinæ, provt est actua-

lis

lis expreſsio rei faciendę, exactaque eiuſdem ſimilitudo, competunt. Recognoſcatur igitur in locis iam citatis apud Dionyſium ideas ſeu exemplaria diuina vocari *Prædeſtinationes, diuinaſque, ac bonas voluntates, quæ conſtituunt, & faciunt*, id eſt, vt interpretatur Damaſcenus oratione 1. de imaginibus pagina 3. *Imagines in quibus omnia ab illo præfinita, & ſine vlla commutatione futura, in eius conſilio non aliter antequam fierent erant expreſſa, quàm ſi quis velit domum ædificare, prius imaginem, ac formam ipſius in animo effingit, cogitationeque complectitur.* Apud Auguſtinum dici *verbum*, & in eodem ſenſu *vitam* intentionalem ſcilicèt, & quæ in verbo mentis, & expreſsione conſiſtit. Iterum apud Damaſcenum libr. 1. de fide cap. 12. appellari *Diuinam intelligentiam, quæ quidem eſt prædefinitio, & imago cuius exemplum, & expreſsio in prædefinito tempore fit*: apud Div. Thomam eſſe ideam *Intelligere Dei, & intelligere ſe intelligere multa per eſſentiam eſſe intelligere plures ideas.* Quid amplius deſiderari poteſt, vt iudicetur conſonum iudicio Patrum diuinas ideas in actuali Dei *intelligere* conſtituere.

133 Idem tenuerunt celebriores Philoſophi naturalis rationis impulſu, vt non parum favet veritati noſtræ aſſertionis: vnde Cœlius Rodiginus libr. 16. lectionum antiquarum cap. 17. Ideas diuinas ad mentem Platonis ſic expreſſit: *Deus, qui Omnipotens eſt, & dicitur in mente ſibi inhærente creandarum rerum naturas effingit, ac pingit quodammodo, quæ in corporibus iſtis ſentimus omnia: illic cœlorum globi, ac elementorum moles omnia denique etiam animalium gignuntur formæ, quas in diuina confertas mente Dei fomento eſſe, ac dici ideas non ambigunt Platonici.* Similiter Eugubinus lib. 1. de perenni Philoſophia cap. 12. refert ex Plutarcho, Socratem, & Platonem: *Poſuiſſe ideas in cogitationibus Dei, hoc eſt menti ſubſiſtentibus*, & infra ex eodem Plutarcho obſervat: *Idem eſſe diuinam mentem ac iſtas ideas*, & ex Philone, & Plotino: *Idem eſſe totam idearum ſortem, atque ipſam immenſam Dei Sapientiam.* Et ex Triſmegiſto, & Caldæis: *Ideas eſſe cogitationes Patris, & rationes vniverſales naturæ*: quæ omnia obſervavit Suarius ſect. 1. diſput. citatæ, num. 25.

134 Ratione probatur: *eſſe diuinum* ſecundum quod eſt expreſsivum creaturarum, provt poſſunt eſſe in ſe, & immediatè dirigens diuinam voluntatem, vt imperet exequutionem rei ad normam illius, eſt in Deo propria, & formalis idea; ſed eſſe diuinum ſecundum, quod eſt *intelligere actuale*, hoc eſt, actualis intellectio repræſentans rem operabilem, & modum quo à Deo operabilis eſt, etiam eſt *eſſe diuinum* expreſſiuum creaturarum, provt poſſunt eſſe in ſe, & immediatè dirigens diuinam voluntatem, vt imperet exequutionem rei ad normam illius: ergo *eſſe* diuinum ſecundùm quod eſt intelligere actuale, ſeu actualis intellectio rei faciendæ à Deo eſt formalis idea diuina. Conſequentia recta eſt, & minor certa: quia intellectio rei, vt faciendæ non aliter identicè pertinet ad eſſe; quàm vt expreſsio, & ſimilitudo intentionalis propriſsima rei, provt poteſt eſſe in ſe effectivè à Deo; necnon eo modo dirigens Deum, ac ipſum dirigit ſcientia practica, quæ non aliter, quàm immediatè dirigit Deum, vt rem faciat modo, quo per cognitionem repræſentatur, in quo clauditur effectum ei aſsimilari, ſeu non aliter à Deo procedere; quam ad inſtar imaginis intentionalis illius. Probo minorem. Diuina idea eſt forma practica rei efficiendæ dirigens Deum tanquam ſimilitudo rei efficiendæ ad eius effectionem per conuenientiam cum illa; ſed eſſe diuino expreſsivo creaturarum, provt poſſunt eſſe in ſe, & immediatè dirigenti diuinam voluntatem, vt imperet exequutionē rei ad normam illius, id conuenit: ergo *eſſe diuinum* expreſsiuum creaturarum, provt poſſunt eſſe in ſe, & immediatè dirigens diuinam voluntatem, vt imperet exequutionem rei ad normam illius, eſt in Deo propria, & formalis idea.

135 Probatur ſecundò. Idea diuina pertinet ad eſſe Dei, provt dicit ordinem ad intellectum; ſed non pertinet ad eſſe diuinum, provt dicit ordinem ad intellectum, in quantum ſit formaliter ipſe intellectus, aut aliud, quod ſimul cum ipſo intellectu ſe teneat ex parte principij ad intellectionem, aut aliquid, quod tantum ſe habeat velut obiectum intellectus: ergo pertinet ad eſſe Dei, in quantum eſt intellectio. Conſequentia eſt bona, cum omnis alius reſpectus ad intellectum, qui non ſit huiuſmodi, videatur impertinens. Maior etiam eſt certa: alias non benè arguerent Patres exiſtentiam idearum in Deo ex eo, quod in-

intellectivus, & rationalis sit, dicente Augustino, vt vidimus supra in quæstionis initio: tàm certum esse Deum habere exemplaria, & ideas; quàm est certum operari ex ratione. Probo minorem, quæ sola restat difficilis, & quidem per partes: nam in primis idea non est esse divinum pertinens ad intellectum, in quantum sit formaliter intellectus, cum iste provt formaliter nuda potentia intellectiva consideratur, & ab actuali intellectione præscindit, non dicit similitudinem alicuius rei plusquam præcontentive virtualiter, quod non sufficit ad rationem ideæ, cui competit similitudo quædam actualis, & ad quam possit dari in effectu actualis conformitas: neque in quantum sit formaliter aliquid se tenens ex parte principij cum intellectu ad intellectionem; nam si intellectus ex se, cum sit potentia expressiva obiecti, non habet similitudinem formalem requisitam ad ideam, multo minus id quod cum non sit formaliter intellectus, alio titulo formali concurrat ad intellectionem.

136 Nec denique: quia sit aliquid divinum purè obiectivè se habens respectivè ad intellectum, & provt tale ducens in cognitionem rei efficiendæ, nam vel ducit in talem cognitionem, vt extremum tantum connexum cum re, vt effectibili, & sic non sufficit ad ideam ex defectu similitudinis, quam secum non fert fundamentum connexionis cum termino connexionis, vel ducit in cognitionem, provt præcontinens rem efficiendam, quomodo etiam non sufficit ad ideam ex defectu similitudinis formalis, quæ potest deficere in causa præcontentiva effectus, vt videre est in causa æquivoca, vel ducit in cognitionem ex similitudine physica, & quasi vnivoca, quam habeat cum effectu, & ita nihil divinum potest esse idea perfecta alicuius creati, propterea quod non habeat similitudinem adæquatam cum illo: ergo idea divina nō pertinet ad esse divinum, provt dicit ordinem ad intellectum, in quantum sit formaliter intellectus, aut aliud, quod simul cum intellectu se teneat ex parte principij ad intellectionem, aut aliquid, quod tantum se habeat veluti obiectum intellectus.

137 Inde probatur tertiò, & mihi efficacissime. Illud tantum in esse divino est formalis idea, quod est adæquata similitudo obiecti & rei efficiendæ, secundum propriam formam, & omnem modum, quem in se habet quando in re ponitur: sed sola divina intellectio est talis similitudo: ergo sola divina intellectio est illud divinum, quod in Deo se habet, vt formalis idea. Maior apparet certa: nam cum idea ex suo conceptu sit exemplar rei faciendæ, quod per similitudinem ad rem operabilem constituitur, quo plus crescat in similitudine, erit perfectius in ratione exemplaris, & donec perveniat ad similitudinem adæquatam, non erit exemplar perfectissimum, & quale debet esse idea divina, & perfectissimi Artificis. Minor probatur. Sola intellectio divina est imago exprimens rem ita adæquatè, vt in ipsa dissimilitudine, quam res habet ad Deum, sit conformis; patet: nam omne aliud, quod in esse divino comparetur ad creaturam tanquam imago, solùm erit talis per convenientiam in prædicatis; secus per disconvenientiam in illis, aliàs in eo ipso, quo est dissimilis, esset similis: ergo proprium solius divinæ intellectionis est esse similem in ipsa dissimilitudine, quam habent creaturæ ad Deum; sed illud divinum tantum, quod est imago adæquata rei, provt est in se est similitudo adæquata illius: ergo sola divina intellectio est talis similitudo.

138 Explicatur: sola imago intentionalis est, quæ sine identitate cum re potest habere similitudinem adæquatam cum ipsa in omnibus prædicatis. Constat: nam convenientia in omnibus prædicatis, quæ non sit purè intentionalis esset identitas, vtpotè, quæ esset convenientia in prædicato non distinctionis à se ipsa, & distinctionis ab omni non ipsa; sed sola intellectio divina est in Deo imago intentionalis rei faciendæ: ergo sola intellectio divina est in Deo similitudo, & exemplar adæquatum rei faciendæ: ac per consequens idea perfectissima ipsius: vnde manet excluſa sententia illorum, qui sentiunt ideam divinam consistere in ipsa essentia Dei, vel provt habet similitudinem formalem cum creatura, vel provt illam in sua virtute præcontinet: manet excluſum primum ex eo, quòd sit similitudo inadæquata, & non sufficiens ad rationem perfectæ ideæ: manet excluſum secundum: propterea quod præcontinentia rei, vt dissimilis Deo, est præcontinentia

tia æquivoca, & ideò non apta ad exemplar.

139 Roboratur propoſitum fundamentum: non minus operabiles ſunt creaturæ in eſſe diſsimilium Deo; quàm in eſſe ſimilium: ergo non minus requirunt in Deo exemplar diſsimilitudinis, quàm ſimilitudinis; ſed exemplar diſsimilitudinis non poteſt eſſe in entitate divina, niſi provt eſt cognitio diſsimilitudinis: ſiquidem ſecundum omnem aliam rationem titulo ipſius diſsimilitudinis, quæ in ipſa fundatur, eſt diſconveniens rei, adeo vt res non ſit in ſe, ſicut ipſa eſt, ac per conſequens non ſit exemplar imitandum: ergo ſola divina intellectio eſt adæquatè expreſsiva rei, provt eſt operabilis, exemplarque adæquatum, cuius conformitatem cum re intendit Deus in efficiendis creaturis.

140 Probatur quartò: conformitas rei in ſe cum cognitione ipſius, provt operabilis, eſt operatio rei conformiter ad ideam: ſed hæc conformitas vltra rem ipſam, quæ idea ſui non eſt, vt manet probatum, ſolum dicit cognitionem: ergo ſola cognitio rei, provt operabilis, eſt idea. Minor eſt certa: quia conformitas duorum extremorum nihil aliud dicit; quàm vnum, & alterum extremum. Probatur maior. Conformitas rei cum cognitione ipſius, provt operabilis, eſt conformitas rei ad aliquid, quod non eſt ipſa, & dirigit actionem agentis rationalis in ſui imitationem; ſed conformitas rei ad aliquid, quod non eſt ipſa, & dirigit actionem agentis rationalis in ſui imitationem eſt operatio rei conformiter ad ideam: ergo conformitas rei in ſe cum cognitione ipſius, provt operabilis, eſt operatio rei conformiter ad ideam. Confirmatur ex Suario: munus exemplaris, ſeu ideæ eſt dirigere actionem agentis intellectualis, vt in certum terminum, & ſcopum tendat, nec caſu, aut irrationali modo fiat; ſed hæc directio non fit niſi per actualem mentis repreſentationem, quæ eſt quaſi quoddam lumen, quod præit oſtendens viam, modum, ac terminum operationis: ergo ſola divina intellectio eſt in divino eſſe, cui propriè competit ratio ideæ, cum ipſi ſoli conveniant munera propria exemplaris, dirigentis intellectuale agens divinum.

141 Idem, quod diximus de divina idea, ſua proportione venit dicendum de idea creata, quæ ſimiliter conſtituitur per cognitionem exiſtentem in mente Artificis, & dirigentem ipſum ad artefactum præſcribendo illi modum operationis, ſecundum quem res operabilis eſt, quod ſi aliquando intercedunt etiam exemplaria aliqua externa ad cuius imitationem res operantur, hæc ſe habent tantum remotè, & extra conſtitutionem ideæ, vt quid tantum deſerviens, vel ad excitationem, vel ad conſervationem illius, neque ex indigentia ideæ; ſed ex imperfectione, & limitatione Artificis.

142 An verò cognitio, ſivè divina, ſivè creata operis efficiendi contineat rationem ideæ purè, vt conceptus formalis directus eſt, vel provt reflexè, ſivè per ſe, ſivè per aliam cognitionem repræſentatur? Quæſtio levioris momenti eſt, & reſolutio ipſius iam ſupra inſinuata, in qua certum debet eſſe reflexionem iſtam ſupra ſe non deficere in divina idea, quæ vtpotè cognitio perfectiſsima, & tepræſentat obiectum directum, & ſimul ſe ipſam: nec deficere aliquando in Artifice creato, ſaltem quando per ſe vtitur exemplari, vt videtur ſentire Div. Thomas ſupra relatus: *Nam dum Artifex* (inquit) *intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum: dum autem intelligit formam domus, vt à ſe ſpeculatam, ex eo, quod intelligit ſe intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus*; quibus poſitis adhùc reſtat inveſtigandum: num talis reflexio proveniat quaſi ex munere ideæ, ſeu ex debito cauſalitatis ipſius, ita taliter, vt deficiente reflexione deficiat cauſalitas ideæ, vel ex alijs capitibus? Vtraque pars mihi probabilis, & abſque ſpeciali difficultate eligibilis. Si velis tueri neceſsitatem reflexionis, vnice in contrarium obſtat experientia, qua conſtare videtur in creatis eum, qui ſcribit, aut ædificat non ſemper eſſe in illa actuali reflexione dum operatur. Cui facillimè poteſt reſponderi; ſimiles actus internos, & ſi dentur non ſemper cadere ſub experientiam; imò nec poſſe cadere ſaltem omnes, niſi detur proceſſus infinitus reflexionum; cum in tantum experiantur, in quantum cognoſcuntur: ergo vt experiamur reflexionem, opus eſt cognoſcere reflexionem; in quo iam intercedit reflexio reflexionis, quę in tantum cadet ſub experimento, in quantum

tum per aliam reflexionem cognoscatur: si ergo ne in infinitum procedamus, vltima reflexio, quamvis in nobis sit, absque experimento existit, dicatur idem de prima reflexione, & cessat argumentum ductum ab experientia.

143 At si in contrariam partem inclines, & necessitatem reflexionis pro influxu exemplaris, & ideæ in opus ad quod dirigit, excludas, militat in contrarium, quod exemplar, & idea non aliter dirigunt, quàm in imitationem sui, scilicèt, se exhibendo intellectui Artificis, vt regulam, cui per opus conformari velit: inde videtur indispensabiliter necessaria attentio ad id quod imitari intendunt, quæ, dum sit ad obiectum, vt est cognitio alterius, erit reflexio, quæ intenditur. Hoc autem non magni momenti est, si distinguas inter imitationem, & conformitatem formalem, & explicitam, & imitationem, & conformitatem materialem, & implicitam, provt est ex parte intentionis agentis, quomodo in fine distingui etiam solet operari propter ipsum materialiter, & operari propter ipsum formalirer: ad imitationem formalem, & explicitam, provt est ex parte intentionis agentis, transeat quod requiratur attentio illa formalis, & reflexa; cæterùm ad imitationem materialem, & implicitam, provt est ex parte intentionis, non alia requiritur attentio; quam materialis etiam, & implicita, & quæ consistit in ipso conceptu formali provt informante intellectum de modo quo res sit efficienda, qui modus, si detur in effectu, & datur imitatio exemplaris, & conformitas cum ipso: hæc est, quæ requiritur, & suficit, quatenus est ex parte agentis, vt idea suam causalitatem exerceat, & pro hac non probatur necessaria reflexio supra cognitionem plusquam in amante obiectum; quia præcognitum, in quo vltra cognitionem obiecti quod amatur, & in quod tendit voluntas, non opus est alia cognitio illius cognitionis.

144 Nihilominus magis feror in priorem partem propter authoritatem D. Thomæ art. 2. huius quæstionis ad 2. distinguentis inter ideam, sapientiam, & artem ex eo, quod idea sit id, quod intelligitur, sapientia vero, & ars sit id quo intelligitur verba sunt: *Sapientia, & ars significantur, vt quo Deus intelligit; sed idea, vt quod Deus intelligit*; sed quid Deus intelligat, dum intelligit ideam, iam subdit, *sed intelligit se intelligere multa, & hoc est intelligere plures ideas*: ergo clare sentit ideam, vt talem dicere ordinem ad cognitionem reflexam, qua cognoscitur ipsum intelligere.

145 Contra secundam conclusionem obijcies primò D. Augustinum, & Damascenum supra dicentes, ideas divinas in divina intelligentia contineri, & Deum cogitatione complecti; sed ea, quæ in divina intelligentia continentur, & Deus cogitatione complectitur, nec sunt ipsa intelligentia, nec ipsa cogitatio, quæ aptè non dicerentur, aut contineri in se ipsa, aut esse quid in se ipso complexum, aptius namque obiecto divinæ intelligentiæ, & cogitationis id convenit: ergo per ideas divinas non aliquid quod sit formaliter ipsa intellectio divina; sed potius obiectum aliquod divinæ intellectionis accipiunt. Respondeo: vtrumque loqui de continentia, & complexione formali, & constitutiva idearum in divina intelligentia, & cogitatione, qualiter dicitur de homine contineri in prædicatis animalis, & rationalis, & quælibet res in sua essentia, à qua comprehenditur: Nec quamvis de continentia obiecti in cognitione procederent, per obiectum intelligerent aliquid divinum distinctum formaliter à cognitione; sed de ipsa cognitione, in quantum est obiectum reflexionis supra se, & Deus intelligit se intelligere, vt dixit Div. Thomas.

146 Insistes ex Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum dicente: *Idea est Dei intelligentia, seu quod à mente divina intelligitur*: ergo sentit ideam esse aliquid obiectivum divinæ intelligentiæ; non verò conceptum formalem, seu intellectionem. Respondeo: ex verbis adductis potius colligi oppositum, cum dicatur ideam esse intelligentiam Dei, non quidem in actu primo, cum intellectus divinus non sit idea: ergo in actu secundo: quod, si post additur *seu quod à mente divina intelligitur*, id appellat supra *intelligentiã in actu secundo*, & ad summum probat intellectionem divinam esse ideam, provt est obiectum cognitionis reflexæ, & tendentis in ipsum intelligere.

147 Obijcies secundò Div. Thomam, qui multis in locis videtur docere ideam consistere non in intellectione di-

divina; ſed in ipſa eſſentia divina, provt participabili à creatura. Sic in præſenti quæſt. art. 2. corpore: *In quantum Deus cognoſcit ſuam eſſentiam, vt ſic imitabilem à tali creatura, cognoſcit eam, vt propriam rationem, & ideam huius creaturæ*: & de veritate quæſt 3. art. 2. corpore in fine: *Eſſentia Dei eſt idea rerum non quidem, vt eſſentia; ſed vt eſt intellecta*, & poſt paucà: *Et ideo ipſa divina eſſentia cointellectis diverſis proportionibus rerum ad eam eſt idea vniuſcuiuſque rei.* Eodem modo ſe explicat 1. contra Gentes, cap. 54. & lib. 1. ſentent. diſt. 36. quæſt. 2. art. 1. corpore.

148 Reſpondeo: intentum Div. Thomæ eſſe ſolum oſtendere ideam divinam non eſſe aliquid Deo extrinſecum, & extra ipſum exiſtens; verùm ad ipſum eſſe divinum identicè pertinere, quo ſenſu ideam divinam dicit pertinere ad eſſentiam Dei, hoc eſt ad eſſe divinum, quod non raro apud ipſum exprimitur nomine eſſentiæ, vt iam ſupra notavimus diſputatione 7. & clarè demonſtrat ly *intelligere per eſſentiam* quo vtitur tum in præſenti quæſtione; tum multis alijs locis; quin per hoc velit ſignificare eſſentiam Dei formaliter conſiſtere in intellectione; ſed tantum quod intelligit per ſuum eſſe, & non per aliquid diſtinctum, & ſuperadditum. Ideo iudico intelligere Div. Thomam de eſſentia formaliter ſumpta, vt vult Ruiz cum alijs, eſſe mentem illius diſtrahere, aut tantum fruſtatim accipere, & ſine ordine ad illud, quod continet ad ſecundum huius ſecundi articuli, & ſæpè inculcavimus: *Non ſolum intelligit multas res per eſſentiam ſuam; ſed etiam intelligit ſe intelligere multa per eſſentiam ſuam; ſed hoc eſt intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas eſſe in intellectu eius, vt intellectas.*

149 Obijcies tertiò, illud Geneſis, cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, id eſt conformem nobis in gradu rationalis, & liberi: ergo Deus, provt continens ea prædicata, fuit imago propoſita intellectui divino, quam in hominis formatione Deus, vt Artifex illius, voluit imitari: ergo aliquid obiectivè ſe tenens, & reſpectum, vt obiectum per divinam intellectionem, fuit idea, quam Deus ſibi propoſuit in hominis creatione: quare etſi divinum eſſe contineat rationem ideæ divinæ; non tamen ſub formali ratione cognitionis, & intellectionis, vt nos intendimus.

150 Parum favet obiectio his, qui intendunt ſolam eſſentiam divinam preſsè, & formaliter acceptam conſtituere divinam ideam; aliàs eſſentia Dei, aut per conceptum intellectivi aut per conceptum volitivi, & liberi eſſet deſignanda. Nec magis prodeſt illis, qui dicant eſſe divinum ideam conſiderari, provt præcontinet in ſe creaturas: quia ſimilitudo præcontinentiæ non eſt ſimilitudo formalis, de qua loquitur Sacer Textus. Reſpondeo: per ea verba ſignificari quidem hominem fuiſſe intentum à Deo ſibi ſimilem in prædicatis illis nobilioribus quibus excedit reliqua ſibi inferiora, & in re hominem habere talem ſimilitudinem, & convenientiam; at prædicata divina, quæ inadequatè conſtituunt ſimilitudinem, fuiſſe imaginem, & exemplar ad cuius inſtar formavit hominem, non dicitur; imò potius contrarium conſtare apparet, & noſtram ſententiam confirmari, ex cap. 2. Sapientiæ vbi cum alluſione ad locum Geneſis dicitur: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*, ideſt: Deus fecit hominem in re ſimilem ſibi ductus imagine talis ſimilitudinis, quæ autem erit imago ſimilitudinis inter Deum, & hominem, quam cognitio exprimens factibilem eam ſimilitudinem ex parte hominis; itaque cum non omnia facta à Deo habeant cum ipſo aliquam ſimilitudinem, intentum fuit exprimere maiorem ſimilitudinem illius operis non ideam; alias nihil ſpeciale dixiſſet de homine, quod non conveniret reliquis.

151 Obijcies quartò. Saltem intellectio divina ſe ſola formaliter conſtitutivè non eſt adæquatum conſtitutivum ideæ. Probatur: idea practicè dirigit, vt eſt cognitio vera; ſed cognitio, vt vera, vltra ipſam cognitionem dicit aliquid obiectivum ſibi conforme, cum veritas formalis cognitionis ſtet in conformitate actus, & obiecti, quæ neque in ſola cognitione, neque in ſolo obiecto; ſed in complexo vtriuſque conſiſtit: ergo ſaltem intellectio divina ſe ſola formaliter conſtitutivè non eſt adæquatum conſtitutivum ideæ. Hoc argumentum commune eſt omni ſententiæ, & ab omnibus ſolvendum, cum nulla ſit, in qua, etſi conſtituatur idea in aliquo exemplari obiectivo non dicatur, tale exemplar ad cauſandum debere eſſe cognitum, & quidem cognitione vera,

vera, cum cognitio falsa aliter quàm est exemplar in se proponeret; ac per consequens aliud exemplar constitueret. Iam sic: exemplar, vt verè cognitum non est tantum exemplar; sed vt conforme cognitioni ipsum repræsentanti; sed conformitas exemplaris, & cognitionis aliud est constitutivè præter ipsum exemplar: ergo idea vltra obiectivum, in quo ponitur ab Adversarijs, sivè increatum, sivè creatum sit, includit aliquid, quod conceptus formalis sit, & cognitio illius.

152 Respondeo: ideam practicè dirigere, vt est cognitio vera ly *vt vera* se tenente constitutivè ex parte directionis, seu *actualis dirigere*; secus ex parte formæ dirigentis tanquam exemplaris operis faciendi: quomodo calor, & albedo non aliter calefaciunt, aut dealbant subiectum; quàm provt formæ sunt ipsi vnitæ, & communicatæ, ita taliter, quod vnio reduplicata, vt præbeant suũ effectum in actu secundo, sit constitutivum communicationis, & actus secundi calefaciendi, & dealbandi; non verò formæ calefacientis, & dealbantis. Idea igitur non est actuale exercitium practicè dirigendi; sed illud, quod in mente Artificis se habet, vt forma rei operabilis, cui per aliquid aliud convenit exercitiũ actuale dirigendi: hæc autem forma est cognitio, quæ in quantum exprimit formam intrinsecam quam opus debet habere in re dicitur forma extrinseca, & imago effectus: vnde sicut veritas adæquatè sumpta non constituit intellectionem, sic nec constituit ideam in ratione talis.

153 Replicabis: cognitio adhùc tanquam idea in actu primo, & provt potens practicè dirigere aliquomodo excludit falsitatem; sed modo, quo excludit falsitatem habet veritatem: ergo idea, non tantum provt dirigens practicè in actu secundo; verùm provt potens dirigere, & vt est forma directiva operis existens in mente Artificis, includit veritatem, & per eam constituitur. Respondeo: ideam non aliam oppositionem dicere cum falsitate, provt consideratur in actu primo potens practicè dirigere, nisi in quantum excludit determinationem ad falsitatem, seu cognitionem essentialiter falsam; exclusio autem determinationis ad falsitatem, seu cognitionis essentialiter falsæ non dicit veritatem; sed aptitudinem ad illam, vel quia cognitio sit determinata ad veritatem, vel quia saltem sit illi contingens, qui modus veritatis, & oppositionis cum falsitate sufficit ad constitutionem ideæ, & nihil distinctum à cognitione constitutivè requirit.

154 Hac solutione vsus sum, intendens comprehendere in ipsa, ideam increatam, & creatam: nam loquendo de sola idea increata brevius præcidetur obiectio per distinctionem maioris: idea practicè dirigit, vt est cognitio vera *determinativè* concedo maiorem, vt est cognitio vera *formaliter*, nego maiorem, & distinguo minorem. Cognitio, vt vera *determinativè* vltra ipsam cognitionem dicit aliquid obiectivum, vt sibi conforme, nego minorem. Cognitio, vt vera *formaliter* concedo minorem, & nego consequentiam: cæterùm cum idea creata, vtpote finita cognitio possit non habere determinationem ad veritatem, nolui per terminos restrictos ad solam ideam increatam argumentum solvere.

155 Ex dictis inferes: ideas divinas aliud non esse formaliter; quàm Scientiam divinam practicam, provt dicit ordinem ad reflexionem supra se, cumque dixerimus scientiam practicam in Deo aliam non esse, quàm scientia simplicis intelligentiæ, per consequens ideæ in Deo aliud non sunt, quàm scientia simplicis intelligentiæ per quam Deus cognoscit quid sibi possibile, & quomodo sibi possibile sit, & assequibile, provt talis scientia connotat reflexionem sui supra se.

156 Tamen restant adhùc circa divinas ideas non nulla alia dubiola, quæ iam breviter expedio. Primum: an in Deo sint plures ideæ? Respondetur: loquutionem pluralitatis idearum esse observandam cum Augustino lib. 83. quæstionum quæst. 46. An vero pluralitas ista censenda sit realis, & secundum rem, vel solum per rationem pendet ex diversitate sententiarum: siquidem omnes illi, qui dicunt ideas constitui per ipsas res effectibiles obiective, existentes in mente divina, eandem distinctionem realem, quæ datur inter conceptus ipsos obiectivos, debent ponere inter ideas, quæ in ipsis consistunt: similiter: qui constituant Scientiam divinam de rerum possibilitate per aliquid Deo extrinsecum saltem ex parte, & inadæquatè ideas realiter debent distinguere: sicut, & omnes illi, qui ideam

complent ex ſcientia, & obiecto; nos autem, qui ideas divinas adæquatè cum divina Scientia identificamus, nec complementa extrinſeca pro conſtitutione actuum contingentium admittimus; ſicut etiam reliqui tenentes ideam conſiſtere in aliquo obiectivo divino, diſtincto formaliter à ſcientia non aliam pluralitatem idæarum in Deo; quàm formalem, & per rationem concedimus: neque in hoc amplius immorandum poſt dicta obiter ſupra in ſolutione argumentorum Durandi.

157 Secundum: ſuppoſita pluralitate idearum in ſenſu dicto quot ſint dicendæ divinæ ideæ: an intra certum numerum: an infinitè, & ſine termino? Reſpondetur eſſe dicendas infinitas, pro infinitate terminorum, ad cuius effectionē poſſunt practicè dirigere: vnde ſicut quod Deus ad extra poteſt producere, non habet terminum; ita ſimiliter idea in repræſentando, & exprimendo factibilia, eſt interminabilis, & infinita, dicique poteſt pluralitas idearum infinita.

158 Tertium: vtrùm Deus habeat ideas vniverſalium, vt talium, vel duntaxat ſingularium? Reſpondetur: habere tantùm de ſingularibus: tum quia Deus non cognoſcit vniverſalia, provt talia; cum id ſit proprium tantum intellectus imperfecti, & potentis cognoſcere abſtractivè, & confusè; tum quia idea eſt de ſolis factibilibus, & cùm vniverſale, provt tale, nullum detur à parte rei, nulla illius idea poteſt in mente Dei correſpondere; vnde non rectè Quirós in Cōmentario art. 3. quæſt. 15. Div. Thomæ num. 20. apud Izquierdo quæſtione 3. diſputationis iam citatæ, dixit: dari in Deo ideas, tàm vniverſalium, quàm ſingularium: quia licèt vniuerſalium provt diſtinctorum à ſingularibus non detur idea; at idea ſingularium imbibit prædicata ſingularium, quorum aliqua ſunt communia, & vniverſalia; non benè quidem, cum in ſingularibus ex parte rei nullum detur prædicatum non diſtinctum realiter à prædicato alterius, & ipſi commune, nec amplius, quàm fundamentum ſimilitudinis in prædicatis, cui adiuncta imperfectione cognoſcentis reſultat in nobis occaſio confundendi ſingularia inter ſe; & ideo vniverſale ſtat ex parte noſtri in cognoſcendo; non ex parte obiecti, & in eſſendo, vt erat neceſſarium ad intentum.

159 Dices: vniverſale, provt à nobis fit, in aliquo conſiſtit, & eſt operabile à Deo; ſed illius, quod operabile per Deum eſt, Deus habet ideam: ergo vniverſalium Deus habet ideam. Ecce quæſtionem de voce, in qua non negamus Deum habere ideam illius, quod dependenter à nobis facit, præcipuè quando eſt per ſe cauſabile ab ipſo, & in hoc ſenſu habere ideam vniverſalium, quæ à nobis fiunt per rationem, & non in aliquo ex parte rei, communi pluribus conſiſtit; cæterùm quæſtio in hoc ſenſu non eſt; ſed de idea vniverſalium, quæ repræſentet aliquid commune à parte rei, & realiter pluribus communicabile, ſeu de idea confundente ea, quæ diſtinguntur: modo quo dum inquiritur: an Deus habeat ſcientiam de vniverſalibus? non eſt dubium Deum habere cognitionem clariſsimam de noſtra cognitione confundente, & formante vniverſalia; ſed de Scientia attingente aliquid ex parte rei commune, vel ſaltem confundente ea, quæ in ſe confuſa, & diſtincta non ſunt. Adde quod ſicut, & ſi Deus concurrat, & faciat vniverſale noſtrum; aliquo tamen vero ſenſu dicitur *Deus non facit vniverſale*; ſic etiam aliquo vero ſenſu dicitur: *Deus non habet ideam vniverſalium*, ſiquidem eodem ipſiſsimo ſenſu, quod aliquid à Deo non eſt factibile, eodem ipſiſsimo ſenſu Deus non habet ideam illius.

160 Quartum: Quarum rerum Deus habeat ideam? Et an de ratione ideæ ſit, quod Artifex illa vſurus, ſit agens liberum reſpectu operis, per ideā cauſandi? Vtrumque hoc dubium reſolvimus agentes de ſcientia, & cognitione practica: quare ſicut ibi diximus Deum habere ſcientiam practicam non ſolum bonorum; ſed etiam malorum ſub diſparitate ibi tradita: nec ſolum entium poſitivorum; ſed etiam negationum, & privationum, tantumque cognitionem impoſsibilium à ratione *practicæ* excluſimus: inſuper etiam, ſicut ibi noſtra ſententia fuit Scientiam practicam non eſſe de neceſſario agendis; ſed de his, quę ex electione fiunt; alias bruta, quæ ſub cognitione operantur, dicerentur practicè, & ſecundum artem operari; ita in præſenti aſſerimus: ideam eſſe de omnibus eiſdem obiectis, & tantum pati exceptiones, quas admittit ſcientia practica, ſcilicèt reſpectu impoſsibilium: propterea que etiam ideam ſe extendere tantum ad ea, quæ liberè operabilia

ſunt

sunt ab agente, in quo est: vnde consequenter etiam negamus dari in Deo ideam Verbi divini, & Spiritus Sancti iuxta sententiam communem Theologorum, & Patrum, tribuentium ideas Deo solummodo respectu creaturarum; non quidem ex defectu causæ, & effectus, quæ intra Deum non dantur, & requirit idea, vt aliqui intendunt damnantes ideo temeritatis sententiam oppositam; sed quia productiones ad intra Verbi, & Spiritus Sancti non sunt productiones liberæ; verùm ex necessitate, & absque contingentia vlla intellectionis, vt erat necessarium ad rationem ideæ.

161 Quintum: an idea aliquomodo differat ab exemplari? Respondetur negativè: quia imago, & exemplar operis idem formaliter sunt mutuò; sed imago, & idea idem etiam formaliter mutuo sunt: ergo idea, & exemplar idem formaliter, & absque vlla differentia sunt. Nec contra est quod Div. Thomas in hac quæst. 15. art. 3. dixerit exemplar esse respectu creaturarum, quæ de facto fiunt à Deo; ideam verò respectu purè possibilium: quia hoc non tantum fuit constituere differentiam vllam inter ideam, & exemplar; quam vti nomine communi ad exprimendum aliquid particulare: sicut in divinis per id quod est commune tribus personis, scilicèt *esse Spiritum Sanctum* explicatur quod peculiariter convenit tertiæ personæ. Et hæc de divinis ideis, & de reliquis, quæ spectant ad divinam Scientiam in communi.

JHS.

DISPUTATIO DUODECIMA.

DE SCIENTIA DEI NECESSARIA, sivè naturali.

EXPLETIS his, quæ ad Scientiam Dei in communi spectant, & quasi generalia sunt, per eiusdem divisiones traditas, viam aperuimus contractiori discussioni, investigando scilicèt, quid cuique ex Scientijs in divisione expressis, singulariter conveniat quod ad inquisitionem obiecti ipsis correspondentis reducitur: nam reliqua alia, quæ videri possent particularia, & propria vnius scientiæ præ alia, vissum fuit admiscere communibus: quia inter particularia generaliora. Igitur quæ de scientia in particulari explananda restant, in tres classes dividemus iuxta adæquatissimam divisionem scientiæ in *Necessariam: Liberam: & purè contingentem*, seu *mediam inter liberam, & necessariam* eodem ordine, quo in divisione propositæ sunt, quoad examen servato: ideò à Scientia Dei necessaria, & eius obiecto initium facimus.

CAPVT I.

De Scientia Dei absolutè, & respectivè necessaria.

1 SVPPOSITO ex dictis conceptu Scientiæ necessariæ *absolutè, & respectivè*, quæ eadem est cum scientia necessaria Deo *necessitate intrinseca*, & ex debito ipsius esse divini; non verò tantùm *necessitate extrinseca*, & ex debito alterius, quod Deus non sit, difficilè non erit eius obiectum cognoscere, & veritates illi proprias designare: patet enim obiectum scientiæ ex intrinsecis Dei indefectibilis, talitèr, quòd defectus ipsius, vt datur, metaphysicè repugnet, debere esse in se metaphysicè necessarium eo modo, quo per scientiam repræsentatur, etiam ex debito essentiali Dei, & ex metaphysica exigentia ipsius: aliàs componibile esset exigere metaphisicè scientiam essentialiter veram de aliquo obiecto, & permittere defectum obiecti verificantis scientiam, quod ex terminis ipsis repugnat, non minus, quàm connecti metaphisicè cum aliquo extremo, & simul cum defectu eiusdem esse componibile.

2 Dicendum ergo est primò. Nullus conceptus obiectivus distinctus realiter à Deo est obiectum Scientiæ necessaria, *absolutè, & respectivè*. Probatur. Omnis conceptus obiectivus distinctus realiter à Deo talis est, qui quamvis ex se sit aliquomodo necessarius; tamen quatenus est ex parte Dei propter independentiam intrinsecam, quam Deus dicit ab omni non ipso, sit defectibilis; sed nihil, quatenus est ex parte Dei defectibile, potest esse obiectum Scientiæ, quatenus est ex parte Dei indefectibilis, vt est Scientia necessaria Dei necessitate absoluta, & respectiva: ergo nihil obiectivè distinctum realiter à Deo, est obiectum Scientiæ necessariæ *absolutè, & respectivè*. Discursus est legitimus, & mai. certa, ex suppositione inconnexionis metaphisicæ Dei cum omni non ipso, vt nostra fert sententia. Minor etiam constat, ob repugnantiam insinuatam, quæ esset in exigendo metaphisicè Scientiam connexam metaphisicè cum obiecto eo modo, quo per illam repræsentatur, & permittendo defectum obiecti, eo modo, quo per scientiam repræsentatur metaphisicè exacti ad existentiam Scientiæ.

3 Di-

3 Dicendum est secundo. Neque omnis conceptus obiectivus indistinctus realiter à Deo est obiectum scientiæ ipsius necessariæ, necessitate absoluta, & respectiva. Probatur: plures conceptus obiectivi realiter indistincti à Deo sunt tales, qui non solũ, quatenus est ex parte Dei sunt defectibiles permissivè; verùm etiam positivè; sed nihil, quatenus est ex parte Dei non modo permissivè; verùm, & positivè defectibile, est obiectũ scientiæ, quatenus est ex parte Dei indefectibilis, & necessariæ: ergo non omnis conceptus obiectivus indistinctus realiter à Deo est obiectum scientiæ ipsius necessariæ absolutè, & respectivè, seu necessitate absoluta, & respectiva. Min. est evidens ex conceptu ipso scientiæ necessariæ respectivè, quæ aut poterit esse falsa, aut metaphisicè repugnat defectui sui obiecti eo modo, quo per ipsam repræsentatur. Mai. prob. omnis actus Dei contingens, sivè pertinens ad intellectum, sivè pertinens ad voluntatem, sivè contingens, contingentia purè non determinationis ad ipsum, sivè cõtingẽtia electionis, & liberæ determinationis; vt sit, est conceptus obiectivus realiter indistinctus à Deo ex nostra sententia, constituente actus divinos contingentes adæquatè intrinsecos Deo, & talis, qui non solùm quatenùs est ex parte Dei sit defectibilis permissivè; verùm etiam positivè; sed in Deo dantur plures actus contingentes, vt sunt omnes, qui versantur circa contingentia vt talia, sivè ex parte intellectus divini, sivè ex parte divinæ voluntatis: ergo plures conceptus obiectivi realiter indistincti à Deo, sunt tales, qui non solum, quatenus est ex parte Dei sunt defectibiles permissivè; verùm etiam positivè.

4 Dicendum tertiò. Vnicè Deus secundùm necessaria sui, id est secundùm suam essentiam, & attributa absoluta, & relativa, est id quod attingitur per scientiam necessariam diuinam *absolutè*, & *respectivè*: ac per consequens obiectum illius. Probatur. Id solum est obiectum scientiæ prædictæ, quod Deus quatenus est ex se, non permittit deficere; sed Deus duntaxat non permittit, quatenus est ex se, deficere se ipsum, provt est ens necessarissimum, quo modo includit suam essentiam cum attributis absolutis, & relativis: ergo vnicè Deus secundùm necessaria sui id est, secundum suam essentiam, & attributa absoluta, & relativa, est id quod attingitur per Scientiam divinam necessariam absolutè, & respectivè. Cætera constant præter min. cuius probatio est facilis. Omne illud quod non sit Deus, provt est ens necessarissimum, aut est divinum contingens, aut est conceptus realiter distinctus à Deo; sed divinum contingens, aut conceptum realiter distinctum à Deo, Deus quatenus est ex se permittit deficere: ergo Deus duntaxat quatenus est ex se non permittit deficere se ipsum, prout est ens necessarissimum, quomodo includit suam essentiam cum attributis absolutis, & relativis. Confirmatur, & explicatur. Illud duntaxat Deus, quatenus est ex se non permittit deficere, quo deficiente Deus non esset; sed duntaxat deficiente Deo, provt est ens necessarissimum, Deus non esset: ergo duntaxat Deus non permittit, quatenus est ex se deficere se ipsum. provt est ens necessarissimum. Prob. min. Deficiente quovis, quod non sit Deus, provt est ens necessarissimum, aut deficeret aliquid divinum contingens, aut deficeret aliud, quod Deus realiter non sit: cum vltra Deum, provt necessarissimum, alia extrema non sint; sed deficienti contingenti divino Deus non deficit, aliàs defacto Deus deficeret, cum deficiant plura contingentia divina, quæ in alia providentia existerent, & deficienti quovis conceptu realiter distincto à Deo, etiam persisteret propter independentiam, quam habet ab omni non ipso: ergo duntaxat deficiente Deo, provt est ens necessarissimum, Deus non esset.

5 Obijcies primò immediatè. Aliqui conceptus distincti realiter à Deo, sunt Deo respectivè necessarij: ergo, & scientia, qua cognoscuntur, est Deo respectivè necessaria: ac per consequens Scientia Deo respectivè necessaria non attingit vnicè Deum secundùm necessaria sui, & provt est ens necessarissimum. Consequentia bona est. Probo antecedens. Impossibilitas defectus peccati, & cuiusvis alterius imperfectionis Dei est conceptus distinctus realiter à Deo; sed hi conceptus sunt Deo respectivè necessarij: cum eo modo, quo Deus repugnat metaphisicè possibilitati sui defectus, peccati, & cuiusvis alterius imperfectionis, connectatur metaphisicè cùm impossibilitate eorum: ergo aliqui conceptus distincti realiter à

Deo, ſunt ipſi reſpectivè neceſſarij.

6 Ad argumentum iuxta dicta ſupra diſp. 9. Reſpondendū: negando antecedens, ad cuius probationem conceſſa mai. neg. min. Ad cuius probationem dicendum: repugnantiam, quam Deus habet poſsibilitatis ſui peccati, defectus, & cuiuſvis alterius imperfectionis non eſſe medium ad probandam exigentiam ex parte Dei, vt ſint impoſsibilia, vel quia repugnantia ex parte Dei poſſibilitati ipſorum non eſt abſoluta; ſed tantum ex ſuppoſitione, quam non infert, ſcilicèt, permanentiæ conceptus defectus, peccati, aut imperfectionis in ratione talium: ſiquidem Deus, quatenus eſt ex ſe, permitteret quodvis ex illis commutare ſuum conceptum in alium conceptum poſsibilem; v. g. *Canem, Equm, aut Hominem*, & tantùm ex parte ipſorum datur neceſsitas, vt id non fiat, vel quia repugnantiæ ex parte Dei poſsibilitati talium conceptuum fit ſatis per non poſsibilitatem ipſorum, quod autem inter poſsibile, & impoſsibile non detur medium, id aliundè provenit, quàm ex ipſo Deo, cui nihil obeſſet dari medium, vel quia nunquam magis non eſſent poſsibilia *defectus Dei, mendatium*, & *imperfectio*, ac quando ita extinguerentur in proprijs conceptibus, vt nec poſsibilia, nec impoſsibilia remanerent, vt Deus etiam ex ſe permitteret, & quomodo fieret ſatis divinæ perfectioni.

7 Inſiſtes: quomodocumque res explicentur, Deus metaphiſicè repugnat poſsibilitati: ergo exigit dari non poſsibilitatem: ergo redit ſibi neceſſariam non poſsibilitatem ſui defectus, peccati, & imperfectionis; ſed non poſſibilitas ſui defectus, peccati, & imperfectionis eſt conceptus diſtinctus realiter à Deo: ergo ſemper concedendus eſt conceptus aliquis realiter diſtinctus à Deo, qui ſit reſpectivè neceſſarius. Reſpondeo: conſequenter ad dicta, Deum tantùm exigere, ne detur poſsibilitas illorum conceptuum: quod autem ipſi non poſsint deficere in ratione poſsibilium, niſi per non eſſe poſsibilitatis, quod ſit aliquis conceptus diſtinctus realiter à Deo, id non provenit ex exigentia ipſius Dei; ſed ex neceſsitate ipſorum conceptuum, qui extra Deum ſunt, quam neceſsitatem Deus non exigit, ſed duntaxat, quod illa non ſint poſſibilia, nunquam vero magis non eſſent poſsibilia, ac quando ita extinguerentur in proprijs conceptibus, vt nec poſſit verificari de ipſis: *Poſsibilitas, non poſſibilitas, aut quodcumque aliud affirmabile*, vel negabile, qua extinctione data, Deus perſiſteret in ſe, ſicut modo eſt, quin ipſi immutatio illa extrinſeca conceptuum à ſe diſtinctorum eſſet nocumento, aut perfectioni propriæ derogaret.

8 Objcies ſecundò: Deus per Scientiam ſibi reſpectivè neceſſariam cognoſcit, nihil à ſe realiter diſtinctum eſſe ſibi reſpectivè neceſſarium; ſed hæc ſcientia non poteſt non cognoſcere aliquid à Deo realiter diſtinctum: ergo ſcientia reſpectivè Deo neceſſaria aliquid à Deo diſtinctum realiter reſpicit, vt obiectum. Mai. eſt certa. Nam per nos ſcientia reſpectivè Deo neceſſaria eſt illa, quæ attingit Deum, provt eſt ens neceſſariſsimum, & ſecundùm illas perfectiones, & prædicata, quæ non ſunt Deo contingentia: at Deum non indigere vllo à ſe realiter diſtincto, eſt prædicatum Deo non contingens; verùm ipſi neceſſariſsimè, & indefectibiliter conveniens: ergo Deus per ſcientiam ſibi reſpectivè neceſſariam cognoſcit nihil à ſe realiter diſtinctum eſſe ſibi reſpectivè neceſſarium. Prob. min. Scientia repræſentans Deum, vt independentem ab extremo non poteſt non cognoſcere extremum, vt eſt terminus independentiæ, aliàs nec ipſam independentiam cognoſceret incognito eo, ad quod dicit ordinem; ſed ſcientia hæc repræſentat Deum, vt independentem ab omni non ipſo realiter, cum repræſentet nihil realiter diſtinctum eſſe ipſi neceſſarium: ergo Scientia hæc non poteſt non cognoſcere aliquid à Deo realiter diſtinctum; imò omne ex ſuo conceptu realiter à Deo diſtinctum.

9 Reſpondeo, vt in ſimili iam ſupra fecimus, Scientiam illam cognoſcentem independentiam Dei, modo illo reſpectivo ad omne diſtinctum realiter, vt ſibi reſpectivè non neceſſarium, non eſſe Scientiam Dei reſpectivè neceſſariam, propterea quod attingat diſtinctum realiter à Deo, quod eſſe in ſuo conceptu tale, contingens eſt Deo, quatenus eſt ex parte ſui, & tantùm neceſſarium neceſsitate extrinſeca, & proveniente à quidditate rerum: quare Deus ſolùm cognoſcit per ſcientiam reſpectivè neceſſariam independentiam ſui ab omni non ipſo, modo quodam abſoluti-

ſi-

tissimo, in quantum se cognoscit completissimum, & perfectissimum in suo esse, sine cognitione defectus, aut indigentiæ alicuius realiter à se distincti: ideò potius constituitur per negationem cognitionis, repræsentantis dependentiam ab omni realiter distincto, quam per cognitionem independentiæ sui ab omni realiter distincto, vt sibi non necessariò respectivè. Vnde ad formam disting. mai. Deus per Scientiam respectivè necessariam cognoscit nihil à se realiter distinctum esse sibi respectivè necessarium: *modo absolutissimo in repræsentando* concedo mai. *modo respectivo*, & provt correspondet illis terminis, *nihil à se realiter distinctum esse sibi respectivè necessarium*, nego mai. Et dist. min. Hæc scientia *absolutissima in repræsentando* non potest non cognoscere aliquid à Deo realiter distinctum nego min. hæc scientia *relativa in repræsentando* non potest non cognoscere aliquid à Deo distinctum realiter, concedo min. & nego consequentiam. Ad probationem min. disting. mai. Scientia repræsentans Deum, vt independentem ab extremo, *modo absolutissimo, & in quantum cognoscit se completissimum in suo esse sine cognitione dependentiæ ab aliquo realiter distincto*, non potest non cognoscere extremũ, vt est terminus independentiæ, nego mai. *modo quodam respectivo explicato* concedo mai. & disting. min. Scientia hæc repræsentat Deum, vt independentem ab omni non ipso realiter, *modo absolutissimo*, concedo min. *modo respectivo*, nego min. & consequentiam.

10 Colliges primò. Ex dictis Scientiam hanc respectivè necessariam non esse aliam, quàm Scientiam visionis. Ratio est: quia scientia ita repræsentans suum obiectum, vt non præscindat ab existentia illius, non est alia, quàm scientia visionis; sed scientia respectivè necessaria ita repræsentat suum obiectum, vt non præscindat ab existentia illius: ergo non alia quàm Scientia visionis est. Prob. min. Scientia vnicè repræsentans Deum secundum prædicata in existendo necessarissima, & metaphisicè indefectibilia, est Scientia repræsentans ita suum obiectum, vt non præscindat ab existentia illius; sed scientia respectivè necessaria repræsentat Deum, & prædicata illius, secundùm quod sunt necessaria in existendo, indefectibiliaque metaphisicè, cum vnum ex prædicatis absolutis Dei sit eius æternitas, & indefectibilitas essentialis: ergo Scientia respectivè necessaria ita repræsentat suum obiectum, vt non præscindat ab existentia illius.

11 Nec obstat quod per talem Scientiam Deus cognoscat suam possibilitatem, vnde videtur argui eam scientiam, sub tali respectu, dici posse scientiam simplicis intelligentiæ, cum proprium huius scientiæ sit cognoscere possibilitatem, & statum quidditativum rerum. Quia scientia simplicis intelligentiæ non est ea, quæ vtcumque repræsentat rerum possibilitatem, aut veritates pertinentes ad statum quidditativum ipsarum; sed ea, quæ dicta repræsentat cum præcisione ab existentia obiecti de quo possibilitatem, & reliqua essentialia proponit, quæque ob talem præcisionem in modo repræsentandi potest existere in signo, quo non dum intelligitur necessitas, vt sit obiectum, potius; quàm non sit, & prædicata essentialia potius existentialiter ipsi conveniant; quàm non conveniant: cum autem scientia respectivè necessaria, & si repræsentet Dei possibilitatẽ, & reliquas veritates proprias status quidditativi, & essentialis, non eas repræsentet, cum præcisione ab existentia sui obiecti, & cum componibilitate, vt non sit potius; quàm sit illud, quod possibile repræsentat, & neque existat in signo aliquo, in quo non intelligatur necessitas, vt sit existentialiter suum obiectum; ideo quamvis proponat Dei possibilitatem, & reliquas veritates ad statum quidditativum Dei pertinentes, non eas proponit, vt scientia simplicis intelligentiæ; verum vt Scientia visionis.

12 Sub inferes. Omnes illas veritates essentiales, quæ in reliquis entitatibus cognoscuntur etiam per Deum modo intentionali conditionato, provt Deo competunt, & status eius quidditativi, & essentialis sunt propriæ, non cognosci à Deo per repræsentationem, & modum tendendi conditionatum; sed per repræsentationem, & modum tendendi absolutum. Ratio est: quia non est locus in intellectu divino modo tendendi conditionato, & ex se suspensivo à purificatione conditionis, quando non datur signum aliquod præcisionis à purificatione conditionis, quæ alia ab existentia illius, de quo talia verificantur,

non

non eſt: aliter enim modus ille tendendi conditionatus invtilis, & fatuus foret, in conſpectu modi tendendi abſoluti, ſub conditionis purificatione: ergo cum reſpectu Scientiæ divinæ, qua Deus ſe poſsibilem cognoſcit, & cum reliquis veritatibus, quæ de ipſius conceptu quidditativo, & eſſentiali ſunt, nullum ſit ſignum præciſsivum ab exiſtentia Dei, quæ eſſet conditio, ſub qua modo tendendi conditionato proponerentur, nullus per conſequens eſt locus, vt prædictæ veritates per Scientiam reſpectivè neceſſariam modo tendendi conditionato, & non abſoluto repræſententur.

13 Colliges ſecundò. Eandem Scientiam non eſſe practicam; ſed ſpeculativam. Ratio eſt: tum quia eſt ſcientia viſionis, cui, vt vidimus, ratio practicæ non convenit; tum præcipuè quia ſcientia practica non eſt de neceſſario agendis, aut non agendis; ſed ſcientia hæc ſecundum illud, quod repræſentat, aut eſt de non agendis, vt ſunt Deus quoad eſſentiam ſuam, & reliqua abſoluta, quæ conſequuntur eſſentiam; aut ſi ſit de agendis, vt ſunt divinæ proceſsiones, quæ & ſi non agantur, vt effectus à cauſa, aguntur tamen, vt principiatum à ſuo reali principio; eſt de agendis neceſſario, & & non per ellectionem, & determinationem liberam agentis rationalis: ergo dicta ſcientia non practica, ſed purè ſpeculativa eſt dicenda.

14 Colliges tertiò: Non eſſe ſcientiam approbationis; ſed ſimplicis notitiæ, ſi ſcientia approbationis ſumatur pro ſcientia, quæ circa ſuum obiectum habet adiūctum decretum efficax, vel ſaltem inefficax procurativum illius. Ratio eſt: quia reſpectu obiecti neceſſarij non datur decretum efficax, nec ineficax tendens in aſſequutionem illius; ſed obiectum ſcientiæ reſpectivè neceſſariæ eſt obiectum ſummè neceſſarium: ergo ſcientia illius non poteſt coniungi cum decreto efficaci, aut inefficaci procurativo illius: ac per conſequens nec eſt ſcientia approbationis in hoc ſenſu. At ſi ſcientia approbationis aliter intelligatur, nempè pro ea, quæ coniungitur cum quovis affectu proſequutivo voluntatis, erga ſuum obiectum, aut pro ſcientia proponente ſuum obiectum tanquam amore dignum, & iuſtè, ſeu pro meritis proſequendum à voluntate, in hoc ſenſu erit ſcientia dicta approbationis, & non ſimplicis notitiæ: conſtans enim eſt, Scientiam Deo reſpectivè neceſſariam coniungi cum amore infinito divino, quo Deus ſe amat, & ſimul proponere ſuum obiectum, id eſt Deum, ſecundum ſibi intrinſeca, & neceſſaria, vt obiectivum digniſsimum propter bonitatem infinitam, quam in ſe continet, cui correſpondeat talis amor, qui ſi non daretur, non fieret ſatis meritis obiecti, & dignitati illius in ratione amabilis, & conformis rectiſsimæ, & ſanctiſsimæ voluntati.

CAPVT II.

De Scientia, abſolutè tantùm, neceſſaria Deo.

15 TALIS dicitur ea, quæ etſi in Deo determinato ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile eſt, deficere non poſsit; non tamen id provenit ex determinatione intrinſeca Dei exigentis obiectum ſub tali cognoſcibilitate, & proportione, vt ſic potius, quàm aliter verè, & conformiter ad eſſe obiectivum, quod in ſe habet, repræſentetur; ſed ex determinatione extrinſeca, & orta ex conditione obiecti non variabilis in ea cognoſcibilitate, & veritate obiectiva, quam de facto habet, cui ſi non correſponderet in intellectu divino ſcientia conformis, Deus falſo, & aliter quàm res ſunt in ſe, cognoſceret: ideò hæc ſcientia, quæ abſolutè tantùm, & non reſpectivè dicitur neceſſaria, convertitur, & eadem eſt cum Scientia Deo neceſſaria neceſsitate tantum extrinſeca, & quæ extra Deum ſit formaliter, & exigitivè, ſeu arguitivè. Obiectum per hanc ſcientiam non attactum, & illi non correſpondens iam ſe prodit eſſe omne illud, quod ſciētiæ neceſſarię reſpectivè ad ſcripſimus, ideſt omnis illa veritas obiectiva, quę ex debito intrinſeco; & eſſentiali Deo talis eſt; neque enim componi poteſt attingere veritatem obiectivam Deo ex intrinſecis debitam, & ſcientiam illi correſpondentem, Deo ex intrinſecis ſapientiſsimo non eſſe ab intrinſeco neceſſariam, hoc eſt reſpectivè, & quatenus eſt ex parte Dei debitam; ſed tantùm

tiam absolutè, & extrinsecè. Hoc circa exclusionem obiecti, suppositò, quo ad inclusionem obiecti proprij, & tali scientiæ correspondentis.

16 Dicendum est primò. Ad obiectum Scientiæ, Deo absolutè tantùm necessariæ, pertinent omnes illæ veritates obiectivæ, quæ sunt de statu quidditativo, & essentiali rerum possibilium distinctarum à Deo sivè positivæ, sivè negativæ sint in suo esse. Probatur. Ad scientiam absolutè tantùm necessariam debent pertinere, vt obiectum omnes illæ veritates ita persistentes invariabiliter in suo esse obiectivo, & verificativo scientiæ, quæ defacto datur vltra omne debitum ex parte Dei, vt si deficeret scientia in intellectu divino ipsis correspondens, Deus, aut esset ignorans, aut falsò cognoscens; sed omnes veritates obiectivæ, quæ sunt de statu quidditativo, & essentiali rerum possibilium distinctarum à Deo sivè positivæ, sivè negativæ sint in suo esse, ita se habent: ergo ad obiectum Scientiæ, Deo absolutè tantùm necessariæ, pertinent omnes illæ veritates assignatæ. Discursus rectus est, & min. certa. Nam omnes illæ veritates obiectivæ, quæ in se, & ex se nunquam patiuntur defectum correspondentiæ ad scientiam, quæ de facto circa illas datur, sunt tales, quæ si deficiat scientia, quæ de facto datur per puram negationem scientiæ, quæ defacto datur, ignorentur, aut per adventum alterius scientiæ huic oppositæ, falsò cognoscantur: ergo cum dictæ veritates tales sint per consequens etiam tales sunt, quæ si deficiat scientia defacto illis correspondens aut ignorentur, aut falsò cognoscantur. Prob. mai. Ad scientiam tantùm absolutè necessariam debent pertinere, vt obiectum, omnes illę, veritates, quæ non possunt cognosci à Deo, per scientiam absolutè defectibilem; sed omnes illæ veritates ita persistentes invariabiliter in suo esse obiectivo, & verificativo scientiæ, quæ defacto datur vltra omne debitum ex parte Dei, vt si deficeret scientia in intellectu divino ipsis correspondens, Deus, aut esset ignorans, aut falso cognoscerer, non possunt cognosci per scientiam defectibilem absolutè: aliàs in Deo ignorantia, aut falsitas correspondens absoluto defectui talis scientiæ, esset Deo possibilis: ergo ad scientiam absolutè tantùm necessariam debent pertinere, vt obiectum omnes illæ veritates ita persistentes invariabiliter in suo esse obiectivo, & verificativo scientiæ, quæ defacto datur vltra omne debitum ex parte Dei, vt si deficeret scientia in intellectu divino ipsis correspondens, Deus, aut esset ignorans, aut falso cognoscerer.

17 Dices: hoc fundamentum se implicare in terminis. Nam si ad probandum obiectum scientiæ absolutè tantùm necessariæ, assumatur pro medio scientiam illi correspondentem non posse esse absolutè defectibilem: quia eo modo, quo esset defectibilis absolutè, Deus, aut esset ignorans, aut falsò cognosceret: cum Deus ex debito intrinseco repugnet falsitati, aut ignorantiæ; per consequens etiam, ex debito intrinseco, exiget metaphisicè scientiam non posse deficere, quo fiet, vt scientia illa, quam dicimus absolutè tantum necessariam, cum defectu necessitatis respectivæ transeat ad esse necessariæ, etiam respectivè.

18 Sed contra est: quia quod Deus opponatur essentialiter aut cum ignorantia, aut cum falsitate suæ cognitionis, id non arguit connexionem cum scientia veritatum à se distinctarum, & quæ obiectivè necessariæ sunt, nisi in quantum fuerit medium necessarium ad depellendam ignorantiam, aut falsitatem, tale autem non est absolutè, quatenus est ex parte Dei; sed ex suppositione, quod sint suo modo tales veritates obiectivæ, quam suppositionem Deus ex se non infert, cum ex se permittat earum defectum: vnde non magis est connexus cum scientia illis correspondente, quàm cum Scientia contingentium, de qua idem verificatur, ac de scientia absolutè necessaria, scilicèt, quod etsi Deo non sit absolutè debita, quia cum eius defectu potest componi, tamen ex suppositione, quod sint veritates contingentes cognoscibiles; v.g. *Existentia huius mundi*, exigit scientiam illis correspondentem, vt medium necessarium ad depellendam ignorantiam, & falsitatem: nec propterea dices; scientiam huius mundi esse Deo debitam respectivè *debito absoluto*, de quo est quæstio, & quod intendimus excludere à Scientia absolutè necessaria, simul probando necessitatem absolutam eiusdem Scientiæ ex necessitate sui obiecti, quam Deus ex se non affert, imò ex Scientia contingente sumitur nova confirmatio nostræ ratio-

tionis. Nam ſi debitum conditionatum, quod Deus habet ad Scientiam contingentem, componitur cum contingentia abſoluta, & reſpectiva illius: cur debitum conditionatum, quod Deus habet ad Scientiam abſolutè neceſſariam non poterit componi cum contingentia reſpectiva eiuſdem?

19 Si adhùc perſiſtas. Exigere ſcientiam, vt ſibi indefectibilem eſt exigere ſcientiam, vt ſibi convenientem ſemper, & pro ſemper; ſed exigere Scientiam, vt ſibi convenientem ſemper, & pro ſemper, non componitur cum contingentia reſpectiva: ergo neceſsitas Scientiæ abſolutè neceſſariæ eſt etiam neceſsitas reſpectiva. Contra eſt. Nam debitum Scientiæ abſolutè neceſſariæ, quod datur in Deo, & ſi ſit ad Scientiam, vt indefectibilem, & ſemper, & pro ſemper convenientem Deo, non eſt debitum abſolutum; ſed ex ſuppoſitione neceſsitatis obiecti, quam Deus ex ſe non affert, vt autem probaretur Scientia abſolutè neceſſaria reſpectivè etiam talis, erat neceſſarium probare debitum ſe tenens ex parte Dei, forè abſolutum per exigentiam abſolutam neceſsitatis obiecti, quod non probatur, nec probari poteſt, retenta ſententia inconnexionis Dei cum poſsibilibus, & impoſsibilibus. Nec omittendum quantum fallat propoſitio illa: *Exigere ſcientiam, vt ſibi convenientem ſemper, & pro ſemper non componitur cum contingentia reſpectiva*, quæ ſi vera eſſet, probaret omnem ſcientiam contingentem Deo eſſe illi debitam, & neceſſariam, cum de illa verum ſit, dato caſu veritatis obiectivæ contingentis: *Deum exigere ſcientiam ipſi correſpondentem, vt ſibi convenientem ſemper, & pro ſemper.*

20 Dixi in concluſione: *Sivè poſitivæ, ſivè negativæ ſint in ſuo eſſe*, vt ſic comprehendam ſub obiecto ſcientiæ abſolutè neceſſariæ omnes veritates neceſſarias, quæ ſint propriæ non entium, ſeu carentiarum, & privationum rerum. Nam ſicut dictæ negationes, aut privationes rerum habent ſuo modo exiſtentiam actualem, diſtinctionem, ſeparabilitatem, determinationem, vt hoc potius, quam illud excludant: ſic in ſtatu ſuo modo quidditativo, & habent eſſe taliter poſsibiles, & deſtinationem ex proprio conceptu, ad omnia illa ſine quibus in ſuo eſſe negativo exiſtere nequeunt, quin ſit minus neceſſarium reſpectivè ad carentiam Petri; v.g. eſſe talem, quæ *ſi exiſtat, non ſecum permittat entitatem Petri: non eſſe excluſivam entitatis Pauli: eſſe ſeparabilem à defectu aliarum rerum contingentium*; quàm de homine: *Si exiſtat, extiturum Animal rationale, riſsibile, & Admirativum.*

21 Dicendum ſecundo: veritates aliquæ obiectivè indiſtinctæ realiter à Deo ſunt etiam obiectum Scientiæ, abſolutè tantum neceſſariæ. Probatur. Actus contingētes Dei, provt tales, habent ſuas veritates obiectivas neceſſarias, pertinentes ad ſuum ſtatum quidditativum, & proprium: ſunt enim poſsibiles, determinatè, vt hac, vel illa tendentia intentionali exiſtant, non inceptibiles in tempore: non deſtructibiles, & alia huiuſmodi, quæ neceſſariò, & invariabiliter de ipſis verè affirmantur; ſed veritates iſtæ, & ſunt indiſtinctæ realiter à Deo, & non aliter, quàm per Scientiam tantū abſolutè neceſſariam cognoſcūtur: ergo veritates aliquæ obiectivæ indiſtinctæ realiter à Deo, ſunt etiam obiectum Scientiæ abſolutè tantùm neceſſariæ. Mai. & min. quoad primam partem de identitate cum Deo, certæ ſunt; quoad ſecundam probatur: Veritates illæ obiectivæ neceſſariæ per eam Scientiam debent cognoſci, quæ neceſſaria ſit neceſsitate correſpondente neceſsitati, quę reſidet in ipſis veritatibus: ſed Scientia abſolutè tantùm neceſſaria eſt Scientia neceſſaria, neceſsitate correſpondente neceſsitati, quæ reſidet in ipſis veritatibus obiectivis: ergo veritates iſtæ non aliter, quàm per Scientiam tantum abſolutè neceſſariam cognoſcuntur. Diſcurſus eſt legitimus, & mai. certa: cum Scientia non poſsit eſſe magis neceſſaria in repræſentando, quàm ſit obiectum illius in verificando. Prob. min. Obiecto tantùm abſolutè neceſſario (vt ſunt veritates illæ correſpondentes quidditativè actibus divinis contingentibus, quas Deus ex ſe non infert) eſt neceſsitas tantùm abſoluta ex parte Scientiæ, neceſsitas correſpondens; ſed ſcientia tantùm abſolutè neceſſaria eſt Scientia in qua ſola eſt prædicta neceſsitas: ergo ſcientia tantùm abſolutè neceſſaria, eſt ſcientia neceſſaria neceſsitate correſpondente neceſsitati, quæ reſidet in ipſis veritatibus obiectivis, ſpectantibus ad actus divinos contingentes.

22 Dices: Deus connectitur cum non repugnantia ſui eſſe divini; ſed Scien-

Scientia correspondens veritatibus necessarijs, circa actus divinos contingentes, solùm posset deficere repugnantibus ipsis actibus contingentibus: ac proinde esse divino illis correspondente: ergo Deus connectitur absolutè cum existentia talis scientiæ, quæ propterea erit respectivè necessaria. Sed contra: quia sicut Deus non connectitur metaphisicè cum existentia sui esse divini contingentis; sed cum existentia sui esse divini necessarij: sic non connectitur cum veritatibus necessarijs, sui esse divini contingentis, aut cum non repugnantia illius; sed cum veritatibus necessarijs sui esse divini necessarij, & cum non repugnantia illius, qua data non remaneret Deus possibilis: neque enim magis dissonat ex terminis aliquid divinũ, quatenus est ex parte Dei, posse repugnare; quàm quod aliquid divinum, quatenus est ex parte Dei, valeat deficere, & sub ea consideratione, qua deficit, Deum non esse: si ergo id sine præiudicio divinæ perfectionis admittitur, suppositâ constitutione actuum divinorum contingentium adæquatè per aliquid Deo intrinsecum, admitti, etiam illud poterit, absque inconvenienti necessitatis, & perfectionis propriæ esse divini suppositâ inconnexione Dei cum omni à se distincto, & à cuius possibilitate dependet possibilitas actuum divinorum contingentium. Ex qua procedimus.

23 Dicendum tertiò. Eiusdem Scientiæ sunt obiectum omnes veritates obiectivæ, quæ reputantur de conceptu quidditativo impossibilium. Probatur facilè ex dictis. Hæ veritates, & sunt necessariæ absolutè, & non sunt necessariæ respectivè: sed veritatibus necessarijs absolutè, & non necessarijs respectivè correspondet in intellectu divino Scientia absolutè tantùm & non respectivè necessaria: ergo veritates obiectivæ, quæ sunt de quidditate, & essentia impossibilium, obiectum sunt eiusdem Scientiæ. Min. constat ex correspondentia, quæ debet dari inter necessitatem, aut contingentiam Scientiæ cum necessitate, aut contingentia sui obiecti. Prob. mai. quoad vtramque partem; quoad primam de *necessitate absoluta*: quia non est minus obiectivè absolutè necessarium, *impossibile esse impossibile, & necessariò deficere*, quàm *possibile esse possibile, & posse existere*: *impossibile dicere determinationem ad suum contradictorium pro casu existentiæ*; quàm *possibile dicere exclusionem illius casu, quo existat*: deindè quoad secundam de *non necessitate respectiva*: quia non magis est necessarium impossibile in esse talis, vt sit Deus; quàm possibile in esse talis, vt Deus existat: nec minus permittit Deus ex se defectum impossibilis in suo esse quidditativo, & essentiali, quàm defectum possibilis quoad ea, quæ illi, prout tali, ex proprio conceptu debentur; sed Deus, vt quid impertinens ad suum esse, respicit possibile in esse talis: ergo & impossibile: ergo veritates quidditativæ impossibilium, & sunt absolutè necessariæ, & non sunt necessariæ respectiuè. Neque quoad hanc partem potest esse aliqua specialis difficultas, sivè orta ex constitutione impossibilium, sivè ex cognoscibilitate, sivè ex conditione aliquorum impossibilium, propter specialem repugnantiam, & oppositionem, quam dicunt ad Deum, quæ in antecedentibus non sit soluta, aut facilè ex dictis solvi queat.

24 Immediatè ergo deducitur primò: Scientiam absolutè tantum, necessariam sub se comprehendere Scientiam simplicis intelligentiæ, & Scientiam visionis. Constat: ea Scientia comprehendit sub se Scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, quæ ita communis est vtrique, vt de vna, & altera prædicetur; sed Scientia tantum absolutè necessaria ita est communis Scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis, vt de vna, & altera prædicetur: ergo Scientia absolutè tantum necessaria sub se comprehendit Scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Prob. min. Scientia absolutè necessaria prædicatur de scientia, qua Deus cognoscit possibilia distincta à se, & veritates quidditativas eorum, & de Scientia qua Deus cognoscit impossibilia, & veritates quidditativas, & essentiales ipsorum; sed Scientia, qua Deus cognoscit possibilia distincta à se, necnon veritates quidditatiuas eorum est Scientia simplicis intelligentiæ: & scientia, qua cognoscit impossibilia, & veritates quidditativas ipsis propriàs, est Scientia visionis: ergo scientia absolutè tantum necessaria ita communis est Scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis, vt de vna, & altera prædicetur. Mai. quoad vtramque partem constat ex conclusionibus præcedentibus.

25 Et min. etiam quoad vtramque partem probatur: quoad primam.

Ete-

Etenim Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt, quæ attingit ſuum obiectum cum præciſsione ab exiſtentia,& non exiſtentia illius; ſed ſcientia,qua Deus cognoſcit poſsibilia diſtincta à ſe, & veritates quidditativas,ſeu eſſentiales ipſorum,eſt ſcientia proponens ſuum obiectum cum præciſsione ab exiſtentia,& non exiſtentia illius: cum res contingens in exiſtendo, vt ſunt omnes diſtinctæ à Deo, tam poſsibiles, & tam determinatæ, vt ſint id quod ſunt, remaneant, ſivè exiſtant, ſivè non exiſtant: ergo Scientia, qua Deus cognoſcit poſsibilia diſtincta à ſe, & veritates quidditativas eorum eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ. Confirmatur. Scientia, quæ ſe tenet in priori libertatis divinæ ad dandum eſſe rebus, eſt Scientia ita proponens ſuum obiectum,vt præſcindat ab exiſtentia illius, ſicut, & à non exiſtentia: aliàs divinam libertatem ex determinatione ad vnum deſtrueret;ſed ſcientia, quæ ſe tenet in priori libertatis divinæ ad res omnes producendas,eſt Scientia, qua cognoſcit poſsibilia diſtincta à ſe, & veritates,proprias, & quidditativas eorum: ergo ſcientia, qua Deus cognoſcit poſsibilia diſtincta à ſe, & veritates quidditativas eorum, eſt Scientia attingens ſuum obiectum cum præciſsione ab exiſtentia,& non exiſtentia illius.

26 Probo iam ſecundam partem, ex oppoſito fundamento:Scientia attingens ſuum obiectum, ſine præciſsione à non exiſtentia illius eſt Scientia viſionis; ſed ſcientia repræſentans impoſsibilia,& veritates proprias,& quidditativas eorum repræſentat ſuum obiectum abſque præciſsione à non exiſtentia illius: ergo Scientia, qua Deus cognoſcit impoſsibilia,& veritates proprias, & quidditativas eorum eſt Scientia viſionis. Prob.min.Scientia repræſentans impoſsibilia, & quidditates eorum, proponit ſuum obiectum,vt impotens exiſtere, & vt determinatum ad non exiſtendum; ſed ſcientia proponens ſuum obiectum, vt impotens exiſtere, & vt determinatum ad non exiſtendum, proponit ſuum obiectum abſque præciſsione à non exiſtentia illius, vt per ſe patet: cum determinatio ad non exiſtendum repræſentata opponatur præciſsioni à non exiſtentia obiecti, quatenus eſt ex parte Scientiæ,& in repræſentando: ergo Scientia repræſentans impoſsibilia, & veritates proprias, & quidditativas eorum repræſentat ſuum obiectum abſque præciſsione à non exiſtentia illius.

27 Nec dicas: Scientiam viſionis ſolùm eſſe reſpectu illius obiecti, quod cognoſcitur exiſtens: cumque Scientia repræſentans impoſsibilia, non proponat illa, vt exiſtentia; ſed potius, vt non exiſtentia,non comparabitur ad ea, vt viſio eorum; verùm vt viſio carentiæ neceſſariæ impoſsibilium, quam, vt exiſtentem neceſſariò proponit. Non inquàm hoc dicas, vel quia dato, quod reſpectivè ad carentiam duntaxat impoſsibilium, dicenda foret viſio, Scientia, qua Deus ea cognoſcit, haberemus intentum ad probandum, Scientiam viſionis comprehendi ſub ſcientia tantum abſolutè neceſſaria, propterea quod Scientia repræſentans defectum neceſſarium impoſsibilium abſolutè, & non reſpectivè debet eſſe Scientia divina neceſſaria abſolutè,& non reſpectivè; vel quia falſum eſt ſcientiam ſolum dici viſionis, comparativè ad obiectum, cuius exiſtentiam proponit, cum etiam dicatur talis reſpectivè ad obiectum, quod repræſentat, vt poſitivè non exiſtens, quia ſic non præſcindit à non exiſtentia illius, quod erat neceſſarium, vt ad ſeriem Scientiæ ſimplicis intelligentiæ ſe transferret.

28 Deducitur ſecundò.Scientiam abſolutè tantùm neceſſariam eſſe Scientiam ſimplicis intelligentiæ, non modò reſpectu poſsibilium, quæ nunquam extitura ſunt; verùm reſpectu eorum, quæ aliquando exiſtent. Eſt ſententia communis Theologorum,contra paucos aliquos,quos ſequitur Gonet, & eſt expreſſa D.Thom.in 3.diſt.14. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. dicentis: *Duplex diſtinguitur in Deo cognitio, vna,quæ dicitur viſionis Scientia, per quam Deus cognoſcit illa, quæ aliquando exiſtunt;alia autem,quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ per quam ſcit Deus non ſolum illa; ſed etiam omnia,quæ poteſt facere, nunquam autem faciet.* Et in alijs locis ſupra citatis diſp. 9. vbi aſſerit, Deum dirigi ad operandum, Scientia indifferente ex ſe ad oppoſita, & determinabili per adiunctam voluntatem: docet ergo clariſsimè Scientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe eorum, quæ aliquando exiſtunt, & coniungi cum determinatione voluntatis Scientiam ex ſe indifferentem, vt ſit, aut non ſit illud,ad quod per adiunctam voluntatem determinatur: ac per conſequens Scientiam ſimplicis in-

intelligentiæ nõn esset solùm eorum, quæ nunquàm extitura sunt.

29 Ratione etiam constat efficacissimè. Nam Deus pro priori saltem ad primum decretum eorum, quæ defacto producit, habet Scientiam dirigentem, & ostendentem sibi esse possibilem rem illam, in quam per voluntatem efficaciter tendit; sed Scientia illa, & est simplicis intelligentiæ, & est coniungibilis cum existentia sui obiecti: ergo Scientia simplicis intelligentiæ non est tantum eorum, quæ nunquam extitura sunt; sed insuper eorum, quæ aliquandò existunt. Mai. est certa: alias Deus, vt procedens ad operandum ad extra, cœco, & irrationali modo procederet, non cognoscens id ipsum, quod intendit, aut quomodo intendibile, & operabile sit. Prob. min. quoad vtramque partem: quoad primam. Illa Scientia est simplicis intelligentiæ, sub qua Deus est indifferens ad tribuendam, & non tribuendam existentiam obiecto proposito per Scientiam; sed Deus sub Scientia dirigente ad primum decretum circa existentiam eorum, quæ defacto existunt, est indifferens ad existentiam, & non existentiam obiecti propositi per Scientiam, sicut, & est indifferens ad existentiam, & defectum primi decreti efficacis, tendentis in existentiam illius, alias Deus non liberè; verùm ex necessitate naturæ operaretur ea, quæ defacto existunt: ergo Scientia ea dirigens ad primum decretum efficax, tendens in ea quæ defacto existunt, est Scientia simplicis intelligentiæ.

30 Probatur secunda pars, scilicèt, Scientiam eam dirigentem esse coniungibilem cum existentia sui obiecti. Constitutivum libertatis ad decernendum, & non decernendum necessariò existens, est coniungibile cum suo exercitio: tum quia ex doctrina generali nulla potestas ad exercitium impediri potest per suum exercitium: tum specialiter ex eo, quod talis Scientia non sit contingens; sed necessaria: id autem, quod absolutè necessarium est, per nihil contingenter adiunctum, in casu possibili potest deficere; sed scientia illa dirigens ad primum decretum est constitutivum libertatis ad decernendum, & non decernendum necessariò existens: ergo est coniungibilis cum existentia sui obiecti, sicut est coniungibilis cum decreto, quod est immediatum exercitium libertatis, quam constituit.

31 Vrgentiùs adhùc ostendendo, aut non dari in Deo Scientiam simplicis intelligentiæ, aut esse Scientiam eorum, quæ defacto existunt. Intentum suadeo: aut Scientia illa, quam vocas simplicis intelligentiæ, & est eorum tantùm quæ nunquam existant; est ex se determinata, vt nunquam existant, vel ex se indifferens, vt existant, & non existant. Si hoc secundum: ergo Scientia simplicis intelligentiæ componibilis ex se est cum existentia eorum, quæ nunquam existent: ac per consequens, si existerent ea, quæ nunquam existent, eo modo persisteret: est clarum, siquidem nihil indifferens ex se ad duo extrema hoc, vel illud, per se potius excludit coexistentiam cum vno, quàm cum altero. Si primum: ergo Scientia illa, & est contingens, & est libera, & est visionis. Probo divisim: illa Scientia est contingens, quæ in existendo dependet ab existentia contingentis: sed Scientia ex se determinata, vt non existant, quæ possunt existere, in existendo dependet à contingenti, scilicèt à non existentia eorum, quæ possunt existere, & quæ contingens est, vt per se patet: ergo Scientia illa esset contingens. Esset deindè libera: quia liberum est id, quod in existendo requirit exercitium liberum Dei; sed scientia illa requirit in existendo exercitium liberum Dei: nempè non existentiam eorum, quæ possunt existere, quàm Deus liberè determinat: ergo esset scientia libera. Esset denique Scientia visionis; cum talis sit ea Scientia, quæ proponit suum obiectum, vt non existens: at illa Scientia proponeret suum obiectum, id est possibilia, quæ attingeret, vt non existentia: nam cum pro signo talis Scientiæ detur determinatio, vt illa possibilia non existant, non est cur per ipsam Scientiam non repræsententur possibilia, vt non existentia: ergo esset Scientia visionis. Iam sic: Scientia contingens, libera, & visionis non est Scientia simplicis intelligẽtię; sed Scientia illa quam dicis simplicis intelligentię, aut est componibilis cum existentia sui obiecti, aut est scientia cõtingens libera, & visionis: ergo vel est componibilis cum existentia sui obiecti, vel non est Scientia simplicis intelligentiæ, vt dicitur.

32 Fortè respondebis. Scientiam illam possibilium, quæ nunquam exis-

tunt, componibilem esse ex se cum existentia eorum; cæterùm non denominari Scientiam simplicis intelligentiæ, nisi pro casu, quo possibilia, quæ attingit, non existant: quia denominatio Scientiæ simplicis intelligentiæ accidentalis est Scientiæ possibilium ex adiuncta non existentia sui obiecti, quam ex se non affert, & à qua præscindit. Sed contra primò: ergo in Scientia Dei necessaria dabitur quoddam medium hucusque inauditum Scientiæ ex se præscindentis à Scientia simplicis intelligentiæ,& visionis, & cui accidentale sit denominari,iam Scientiam simplicis intelligentiæ,iam Scientiam visionis:quomodo igitur tale extremum nominandum?Et quomodo nondum recognitum à Theologis dum Scientiam Dei accuratissimè diviserunt? Contra secundo:ergo Scientia simplicis intelligentiæ formaliter, vt talis, Scientia, libera, & contingens est. Prob.consequentia.Scientia simplicis intelligentiæ formaliter, vt talis per te non constituitur sine interventu alicuius liberi,& contingentis;sed id quod constituitur per aliquid liberũ, & contingens liberum,&contingens est: ergo Scientia simplicis intelligentiæ formaliter,vt talis,libera,& contingens est.Contra tertiò:ergo Scientia simplicis intelligentiæ formaliter,vt talis,constituitur, vel per aliquid extrinsecum Deo, vel per Scientiam visionis. Prob. illatio.Scientia repræsentans possibilia, qua ratione per te est indifferens, vt sit Scientia simplicis intelligentiæ aut constituitur in ratione Scientiæ simplicis intelligentiæ per non existentiam absolutam sui obiecti, quæ extrinseca Deo est, aut per Scientiam correspondentem non existentiæ absolutæ sui obiecti, quæ Scientia visionis est, cum non sit aliud constitutivum proportionatum, vel assigna: ergo Scientia simplicis intelligentiæ in esse talis formaliter constituitur, vel per aliquid extrinsecum Deo. vel per Scientiam visionis. Quod idem probari potest de ipsa Scientia præcisivè sumpta, prout contrahitur ad esse Scientiæ visionis, vbi mirabilius erit, Scientiam visionis existentium constituere Scientiam aliam visionis possibilium.

33 Opponunt primò ab authoritate D. Thomam,in hac quæst.14. art.9. corpore, vbi distinguens inter Scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis docet: *Horum, quæ actu non sunt, attendenda est quædam diversitas: quædam enim licèt non sint nunc in actu, tamen, vel fuerunt,vel erunt, & omnia ista dicitur Deus scire per Scientiam visionis;quædam vero sunt,quæ sunt in potentia Dei,vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt, & respectu horum non dicitur Deus habere Scientiam visionis; sed simplicis intelligentiæ.* Vnde sic: iuxta D.Thomam:ea quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt cognoscuntur à Deo Scientia visionis,& ea,quæ nec sunt, neque erunt,neque fuerunt cognoscuntur per Scientiam simplicis intelligentiæ:ergo ex mente ipsius Scientia simplicis intelligentię tantum extenditur ad ea,quę nunquam extitura sunt,quod est formaliter asserere scientiam attingentem obiectum, quod aliquando extiturum est esse Scientiam visionis,& non simplicis intelligentiæ.Confirmatur.D.Thom. in præsenti comparat inter se Scientiam visionis, & Scientiam simplicis intelligentiæ: ergo sicut dicit de Scientia visionis quodnam sit eius obiectum, & quodnam non sit, sic de Scientia simplicis intelligentiæ dicit quodnam sit eius obiectum,& quodnam non sit: At de Scientia simplicis intelligentiæ tantum dicit esse eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt: ergo, vt explicet quodnam non sit obiectum illius debet intelligi de attingentia Scientiæ simplicis intelligentiæ eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt non aliter quàm præcisè, quomodo non erit locus Scientiæ simplicis intelligentiæ,vt ea,quæ aliquando existunt, respiciat.

34 Respondeo, quod, & si ex loco obiecto oriri posset ambiguitas aliqua erga mentem Div. Thomæ, exponenda, & elucidanda esset ex textu pro nobis adducto, in quo absque in decisione vlla asserit, Deum per Scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere non solùm ea, quæ aliquandò existunt; sed etiam omnia, quæ potest facere, nunquam autem faciet; at ex verbis obiectis nulla est difficultas exigens eum recursum, cum per se clara sint, & nobis non contraria. Respondeo. Div. Thomam asserere Scientiam simplicis intelligentiæ attingere ea, quæ nunquam existunt, illaque respicere, vt proprium obiectum; at non negare attingere etiam ea, quæ aliquando existunt, vt erat necessarium ad standum non pro nostra; sed pro ad-

aduersariorum sententia: itaque intentum ipsius tantum est diversificare Scientias visionis, & simplicis intelligentiæ designato obiecto, non quod ita cuivis sit proprium, vt per alteram non possit attingi; sed designato obiecto, quod per vnam non potest attingi, & alterius proprium est, vt sunt ea, quæ nunquam habent existentiam, & quæ sunt obiectum Scientiæ simplicis intelligentiæ; secus Scientiæ visionis, quod sufficit pro diversitate formali Scientiarum: nam si vna non potest attingere quod altera attingit, sufficienter ab ea discriminabitur, quamvis alia possit attingere, & illud, quod ista non attingit, & insuper etiam omne illud, quod ista attingit: modo, quo ternarium sufficienter distinguitur à quaternario, quia non extenditur ad illam quartam vnitatem, ad quam se extendit quaternarium, tametsi quaternarium, & habeat aliquid amplius, quam ternarium, & omne illud, quod istud continet.

35 Vnde ad confirmationem dicendum, quod quamvis comparet Præceptor Angelicus inter se Scientiam visionis, & Scientiam simplicis intelligentiæ non ideò infertur, quod si de vna dicit, quodnam sit præcisum obiectum illius, sic de altera affirmet vnicum, & præcisum obiectum illius. Ratio est: quia cum comparatio tantùm sit directa ad ostendendam differentiam inter vnam, & alteram Scientiam, & pro hac sit sufficiens manifestare obiectum, quod vna non potest attingere, quamvis ab altera illud, & insuper quod ad istam pertinet, attingatur, quamvis de Scientia visionis dixerit quid attingat, & quid non attingat, de Scientia simplicis intelligentiæ nec dixit, nec potuit dicere quid non attingat; sed tantùm illud, quod ad ipsam spectat, & per illam repræsentatur. Adverte tamen, quod cum dicimus ex Div. Thoma scientiam visionis non se extendere ad obiectum, quod respicit scientia simplicis intelligentiæ, non per id volumus significare, obiectum Scientiæ visionis, esse aliquomodo distinctum, ab obiecto Scientiæ simplicis intelligentiæ; sed tantùm, quod idem obiectum potest in aliquo statu esse aptum, vt attingatur per Scientiam simplicis intelligentiæ, quin sit aptum, vt attingatur per Scientiam visionis, modo, quo existentia cuiusvis rei contingentis, & si sit eadem, quæ est possibilis, vt possibilis est, semper est apta ad verificandas propositiones necessarias; & non semper est apta, ad verificandas propositiones contingentes.

36 Opponunt secundò. Scientia simplicis intelligentiæ est notitia abstractiva ab existentia, vel non existentia absoluta obiecti cogniti; sed Deus erga obiectum absolutè existens, vt est omne, quod aliquando existit, non potest habere notitiam abstrahentem ab existentia, & non existentia absoluta illius: ergo circa obiectum existens non potest habere Scientiam simplicis intelligentiæ. Consequentia est legitima, & mai. certa. Prob. min. Quia vt notitia abstractiva ab existentia, & non existentia absoluta sui obiecti non sit imperfecta, debet esse obiectum ineptum ad terminandam cognitionem absque tali præcisione; sed quando obiectum aliquando existit, aptum est ad terminandam cognitionem absque tali præcisione, vt patet ex eo, quod terminet Scientiam visionis, quæ ab existentia, & non existentia absoluta sui obiecti non præscindit: ergo obiectum absolutè existens, vt est omne, quod aliquando existit, non potest habere notitiam abstrahentem ab existentia, & non existentia absoluta illius.

37 Argumentum benè instat Herrera, quia si probat, probat quidem non modo respectu obiecti aliquando existentis, Deum non posse habere Scientiam simplicis intelligentiæ, verùm respectu nullius: ac proinde repugnare in Deo Scientiam simplicis intelligentiæ. Ratio est: quia si de aliquo obiecto posset dari Scientia talis, esset de obiecto nunquam extituro; de hoc autem non posset dari: quia sicut de obiecto aliquando existente, repugnat cognitio divina proponens illud cum præcisione ab existentia, & non existentia absoluta, ita de obiecto nunquam extituro repugnabit cognitio divina illud proponens, cum præcisione ab existentia, & non existentia absoluta illius: neque enim minus opponitur abstractioni à non existentia absoluta obiecti, *non existentia absoluta*; quæ de ipso verificatur, quàm abstractioni ab existentia absoluta obiecti *Existentia absoluta obiecti*, quam aliquando habet: ergo vel nullius ob-

iecti, vel omnium, etiam si existant, Deus habet Scientiam simplicis intelligentiæ.

38 Addi potest, probare vlterius primum decretum divinæ voluntatis erga rem producendam, vel non posse esse liberum, vel debere cœco, & irrationali modo procedere. Et ratio est: quia vel debet regulari per Scientiam visionis cum illo, & cum obiecto decreto connexam, & propterea ex voluntate determinata ad vnum, vel sine prælucentia alicuius Scientiæ: quia si alicuius maximè Scientiæ præscindentis ab existentia, & non existentia decreti, & obiecti illius; sed huius non: quia per te nulla Scientia præscindens ab existentia, & non existentia absoluta sui obiecti, potest coniungi cum existentia absoluta illius, vt coniungeretur existente decreto, & obiecto illius: ergo primum decretum, vel necessario, vel cœco, & irrationali modo à divina voluntate procederet.

39 Respondendum pro omnibus, quod sicut obiectum cognitum, simul cum existentia absoluta, retinet præcisionem ab eadem existentia secundùm aliquid sui in quantum, vt possibile, & contingens præscindit ab existere, & non existere absolutè; ita Scientia illa correspondens simul cum existentia absoluta obiecti, & tendentia repræsentante illud, vt absolutè existens, conservat suam præcisionem per aliquem modum tendendi, quod tantùm distat ab imperfectione Scientiæ, vt potius eius perfectionem commendet, vtpotè quæ conformatur cum obiecto in esse cognoscibilis, neque hæc præcisio est præcisio exclusionis cognitionis debitæ obiecto, aut inadæquatæ claritatis in repræsentando; sed pura præcisio contingentiæ in repræsentãdo obiectum eo modo, quod istud in se contingenter cognoscibile est, & simili ei, quæ datur in Scientia divina, provt est scientia necessariorum Dei, quæ ex se præscindit à Scientia convenientiũ Deo contingenter, vt *esse decernentem*, *esse coexistentem creaturis*, & alia huius generis, & cum qua simul existit, vt retinens suam præcisionem, quam habet ex repræsentatione necessariorum Dei.

40 Deducitur tertiò. Scientiam absolutè tantùm necessariam, partim esse practicam; partim verò speculativam. Nam Scientia, quæ & respicit obiecta operabilia modo, quo à Deo operabilia sunt; & insuper obiecta, quæ nullo modo sunt factibilia, & est partim practica, & partim speculativa; sed scientia absolutè tantum necessaria, & respicit obiecta operabilia ostendendo modum, quo operabilia sunt; & insuper obiecta, quæ nullo modo sunt factibilia: ergo est partim practica; & partim speculativa. Prob. min. Prædicta Scientia respicit omnia possibilia ostendendo essentiam, & proprietates, quas habent, & sunt cuivis propriæ: nec non distinctionem, quam habent à Deo, & contingentiam in existendo cum dependentia à divino influxu: deinde respicit omnia obiecta impossibilia repræsentando illa, vt ex se repugnantia ad existendum; sed proponere possibilia à Deo distincta, secundùm ea cuivis propria, ostendendo contingentiam, quam habent in existendo dependenter à divino influxu, est respicere obiecta operabilia, modo, quo ab ipso operabilia sunt, & proponere impossibilia repræsentando ea, vt ex se repugnantia ad existendum, est respicere obiecta, nullo modo factibilia: ergo Scientia absolutè tantùm necessaria, & respicit obiecta operabilia ostendendo modum, quo operabilia sunt, & insuper obiecta, quæ nullo modo sunt factibilia.

41 Deducitur quartò. Eandem Scientiam partim esse Scientiam approbationis; partim simplicis notitiæ. Nam Scientia approbationis est ea, quæ erga suum obiectum habet adiunctam voluntatem beneplaciti, vel efficacem, vel inefficacem tendentem in illud, aut saltem ostendit suum obiectum aptum, & quasi dignum, quod cum tali voluntate coniungatur. Deinde Scientia simplicis notitiæ est, quæ neque cum tali voluntate erga suum obiectum coniungitur, neque ostendit illud, vt aptum, & quasi dignum, quod cum tali voluntate coniungatur; sed Scientia absolutè tantum necessaria, & proponit obiectum, cui adiuncta est voluntas beneplaciti efficax, vel inefficax in illud tendens, aut saltem ostendit suum obiectum aptum, & quasi dignum, quod cum tali voluntate coniungatur: vlterius proponit etiam obiectum, quod neque cum tali voluntate coniungitur, neque ostenditur aptum, aut quasi dignum, quod cum tali voluntate coniungatur: ergo & est Scientia approbationis, & est Scientia simplicis notitiæ.

Pro-

42 Probatur minor. Dicta Scientia proponit posibilia per se causabilia à Deo, vt sunt omnia illa, quæ ex suo conceptu mala moraliter non sunt: proponit etiam posibilia per se non causabilia à Deo, vt sunt actus moraliter pravi: nec non imposibilia, quæ sicut existere non possunt, sic neque à Deo per se causativè esse possunt; sed obiecta posibilia per se causabilia à Deo, vel habent adiunctam voluntatem tendentem in illa accesivè, & per modum beneplaciti, vt accidit in omnibus illis, quæ defacto per se causantur à Deo, aut saltem ostenduntur apta, & quasi digna, quæ cum tali voluntate coniungantur, vt convenit omnibus per se causabilibus, quæ nunquam existunt, quidquid sit: an Deus defacto in illis complaceat, vel non complaceat: & obiecta posibilia per se incausabilia à Deo, qualia sunt peccata, nec non imposibilia, nec habent adiunctam voluntatem dictam, neque ostenduntur apta, & quasi digna, quæ cum tali voluntate coniungantur: ergo scientia absolutè tantùm necessaria, & proponit obiectum, cui adiuncta est voluntas beneplaciti efficax, vel inefficax in illud tendens, aut saltem ostendit suum obiectum aptum, & quasi dignum, quod cum tali voluntate coniungatur: vlteriusque proponit obiectum, quod neque cum tali voluntate coniungitur, neque ostenditur aptum, aut quasi dignum, quod cum tali voluntate coniungatur.

43 Nec dicas primò. Deum complacere in eo, quod à se incausabilia propriè, & per se sint taliter incausabilia: quia Deus complacet non tantùm in eo, quod habet; sed etiam in eo, quod non habet, provt à se non habito: quia provt tale perfectio Dei est: vnde complacebit in non habere potentiam per se causativam illius, quod per se incausabile ab ipso est, quod est formaliter complacerè in incausabili per se, vt tali: ac per consequens scientia absolutè necessaria respectu nullius obiecti erit Scientia simplicis notitiæ. Vel quia si id probaret, probaret quidē nullā esse in Deo Scientiam simplicis notitiæ; vel quia falsissimum est Deum complacere in eo, quod à se incausabilia propriè, & per se sint taliter incausabilia, secundùm quod incausabilitas dicit intrinsecè ex parte ipsorum: alias complaceret in peccato provt à se propriè incausabili, aut in ipso provt à se permissibili: complacet ergo ad summum in incausabilitate extrinseca, & quæ se tenet ex parte Dei, quæ nulla alia est, quàm carentia potentiæ proximæ in se ad illa per se causanda, quæ quidem necessaria, & per se bona est: quo eodem sensu tantum potest dici Deum complacere in eo, quod non habet, provt non habito ly *prout non habito*, non denotante aliquid intrinsecum rei non habitę; sed aliquid extrinsecum, & quod se tenet ex parte Dei, quæ facilè concipi, & explicari possunt in peccato, *vt permissibili intrinsecè, & extrinsecè.*

44 Nec dicas secundò. Saltem Deum complacere in peccato, vt sibi repugnanti, quæ repugnantia non distinguitur ab ipso peccato, vt imposibili Deo: quare Scientia proponens peccatum, vt imposibile Deo, erit Scientia approbationis. Quia pariter exponenda est repugnantia respectiva peccati ad Deum in *intrinsecam, & extrinsecam*. Repugnantia enim peccati ad Deum intrinseca ipsi peccato nullo modo est obiectum complacentiæ Dei; sed repugnantia tantùm extrinseca, & quæ se tenet ex parte Dei, quæ & si sit repugnantia peccati, in se non est quid repugnans, aut imposibile; sed posibile, & necessarium, Deoque maximè conveniens.

45 Nec dicas tertiò. Ex sententia valde probabili, admittente in Deo puram omissionem liberam: omissio tunc foret suo modo posibilis, vt pura omissio est: & tamen Scientia proponens talem omissionem, vt posibilem Deo, & per se suo modo causabilem, quia ex determinatione Dei ponibilem, & eligibilem, non esset Scientia approbationis, vtpote quæ nec coniungeretur, nec esset coniungibilis cum actu aliquo prosequutivo divinæ voluntatis: alias pura omissio, vt talis, esset repugnans, cum esset pura omissio, vt supponitur, & ex adiuncto voluntatis actu non esset pura omissio: ergo Scientia absolutè tantùm necessaria, provt est repræsentativa posibilis, per se causabilis à Deo, non est Scientia approbationis.

46 Vel quia ego non admitto puram omissionem liberam in Deo, imò nec in creatura: iudico enim tale exercitium, & rationale, & irrationale simul ex defectu motivi futurum: ac proinde repugnans. Vel quia ea admissa

ſententia, & reliquis, quæ ex ipſa inferuntur, non impugnat noſtrum principale intentum, quod eſt aſſerere Scientiam abſolutè tantùm neceſſariam, partim eſſe Scientiam approbationis, partim Scientiam ſimplicis notitiæ: quod autem reſpectu alicuius poſsibilis per ſe cauſabilis, non ſit Scientia approbationis, non excludit ab ea talem conceptum: cum reſtarent alia poſsibilia per ſe cauſabilia, reſpectu quorum ſit Scientia approbationis vel quia in ſententia aſſerente Deum complacere neceſſariò in poſsibilibus, quæ ob defectum malitiæ moralis, non repugnant eſſe obiectum divinæ complacentiæ; poſſet dici complacentiam in illa pura omiſsione fore neceſſariam, nec contra conceptum puræ omiſsionis eſt, quod detur erga ipſam actus divinæ voluntatis neceſſarius in exiſtendo; ſed liber, & qui ex libera determinatione ſe habeat, vt occaſio, & cauſa omiſsionis liberæ. Vel denique quia hoc ſecluſo, adhùc poſſet dici Scientia repræſentans puram omiſsionem liberam Dei, vt poſsibilem, Scientia approbationis, ex adiuncta omiſsione libera, ſi non formaliter, ſaltem interpretativè, & virtualiter ea ipſiſsima ratione, qua pura omiſsio libera dicitur virtualis volitio, & interpretativa tendentia affectiva ſui.

47 Deducitur quintò cõtra Izquierd. Scientiam abſolutè tantùm neceſſariam nõ coaleſcere ex pluribus actibus virtualiter intrinſecè diſtinctis, ſivè provt reſpicit veritates neceſſarias, pertintenes ad obiecta poſsibilia ſivè perſiſtentes abſoluta impoſsibilia. Cõſtat ex doctrina generali, qua nobis repugnans eſt omnis diſtinctio intrinſeca virtualis, tàm in creatis, quàm in divinis. Vnde ſic propono. Non magis diſtinguntur inter ſe actus pertinentes ad eandem Scientiam neceſſariam, quàm diſtinguuntur inter ſe actus proprij Scientiæ neceſſariæ, & contingentis: eſt manifeſtum, cum non tantam diſconvenientiæ apparentiam habeant inter ſe actus vnivoci ex neceſſitate ſui, & obiecti, quod reſpiciunt, quàm actus non convenientes in neceſſitate ſui, & obiecti, quorum alij neceſſarij ſunt ex duplici hoc titulo, & alij ex eiſdem capitibus contingentes: ſed actus Scientiæ contingentis, & Scientiæ neceſſariæ non diſtinguntur inter ſe diſtinctione vlla intrinſeca virtuali: ergo nec actus pertinentes ad eandem Scientiam abſolutè neceſſariam: vnde ſi aliqua diſtinctione vltra diſtinctionem rationis probentur diſtingui, ea erit tantum diſtinctio extrinſeca virtualis, & quæ cum convenientia prædicatorum optimè conciliatur.

48 Nec capio: quomodo adhùc admiſſa diſtinctione virtuali intrinſeca inter divinos actus, tres illæ veritates, quas aſsignat cuivis obiecto poſsibili; v. g. *Petrus eſt rationalis: ſi Petrus eſt rationalis eſt riſibilis: ſi Petrus extiterit, exiſtentialiter erit rationalis*; & cuivis impoſsibili; v. g. *Mendacium impoſsibile Dei ex conceptu ſuo eſt peccatum: ſi mendacium Dei eſt peccatum reprehenſione dignum eſt: ſi exiſtat mendacium Dei, aliquod peccatum Dei exiſtit*, probentur cognoſcendæ per actus virtualiter intrinſecè diſtinctos: Nam dato, quod conſtituant tres ſtatus obiectivos inter ſe diſtinctos, vt vult prædictus Author, inde non probatur diſtinctio vlla inter actus divinos Scientiæ propriæ talium veritatum: quia cum, & ſi obiecta ſint inter ſe diſtincta, nec ſint ſeparabilia, vtpotè ſuo modo neceſſaria, & deinde intelligantur in eodem ſigno, non eſt cur nequeant attingi per eundem actum Scientiæ realiter, & virtualiter, præcipuè quando inter actus divinos, & obiecta, quæ divina non ſunt, non ſit obſervanda proportio, vt multas, & ferè innumeras diſparitates inter ſe non patiantur.

DISPV-

JHS.

DISPUTATIO XIII.

PRÆVIA AD SCIENTIAM liberam, in qua de Physico constitutivo futuritionis rerum.

CVM præcipuæ difficultates, quæ in examine Scientiæ liberæ occurrunt ex ea, prout respicit futura absoluta, sicut, & ex medio, in quo illa cognoscit, procedant, præmitti debet accurata explanatio constitutivi physici futuritionis, quo constituto, vt fundamento super quod tota Societatis doctrina fabricatur, pervia erunt omnia pro Scientia Dei libera, & pro discrimine intercedente quoad ipsam inter nostrorum, & aliorum Scholas.

CAPVT I.

Notabilia, quæstionis sensus, & diversus modus opinandi, circa constitutionem futuri in esse talis, proponuntur.

1 IN quavis re existente in aliquo tempore, aut mensura, successiva triplex status consideratur: *Præsentis*, scilicèt, *Præteritæ*, & *Futuræ*, quorum mensura est tempus præsens, cui quod coexistit, dicitur *præsens*; quod præcessit, dicitur *præteritum*, quod subsequitur, dicitur *futurum*: quod videtur insinuasse Div. August. lib. 11. *Confessionum, cap.* 20. vbi omnia tempora reducit ad præsens, dicens: *Sed fortasse propriè diceretur tempora sunt tria: præsens de præteritis: præsens de præsentibus: præsens de futuris*, volens significare omnia tempora reduci ad præsens tanquam ad mensuram, dixi *In quavis re correspondenti tempori, aut mensuræ successivæ*. Nam si res, aut possit dari cum præcisione ab omni tempore, vel mensura successiva, cui correspondeat, vt aliqui intendunt, aut saltem sub tali præcisione consideretur, præcluditur locus distinctioni horum statuum in re existente, pro modo præcisionis aut in re, aut in consideratione. Ratio est clara: quia vbi non est locus *antè, nunc, & post* rei existentis, neque est locus existentiæ anteriori, neque existentiæ præsenti, neque existentiæ posteriori, essentialiter exactis pro præteritione, præsentia, & futuritione rei; sed in re non correspondente aut ex parte obiecti, aut in consideratione tempori, vel mensuræ successivè, non est locus *antè, nunc, & post* existentiæ illius: ergo neque est locus præteritioni, præsentiæ, & futuritioni ipsius: ac proinde nec distinctioni eorundem statuum re, vel ratione, provt fuerit præcisio.

2 Inter hos status rei correspondentis tempori, vel mensuræ successivæ ea est consideranda diversitas; quod status *præsentiæ, & futuritionis rei* semel quod sit, deperditur; at status *præteritionis* semel, quod fuerit, nunquam deperditur. Ratio diversitatis desumitur ex ipsa conditione statuum, & denominationum: siquidem id, quod semel fuit, in posterum semper verificatur *fuisse*, nec per carentiam illius in omnibus durationibus, aut mensuris, quæ succedunt rei, destruitur; sed potius in sua præteritione perficitur, & nunquam magis præteritum, ac quando carentia illius, quod se-

semel extitit, reliquis motivus qui succedunt, sit præsens: non sic in *præsentia, & futuritione*: propterea quod res præsens transacta mensura, in qua considerabatur præsens, iam non est præsens; sed præterita; & futuritio accedente tempore, pro quo relatè ad tempus præsens, res dicitur futura; vltra non progreditur, cum iam sit res præsens, & transacto illo tempore sit præterita. Nec vim facias in eo, quod apud aliquos futuritio consistat in aliquo diuino, defectibili tantum antecedenter; secus consequenter.

3 Quia ad nostrum intentum sat est ostendere rem, vt præteritam, semel, quod talis fuerit, non posse deficere; at vt præsentem, & futuram, semel, quod talis sit, posse deficere; sivè id proveniat ex defectu formæ denominantis, sivè ex defectu subiecti: nam quomodocumque id proveniat, semper subsistet obseruata diuersitas inter status præteritionis, præsentiæ, & futuritionis rerum, claudentes non modo formam denominationis, verùm, & subiectum denominatum.

4 Nec rursus arguas: ex dictis de præteritione inferri posibile aliquod contingens, essentialiter indestructibile à Deo: nempè præteritionem rerum, seu rem esse præteritam, quæ eo modo, quo semel ac sit, semper deinceps manet verificabilis; manet etiam indestructibilis in ratione talis. Vel quia conceptus contingens essentialiter indestructibilis, qui per destructionem rei positivæ constituitur, & nullam rem positivam, essentialiter indestructibilem includit, non repugnat: sicut non repugnat conceptus contingens rei deficientis in æternum, qui, vt defectus est rei in æternum, destrui nequit: aliàs esset defectus rei in æternum, & non defectus rei in æternum. Vel quia quid simile conceditur à Theologis communiter in contingenti positivo, vt est status beatificus, quem affirmant essentialiter perpetuum: ac proinde essentialiter indestructibilem, dicentes id nullum continere inconveniens, quando id quod ponitur indestructibile, non sic ponitur indiuisibiliter, & in determinato aliquo individuo; sed in disiuncto plurium: modo quo veritas contingens exclusiva duplicis contradictorij contingentis, nō est destructibilis in omni individuo, ne aliter duplex contradictorium contingens posit simul existere, aut simul deficere; quamvis in quovis determinato individuo valeat deficere; cum non sit necessarium determinatè, aut existere *Petrum*; v. g. aut dari *defectum* illius: qua ratione etiam dici potest, esse indestructibilem statum præteritionis, seu rei præteritæ, semel quod sit, nempè, non in individuo aliquo *determinatè, & indiuisibiliter* sumpto; sed in hac, vel illa rei præteritione pro diversitate mensuræ, quæ succedit post rei existentiam, taliter, vt verificetur, *carentia rei, quæ extitit anterius, in duratione hac præsenti deficiet*; cæterùm non deficiet carentia rei, quæ semel extitit in duratione aliqua præsenti, quia semper post rei existentiam in aliqua duratione anteriore, erit aliqua mensura præsens, cui correspondeat defectus rei, provt existentis in tali anteriore duratione.

5 Id quod diximus de statu *præteritionis*, comparato cum statu *præsentiæ, & futuritionis*, quoad desitionem, dicendum est suo modo de statu *futuritionis*, comparato cum statu *præsentiæ*, & *præteritionis*, quoad inceptionem. Itaque licèt status *præsentiæ, & præteritionis*, semel quod sint in determinata duratione incipiant; at futuritionis status semel quod sit, semper suo modo extitit. Ratio est: nam semel quod de aliqua re, relatè ad aliquam mensuram præsentem, verificetur post extituram, in omnibus mensuris, & durationibus antecedentibus ad illam idem verificatur: id est entitatem illam esse extituram in duratione posteriori; sed rem extituram in duratione posteriori ad præsentem, est esse futuram: ergo semel, quod status futuritionis suo modo existat, ante fine termino eodem modo extitit. Non sic *præsentiæ*, aut *præteritionis* status, propterea quòd hi non incipiant, ante quam res coexistat mensuræ, quæ sit præsens, sicut nec verificatur, donec adveniat: *rem esse præsentem*, aut antequam accedat mensura posterior ad rei existentiam, sicut nec verificatur *rem fuisse*.

6 Hæc non inceptio, sivè æternitas futuritionis, semel, quod suo modo detur, vindicanda est ab inconvenienti, pariter ac non desitio *præteritionis*: vnde si inferant, vt absurdum, aliquid contingens non incipiens, & quodammodo æternum à parte antè; dicendum est, illud non continere, quando contingens non incipiens claudit exclusionem rei pos-

positivæ ab æterno, & non includit rem aliquam positivam existentem ab æterno: sic in sententia probabili admittente possibilem creaturam permanentem, ab æterno existentem contingenter, defectus talis rei, vt existentis ab æterno, qui modo datur, est conceptus obiectivus contingens existens suo modo ab æterno; & quidem necessariò, semel, quod aliquando sit talis conceptus, aliàs semel verificato existere defectum rei ab æterno existentis, posset aliquandò à parte antè ita deficere, vt in tempore incipieret, quod esset per consequens, rem non deficere ab æterno, quando ab æterno deficit. Vel si placet iuxta secundam aliam solutionem, poterit etiam dici non repugnare aliquid contingens, non incipiens in tempore, quando æternitas à parte antè non competat alicui contingenti indivisim, & in individuo determinatè accepto; sed vagè, & indeterminatè in hac, vel illa futuritione, sicut dictum est de præteritione: nam & si hæc futuritio, quæ determinatum *non esse* in determinata mensura antecedente existentiam rei, deficiat ab æterno, non tamen deficit in sensu composito deficiendi ab æterno omnem futuritionem rei, quæ semel est futura.

7 Inde patet alia differentia, conveniens prædictis statibus, videlicèt statui *futuritionis* in esse talis posse convenire *præsentiam, & præteritionem reflexam*, sed non *futuritionem*: deinde statui *præteritionis* posse convenire *futuritionem, & præsentiam reflexam*; sed non *præteritionem*, & demum statui *præsentiæ* posse convenire *præsentiam, præteritionem, & futuritionem reflexam*: constat primum: quia de statu futuritionis ante existentiam rei futuræ verificatur præsentia eo modo, quo de præsenti verificatur rem esse futuram; dum autem res existit, aut postquam extitit, verificatur præteritio eo modo, quo verificatur rem fuisse aliquando futuram; at nunquam verificatur futuritio: quia vt verificaretur futuritio futuritionis erat necessarium, quod verificaretur *rem esse futuram, esse futurum*; sed quoties verificatur res futura, futuritio est præsens suo modo, & non futura: ergo de futuritionis statu non potest verificari futuritio: ac per consequens nec potest ei convenire.

8 Constat secundum. Nam status *præteritionis* antequam res existat, & dum existit, est futurus eo modo, quo verificatur *rem non dum fuisse*, & post *quod fuerit*, erit verificandum, postquam autem res existit, habet præteritio suam præsentiam, sicut tunc verificatur de re *esse præteritam*; at nunquam verificatur *præteritio*: sicut nunquam verificatur de re, quæ fuit, *non fuisse*. Constat tertium propterea quòd status *præsentiæ* antequam res existat est *futurus*: sicut verificatur de re *futuram esse correspondentem mensuræ præsenti*; dum res existit verificatur *esse præsentem*: sicut verificatur de re *correspondere durationi præsenti*; & denique verificatur postquam res existit, *esse præteritam*: sicut verificatur de re *correspondisse durationi præsenti, seu, quæ præsens* fuit. Distinctionem istam observatam inter rerum status, nobis ex parte reliquit Anselmus lib. de Concordia *præscientiæ cum libertate* columna 2. illis verbis: *In re præterita est quoddam, quod non est in re præsenti, vel futura. Nunquam enim fieri potest, vt res, quæ præterita est, fiat non præterita: sicut res quædam, quæ præsens est, potest fieri non præsens, & aliqua res, quæ non necessitate futura est, potest fieri, vt non sit futura.*

9 Quæ vt rectè intelligantur, oportet non confundere status directos, & reflexos: nam licèt status futuritionis possit esse status præsentiæ, & præteritionis sui; secus status futuritionis; at respectu rei, quam constituit futuram, procedit inverso modo, cum non valeat esse status præteritionis, aut præsentiæ illius; sed duntaxat futuritionis: pariter status præteritionis, & si possit esse præsentia, & futuritio sui; at respectu rei, quam constituit præteritam, nec potest esse status futuritionis, aut præsentiæ; sed tantùm præteritionis. Vltimò licèt status præsentiæ possit habere statum præsentiæ, futuritionis, & præteritionis sui; at respectu rei, quam constituit præsentem, non potest habere statum alium, quàm præsentiæ ipsius. Si inde tibi pullulent infinitæ reflexiones statuum, quid inde? Percurre quas volueris, aut potueris, & ibi siste, vel ostende quid falsitatis sit in dictis, vt possint evitari.

10 Iam futurum, quod ex præmissis constat esse illud, quod in existendo correspondet mensuræ, & durationi, posteriori ea, cui de præsenti coexistimus, tria aut connotativè, aut constitutivè, aut in recto, aut in obliquo, essentia-

tialiter dicit: vnum, existentiam rei, quæ futura dicitur: siquidem illud quod nullam habet existentiam, potius non futurum; quam futurum dicitur: alterum, durationem posteriorem hac præsenti, cui correspondeat: nam futurum esse non potest, quod non est post extiturum; sed ly *post extiturum* nihil aliud est, quàm duratio posterior, cui correspondeat: ergo dicit essentialiter durationem posteriorem ad eam, quæ de præsenti fluit: tertium, *mensuram, & durationem præsentem*: propterea quod futurum eo modo, quo futurum est, nunc non existit; sed nunc non existere includit essentialiter mensuram præsentem, cui correspondeat defectus: ergo dicit essentialiter durationem præsentem.

11 Futurum aliud dicitur *positivum*, aliud *negativum*. Vtraque denominatio sumitur ex conditione rei, quæ dicitur futura: nam si positiva sit in suo esse, vt homo, lapis, leo, est futura positivè; si verò negativa sit in suo esse, quomodo est defectus rei positivæ est futura negativè. Vtrumque dividitur in *absolutum, & conditionatum*: futurum absolutum est, quod ita erit, vt provt tale, non sit componibile cum defectu absoluto rei in duratione, aut mensura posteriore; v. g. *dies crastinus*. Futurum conditionatum; quod ita erit si ponatur aliqua conditio, vt provt tale, componibile sit cum defectu absoluto rei, in omni duratione posteriori, saltem provt coniunctæ cum tali conditione; v. g. *Si existat libertas* A. *in Petro, existet consensus*, quæ realitas obiectiva, quamvis nunquam detur consensus sub libertate *A*, quia libertas *A*, nunquam existat, eadem permanebit: ac per consequens consensus denominabitur futurus conditionatus, quamvis cum carentia absoluta sui semper, & pro semper coniungatur: inde colligitur vnam, & alteram futuritionem, absolutam scilicèt, & conditionatam, non esse incomponibilem respectu eiusdem rei; imò de eadem posse verificari esse conditionatè, & absolutè futuram, vt videre est in exemplo appositio consensus conditionatè futuri sub libertate *A*. cuius conditio, si non purificetur, remanebit tantum conditionatè futurus; at si conditio sit purificanda, erit simul futurus conditionatè, & futurus absolutè. Et ratio est: quia præcisio ab existentia absoluta, absolutè sumpta, vnius rei secundum vnum statum, non pugnat cum determinatione ad existentiam absolutam rei, absolutè sumptam, secundum alium statum eiusdem rei, vt constat in statibus possibilitatis, & existentiæ absolutæ convenientibus eidem rei, contingenter existenti, quæ secundum statum possibilitatis, est componibilis cum defectu absoluto sui, & secundum statum actualitatis, & existentiæ est determinata ad existentiam absolutam taliter, vt non sit componibilis cum defectu absoluto sui.

12 Hinc obiter veniunt impugnandi omnes illi, qui vt Thomistæ non raro cum Machin in 1. partem disp. 33. initio, & Cabrera in 3.p. quæst. 1. art. 3. disp. 1. §, 18. num. 281. futurum conditionatum sic explicant, vt includat in suo conceptu non existentiam absolutam rei conditionatè futuræ: quare dicunt: futurum conditionatum illud esse *quod nunquam erit, esset tamen si poneretur aliqua conditio*: quare respectu rei absolutè existentis, & futuræ nullam concedunt futuritionem conditionatam: id autem mihi valdè difficile est, imò imperceptibile: nam, & si futurum conditionatum ex se præscindat ab existentia absoluta rei, conditionatè futuræ, absolutè sumptæ, sitque componibile cum defectu absoluto illius, non tamen est incomponibile cum existentia absoluta illius absolutè sumpta, nec determinatum ad defectum absolutum illius: aliter status conditionalis futuri, seu conditionalis veritas ipsius esset planè nugatoria, & destructiva sui: quod sic suadere intendo.

13 Omnis status conditionalis rei, qui non connectitur absolutè cum existentia conditionati, sub purificatione conditionis, est status conditionalis nugatorius, & destructivus sui: sed omnis status conditionalis futuri conditionati, includentis defectum absolutum rei, conditionatè futuræ, est status conditionalis rei, qui non connectitur absolutè cum existentia conditionati, sub purificatione conditionis: ergo est status conditionalis nugatorius, & destructivus sui. Discursus rectus est, & mai. certa: siquidem omnis status conditionalis in tantum talis est, in quantum non est componibilis cum defectu conditionati sub existentia conditionis: si enim cum tali defectu componibilis foret, non magis

gis ipso dato verificaretur, quod si existeret conditio, existeret conditionatum. quàm oppositum illius: ac per consequens non magis esset status conditionatus rei, quàm non conditionatus; sed eo modo, quo est incomponibilis cum defectu conditionati sub existentia conditionis, est determinatus, & connexus absolutè cum existentia conditionati, sub existentia conditionis: ergo omnis status conditionalis rei, qui non connectitur absolutè cum existentia conditionati sub existentia conditionis est status conditionalis nugatorius, & destructivus sui.

14 Probo igitur min. primi syllogismi. Status conditionalis constitutus per carentiam absolutam conditionati est status conditionalis, qui pro nullo casu possibili exigit absolutè existentiam conditionati sub existentia conditionis; sed status conditionalis de conditionato possibili, qui pro nullo casu possibili exigit absolutè existentiam conditionati sub existentia conditionis, est status conditionalis, qui non connectitur absolutè pro vllo casu possibili cum existentia conditionati sub purificatione conditionis: ergo omnis status conditionalis futuri conditionati includens defectum absolutum rei conditionatè futuræ, est status conditionalis rei, qui non connectitur absolutè cum existentia conditionati sub purificatione conditionis. Prob. mai. omnis casus possibilis status conditionalis constituti per carentiã absolutã conditionati est casus purificationis cõditionis, aut non purificationis conditionis: patet, quia omnis casus possibilis est casus non præscindens ab existentia vnius ex cõtradictorijs; sed status conditionalis constitutus per defectum absolutum conditionati, neque exigit absolutè conditionatum sub existentia conditionis pro casu purificationis conditionis, neque pro casu non purificationis conditionis: ergo status conditionalis constitutus per carentiam absolutam conditionati est status conditionalis, qui pro nullo casu possibili exigit absolutè existentiam conditionati sub existentia conditionis.

15 Min. in qua stat difficultas, probatur quoad vtramque partem, quã continet: quoad primam, status conditionalis constitutus per defectũ absolutum conditionati est talis qui si existat conditionatum sub purificatione conditionis, nunquam fuit: alias coniungeretur status conditionalis cum existentia conditionati, & illius, quod dicitur conditionatè futurum, quod negas, cum dicas respectu illius, quod aliquando existit, non dari futuritionem conditionatam; sed illius, quod nunquam fuit, non datur terminus absolutæ connexionis: ergo si pro casu existentiæ conditionati sub purificatione conditionis nunquam fuit status conditionalis constitutus per defectum absolutum conditionati, status conditionalis constitutus per defectum absolutum conditionati non exigit absolutè conditionatum sub existentia conditionis pro casu purificationis illius. Secunda pars evidentior est, vel, vt melius dicam, evidentissima. Etenim exigere absolutè existentiam conditionati sub purificatione conditionis pro casu, quo non purificatur conditio, est exigere absolutè conditionatum sub existentia conditionis modo repugnanti: sed existentia conditionati sub existentia conditionis modo repugnante, neque est, nec potest esse terminus connexionis absolutæ possibilis, qualis debet esse, quæ residet in statu conditionali futuri conditionati possibilis: ergo neque exigit absolutè status conditionalis futuri conditionati constitutus per defectum absolutum rei conditionatè possibilis existentiam conditionati sub purificatione conditionis cõditione non purificata, seu pro casu possibili non purificationis conditionis. Nec effugium tibi erit, si dicas: statum conditionalem non constitui per defectum conditionati; sed tantùm essentialiter illum requirere: quia argumentum propositum æquè vrget pro requisitione, quàm pro constitutione.

16 Confirmatur primò. Omnis connexio conditionata, quæ non sit practica in exigendo absolutè conditionatum pro aliquo casu possibili, est connexio nugatoria, & quæ nomen connexionis conditionatæ non meretur: sed connexio conditionata constituta per defectum absolutum conditionati, est connexio, quæ non est practica in exigendo absolutè conditionatum pro aliquo casu possibili: ergo est connexio conditionata nugatoria, & quæ nomen connexionis conditionatæ non meretur. Maior est certa. Nam connexio, quæ non sit practica in exigendo absolutè conditionatum, nullum respicit casum possibilem fa-

faciendi ſibi debitum abſolutè conditionatum: ac perconſequens, tàm erit ſibi pertinens, quàm impertinens exiſtentia conditionis ad exiſtentiam abſolutam conditionati; quod ſi non ſit eſſe nugatoriam conditionalem, neſcio quid nugatorium apprehendi poſsit. Prob. min. Non eſt practica in exigendo abſolutè pro caſu vllo poſsibili connexio illa, quæ pro omni caſu poſsibili aut non exiſtit, aut non exigit abſolutè exiſtentiam conditionati: ſed connexio conditionata conſtituta per defectum abſolutum conditionati pro omni caſu ſibi poſsibili, aut non exiſtit, aut non exigit abſolutè exiſtentiam conditionati: quia omnis caſus poſsibilis eſt, aut caſus exiſtentiæ conditionis, pro quo non exiſtit; aut caſus non exiſtentiæ conditionis, pro quo non exigit abſolutè conditionatum: ergo connexio conditionata conſtituta per defectum abſolutum conditionati eſt connexio, quæ non eſt practica in exigendo abſolutè conditionatum pro aliquo caſu poſsibili.

17 Confirmatur ſecundò. Veritas, aut connexio conditionalis, quæ per purificationem ſuæ conditionis ita evaneſcit, vt purificatio conditionis ſit argumentum irrefragabile non exiſtentiæ prædictæ connexionis, & veritatis conditionalis, ſicut de eo, quòd talis conditio non habet, nec vnquam habuit rationem conditionis reſpectæ ab illa connexione, & veritate conditionali, eſt veritas, & connexio conditionalis potius irridenda, quàm vt talis ſeriò æſtimanda: ſed veritas, aut connexio conditionalis conſtituta per defectum abſolutum conditionati (idem dic de requirente eſſentialitèr talem defectum, vt iam notavimus) eſt connexio, aut veritas conditionalis, quæ per purificationem ſuæ conditionis ita evaneſceret, aut diſpareret, vt purificatio conditionis eſſet argumentum irrefragabile non exiſtentiæ prædictæ connexionis, & veritatis conditionalis: ſicut de eo, quod talis conditio non habet, nec vnquam habuit rationem conditionis reſpectæ ab illa connexione, & veritate conditionali: ergo eſt connexio, & veritas conditionalis potius irridenda, quàm vt talis ſeriò appretianda.

18 Explicatur exemplo. Ridicula omninò foret cenſenda promiſsio conditionalis; v.g. *Dabo tibi librum, ſi petas*, ita connexa cum defectu donationis libri, aut per talem defectum conſtituta, vt quoties accedat caſus petendi librum nunquam fuerit talis promiſsio, nec petitio libri vnquam fuerit reſpecta per talem promiſsionem: patet, nam promiſsio illa conditionata, qua data in omni caſu poſsibili, ſivè petas, ſivè non petas, poſſum tibi negare librum, eſt promiſsio conditionata plus adhùc contemnenda, quàm ſi tibi promitterem impoſsibile; ſed connexio illa, & veritas conditionata aut conſtituta per defectũ abſolutum conditionati, aut ſaltem ipſum eſſentialiter prærrequirens, eſt connexio, & veritas cõditionalis omninò ſimilis dictæ promiſsioni: ergo pariter, ac ipſa in ratione connexionis, & veritatis conditionalis contemnenda, & vt ſe ipſam falſificans, & deſtruens, reputanda. Diſparitatem enim nullam invenio, & iudico cuiquam non facilè occurſuram: conſtet ergo ſtatus futuritionis abſolutæ, & conditionatæ non eſſe reſpectu eiuſdem rei, ſivè poſitivæ, ſivè negativæ incomponibilis. An verò in tali coniunctione ſemper intercedat aliqua præcedentia vnius ſtatus ad alium, ſivè in ſubſiſtendi conſequentia, ſivè aliter, ad rem non eſt, cum ea præcedentia, ſi fuerit, non tollat conveniențiam vtriuſque ſtatus reſpectu eiuſdem rei, quod ſolum modò intendimus, & perſuadere conati ſumus.

19 Dividitur futurum ſivè poſitivum, ſivè negativum, ſivè abſolutum, ſivè conditionatum in *contingens*, & *neceſſarium*. *Abſolutum contingens eſt, quod ita erit, vt poſsit ſimiliter eſſe futurus eius defectus*; v.g. *Petrus peccabit cras*: *conditionatum contingens eſt illud, quod erit ſub conditione non connexa cum eius exiſtentia*; v. g. *Si exiſtat libertas A. in Ioanne, ellicie t actum charitatis*. Quod quidem ſubdividitur in *conditionatum contingens de conditione pertinente*, ſeu *non purè coniunctivè ſe habente ad conditionatum*, & *de conditione diſparata*, ſeu *purè coniunctivè ſe habente ad conditionatum*: exemplum primi ſit conditionalis iam immediatè expreſſa; ſecundi verò hæc conditionalis: *Si Petrus ſaltet, Ioannes dormiet*. Contingentia futuri poteſt eſſe *abſoluta*, & *ex ſuppoſitione*: contingentia *abſoluta* futuri ſivè abſoluti, ſivè *conditionati* ea erit quando futurum abſolutè poteſt deficere: contingentia ex *ſuppoſitione*, quandò adhùc facta aliqua ſuppoſitione ita erit ſub ipſa, vt ſub ipſa potuerit non correſpondere

du-

durationi posteriori: ac per consequens non esse futurum. Futurum *necessarium* illud dicitur, si absolutum sit, *quod ita erit, vt non possit ita non esse*; v. g. *Defectus alterius Dei, & defectus cuiusvis impossibilis*: conditionatum *necessarium* est, *quod ita sub conditione existet, vt conditio cum ipso connectatur*; v.g. *Si existat vnio, existent extrema: si existat actio, existet terminus illius.* Iam cum necessitas rebus conveniens triplicem gradum contineat: nempè, *moralis, physicæ, & metaphysicæ*: futurum, sivè absolutum, sivè conditionatum, quod *necessarium sit*, totidem modis potest dici *necessarium*, aut *moraliter*, aut *physicè*, aut *metaphisicè*: & insuper aut necessarium *absolutè*, aut *ex suppositione* sicut de contingentia diximus. Aliter futurum *necessarium* dicitur non provt opponitur *contingenti*; sed provt opponitur *libero*: & sic futurum *necessarium* erit, quod, & si valeat non existere; tamen existet à causa necessariò operante, vt productio futura caloris à virtute futura ignis: inde vides, quòd etsi omne futurum *liberum* sit *contingens*; non tamen *omne contingens* est *liberum* respectivè ad omnem causam cui est contingens: nam respectu alicuius omne contingens debet esse liberum: cum omne contingens à libertate divina dependeat, vel positivè, vel permissivè.

20 In omnibus præmissis acceptionibus futurum esse potest, aut *purum*, aut *non purum*. *Purè futurum* est *quod ita erit, vt specificativè, & ex parte subiecti* denominati futuri non habeat *existentiam*. v.g. *Dies crastinus*, & quodcumque aliud successivum, quod futurum sit: *Non purè futurum, quod ita erit, vt specificativè, & ex parte subiecti suscipientis denominationem futuri, habet existentiam in præsenti mensura*, vt quando de re, quæ nunc existit, verificatur, quod erit sivè absolutè, sivè conditionatè, sivè contingenter, sivè necessariò. Dixi *specificativè*: id est, secundùm subiectum, quod denominatur *futurum*: nam res reduplicativè *provt erit*, nunquam potest existere de præsenti, ne aliter, *prout futura*, talis non esset; sed præsens potiùs diceretur. Nec obstat, quòd dixerimus, statum futuritionis habere suam præsentiam, vnde videtur inferri: *rem provt futuram esse præsentem* Nam præsentia, quam concessimus statui futuro, *vt tali*, non est præsentia physica; sed moralis, & virtualiter tantùm physica, consistens in eo, quod constitutiva denominationis, quæ physicè non dantur, in ordine ad tribuendam de præsenti denominationem *futuri* se habeant eodemmodo ac illa, quæ physicè existunt, & physicè tribuunt denominationem subiecto, quæ omnia componuntur absque præsentia physica rei sivè positivè, sivè negativè, provt correspondentis durationi posteriori, quod solum intendimus excludere.

21 Vltimò: futurum, omnibus dictis modis vsurpatum potest considerari *formaliter*, & *determinativè*. Futurum *formaliter tale, est illud, quod formaliter erit* sivè positivè, sivè negativè, sivè absolutè, sivè conditionatè: sivè contingenter, sivè necessariò: sivè purè, sivè non purè. Futurū verò *determinativè, quævis determinatio distincta à re futura* sivè quæ se teneat ex parte causæ, sivè quę aliunde existat vt quomodocumque connexa cum eo, quod aliquid sit futurum modo, quo actio connexa cum termino, & ignis determinatus ad comburendum, dicuntur terminus, & combustio non quidem *formaliter*; sed *connexivè*: *arguitivè*, & *determinativè* tanquam id ex quo infertur formale alterius. In hoc futuro *determinativè* pro modo determinationis, quæ potest esse aut moralis, aut physica, aut metaphysica, vt de necessitate diximus, possumus observare easdem differentias, secundū gradus determinationis: quomodo futurum *determinativè* iam erit futurum moraliter, physicè, aut metaphysicè.

22 Pro modis explicatis, quibus se habent futura ducimur in cognitionē illius, quod se habeat, vt ratio constitutiva futuri in esse talis, & quod se habeat, vt forma denominans futurum in esse talis: nam sicut in reliquis denominationibus, & est subiectum, quod sic, vel aliter denominatur, & illud, quod per sui communicationem re, vel ratione reddit illud sic denominatum; v.g. in denominatione *albi, frigidi, & calidi*, & sua proportione in reliquis denominationibus moralibus, aut metaphysicis: sic in denominatione *futuri*, & est illud, quod tale denominatur, & quod propterea dicitur subiectū denominationis, & est id, cui debet taliter constitui, & denominari: quod quidem dicitur forma futuri, & ab effectu communicato dicitur *futuritio*. Hæc, tot modis venit consideranda, ac dividenda, ac ipsum futurum: nam si ratio est, vt futurum constituatur sub prædictis divisionibus, eam eisdem diversi-

tatibus, & distinctionibus subesse, est clarum.

23 Inde futuritio venit dicenda *positiva*, & *negativa* pro esse positivo, aut negativo rei, quæ dicitur futura: *absoluta*, & *conditionata*: *contingens*, & *necessaria*, & sub his considerationibus *moraliter*, *physicè*, & *metaphysicè*: *absolutè*, & *ex suppositione*: *pura*, & *non pura*: *formalis*, & *determinativa*, & pro modo determinationis: iterum *moralis physica*, & *metaphysica*. Hanc dari tam constans est, ac esse futura, quæ sine constitutivo sibi proportionato, & ratione formali sibi accõmodata, in suo esse nequeunt consistere. Cæterùm, quamvis certum nobis sit, dari formam proportionatam futuris, tamen eam designare, & constitutionem futuri in esse talis discernere, non est tam facilè: imò acri expositum controversiæ, quæ tota reducitur ad investigandum, quidnam sit istud, quod dicitur *futuritio*, & *forma futuri*? An scilicèt sit aliquid de præsenti existens, & tempori omni, quo futurum tale dicitur, correspondens: ac per consequens: an futurum pro sua constitutione in esse physico, aut quasi physico illius, requirat aliquid formaliter, & constitutivè ad ipsum pertinens, quod toto tempore anteriori ad existentiam rei in quo dicitur futura, existat: an secus omni existenti præciso salvetur constitutio cuiusvis futuri: ac per consequens futuritio, seu forma futuri ab omni præsenti sit distincta.

24 In qua certum est primo: in omni futuro intervenire aliquid negativum de præsenti, scilicèt defectum ipsius, provt correspondentis durationi, & mensuræ posteriori: est tam clarum, ac est clarum, quod duratio posterior, & successivè ad durationem præsentem existens non coexistit mensuræ præsenti; sed nulli non præsenti datur coexistentia de præsenti: ergo coexistentia rei futuræ, ad durationem posteriorem non est de præsenti: at illius, quod non datur de præsenti, datur defectus de præsenti: ergo coexistenti rei futuræ provt correspondentis durationi posteriori datur defectus de præsenti: ac per consequens aliquid negativum, quod formaliter excludat prædictam coexistentiam. Aliter idem ostenditur. Futurum ea ratione, qua dicitur futurum, non existit physicè de præsenti: cum nihil nobis physicè præsens, provt tale dicatur futurũ: sed quod physicè non est præsens, physicè deficit, & provt physicè deficit, physicè habet exclusivum de præsenti, quod aliquid negativum est de præsenti: ergo in omni futuro includitur aliquid negativum de præsenti. Nec obstat, quod futurum sit in suo esse provt correspondens durationi, & mensuræ posteriori aliquid negativum; v. g. *defectus hominis*, qui moriturus est, cuius carentia futura est. Nam licèt id quod dicitur futurum, sit in suo *esse* aliquid negativum, cui pro defectu absoluto correspõdeat aliquid positivum; at semper, vt tale denominetur, necessarium est intervenire de præsenti defectũ ipsius, vt correspondentis durationi posteriori, idque semper etiam includit negativum, excludens à mensura, & duratione præsenti mensuram, & durationem posteriorem.

25 Hoc negativum, sivè defectus iste de præsenti, quem intervenire in omni futuro, vt certum statuimus, aliquando erit defectus purè respectivus rei futuræ; aliquando defectus absolutus: differentia ista præsentis defectus provenit à conditione futuri, quod in se sit *purè futurum*, aut *non purè futurum*: etenim quando id quod futurum dicitur, sivè positivũ, sivè negativum sit, est *purè* futurum, defectus, qui defacto datur, nõ est purè respectivus; sed absolutus. Ratio est: quia defectus absolutus rei, sivè positivæ, sivè negativæ ille dicitur, quo excluditur esse rei de præsenti, & non tantùm reduplicativè, provt correspondens alicui durationi, & mensuræ; sed quando futurum *purè* futurum est, semper excluditur de præsenti, secundùm esse absolutum, quod habet, vt constat ex ipsa acceptione *purè futuri*: ergo quando futurum *purè* tale est, datur de præsenti defectus absolutus, & non purè respectivus ipsius. At quando futurum non est *purè tale*, defectus ipsius, qui de præsenti datur, erit defectus purè respectivus, & non absolutus. Ratio est: quia defectus purè respectivus rei, sivè positivæ, sivè negativæ dicitur ille, qui excludit rem, non secundum esse absolutum, quod habet; sed reduplicativè provt correspondens alicui durationi; sed quando futurum non est *purè* tale, non deficit de præsenti esse absolutum rei futuræ; sed tantùm provt reduplicat aliquam durationem, vt constat etiam ex acceptione futuri *non purè* talis: ergo defectus, qui de præsenti datur *futuri non purè* talis, est defectus tantùm respectivus; non absolutus.

In-

26 Inde certum est secundò: quod quando futurum *non purè tale* est res in suo esse positiva, provt futurum tale est, includit semper aliquid positivum de præsenti. Ratio est clara: quia futurum positivum *non purè tale* illud dicitur, quod specificativè secundùm esse positivum, quod habet, defacto existit; sed id quod secundùm suum esse positivum defacto existit, sine aliquo positivo de præsenti nequit dari: ergo quando futurum, *non purè* tale est rei in suo esse positivæ, prout futurum tale est, includit, & dicit essentialiter aliquid positivum de præsenti: per oppositum accidit *futuro negativo*, seu *rei in suo esse negativæ*, quod quidem quando *purè* tale est, requirit de præsenti aliquid positivum; at quando *non purè* tale est, nihil positivum de præsenti requirit; sed per negativum fit ei satis. Ratio primi est: quia futurum negativum *purè* tale dicitur, quod secundùm suum *esse* negativum, ita durationi posteriori correspondet, vt de præsenti secundùm suum esse negativum specificativè acceptum non existat; sed esse negativum specificativè acceptum defacto non existit, nisi existat positivum illud, cum quo formaliter opponitur: ergo futurum negativum, quando *purè* tale est, requirit de præsenti aliquid positivum. Ratio secundi iam innotescit: quia futurum negativum *non purè* tale est, quod secundùm suum esse negativum specificativè acceptum defacto existit: sed esse negativum, vt defacto sit specificativè acceptum, nihil positivum requirit: ergo futurum negativum non purè tale nihil positivum requirit.

27 Certum est tertiò. In omni futuro absoluto contingenti, sivè positivo, sivè negativo intervenire aliquid divinum de præsenti, quod est exercitium divinæ voluntatis: nam aut tale futurum existit vnicè pro determinatione, & influxu Dei, aut pro determinatione, & influxu creaturæ. Si pro determinatione, & influxu vnico Dei: indiget determinatione aliqua divinæ voluntatis, quæ cum non sit in tempore; sed ab æterno, per consequens antecedit semper, vt præsens existentiam futuri: si pro determinatione, & influxu creaturæ: cum neque determinatio, neque influxus creaturæ dari valeat absque concursu divinæ Omnipotentiæ, quæ non nisi liberè applicata per exercitium divinæ libertatis concurrit, hoc exercitium voluntatis applicativum Omnipotentiæ, vt in tempore simul cum creatura concurrat, dabitur ab æterno. Vnde semper antequam existat futurum, cuique mensuræ præsenti coexistit; quo dato, iam erit aliquid de præsenti, quod si ab esset, futurum, tàm positivum, quàm negativum tale non esset: ergo in omni futuro absoluto contingenti, sivè positivo, sivè negativo intervenit de præsenti aliquid divinum, quod est exercitium voluntatis divinæ.

28 Certum est quarto. Futurum absolutum necessarium necessitate metaphysica nullum esse, quin detur aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro. Constat: quia id quod est futurum absolutum necessarium necessitate metaphysica est simpliciter secundùm suum esse specificativè sumptum æternum, & indefectibile; sed omne æternum, & indefectibile requirit aliquid de præsenti connexum cum futuritione sui: ergo futurum absolutum necessarium necessitate metaphysica nullum est quin detur aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro. Consequentia tenet, & min. est certa: quia omne metaphysicè indefectibile debet semper existere: ergo debet esse præsens, & connexum cum eo, quod nunquam deficiat, quod idem est, ac esse connexum metaphysicè cum correspondentia sui ad durationem posteriorem. Prob. mai. Omne futurum absolutum metaphysicè necessarium, aut Deus est, aut defectus rei impossibilis; sed tàm Deus, quàm defectus rei impossibilis æternus, & indefectibilis est: ergo futurum absolutum necessarium necessitate metaphysica est simpliciter secundùm suum esse specificativè sumptum æternum, & indefectibile. Id quod diximus de futuro absoluto necessario necessitate metaphysica pariter dicendum est de omni illo futuro, quod & si contingenter existat, est tamen res, aut conceptus, qui, si semel existat ab æterno, & in æternum existit, vt sunt *actus Dei contingentes*: hi enim ex sua essentia tales sunt, vt si de futuro existant, non possint non esse secundùm suum esse specificativè acceptum præsentes toto futuritionis tempore, vt per se patet; aliàs æterni non essent.

29 Certum est quintò. Omne futurum absolutum, cuius subiectum denominatum sit *conservatio rei*, seu res conservata non posset dari sine aliquo

de præſenti exiſtenti in aliquo inſtanti futuritionis; eſt clarum : omne tale futurum requirit eſſentialiter primam exiſtentiam rei conſervandæ ; ſed prima exiſtentia rei conſervandæ eſt aliquid præſens in aliquo inſtanti futuritionis : quia dum primò exiſtit res conſervanda , verificatur adhùc futuram eſſe ipſam rem, *vt conſervatam*: ergo omne futurum abſolutum, cuius ſubiectum denominatum ſit conſervatio rei, ſeu res conſervata, non poteſt dari ſine aliquo de præſenti exiſtenti in aliquo inſtanti futuritionis: & quidem non vt cumque; ſed vt conſtitutivum rei in eſſe futuræ, *vt conſervatæ*: conſtat etiam ſubillatio , ex eo , quod res , vt conſervata, ſit denominatio proveniens à prima exiſtentia rei : ergo ſi , vt ſit futura res in ratione conſervatæ requiritur de præſenti exiſtentia rei tempore futuritionis , requiritur non vtcumque aliquid de præſenti ; ſed vt conſtitutivum rei in eſſe futuræ, vt conſervatæ.

30 Certum eſt ſexto. Reſpectu cuiuſvis futuri, quomodocumque accepti datur aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro, & pertinens ad intellectum divinum. Ratio eſt : quia, vt conſtabit ex dicendis, Deus habet Scientiam infallibilem futurorum , ſivè hæc ſint abſoluta, ſivè conditionata , ſivè poſitiva , ſivè negativa , ſivè cuiuſcumque alterius generis ſint iuxta diviſiones traditas ſed Scientia divina de futuris , vt potè æterna, eſt aliquid de præſenti exiſtens toto futuritionis tempore, & vt potè infallibilis , eſt connexa metaphyſicè cum eventu futuro , quem repræſentat : ergo reſpectu omnis futuri quomodocumque accepti datur aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro , & pertinens ad intellectum divinum.

31 Certum eſt ſeptimò. Aliquando ex parte cauſarum , ſivè naturalium , ſivè liberarum dari de præſenti determinationem ad eventum futurum aut abſolutum, aut conditionatum : ſic præſentes cauſæ naturales ſolent eſſe de præſenti ita diſpoſitæ , aut determinatæ, vt indicent futuram abſolutè pluviam, aut futuram eclypſim : ſic etiam ignis, dum exiſtit , eſt determinatus de præſenti , vt , ſi detur poſt applicatio materiæ combuſtibilis , ſit combuſtio: ſic etiam in homine ex ſua indole vehementer iracundo datur de præſenti talis diſpoſitio , & determinatio ad iraſcendum , vt prudenter abſolutè iudicari poſsit lapſurum in actionem aliquam violentam , & crudelem , aut ſaltem, quod ſi ſe offerat hæc, vel illa occaſio, rapietur ab ira : quomodo ex vehementi , & ardentiſsimo affectu erga aliquem finem, & ex efficaciſsimo propoſito iterum non labendi in aliquod peccatum colligimus in poſterum futuram aſſequutionem finis , & futurum defectum peccati: hæ tamen determinationes , ſecluſo omni divino connexo cum eventu futuro, non ſunt determinationes pluſquàm morales, aut ad ſummum phiſicæ, vt effectus ſit futurus abſolutè, vel conditionatè. De his determinationibus dixit D. Thom. quæſt. 12. de veritate art. 7. ad 2. conſtituere aliquomodo futurum ; ac proinde eſſe aliquomodo futuritionem illius, ibi : *Aliquid poteſt dici futurum non ſolum ex hoc, quod ita erit ; ſed quia ita eſt ordinatum in cauſis ſuis, vt ſic ſit futurum.* Cæterùm ait , ſic poſſe coniungi cum defectu illius, ad quod dicit determinationem: vnde quamvis Medicus prædicat ſanitatem futuram , & ſi poſteà hæc non ſit, non dixit falſum , quia ita erat in cauſis ordinatum : adducitque Ariſtotelem 2. de Generat. cap. 11. textu 64. dicentem fieri poſſe: *Vt is , qui futurus eſt incedens, non incedat.*

32 Hæc acuratè prænotavimus, & vt certa præmiſsimus , ne ex eorum omiſsione, aut non advertentia confuſio erga controverſiam ſub oriatur, quę tota iam reducitur ad inquirendum : an futuritio, ſeu forma adæquata , qua res denominatur futura in omni acceptione dicta futuri debeat eſſe aliquid de præſenti exiſtens , & connexum , cum exiſtentia rei, & extrinſecum ita reſpectu illius, quod futurum dicitur , vt ab eo tanquam à forma extrinſeca denominetur ? In qua verſatur quadruplex ſententia.

33 Prima eſt eorum , qui dicunt: futuritionem conſiſtere adæquatè in præſenti præparatione, & determinatione cauſarum ad id , quod dicitur futurum , & tempore poſteriori exiſtit. Ita communiter Thomiſtæ antiqui , & moderni, & ex parte Scotiſtæ , quam ſententiam explicat Godoy reſpectu futurorum contingentium in 1. partem diſput. 33. dicens : diſtinguendam eſſe du-

duplicem rei futuritionem : vnam secundumquid talem; alteram, quæ omnibus modis, & simpliciter futuritio dicitur. Prima est præparatio causarum dum intelligitur præcisa à decreto libero Dei, sivè absoluto subiectivè, & obiectivè; sivè obiectivè conditionato, & subiectivè absoluto; secunda, quæ tale decretum includit, à quo simpliciter pro modo ipsius res futura dicitur: vnde concludit, futuritionem simpliciter talem, & à qua futurum omnibus modis denominatur, esse divinum decretum, quod tanquam æternum, & non incipiens in tempore toto futuritionis, de præsenti existit.

34 Secunda sententia affirmat: futuritionem cuiusvis rei aliud non esse, quam esse ipsum, & existentia rei, correspōdens sivè absolutè, sivè conditionatè durationi posteriori. Vnde hæc sententia nihil ponit de præsenti tempore ipso futuritionis, quod sit constitutivum futuri in esse talis, & forma à qua suscipiat denominationem. Ita Izquierdo in Pharo, disp. 10. Avendaño disp. 5. de Scientia Dei, & alij plures ex nostris, quos sequitur Magister Lumbier, tractatu de Scientia.

35 Tertia sententia tenet: futuritionem cuiusvis futuri in tota sua latitudine, vltra existentiam rei correspondentis durationi posteriori, dicere constitutivè de præsenti aliquid negativum: videlicèt, *carentiam rei*, provt correspondentis tempori extituro. Quare de præsenti nihil positivum constituit, quod se habeat, vt forma adæquata futuri, & illud negativum, quod concedit, non est connexum cum eventu futuro, saltem in his, quæ contingenter existunt. Hæc est communissima sententia inter nostros, quam tenent Herice disput. 6. de Scientia cap 6. Herrera tract. de Scientia, quæst. 10. sect. 3. & frequenter Recentiores, quam iudico non distingui à præcedenti: sicut neque à sententia nostri Eximij Doctoris Suarij, quamvis tom. 1. de gratia Prologomen 2. num. 7. dixerit: *Rem esse futuram formaliter consistere in transitu quodam rei, ab esse, quod habet in causa, ad esse, quod in se ipsa aliquando habitura est*: vnde sumpserunt aliqui occasionem, ad eundem citandum pro speciali alia sententia, vltra relatas.

36 Quarta, & vltima sententia futuritionem statuit in aliquo nexu reali, & præsenti cum existentia rei, pro duratione pro qua futura dicitur, quem nexum pro qualitate futuri iuxta acceptiones relatas supra, diversificat. Nam in *futuro contingenti conditionato* nihil aliud dicit, quàm Scientiam mediam: pro *absoluto contingenti* nihil aliud, quàm Scientiam visionis. Pro hac citat Aranda ex nostris Antonium Perez, Cardinalem Sforcia, Ribadeneyra, Esparza, & Tyrsum cum alijs Recentioribus, quos Ipse sequitur disp. 19. de Scientia sect. 4. explicans diversitatem statuum, diversæ futuritioni correspondentium, & dicens statum futuritionis conditionatæ necessariæ, & nexum ipsi constitutivè convenientem esse divinam Omnipotentiam : nexum futuritionis absolutæ necessariæ esse decretum Dei determinantis : nexum futuritionis contingentis conditionatæ, esse Scientiam mediam, & nexum futuritionis absolutæ contingentis, esse Scientiam visionis.

37 Inter hos Authores, & Thomistas ea est diversitas. Primò : quod futuritionem non ponunt vnicè in exercitio divinæ voluntatis, & decreto; sed etiam in actu divini intellectus. Secundò, & principaliùs, quod respectu futurorum pertinentium ad libertatem creatam, nihil ponunt de præsenti connexum, & in impedibile per libertatem creatam, quæ existat, dum res, quæ futura dicitur, habet existentiam de præsenti. Ad hanc sententiam reduci possunt illi, qui supresso nomine citati ab Herice, vbi supra, dicebant : futuritionem præsentem esse ante existentiam rei, quæ futura dicitur, consistereque in mentis repræsentatione, à qua res, quæ nondum existit, futura denominatur: nec non Quiròs disp. 50. de Scientia, sect. 3. & 4. reputans probabile futuritionem *conditionatam* consistere in quadam actione conditionata Dei; & *absolutam* in quadam actione absoluta Dei, existentibus de præsenti, ita attemperatis conditioni futuri etiam liberi, vt pro casu existentiæ illius possint à voluntate impediri, non aliter ac existentia ipsa præsens futuri.

CAPVT II.

Conclusiones aliquæ negativæ, in quibus continetur impugnatio sententiarum, nostræ adversantium.

38 PRIMA conclusio. Nullius futuri distincti à decreto formalis futuritio consistit in divino decreto. Probatur primò. Omne futurum, sivè, absolutum, sivè conditionatum distinctum à decreto, aut est necessarium, aut contingens; sed nullius futuri, aut necessarij, aut contingentis, distincti à decreto, est futuritio formalis divinum decretum: ergo nullius futuri, distincti à decreto, futuritio formalis consistit in divino decreto. Discursus rectus est, & mai. certa: propterea quod omne futurum cuiuscumque rationis sit, comprehendatur sub futuro aut contingenti, aut necessario. Prob. min. quoad vtramque partem: quoad primam de futuro necessario facilè: quia quoad obiectum necessarium non datur decretum: esset enim fatua, & invtilis tendentia ea, qua divina volũtas decerneret, futurum esse id, quod antecedenter infallibiliter futurum est: aliàs decernere posset de se ipso, & circa se ipsum, *quod si existeret aliquid creatum, à se ipso existeret: quod nunquam esset defecturus, & quod esset sapiens, & immensus*; sicut extra se *quod detur defectus illius, quod repugnat*, aut *quod si existat homo, sit Animal rationale*: aut quod *si existat actio, existat terminus*, aut *si existat vnio, existant extrema*, & alia millia eiusdem generis, quæ in rationalem, & perfectissimum modum decernendi non cadunt: ergo futuritio formalis futuri necessarij non consistit in divino decreto.

39 Quoad secundam difficiliùs; sed mihi efficaciter. Omne decretum efficax tendens in aliquod contingens extra se ponendum, respicit aliquid, quod non est ipsum realiter; sed omne decretum tendens in rem futuram contingenter, tendit in aliquid contingens extra se ponendum: ergo respicit aliquid, quod non est ipsum realiter; sed id quod respicit distinctum à se realiter, est futurum, provt futurum est: ergo futurum, provt futurum, est aliquid distinctum realiter à decreto efficaci, tendente in rem futuram: ac proindè futuritio, quæ includitur in futuro, provt futurum est, aliquid est, distinctũ realiter à decreto. Cætera constant præter min. subsumptã, quam sic probo. Illud distinctum realiter à se ipso, quod respicit decretum, est res, provt formaliter correspondens durationi posteriori; sed res provt formaliter correspõdens durationi posteriori, est futurum formaliter, provt futurum: ergo id quod decretum respicit distinctum à se realiter, est futurum, provt futurum est. Mai. videtur certa: cum res, provt correspondens durationi posteriori sit id quod decernit decretum, & aliunde tàm res, quàm duratio posterior, cui res correspõsura est, distinguatur realiter à decreto. Prob. min. Res, provt correspondet durationi posteriori, formaliter sumpta, secundùm id quod dicit correspondere durationi posteriori, præcisivè ab omni non ipsa, habet aliquem statum in rerum natura, respectivè ad durationem præsentem: siquidem res non potest præscindere ab aliquo statu; sed res, provt correspondens durationi posteriori formaliter sumpta secundùm id, quod dicit correspondere durationi posteriori præcisivè ab omni non ipsa, non habet respectivè ad durationem præsentem statum purę possibilitatis: cum id quod aliquãdo extiturum est, non sit purè possibile: neque statum *præsentiæ*: quia id quod durationi præsenti non correspondet, non habet statum *præsentiæ* respectu illius, neque statum *præteritionis*: quia, quod non fuit in duratione anteriore ad præsentem, non habet statum *præteritionis* comparativè ad præsentem durationem: ergo vnicè statum *futuritionis*, qui restat, & à quo seclusis alijs, non potest præscindere: ac per consequens res prout formaliter correspondens durationi posteriori, est futurum formaliter, prout futurum.

40 Confirmatur primò. Id quod erit, provt *erit*, non est de præsenti; sed id quod *erit*, provt erit, est formaliter futurum: ergo formaliter futurum non consistit in decreto, quod tempore futuritionis est de præsenti. Mai. videtur ex terminis nota. Nam si id quod erit, provt *erit*, est de præsenti: in quo distingueretur futurum à præsenti? *Et erit*

ab

ab *est*. Prob. min. Id, quod erit, provt *erit*, non est præsens: non est præteritum: non est purè posibile; ergo est futurum: cũ non remaneat alius status, & ab omni non posit præscindere; ergo id, quod erit, prout *erit*, est formaliter futurum.

41 Confirmatur secundò. Existentia rei in *B* non est formaliter decretum: deinde non existentia rei in *A*, prout in *B* non est formaliter decretum: sed existentia rei in *B*, & non existentia rei in *A*, prout in *B*, est formaliter esse futuram in *A*: ergo rem esse formaliter futuram in *A*, non consistit formaliter in decreto. Mai. quoad primam partem constat: quia aliàs existentia rerum consisteret formaliter in decreto: constat etiam quoad secundam: quia sicut *existere* rei non consistit formaliter in decreto: sic *existere* suo modo defectum rei non consistit formaliter in decreto. Iam min. probatur. Rem existere in *B*, & prout in *B*, non existere in *A* comparatur ad *A*, vt id, quod *erit*: sed comparari ad *A*, vt id, quod *erit*, est formaliter esse futurum in *A*: ergo existentia rei in *B*, & non existentia rei in *A*, prout in *B*, est formaliter esse futuram in *A*.

42 Probatur secundò. Esse subiectum futuritionis, seu id, quod futurum est, non consistit formaliter in decreto: ergo esse futuritionem illius, quod futurum est non consistit formaliter in decreto. Antecedens tam certum est, ac est certum, futurum, prout futurum non esse adæquatè præsens, distinguique ab eò, quod de præsenti est, prout de præsenti est. Consequentia probatur. Pro denominatione de præsenti, qualis est denominatio, qua nunc denominatur res futura, non minus requiritur, aut non requiritur præsentia physica subiecti, cui convenit forma, quàm presentia physica formæ convenientis subiecto: ergo si, vt subiectum futuritionis denominetur à futuritione, non est necessarium, quod subiectum futurum consistat in decreto; neque est necessarium, vt futuritio formalis denominet subiectum in ratione futuri, ipsam consistere formaliter in decreto. Confirmatur, & explicatur. Veritas significata per hanc propositionem: *Petrus, aut consensus est futurus* non minus includit, formam convenire subiecto, quàm subiectum esse tale, cui forma conveniat; sed subiectum esse tale, cui forma futuritionis conveniat, non requirit, subiectum consistere in aliquo de præsenti, quod sit decretum: ergo neque formam convenire subiecto requirit formam consistere in aliquo de præsenti, quod sit decretum. Vrgetur. Tàm requirit, aut non requirit præsentiam physicam subiecti hæc denominatio de præsenti: *est subiectum denominatum à forma*, quam requirit, aut non requirit præsentiam physicam formæ hæc denominatio de præsenti: *est forma denominans subiectum*: sed per te ad denominationem istam de præsenti *est subiectum denominatum à forma*, non requiritur aliquid de præsenti constitutivum subiecti, quod sit decretum: ergo nec pro altera denominatione de præsenti, *est forma denominans subiectum*, requiritur aliquid de præsenti constitutivum formæ, quod sit decretum.

43 Quod si pro aptitudine subiecti, ad suscipiendam denominationem de præsenti, absque præsentia physica illius; recurras ad conditionem denominationis, quæ talis est, vt si subiectum physicè existeret de præsenti, destrueretur tota denominatio futuri, quæ de præsenti traditur, vndè se in terminis implicaret; quid efficaciæ supereſt ad probandum, idem non contingere ex parte formæ: imò inde iterùm redarguo: effectus formalis futuri non minus dicit constitutivè subiectum, quàm formam: ergo non minus deficit in suo esse deficiente subiecto, quàm forma: sicut non minus deficit complexum quodvis in ratione talis, deficiente vna parte, quàm deficiente alia: sed per te deficiente forma futuritionis, deficeret effectus formalis futuri, talitèr, vt de præsenti res non posset denominari futura: ergo deficiente subiecto, talitèr deficit effectus formalis futuri, vt de præsenti res non posit denominari futura.

44 Insisto ex ratione, quam pro sua sententia adducit Godoy, & sic proponit. Rem esse futuram est aliquid reale, cum ante omnem confictionem intellectus creati cognoscatur à Deo: ergo debet ab aliqua reali forma provenire; at talis forma non est intrinseca rei futuræ, quæ, vt in confesso est apud omnes, futuritionis tempore nihil in se est, & consequenter incapax denominationis ab intrinseca forma: ergo est extrinseca forma scilicèt decretum: cum non sit aliud, cui competere posit tale munus. Vndè sic arguo intendens suadere ineficaciam rationis ex inconsequentia

tia illius: sic procedo. Non minus esse subiectum futuritionis est aliquid reale, quàm rem esse futuram: cum non minus, ante omnem intellectus creati confictionem, cognoscat Deus rem futuram suscipere denominationem à futuritione, & esse id, quod denominatur futurũ, quàm rem esse futuram: ergo debet ab aliquo reali provenire; at tale reale non est intrinsecum rei futuræ, quæ in omnium sententia, futuritionis tempore nihil est in se, & consequenter incapax denominationis ab aliquo reali intrinseco: ergo est aliquid reale extrinsecum, quod aliud non potest esse, quàm decretum absolutè, & de præsenti existens: ergo non minus subiectum futuritionis in ratione talis est aliquid de præsenti, quam ipsa futuritio: ac perconsequens non minus de præsenti est ipsum futurum, quàm eius futuritio.

45 Vndè à contrario. Per te licèt rem futuram esse subiectum denominationis *futuri* non sit aliquid fictum; verùm aliquid ante omnem fictionem intellectus creati cognitum à Deo, non est necessarium aliquid reale de præsenti existens, in quo formalitèr consistat: rem futuram esse subiectum futuritionis, & id, cui de præsenti convenit denominatio futuræ à forma *futuritionis*: ergo quamvis rem esse futuram non sit aliquid fictum; verùm aliquid, ante omnem fictionem intellectus creati, cognitum à Deo, non est, nec probatur necessarium aliquid reale de præsenti existens, in quo formalitèr consistat futuritio, seu forma denominans rem futuram in esse talis. Confirmatur. Rem esse futuram est effectus formalis realis; aliàs frustra recurreres ad formam realem: sed effectus formalis realis non minus requirit subiectum reale; quàm formam realem: cum forma non denominet, nisi pro capacitate, & qualitate subiecti: ergo rem esse futuram non minus requirit aliquid reale, ex parte rei futuræ, & subiecti suscipientis denominationem; quàm ex parte futuritionis, & formæ dantis denominationem: at realitatem subiecti requisitam ad denominationem realem salvas absque aliquo de præsenti ex parte subiecti: ergo realitas requisita ex parte formæ ad denominationem realem, salvari etiam poterit, absque aliquo de præsenti ex parte formæ.

46 Indè probatur tertiò. Non minus est aliquid reale: *rem defacto esse, & denominari possibilem; quàm rem defacto esse, & denominari futuram*: cum non minus etiam ante omnem fictionem nostri intellectus cognoscat Deus *res esse possibiles*; quàm *esse futuras*: sed vt res defacto sit, & denominetur *possibilis*, non est necessarium aliquid de præsenti extrinsecum pro formali, id est, quod se habeat, vt forma *possibilis*: aliàs *possibilitas* non esset intrinseca rei possibili; sed in ipsis prædicatis divinis formalitèr consisteret; nec verùm esset: *id quod est possibile ex se non repugnare, neque ex se potius habere formalem determinationem, vt si existat, potius excludat, quàm non excludat suum contradictorium*: ergo neque rem esse defacto, & denominari *futuram* requirit pro formali aliquid extrinsecum divinum, in quo formalis futuritio consistat.

47 Probatur quartò. *Præsentia* rei non consistit in decreto de eius existentia in tempore præsenti: ergo neque *futuritio* rei consistit in decreto de eius existentia in tempore futuro. Antecedens est adversariorum fatentium, quod quamvis decretum de re præsenti sit determinatio ad rei præsentiam, non tamen est formalis præsentia ipsius. Prob. consequentia. Non magis connectitur cum existentia rei de futuro decretum de eius existentia in tempore futuro, quàm connectitur cum existentia rei de præsenti decretum de eius existentia in tempore præsenti: deindè non magis est de præsenti tempore futuritionis decretum de existentia rei in tempore futuro; quàm est de præsenti tempore præsentiæ decretum de existentia rei, tempore præsenti: insuper decretum de existentia rei in tempore futuro non magis vult existentiam rei in tempore futuro; quàm decretum de existentia rei in tempore præsenti vult existentiam rei in tempore præsenti: sed connexio, præsentia, & volitio rei de præsenti, quæ existunt in decreto, respiciente rem de præsenti, non constituunt præsentiam rei in decreto: ergo neque connexio præsentia, & volitio rei de futuro, quæ existunt in decreto, respiciente rem de futuro, constituunt futuritionem rei in decreto.

48 Si respondeas: In denominatione *præsentis* esse aliquid, cui immediatiùs tribuatur præsentia rei, scilicèt, existentiam ipsius: quarè divinum decretum non est plusquam arguitivè, & causativè rei *præsentia*; at in denominatione

fu-

futuri nihil aliud immediatius datur, quàm decretum de præsenti, cui tribui possit *futuritio* futuri, seu *rem extituram esse* in tempore futuro. Contra est: quia etiam in denominatione *futuri* datur aliquid de præsenti immediatius, quam decretum, cui possit tribui *futuritio*, videlicèt: *non existere* rem de præsenti, prout correspondentem tempori futuro: cum nihil immediatius sit pro existere de futuro, quàm non existere de præsenti, prout futurum est: & tamen rationem futuritionis non attribuis *non esse* rei, quod de præsenti datur: ergo licèt in denominatione *præsentis* detur aliquid immediatius decreto, cui possit tribui ratio præsentiæ: non ideò negandum est, *præsentiam* rei consistere in decreto.

49 Si replices. Disparitatem desumi posse ex eo, quod *non esse* rei, quod datur de præsenti ex se non habet connexionem cum existentia rei in duratione posteriori, cùm eodem modo daretur de præsenti defectus rei, prout correspondentis durationi posteriori, sive res correspondeat, sive non correspondeat durationi posteriori: vndè cum decretum solùm sit, quod de præsenti existens habet connexionem cum re, vt existente pro duratione posteriori, potius decreto; quàm *non esse* rei prout correspondentis tempori futuro, tribuitur ratio futuritionis. Contra est: quia vt forma tribuat de præsenti denominationem subiecto, non requiritur, quod forma habeat connexionem absolutam, aut cum subiecto, aut cum effectu formali in actu secundo, vt constat in albedine dealbante subiectum: in frigore frigefaciente, & in calore calefaciente: sufficit namque determinatio ex parte formæ subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata, vt pro casu applicationis ad subiectum capax, & proportionatum illi communicet denominationem, & effectum formalem: ergo quod *non esse* rei, prout correspondentis durationi futuræ, de præsenti existens non habeat connexionem cum existentia rei prout correspondentis durationi posteriori, non probat exclusionem proportionis, & aptitudinis, vt ipsi tribuatur formalis ratio futuritionis tanquam quid præsens immediatius quàm decretum.

50 Probatur quintò ex Suario. Nam formalitèr, & in rigore aliud est esse volitum, & esse futurum: cum illud sit prius, & ratio effectiva, seu causativa alterius: sed esse futuritionem causativè non est esse futuritionem formalem: ergo futuritio formalis non consistit in decreto volente rem, vt existentem in tempore futuro. Rationem istam paritate promoveo. Rem esse de præsenti cognitam à Deo, vt correspondentem tempori futuro, & cognitionem esse causam rei pro tali tempore, non est futuritionem rei consistere in Scientia divina: ergo esse rem de præsenti volitam à Deo, vt correspondentem tempori futuro, & volitionem esse causam rei pro tali tempore non est, futuritionem rei consistere in decreto, & volitione divina. Antecedens est adversariorum constituentium futuritionem non in *Scientia*; sed in *decreto* Dei. Consequentia apparet legitima à paritate rationis, quæ si alicuius roboris est, plus vrget pro *Scientia*, quàm pro *decreto* ex eo, quod in eorum sententia Scientia visionis est causa rerum, & præcedit, vt imperium non solum res ipsas; verùm decretum exequutivum illarum: ergo pro priori ad decretum iam intelligitur determinatio causativa rei in tempore futuro: ergo vel ista determinatio causativa rei debet constituere futuritionem illius, vel nulla determinatio causativa erit futuritio formalis, nec plusquam illativa, arguitiva, & præcontentiva futuritionis formalis.

51 Probatur sextò. Aut futurum in ratione futuri semper manet, aut futuritio ipsius non consistit in decreto: sed futurum in ratione futuri non semper manet: ergo futuritio ipsius non consistit in decreto. Min. est certa: quia futurum post existentiam rei, quæ futura dicitur, non est futurum; sed fuit futurum, quod est non permanere in ratione futuri. Prob. mai. Quia, aut futuritio permanens in decreto post existentiam rei futuræ respicit subiectum, vt proportionatum ad ipsam, aut non respicit? Si respicit: ergo semper remanet futurum in esse talis: quia dum forma existit communicata subiecto, & subiectum est proportionatum ad recipiendum effectum formalem formæ, datur effectus formalis ipsius. Si non respicit, vt proportionatum: quid ergo illi deficit: quia non *possibilitas*: cum obiectum remaneat possibile: non *existentia in duratione præsenti*: quia si hæc esset necessaria, nunquam decretum constitueret rem futuram: non *existentia de præterito*, quia hæc datur eo modo, quo

quo verificatur rem esse transactam : ergo tantùm deficit res, vt existens de futuro: sed si res, vt existens de futuro, est id, quod requiritur ex parte subiecti, vt per decretum tanquam formam denominetur futura, futuritio non consistit in decreto, cum sit connotatum illius ex parte aptitudinis subiecti, eo modo, quo est connotatum ex parte subiecti existere de futuro, quod est formalissimè esse futurum : ergo vel futurum in ratione talis semper manet, vel eius futuritio non consistit in decreto.

52 Explicatur hæc ratio. Omnis forma, vt tribuens effectum suum formalem subiecto, requirit, & communicationem sui ad subiectum, & capacitatem ex parte illius : iam quando existit decretum tempore præteritionis futuri, existit per te forma futuritionis, & tamen non existit effectus formalis *futuri* : aliàs res permaneret adhuc in statu futuritionis: ergo quia deficit, aut communicatio formæ, aut capacitas ex parte subiecti : sed hæc communicatio formæ ad subiectum, nec non capacitas ex parte illius aliud non est, quàm res *prout existens tempore futuro*, quod formalissimè est rem esse futuram : ergo id, quod requirit decretum, vt subiectum denominet futurum, est ipsum esse futurum aliunde, quàm per ipsam formam, vt probat separatio ipsa communicationis, & capacitas subiecti ab ipsa forma, quæ per te datur tempore præteritionis futuri absque tali communicatione, & capacitate : est ergo connotatum decreti, quod dicis futuritionem, *rem esse futuram*; ac proinde forma, qua constituitur in esse futuri : erit que proinde futuritio aliquid distinctum ab ipso decreto.

53 Probatur septimò à paritate præteritionis : siquidem nulla præteritio consistit in decreto : ergo nec futuritio in decreto consistit. Antecedens est adversariorum, quod si aliquis ob consequentiam doctrinæ velit negare, in contrarium est persuasio communis, vt benè observarunt alij, & constat in alijs denominationibus respicientibus rem præteritam, vt esse *Domum antiquam*: esse *hominem senem* : esse *adstrictum voto*, quæ omnia pro formali non consistunt in decreto existenti de præsenti, sed in aliquo *esse* quod fuit, & in defectu alicuius, quod modo non est. Consequentia probatur. Ex eo, quod non minus sit de præsenti denominatio *præteriti*; quàm denominatio *futuri*, nec minus habeat suam realitatem, & non fictionem vna, quam altera denominatio: ergo si vna pro formali non consistit in decreto, nec altera pro formali in decreto consistit.

54 Dupliciter responderi solet præbendo disparitatem inter præteritionem, & futuritionem. Prima disparitas est, quàm tradit Vives disp. 18. num. 48. apud Herrera sect. 5. quæst. citatæ, dicens: præteritionem rei desumi ab existentia eius rei, quæ fuit: nam *esse rem præteritam* est denominatio intrinseca, in qua existentia transacta se habet, vt forma; at *futuritionem rei* desumi non ab existentia, quæ erit, sed ab aliquo de præsenti, quod se habet, vt forma extrinseca rei futuræ. Secundam tradit Illustrissimus Godoy disp. citata, §. 10. num. 134. Explicans diversitatem inter vnam, & alteram denominationem: nam carentia (inquit) rei contingentis, quæ aliquando fuit, non est indifferens, vt res fuerit, vel non fuerit, sed determinatè connotat, *rem præcessisse*: vndè defectus, qui de præsenti datur, est quid determinatum ad rem, vt existentem in tempore anteriori, & vt tale est forma de præsenti proportionata pro denominanda re præterita; non sic carentia rei contingenter futuræ, quæ ex se est indifferens, vt res existat, vel non existat durante posteriore, & prout talitèr indifferens, non est forma apta ad tribuendam denominationem rei futuræ : quærendumque est aliud de præsenti determinatum ad existentiam rei pro posteriori, quod aliud, quàm decretum de præsenti existens esse non potest.

55 Neutra intentum assequitur, & prima nomen disparitatis non meretur: est enim quædam clarissima petitio principij, & suppositio conclusionis probandæ, in qua nihil aliud continetur nisi quod in præteritione existentia rei præteritæ est forma denominationis, quin requiratur aliquid de præsenti; at in futuritione existentia rei futuræ non est forma denominationis, propterea quod debeat esse aliquid de præsenti : cur autem sic contingat in vna; secus in altera, cum ambæ sint denominationes de præsenti, & non fictæ, quod est fundamentum Thomistarum, non dicitur : egregia sanè disparitas, in qua nimia Authoris defatigatio attentionem conciliat. Secunda, & si seriùs accipi debeat, etiam est in-

inefficax nec facilè ostendi potest in defectu rei contingentis, qui de præsenti datur, connexio, aut non connexio cum existentia rei, quæ præcessit, si paritèr non concedatur, aut negetur cum existentia rei in posterum extituræ. Arguo sic.

56 Vel defectus rei contingentis, qui de præsenti datur, accipitur præcisè prout est defectus rei, potentis existere in hoc instanti, vel facta reduplicatione supra esse rei, prout præcedentis? Si primum: non magis est indifferens defectus rei de præsenti existens, ad futuritionem, & non futuritionem, quàm ad præteritionem, & non præteritionem: æquè enim daretur talis defectus, si res non extitisset, ac si res non esset futura, vt accideret in casu, quo res illa, quæ extitit, aut quę futura est, maneret intra statũ puræ possibilitatis, impedita eius præteritione, & futuritione: tunc enim idem defectus, secundùm se, & prout est defectus talis rei contingentis determinatæ, daretur, quomodo datur, quando deficit res in tali instanti. Si secundum: sicut facta illa reduplicatione: *defectus rei contingentis, prout est res, quæ extitit*, defectus præsens, prout sic denominatus, habet connexionem, & determinationem ad existentiam præteritam: sic facta simili reduplicatione: *defectus rei contingentis, prout est res, quæ extitura est*, defectus præsens, prout sic denominatus, habet connexionem, & determinationem ad existentiam futuram: ergo defectus rei contingentis eo modo, quo nòn est connexus cum re futura, non est connexus cum re præterita, & eo modo, quo, secundum aliquam reduplicationem sibi extrinsecam, est connexus cum existentia rei præteritæ, est etiam connexus cum existentia rei futuræ: non ergo ex parte defectus rei contingentis subsistit intenta disparitas.

57 Nec maioris efficaciæ est id, quod addit idem Sapientissimus Magister, vt probet carentiam rei, quę extitit, non esse eandem, quæ daretur, si res non extitisset: quia, inquit, res ex se contingens, quæ nunquam extitit, habet naturalem indifferentiam, vt sit: quarè carentia rei, quæ nunquam extitit, est naturalitèr destructibilis, & cum res, quæ iam extitit, & destructa est, non possit naturalitèr reproduci, neque naturalitèr iam potest existere: vndè eius defectus non est naturalitèr defectibilis: tùm quia simili discursu posset probare rem contingentem, quæ nunquam extitit, non esse eandem cum re, quæ aliquando, & iam non existit: nam res, quæ nunquam extitit, est naturalitèr producibilis: non sic quæ semel extitit, & iam est destructa: ergo res, quæ semel extitit, & iam destructa est, non est ex suis prædicatis eadem, quæ potest existere, & nunquam extitit: si autem illatio hæc mala sit, nec bona erit in ipso rei defectu: tùm, quia admissa distinctione inter vnum, & alterum defectum quoad rei præteritionem, similis distinctio debet versari inter defectus rei quoad futuritionem: etenim defectus rei, quæ nunquam extitura est, non est determinatus ad sui destructionem; at defectus rei, quæ semel extitura est, est determinatus ad sui destructionem: aliàs non esset defectus rei, prout futuræ: ergo defectus rei, quæ futura est, diversus est à defectu rei, quæ nunquam extitura est: ergo distinctio illa defectuum non prodest disparitati, quando ex illa resultat paritas inter præteritionem, & futuritionem.

58 Probatur octavò. Quia quando est futurum peccatum, non solum est futurum materiale ipsius; verùm formale: sicut est verum de homine peccaturo, non tantùm ponendam esse ab ipso entitatem peccati, sed insuper formalem malitiam ipsius: at futuritio malitiæ non potest consistere in divino decreto: ergo iam aliquod futurum, & quidem contingens, tale est, cuius futuritio non consistat in decreto: ac proindè neque in aliquo de præsenti. Prob. min. Quia, sicut Deus malitiæ formalis non potest esse causa, sic nec habet erga ipsam aliquam causalitatem, determinationem, aut affectum ex parte divinæ voluntatis: sed quando non datur causalitas, determinatio, aut affectus, non datur decretum: ergo futuritio malitiæ formalis non consistit in decreto. Si respondeant: decretum terminatum ad materiale peccati, quod permissivum est malitiæ formalis, sufficere pro futuritione malitiæ formalis: omisso, quod illud decretum, si non sit connexum cum malitia formali, deficiet à ratione futuritionis illius; si verò sit connexum, se implicat in terminis *permissivi*, vt latè disp. 6. *de prædestinatione* pon-

de-

deravimus : omisso etiam, quod Deo erit libera, & per se determinata futuritio malitiæ, non aliter, quam prout connexa cum malitia in ratione futuræ: quia futuritio, prout futuritio, dicit essentialiter talem determinationem, quod si non sit causare per se fundamentaliter malitiam esse futuram, & hominem in ratione peccaturi, nescio, quid aliud esse possit?

59 Contra aliter insurgo: ergo deficit in malitia formali fundamentum constituendi futuritionem in aliquo de præsenti. Ratio est: quia fundamentum, quod habent Thomistæ ad ponendam futuritionem in aliquo de præsenti est; quia futuritio alia non est, quàm præparatio, dispositio, determinatio, & propensio ex parte causæ, vt sit effectus: sed pura permissio effectus non est dispositio, præparatio, & determinatio, propensioque ex parte causæ ad effectum: aliàs non permissio; sed alligatio esset dicenda: ergo si decretum permissivum malitiæ esset futuritio illius, deficeret in malitia formali fundamentum constituendi futuritionem in aliquo de præsenti. Contra secundò: ergo saltem malitia formalis non erit completè futura de præsenti. Probo sic. Nihil per se causandum ab aliqua causa intelligitur de præsenti completè futurum, nisi intelligatur de præsenti futuritio ipsius, vt per se causandi: sed respectu malitiæ formalis non intelligitur de præsenti futuritio ipsius, vt per se causandæ: ergo malitia formalis non erit completè futura. Prob. min. Non intelligitur de præsenti futuritio malitiæ formalis, vt per se causandę, quando non intelligitur de præsenti præparatio causæ per se causantis, vt denominans causam per se causantem, præparatam ad talem effectum: sed quando existit decretum permissivum malitiæ formalis, non intelligitur causa per se causans malitiam formalem, vt in actu secundo præparatam ad malitiam, per se causandam: cum hęc causa non sit Deus, & causa secunda, sæpè tempore futuritionis malitiæ formalis, non existat, vt modò contingit in futuritione malitiæ formalis Anti-Christi: ergo respectu malitiæ formalis non intelligitur futuritio ipsius, vt per se causandæ.

60 Probatur nonò. Futurum, prout futurum est, essentialiter dicit futuritionem: sed futurum, prout futurum est, nullam dicit anteriorem tempore causæ præparationem, quæ sit præsens tempore futuritionis: ergo futurum, prout futurum est, nullum dicit decretum anterius, & quod existat de præsenti, tempore futuritionis, tanquam præparatio causarum, vt dicunt adversarij. Prob. min. ad quam reducitur difficultas. Futurum, provt futurum est, componitur cum æquali futuritione præparationis causæ, sibi proportionatæ: sed quod componitur cum æquali futuritione præparationis causæ, sibi proportionatæ, nullam dicit anteriorem tempore causæ præparationem, quæ sit præsens tempore futuritionis: ergo futurum, provt futurum est, nullam dicit anteriorem tempore causæ præparationem, quæ sit præsens tempore futuritionis. Prob. mai. Futurum provt futurum est, componitur cum omni eo, quod non impediat existentiam suā, pro illo tempore posteriori pro quo, vel relatè ad quod, tempus futuritionis dicitur futurum: sed æqualis futuritio præparationis causæ, proportionatæ futuro, non impedit existentiam futuri, pro illo tempore posteriori, relatè ad quod tempore futuritionis dicitur futurum: nam præparatio causæ comitans temporalitèr existentiam effectus, & existens tantùm in priori *à quo* sufficit, vt existat effectus: ergo futurum, provt futurum est, componitur cum æquali futuritione causæ, sibi proportionatæ. Indè est, quod si aliquando causa futuri est præparata tempore futuritionis, id non tàm provenit ex indigentia formali futuri, vt futurum est, quàm ex conditione causæ, quæ vel non possit esse in tempore præparata, sed ab æternitate: vel si sit in tempore præparata, ex occursu alterius concausæ habet anteriorem præparationem ad tempus, in quo effectus habiturus est existentiam ab ipsa.

61 Indè etiam inferre intendo: dato, quod circa omne futurum Deus haberet exercitium præsens connexum, & determinatum cum existentia effectus tempore posteriori: id tantùm se haberet materialitèr, in ordine ad futuritionem effectus: cum non proveniret ex indigentia huius, provt formalitèr futuri: qui ex se, provt talis contentus esset cum existentia decreti divini pro illo tempore, pro quo extiturus est: sicut illi fit satis per influxum actualē omnipo-

nipotentię, tempore non antecedentem exiſtentiam effectus, ſed ex conditione cauſæ, & exercitij, quæ ſi ſemel habitura ſunt exiſtentiam, ſemper, & ab æterno illam debent habere: modo non abſimili ei, quo apud adverſarios, decretum ipſum, in quo conſiſtit futuritio, exiſtit etiam tempore præteritionis, & quidem non ex indigentia ipſius præteritionis formaliter ſumptæ; imò neque ex indigentia *futuri*, quod in eſſe talis præterijt; ſed materialiter tantùm, & potius ex conditione ipſa decreti; quàm ex indigentia præteritionis, aut futuritionis: vndè ſubſumo. Per vos, quamvis futurum ſuppoſita conditione decreti, exigat decretum exiſtere, tempore poſteriori ad exiſtentiam futuri, non exigit illud, vt formam pro *tunc*, aut futuritionis, aut præteritionis: ergo quamvis futurum ſuppoſita conditione divini decreti exigat, illud exiſtere tempore anteriori ad exiſtentiam futuri, non ideò probatur illud exigere formaliter vt futurum, ſeu vt futuritionē, & formam denominationis futuri.

62 Dicta confirmo argumento, quamvis negativo, mihi non contemnendo: ſiquidem Patres, & Theologi, vt probent decreta Dei, quibus decrevit ea, quæ in tempore fiunt, non extitiſſe in tempore; ſed ab æterno, nunquam mentionem vllam fecerunt futuritionis rerum contingentium, conſiſtentis in decreto de ipſa re, provt in tempore extitura, quam non facientes, omiſerunt quidem argumentum ſatis efficax ad probandam æternitatem divinorum actuum; quod ſic ſe habet: *Omne, quod per decretum divinum aliquando in tempore exiſtit ab æterno fuit futurum: ergo ab æterno habuit futuritionem præſentem: ſed non aliam, quam ipſum decretum: cum nihil aliud poſsit eſſe ab æterno cauſativè connexum cum re, vt extitura in tempore: ergo quodvis decretum, quo Deus rem decernit in tempore exiſtentem; non in tempore, ſed ab æterno exiſtit.* At tali argumento vſi non ſunt; imò ad alia non tàm perceptibilia, vt id erat, recurrunt: ergo quia de mente Patrum, & Theologorum, provt innitentium menti Patrum, non eſt futuritionem rerum contingentium conſiſtere in decreto. niſi velis, quod in occaſione ſatis vrgente, & excitante ſpeciem futuritionis non occurrerit id, quod extra illum caſum ipſis (vt inquis) erat præſentiſsimum.

63 Probatur decimò: Specialiter pro futuris contingentibus conditionatis, ſuppoſita probabili ſententia, quam tenent plures ex contrarijs, de poſsibilitate puræ omiſsionis liberæ in Deo: ex qua ſuppoſitione ſic argumentor. Data in Deo pura omiſsione libera, excludente omne decretum, ita vt Deus purè omiſsivè liberè omnino ſe haberet in productione ad extra, eſſent plura futura conditionata; ſed tunc non eſſet de præſenti aliquod exercitium divinum, connexum cum eventu futuro conditionatè: ergo intelligi poteſt futuritio conditionata, quin detur aliquid de præſenti connexum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum. Prob. maiorem. Probaturus poſt minorem: nam adhùc in illa providentia verificaretur: Quod *ſi exiſteret libertas in Petro impediendo illam providentiam, aut coniungenda foret cum conſenſu, aut cum diſſenſu*: cum libertas pro caſu poſsibili non poſsit præſcindere ab vtroque contradictorio: vnde pro illa providentia militat eadem ratio, quæ in præſenti, vt ſint aliqua futura conditionata, contingentia determinatè, & in ſingulari vera. Probo iam minorem. Tunc non eſſet aliquod exercitium poſitivum divinæ voluntatis, & connexum cum aliquo ex illis eventibus determinatè: quia, vt fert ipſa ſuppoſitio, omne divinum decretum liberè omitteretur: neque exercitium aliquod negativum potiùs determinatum, vt ſi Petro conferretur libertas impediendo illam providentiam, potius exiſteret conſenſus, quam diſſenſus: nam exercitium illud negativum puræ omiſsionis ex ſe non habet potius connexionem cum eo, quod ipſo impedito per collationem libertatis potius exiſteret conſenſus, quàm diſſenſus: ergo tunc non eſſet de præſenti aliquod exercitium divinum connexū cum eventu futuro conditionatè.

64 Hinc præcluſa manet evaſio, quæ adhiberi poſsit, dicendo in illa ſuppoſitione omnia futura conditionata evaſura negativa pro modo fututitionis, ſcilicèt, puræ omiſsionis liberæ, quæ tunc de præſenti exi-

ſteret : quia cum caſus exiſtentiæ auxilij eſſet caſus impeditionis illius providentiæ purè omiſsivæ, non eſt ratio cur illa pura omiſsio inferat omnia futura conditionata negativa; aliàs defacto omnia futura conditionata eſſent etiam negativa : quia eſſent caſus reſpiciendi ab illa providentia poſſibili puræ omiſsionis, quæ non aliter poſſet habere connexionem cum futuro conditionato negativo, *non exiſtentiæ conſenſus* ſub exiſtentia auxilij, niſi pro caſu, quo ipſa non eſſet, qualis eſt caſus præſentis providentiæ, in qua Deus purè omiſsivè liberè generaliter non ſe habuit.

65 Probatur 11. Specialiter pro futuris nobis liberis, quorum futuritio conſiſtere nequit in aliquo de præſenti connexo, & inimpedibili à libertate creata, vt ponitur à Thomiſtis decretum, cui tribuunt rationem futuritionis. Conſtat id ex generalibus principijs noſtræ Scholæ, ex quibus reijcitur omne connexum, & à nobis inimpedibile, vt creatæ libertati adverſum : vnde futuritio actus liberi, conſiſtens in decreto prædeterminativo, erit potius deſtructiva futuri, quàm conſtitutiva illius : præparat enim Deus cauſas ſecundas liberas ad ſuas operationes non per decretum connexum; ſed per decretum indifferens, & compatibile cum vtroque libertatis extremo : ideoque cauſæ ſecundæ liberæ, provt præparatæ à Deo ad operationes liberas non poſſunt includere futuritionem determinati eventus: videantur hæc fusè tractata à noſtris Authoribus in proprijs locis, vbi de libertate creata, & eius conſtitutione tanquam in propria ſede controvertitur, & à nobis tractatu de *Prædeſtinatione* agentibus, tum de conſenſu prædeterminativo, tum de decreto applicativo omnipotentiæ ad concurrendum cum cauſis ſecundis: non tamen omittenda in præſenti pulchra comparatio, qua vtitur D. Dyoniſius ad explicandam indifferentiam divini concurſus, ſumpta ſimilitudine ab influxu Solis in corpora inferiora; inquit enim cap. 4. de divinis nominibus poſt medium : *Divinæ bonitatis manifeſta imago, magnus iſte, & totus ſplendens, & ſuperlucens Sol ſecundùm multam reſonantiam boni, & omnia quæcumque participare ipſo poſſunt, illuminat, & ſuperextentum habet lumen ad omnem extendens viſibilem mundum, & ſurſum, & deorſum propriorum radiorum ſplendores. Etſi aliquid ipſis non participat, hoc non infirmitatis, aut parvitati eſt illuminativæ ipſius diſtributionis; ſed non extentorum ad luminis participationem propter luminis acipiendi importunitatem : ſiquidem multa ſic ſe habentia, radius tranſiens ſequentia illuminat.*

66 Super quæ S. Thom. lib. 3. propè medium ait: *Oſtendit : quomodo inveniatur ſimilitudo Dei quantum ad præmiſſa, & primò quantum ad vniverſalitatem cauſandi.* Deindè ſingula verba ſic exponit: *Si eſt aliquid quod non participat lumine eius, hoc non eſt propter debilitatem, vel parvitatem illuminantis virtutis in ipſo : ſicut eſt in candela, quæ propter parvitatem, aut debilitatem ſui luminis, vſquead modicum ſpatium illuminat, ſed quod aliqua à Sole non illuminentur, eſt propter defectum eorum, quæ non poſſunt extendere ſe ad participandum lumen Solis, propter hoc, quod non ſunt opportuna, vel apta ad accipiendum lumen; ſed tamen Solaris radius multa talia corpora illuminari non valentia prætermittens, illuminat ſequentia: ſicut prætermittens nubem aliquam illuminat, quæ ſub nube ſunt.* Vide ſi applicatio divini concurſus nō eſſet indifferens, quomodo ex ineptitudine recipientis deficeret tantùm effectus; non verò ex parte Dei præparantis : aut quomodo aliqua ſubterfugere poſſent activitatem divinæ virtutis: præparat ergo Deus cauſas ſecundas, præcipuè liberas præparatione indifferente, & non determinatè connexa. Videantur ad intentum plures alij Patres apud Ruiz diſp. 25. de Scientia, ſect. 11.

67 Ad extremum in hac conſtitutione futuritionis per decretum tanquam per formam reconvenire non deſinam Magiſtrum Palanco, qui cum diſputatione 14. de providentia, §. 7. num. 100. ægrè nimis ferat: libertatem creatam adæquatè ſumptam, conſtitui (apud Ieſuitas) per aliquid divinum: nimirum per decretum applicativum indifferens : quia, inquit, diſſonum ſatis eſſe, libertatem ex ſe diſtantem infinitè, vtpotè creatam, à libertate divina includere ex parte, & tanquam inadæquatum conſtitutivum aliquid infinitum, & divinum: tamen in præſenti diſſonantia abiecta, & vultu placido admittit aliquid creatum ſimpliciter, vt eſt futurum, conſtitui in eſſe talis per aliquid divinum, quale eſt decretum ſe ha-

habens vt futuritionem, & formam futuri, cum potius doctrinæ consequentia impulsus deberet exhorrescere formam divinam futuri limitati, & finiti, & quærere aliquid simpliciter creatum, quod tale munus exercet, ne moveat contra se scrupulos, quibus in aliorum sententia vehementer angitur: sit igitur prius iudex in propria causa, vt pro maturitate sibi solita de extraneis ferat iudicium; nec velit audire dum morbis Scholasticis tam dexterè medicinam adhibet: *Medice cura te ipsum.*

CAPVT III.

Progreditur sententiarum impugnatio.

68 SECVNDA conclusio: *Nulla futuritio rei distinctæ à præparatione causarum consistit in præparatione causarum, seu in causis, provt determinatis ad suum effectum.* Probatur 1. Quia non consistit in præparatione causæ, quæ sit decretum: non in alia præparatione distincta à decreto: ergo in nulla. Antecedens quoad primam partem constat ex prima conclusione: quoad secundam probatur. Omnis alia præparatio distincta à decreto aut est coniungibilis cum carentia effectus, aut essentialiter determinata ad effectū? Si primum: ergo non est futuritio simpliciter talis effectus: cū futuritio simpliciter talis non sit componibilis cum defectu futuri: alia igitur erit quærenda effectus futuritio simpliciter talis, à qua denominetur simpliciter futurus. Si secundum: erit futuritio purè illativa, & non formalis, vt in simili dictum est de decreto: quia talis futuritio respicit id quod, provt distinctum ab ipsa, est formaliter *effectum esse futurum*, cum ipsa non sit formaliter existentia effectus, nec duratio posterior, cui correspondet, nec carentia, quæ de præsenti datur effectus, provt correspondentis durationi futuræ, in quibus consistit formaliter effectus discernitur ab existenti de præsenti, à præterito, & à purè posibili: ergo nulla futuritio consistit in præparatione causæ distincta à decreto.

69 Probatur secundò. Si futuritio consisteret in præsenti præparatione, aut determinatione causæ ad effectum; cum futuritione præparationis, aut determinationis causæ ad effectum, non staret de præsenti *effectum esse futurum*; sed cum futuritione præparationis, aut determinationis causæ ad effectum stat de præsenti *effectum esse futurum*: ergo futuritio non consistit in præsenti præparatione, aut determinatione causæ ad effectum. Mai. est adversariorum apud quos, sine futuritione, & forma de præsenti non verificatur de præsenti *rem esse futuram*: vnde futuritio præparationis, aut determinationis causæ ad effectum non esset futuritio effectus; sed futuritio futuritionis effectus, à qua futurus in ratione futuri denominaretur. Prob. min. Effectum esse de præsenti futurum, est de præsenti verificari effectum processurum à suis causis in tempore futuro; sed quando præparatio, aut determinatio causæ ad effectum futura est, verificatur effectum processurum à suis causis in tempore futuro: ergo cum futuritione præparationis, aut determinationis causæ ad effectum stat de præsenti *effectum esse futurum*. Discursus est legitimus, & maior certa: propterea quod impossibile sit effectum processurum esse à suis causis in tempore futuro, & non habiturum esse in tempore futuro, quod formalissimè est effectum esse de præsenti futurum Prob. min. Quando futura est præparatio, & determinatio causæ ad effectum, futura est connexio causæ cum effectu, procedente à se, & vt taliter procedente; sed quando futura est connexio, determinatio ad aliquem terminum, futurus est terminus: cum connexio non possit dari sine termino, & pro modo existentiæ connexionis, aut determinationis ad terminum, verùm sit non defecturum terminum: ergo quando præparatio, aut determinatio causæ ad effectum futurum futura est, verificatur effectum processurum à suis causis in tempore futuro.

70 Confirmatur primò. Eo modo, quo effectus habet existentiam, exigit causam sibi proportionatam, vt dispositam, & præparatam ad sui existentiam: sed effectus futurus non habet de præsenti existentiam; sed habiturus est: ergo provt talis non exigit de præsenti causam sibi proportio-

natam, dispositam, & præparatam ad tribuendam existentiam; verùm cum futuritione præparationis, & dispositionis causæ, in tempore, quo habiturus est existentiam, contentus est. Confirmatur secundò. Quando futura est causa, vt coniungenda cum effectu, futurus est effectus: cum implicet futuram esse coniunctionem duorum extremorum, quin sint futura extrema: sed quando futura est causa, vt coniungenda cum suo effectu, futura est etiam præparatio causæ ad effectum: quia dum causa non habet esse, neque habere potest præparationem, dispositionem, aut determinationem vllam ad effectum: ergo quando futura est præparatio causæ ad effectum, ac per consequens nulla est de præsenti futuritio, futurus est effectus de præsenti.

71 Nec dicas: quod quando futura est causa, & præparatio illius, est de præsenti præparatio alterius causæ remotæ à qua, tàm causa, quam effectus denominantur futura. Non inquam dicas: quia de causa remota fit idem argumentum, do nec pervenias ad præparationem causæ primæ consistentem in decreto, quæ iam manet exclusa: tum etiam, quia effectus pro tunc non est tantum futurus remotè; sed proximè, & in se: ergo non tantum debet dari de præsenti futuritio remota consistens in præparatione causæ ad causam; sed etiam alia futuritio proxima, à qua denominetur effectus proximè futurus: at pro futuritione proxima effectus nihil invenitur de præsenti proportionatum: ergo absque aliquo de præsenti, quod sit futuritio proxima effectus, est de præsenti proximè futurus: quod si ita est, id, quod dicis de futuritione proxima; dic etiam de omni futuritione, quomodo denominabitur effectus complete futurus, absque aliquo de præsenti, quod sit præparatio, & determinatio causarum ad eventum futurum.

72 Probatur tertiò: Aut præparatio causæ, in qua de præsenti consistit futuritio, est præparatio causæ continens vltimam dispositionem, & determinationem causæ ad effectum, vel non? Si hoc secundum: sicut causa non dum est completè præparata ad effectum; ita nec effectus erit completè futurus. Si primum: ergo cum causa, provt vltimo dispositа, & præparata ad effectum non separetur tempore ab effectu, talis præparatio, & dispositio causæ ad effectum, non erit *futuritio*; sed *præsentia* effectus; vel ad summum erit quædam futuritio impropriſsima *signi*, & *à quo*; non verò futuritio *stricta*, & *temporalis*, & *in quo*: nulla ergo est præparatio, & dispositio causæ proportionata, vt in illa tanquam in aliquo de præsenti existente, consistat futuritio. Vrgetur. Nulla est causæ præparatio proportionata, vt sit præsentia effectus: ergo nulla est causæ præparatio proportionata, vt sit futuritio effectus. Probatur consequentia. Ideò primum est verum: quia licèt causa sit determinata, vt sit effectus de præsenti, datur aliud proximius, cui formaliter tribuatur præsentia effectus, & respectu cuius determinatio, & præparatio causæ tantùm se habet arguitivè: sed etiam in re futura, vt tali, vltra præsentem omnem præparationem causarum, quæ de præsenti detur, datur aliud proximius, cui formaliter tribuatur, rem esse futuram, & respectu cuius determinatio, & præparatio causæ tantum se habeat arguitivè, scilicèt existentia ipsa effectus correspondens tempori futuro: ergo si nulla est causæ præparatio proportionata, vt sit præsentia effectus, nulla est causæ præparatio proportionata, vt sit futuritio effectus.

73 Probatur quartò. In præsenti præparatione, & dispositione causarum non consistit ratio subiecti futuritionis: ergo in præsenti præparatione, & dispositione causarum non consistit ratio ipsa formalis futuritionis. Antecedens est certum: quia illud solum est subiectum futuritionis, de quo verificatur extiturum, & futurum esse: sed de quo verificatur extiturum, & futurum esse, provt tale, non est aliquid de præsenti: ergo in præsenti præparatione, & dispositione causarum non consistit ratio subiecti futuritionis. Probatur prima consequentia. Non minus verificatur de præsenti in denominatione futuri: *rem futuram esse subiectum futuritionis*; quàm *futuritionem convenire rei futuræ*. Deindè non minus verificatur de re futura esse subiectum proportionatum ad formam futuritionis; quam de futuritione esse formam accommodatam sub-

subiecto, vt ipsum denominet de præsenti futurum: sed licèt de re futura verificetur de præsenti, in denominatione futuri: *rem futuram esse subiectum futuritionis, & esse subiectum proportionatum ad formam futuritionis*, ratio *subiecti* futuritionis non consistit in præsenti præparatione, aut dispositione causarum: ergo licèt de *futuritione* verificetur convenire rei futuræ, & esse *formam accòmodatam* subiecto, vt ipsum denominet de præsenti futurum, ratio ipsa formalis futuritionis non consistit in præsenti dispositione, & præparatione causarum.

74 Confirmatur. Denominatio, quæ de præsenti tribuitur rei futuræ in esse talis æquè respicit vt non fictum, & reale *formam denominare subiectum*; *quàm subiectum esse denominatum à forma*: *formam esse applicatam subiecto*; *quàm subiectum esse capax suscipiendi formam*, & *effectum formalem illius*: ergo aut ratio vtriusque in vi realitatis, quàm secum fert denominatio *futuri*, debet esse de præsenti, aut nullius: sed per te ratio *subiecti futuritionis* in vi realitatis, quam secum fert denominatio *futuri* non requirit præsentem præparationem causarũ, vt constitutivum ipsius: ergo neque ratio futuritionis, & formæ denominationis *futuri* in vi realitatis, quam secũ fert prædicta denominatio, non requirit præsentem præparationem, & dispositionem causarum, vt constitutivum ipsius. Vrgetur: sicut denominatio formæ constituit denominationem *futuri*: sic denominatio subiecti constituit denominationem *futuri*; sed huic denominationi: *est subiectum in denominatione futuri*, non correspondet aliquid de præsenti: ergo nec huic denominationi: *est forma futuritionis*, *seu futuritio* non correspondet aliquid de præsenti in præparatione, & dispositione causarum.

75 Probatur quintò. Præteritio non consistit in præsenti in dispositione causarum ad id, quod fuit: ergo neque futuritio in præsenti dispositione causarum ad id, quod erit. Antecedens nobis conceditur. Probatur consequentia. Non minus est realis denominatio *præteriti* comparata ad id, quod fuit; quàm denominatio *futuri* comparata ad id, quod erit. Deindè non est magis connexa, aut in connexa præsens dispositio causarum connotata re futura, cum re futura quàm præsens indispositio causarum, connotata re præterita cum re præterita: sed non obstante realitate præteritionis, præteritio non consistit in præsenti in dispositione causarum ad id, quod fuit: ergo non obstante realitate futuritionis, futuritio non consistit in præsenti dispositione causarum ad id, quod erit. Explicatur. Causam esse nunc indispositam, quæ prius fuit dispositа, non est pro formali *effectum præterijsse*: ergo causam esse nunc dispositam, & quæ post non erit dispositа, non est pro formali *effectum esse futurum*. Consequentia probatur. Quia sicut indispositio præsens causæ se habet ad præteritam dispositionem, sic se habet præsens dispositio ad futuram indispositionem: ergo si præsens indispositio comparata ad præteritam dispositionem non se habet, vt præteritio effectus; paritèr præsens dispositio comparata ad futuram indispositionem non erit futuritio effectus: vel dic: quid speciale sit in indispositione præsenti, quod ipsam excludat à ratione præteritionis pro formali, & non sit in præsenti dispositione, vt excludatur à ratione futuritionis pro formali.

76 Probatur sextò. Nam, vt inquit D. Thom. libr. 1. Perhermen. lect. 25. circa finem: eo modo, quo effectus habet esse in causa est futurus: ideòque quando causa est simplicitèr determinata ad effectum, hic est simplicitèr futurus; si verò tantùm sit magis propensa, vt sit; quàm vt non sit, potest dici futurus: sed non cum omnimoda certitudine. & demum quando causa est plenè indifferens, effectus tantùm dicitur possibilis: sed esse, quod habet effectus in causa determinata ad illum non est esse *formale*; sed tantùm *virtuale*, & *arguitivum*: ergo neque propter talem determinationem in causa est formalitèr futurus; verùm tantum virtualitèr, & arguitivè, in quantum de præsenti datur argumentum rei, vt futuræ magis, aut minus efficax pro maiore, aut minore determinatione causæ ad effectum. Confirmatur. Iuxta Angelicum Doctorem: eo modo, quo quando causa est determinata, effectus dicitur futurus, quando causa est indifferens, effectus dicitur tantùm possibilis: sed quando

causa est indifferens ad effectum, hic non dicitur formaliter possibilis ab indifferentia suæ causæ; sed tantùm arguitivè. & extrinsecè, in quantum esse indifferens ad effectum, est posse cum illo coniungi: ergo quando causa est determinata ad effectum, hic non dicitur formaliter futurus à determinatione causæ; sed tantùm arguitivè, & extrinsecè, in quantum determinatio causæ ad effectum, si sit simpliciter talis, nequit stare absque eo, quòd effectus sit in se formaliter futurus.

77 Probatur septimò. Futurum semel, quod futurum sit ante rei existentiam, nullam habet variationem: sed præparatio causæ ante rei existentiam, multas habet variationes: ergo rem esse futuram, non consistit in præparatione causarum. Consequentia est legitima. Nam si res constitueretur futura, per causæ præparationem tanquam per formam, dum causa transit de præparata, ad non præparatam, vel de non præparata, ad præparatam, futurum similiter transiret de futuro, ad non futurum, vel de non futuro, ad futurum. Prob. min. in qua sola est difficultas: Nam, vt ex ipsa experientia constat, sæpè causa, quæ tempore antecedente non erat præparata, incipit habere præparationem, sicut & quæ tempore antecedente habebat præparationem, incipit illam deperdere, ex contrarietate agentium: sed hoc est causæ præparationem ante existentiam rei, seu effectus, multas pati variationes, ex quibus iam res futura, iam non futura dicenda foret, eo ipsissimo tempore, quo invariabiliter in se est futura, propter existentiam, quam habitura est tempore posteriori: ergo præparatio causæ, ante rei existentiam, multas habet variationes. Nec proficit, si propterea recurras ad divinum decretum, quod si existat, semper invariabiliter existit: vel quia id est sententiam deserere: cum in præsenti agamus de præparatione distincta à decreto: vel quia constitutio futuritionis in decreto iam manet exclusa: vel denique quia his transmissis, per persistentiam invariabilem decreti, non impeditur variabilitas præparationis in concreto, & prout afficiens causam creatam, à qua procedit effectus: quomodo solùm effectus dicitur futurus in præsenti esse, quod habet in causa: quia causa, respectu cuius datur ab æterno decretum præparativum, ante effectus existentiam, transit de non esse ad esse, & de non præparata in vno tempore, ad esse præparatam in alio, stante invariabili futuritione rei futuræ, quæ etiam ab æterno futura fuit: non ergo vtilis est persistentia, & invariabilitas decreti, ad probandam invariabilem præparationem causarum toto eo tempore, quo effectus in ratione futuri invariabilis est.

78 Probatur octavò, specialiter pro futuris contingentibus liberis, respectu quorum causa libera non aliam præparationem permittit quàm indifferentem ad vtrumvis: aliàs effectus non proveniret à causa, vt libera; sed vt determinata ad vnum: quomodo futurum liberum destrueretur per formam ipsam, qua constituitur, vt constat ex principiis generalibus de libertate hìc non discutiendis: At respectu causæ liberæ datur effectus futurus, scilicèt, omnes illi actus, qui à prædicta causa de præsenti liberè existunt, & qui tempore antecedenti non extiterunt, cum extituri essent, & nulla datur præparatio causæ determinata ad ipsos, vt erat necessarium ad constituendam de præsenti futuritionem in tali præparatione: ergo saltem futuritio alicuius futuri non consistit in præsenti præparatione causarum, quo dato nullum restat fundamentum pro reliquis futuris, vt futuritio ipsorum constituatur in præsenti præparatione causarum. Hanc causæ indifferentiam supponit D. Thom. adductus numero præcedenti docens inter causas, alias esse simpliciter determinatas ad vnum: alias inclinatas, sed non simpliciter determinatas: alias verò omninò indifferentes, & quæ propterea non habent in se vllam futuritionem, arguitivam effectus: vndè obiter noto contra Thomistas, quod si de mente Div. Thomæ esset præparatio connexa cum effectu, & consistens in decreto, frustra tradidisset illam divisionem præparationis *determinatæ, inclinatæ, & indifferentis*: cum nulla esset causa, quæ de præsenti non haberet præparationem, determinatam simpliciter ad effectum causæ possibilem: scilicèt

cèt decretum connexum cum determinato extremo, aut negatio illius sivè positiva, sivè privativa connexa, aut cum altero effectu determinato, aut cum negatione illius. Verùm, vt clariùs constet mens Div. Thomæ, erga futuritionem actuum liberorum.

79 Concludat probationes huius secundæ conclusionis Angelicus Doctor æquè favens etiam primæ, cuius sententiam, acuratè satis, proponit Fasolus, quæst. 14. art. 13 dub. 9. à num. 102. Ostendens, quàm disita sit à mente D. Thom futuritio contingens effectus, nobis liberi, consistens in præsenti præparatione causarum, sivè includens ea, quæ sunt ex parte Dei, sivè præscindens ab ipsis. Etenim in præsenti art. 13. Vbi de Scientia divina futurorum agit, sequentia profert in corpore: *Considerandum est, quod contingens aliquod dupliciter considerari potest: vno modo in se ipso, secundùm quod iam in actu est: & sic non consideratur, vt futurum; sed vt præsens, neque ad vtrumlibet contingens; sed vt determinatum ad vnum, & propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni. Alio modo considerari potest contingens, vt est in sua causa, & sic consideratur, vt futurum, & vt contingens non dum determinatum ad vnum: quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni: vnde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantùm, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem: Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis; sed etiam prout vnumquodque eorum est actu in se ipso.* Et ad 3. *Ea, quæ sunt scita à Deo oportet esse necessaria secundùm modum, quo subsunt diuinæ Scientiæ;* (vt dictum est) *non autem absolutè secundùm quod in proprijs causis considerantur.*

80 Consonat 2.2. quæst. 171. art. 6. ad 2. *Quamvis contingentia futura, prout sunt in se ipsis sint determinata ad vnum; tamen prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire.* Et lib. 1. contra Gentes cap. 67. num. 6. *Ordo contingentium ad suas causas proximas est, vt contingenter ex eis proveniant.* Et in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. circa medium corporis: *Quædam causæ sunt, quæ se habent ad vtrumque, & in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem; & ideò contingentia ad vtrumlibet in causis nullo modo cognosci possunt; sed quando iam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in se ipsis esse determinatum, & ideò quando sunt in actu, certitudinaliter cognoscuntur*: ibidem ad 2. *Futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam; sed dum est in actu determinatè verum est.* Et ad 3. *Futurum contingens relatum ad Dei cognitionem est necessarium: quia ad ipsum non refertur nisi secundum quod est in esse actuali.* Et ad 5. *Ratio futuri subiacet diuinæ Scientiæ secundùm, quod habet esse determinatum in actu.* Vndè paulò post de eadem re futura inquit. *Ista res, vt est in causis antequàm sit in actu, ibi non habet necessitatem, nec ibi est scita à Deo futura esse: non enim scit Deus effectum contingentem esse determinatum in causa sua: quia esset falsa Scientia, cum in causa sua determinatus non sit.*

81 In quibus omnibus locis notandus est absolutissimus modus loquendi, excludens futurum contingens à ratione talis, ex vi præparationis causarum ex eo, quod tales causæ nullam habeant determinationem, vt effectus sit futurus: vnde aptum medium non sunt, vt in ipsis Deus futura contingentia cognoscat, quæ omnia aliter evenirent, si preparatio ipsa causarum cōtingentium ad effectus liberos, esset futuritio ipsorum: nam quis negabit futurum non posse cognosci in eo, quod formaliter ipsum tale constituit. At S. Thom. absolutissimè negat futurum contingens liberum habere certitudinem in causa: ergo quia censet futuritionem prædicti futuri non stare in tali causa, vt determinata, nec dari vllam eiusdem causæ determinationem. Inde excluſa manet solutio ab aliquibus tradita, inter quos Bañez, & Albarez intelligentes D. Thomam de causa contingente *indeterminata, & incompletè sumpta*: quomodo, vt propriam sententiam retineant, non verentur ostendere Angelicum Doctorem minus cautum, & diminutum in sua explicatione. Nam, vt benè observat citatus Fasolus, D. Thomas ex instituto tractans in præsenti artic. 13. An in causa contingente certitudinaliter videri possit effectus, si iudicasset causam contingentem considerari posse incompletè, & quatenus natura sua indeterminata ad effectum, & completè secundùm aliquam determinationem ipsi ab extrinseco, & ex parte Dei provenientem, per quam determinaretur ad effectum, diminutè satis processisset: eam tantùm con-

considerando in primo sensu, & secundùm propriam naturam indeterminatam, reticens omninò considerationem aliam, & inferens, ex antecedenti limitato, conclusionem absolutissimam, & minimè restrictam de incertitudine effectus contingentis in sua causa, de indeterminatione huius ad effectum, & de sola cognitione coniecturali effectus, ex præparatione causæ, se habentis ad oppositа: signum ergo est Div. Thomam non agnovisse talem determinationem, tenentem se ex parte Dei, quam facillimè potuisset exprimere, & per eam difficultatibus occurrentibus erga Scientiam futurorum contingentium solutionem parare, quod non facit, neque in mentem ipsius venit.

82 Tertia conclusio: *Nullius rei, distinctæ à scientia divina, futuritio consistit in scientia divina, aut in aliquo pertinente ad divinum intellectum.* Probatur primo authoritate. Quia si divina Scientia, qua Deus cognoscit aliquid distinctum à se, aut absolutè, aut conditionatè extiturum, esset futuritio illius: perconsequens Scientia divina esset ratio, & causa ob quam obiectum per ipsam repræsentatum, & quod in re futurum est, tale constitueretur: sed Scientia divina non est ratio, & causa ob quam obiectum futurum per ipsam repræsentatum tale sit: ergo Scientia divina nullius obiecti, distincti à se, est futuritio. Cætera constant præter minorem, quæ sic probatur clarissimè. Ex Patrum sententia, quorum concors vox est: *Futura non esse talia, quia à Deo sciuntur; sed potius à Deo sciri, quia futura sunt*: item Scientiam divinam non esse rationem, cur futura sint ea, quæ per ipsam repræsentantur; imò potius futura secundùm esse proprium obiectivum esse rationem, cur existat Scientia. Audiantur ad intentum præsens verba iam alibi semel, & iterum in hoc tractatu, in alios fines relata: Hieronymi in cap. 26. Isaiæ: *Non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, id circò futurum est; sed quia futurum est, Deus novit.* Et in cap. 16. Isaiæ paulò ante finem: *Non quod præscientia Dei causam vastitatis attulerit; sed quod vastitas futura, Dei maiestati prænota sit.* Iustini Martyris lib. quæst. ad Gentiles, quæst. 58. *Nec causa est eius, quod futurum est prænotio; sed quod futurum est, causa est prænotionis: neque enim prænotionem sequitur id, quod futurum est; sed quod futurum est prænotio.* Augustl. lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. *Neque enim ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse, præscivit.* Damasceni dialogo adversus Manichæos, non multo ante finem: *Et quidem Dei præscientia vera, atque inviolabilis est; verùm ipsa haud quaquam causa est, cur omninò fiat, id quod futurum est; quin potius, quia hoc vel illud facturi sumus, ideò prænoscit.* Eusebij lib. 6. de præparatione Evangelica cap. 9. ante medium: *Deus cum vniuscuiusque voluntatem prævideat, hunc perperam: illum rectè acturum non ignorat: non ergo præcognitio futurorum causa; sed è contra.* Boetij de consolatione Philosophiæ lib. 5. prosa 3. ex aliorum sententia refert: *Non ideò quid esse venturum, quoniam id providentia futurum esse perspexerit; sed è contrario: potius quoniam quod futurum est, divinam providentiam latere non possit.* Quod iudicium prosa 4. ipse approbat addens: *Scientiam Dei esse signum, quod tantùm quid sit, ostendit; non vero efficit quod designat.*

83 Igitur recognoscant adversarij suas propositiones, & invenient immediatè oppositas propositionibus Patrum: dicunt enim: *Id circò futura esse: quia à Deo cognoscuntur*: dicunt Patres: *non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, id circò futurum est.* Adversarij dicunt: *Prænotionem, seu Scientiam divinam esse rationem, seu causam formalem futuri*: dicunt absolutissimè Patres: *Nec causa est eius, quod futurum est prænotio*, quo omne genus causæ in futurum à Scientia divina removent: dicunt: *Futura sequi prænotionem, sicut effectus formalis sequitur suam formam*: dicunt Patres: *Neque enim prænotionem sequitur id, quod futurum est; sed quod futurum est prænotio*: dicunt: *Scientiam divinam non modo esse signum, aut repræsentationem futuri; verùm efficere id, quod designat, in quantum repræsentando dat illis formam, à qua denominantur futura*: dicunt Patres: *Scientiam Dei esse signum, quod tantùm quid sit ostendit, non verò efficit, quod designat*: quæ ita opponuntur inter se, vt non magis è regione opponi possint.

84 Si respondeant: Patres procedere de futuris, specificativè acceptis; secus de ipsis reduplicativè sumptis, id est: Scientiam divinam no esse rationem, & causam illius, quod denominatur futurum; esse tamen causam illius provt futurum est: modo, quo albedo non est causa subiecti, quod denominatur *album*; est tamen ratio, & causa illius

provt

provt *albi*. Contra est: tum quia id quod ipsi dicunt *futurum specificativè sumptum*, habet in se quidquid est necessarium, v, sit futurum reduplicativè sumptum, vt constabit ex dicendis: tum etiam, quia hoc transmisso, modus absolutissimus Patrum, quo omnem causalitatem excludunt à Scientia divina in futura, quæ repræsentat; solutionem datam enervat: alioquin PP. nimis confusè in difficultate gravissima, de cohærentia divinæ præscientiæ cum nostra libertate, processissent, & præcisione Recentiorum non explicata, difficultatem sibi obiectam potius excitarent, quàm extinguerent.

85 Confirmatur, ex dicto Augustini lib. 5. de Civitat. cap. 9. vbi sugillans Ciceronem, negantem Scientiam futurorum contingentium in Deo: quia, vt ipse dicebat lib. 2. de natura Deorum: *Mihi quidem videtur neque in Deum cadere, vt sciat, quod futurum est: nam si scit, certò eveniet, quod si certò eveniet, nullus est casus, neque fortuna.* Intulit Magnus Parens: *Quod* (videlicèt liberum arbitrium) *vt confirmaretur, negavit præscientiam futurorum, atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos.* Vnde sic: sublimi, & subtili ingenio Augustini non aliud se se obtulit inferendum contra errorem negantium Deo Scientiam futurorum contingentium, nisi quod ex illo fierent homines sacrilegi ex ignorantia quam divino intellectui & infinitæ Sapientiæ Dei inferebant, vt conservarentur liberi in suis determinationibus: at si iudicasset, consistere futuritionem in ipsa Scientia divina pro formali, immediatius quidem, & magis ad mentem, & conditionem Phylosophorum cum quibus agebat, intulisset se implicare in terminis: propterea quod ex vna parte concederent futura, & ex alia negarent scientiam, quod planè erat concedere futurum, & negare constitutivum ipsius: concedere effectum formalem, & negare formam: ponere futurum, & tollere de presenti id sine quo, vt de præsenti existenti, consistere non valet futurum: ergo quia de mente August. non erat futuritionem consistere in Scientia divina, & à divina prænotione tanquam à forma denominari, & constitui futura ea, quæ talia sunt: cæterùm cum non sit abreviata manus Domini, occurrit cogitationi Recentiorum id, quod mentem excelsam, & ingeniorum Phenicem prætervolavit: melius ergo, & cònsequentiùs ad mentem Augustini, & reliquorum Patrum se explicarunt antiquiores aliqui Theologi, vt Rubion in 1. dist. 39. quæst. 2. art. 2. initio, & in secunda conclusione dicens: *Quod si per impossibile Deus non intelligeret contingentia esse fienda, nihilominus fierent.*

86 Probatur secundò ratione. Id quo præcisè non intellecto, & reliquis intellectis adhùc intelligitur futurum, non est forma, nec constitutivum futuri; sed non intellecta Scientia divina cuiusvis distincti ab ipsa, & reliquis intellectis, adhùc intelligitur futurum: ergo Scientia divina non est forma, nec constitutivum cuiusvis futuri distincti ab ipsa. Mai. est certa, nam nihil potest intelligi completum in suo esse, deficiente constitutivo illius. Prob. min. Deficiente Scientia divina cuiusvis futuri distincti ab ipsa, & reliquis intellectis, intelligitur res, sivè positiva, sivè negativa correspondens durationi posteriori, & provt taliter correspondens non existens de præsenti; sed res sivè positiva, sivè negativa correspondens durationi posteriori, & provt taliter correspondens, non existens de præsenti est futurum, seu futura: ergo non intellecta Scientia divina, cuiusvis distincti ab ipsa, & reliquis intellectis, adhùc intelligitur futurum. Min. videtur certa: quia res, provt correspondens durationi posteriori & provt taliter correspondens, non existens de præsenti, est formaliter existens, & non de præsenti, neque de præterito: ergo de futuro: cum inter hos status, supposita existentia rei, non detur medium. Prob. mai. Deficiente Scientia Dei, & reliquis intellectis intelliguntur omnia illa, quæ in suo esse per scientiam formaliter non cōstituuntur: at res quævis, sivè positiva, sivè negativa distincta à Scientia, provt correspondens durationi posteriori, & provt taliter correspondens, non existens de præsenti, per scientiam formaliter nō constituitur: quia Scientia nec est formaliter existentia rei, neque duratio illius, neque non existentia, quæ de præsenti datur: ergo deficiente Scientia divina cuiusvis futuri, distincti ab ipsa, & reliquis intellectis intelligitur res sivè positiva, sivè negativa correspondens durationi posteriori, & provt taliter correspondens, non existens de præsenti.

Con-

87 Confirmatur. Non intellecta Scientia divina, & reliquis intellectis, quæ ad constitutionem futuri spectant, Deus ex omnium conceptione intelligeretur ignorans: at Deus non intelligeretur ex omnium apprehensione ignorans, si sola non intellecta Scientia, & reliquis intellectis, non intelligeretur futurum: ergo non intellecta Scientia divina, & reliquis intellectis, quæ ad futurorum constitutionem spectant, adhùc intelligerentur futura distincta ab ipsa. Mai. constat, ex impugnatione erroris concedentis futura, & negantis Deo cognitionem illorum, vt vidimus in Cicerone. Prob. min. Non intelligitur, ex omnium apprehensione, vllus ignorans alicuius conceptus, quando sola remota scientia ab intellectu cognoscentis, & reliquis intellectis, non remanet conceptus verè, vt talis, scibilis, & cognoscibilis: at si sola non intellecta scientia divina, & reliquis intellectis non intelligeretur futurum, sola remota scientia divina ab intellectu Dei cognoscentis, & reliquis intellectis, non remaneret conceptus futuri in esse verè scibilis, & affirmabilis per scientiam in esse talis: cum deficiente futuritionis forma, deficeret etiam futurum in esse talis, & provt futurum est, & verè dicitur: ergo Deus non intelligeretur ex omnium apprehensione ignorans, si sola non intellecta Scientia, & reliquis intellectis, non intelligeretur futurum.

88 Nec dicas communem apprehensionem de ignorantia Dei, sublata Scientia futurorum, non esse absolutam; sed respectivam, & vt dicunt, ad hominem, nempè suppositis his, quæ tradebantur à protegentibus talem errorem: quia cum ex vna parte supponerent esse futura, & ex alia negarent Deo Scientiam illorum, optimè ex his præmissis inferebatur contra ipsos: *Constituere Deum ignorantem*, quod non arguerent ex solo defectu Scientiæ, reliquis manentibus, aut per intellectum, & rationem assumptis, quæ ad constitutionem futurorum pertinere possunt. Quia, vt diximus, mirum quid erit, quod ad extirpandum errorem pernicioſissimum, & detestabilem, solum occurrerit caput illud ignorantiæ, omni alio relicto, vnde vehementer vrgeri possent: præcipuè quando boni impugnatoris est, nihil omittere conducens ad ostendendam falsitatem oppositæ sententiæ, sicut, & implicationem, quam in ipso, quod asserit, includit.

89 Probatur tertiò. Quia, vt in simili diximus de decreto: Scientia divina, provt est Scientia futurorum, aliquid repræsentat, quod non est ipsa: sed id repræsentatum quod non est ipsa, formaliter est adæquatè, & completè futurum: ergo futuritio eorum, quæ futura sunt, non consistit in Scientia, quæ illa intellectui divino repræsentat. Mai. est certa: alioquin Scientia futurorum non esset repræsentativa alicuius creati, & extra Deum existentis. Prob. min. Id quod à Scientia divina futurum repræsentatur, vt distinctum realiter ab ipsa, est aliquid in se formaliter correspondens durationi non præsenti, & quæ non fuit; sed id quod, provt realiter distinctum à Scientia, est aliquid in se formaliter correspondens durationi non præsenti, & quæ non fuit, est formaliter adæquatè, & completè futurum: ergo id repræsentatum per Scientiam, quod non est ipsa, formaliter est adæquatè, & completè futurum. Probatur min. Id, quod, provt realiter distinctum à Scientia, est aliquid in se formaliter correspondens durationi non præsenti, & quæ non fuit, est id, quod in se formaliter, provt distinctum realiter à Scientia, completè, & adæquatè erit; potius quàm est, aut fuit; sed id, quod provt distinctũ realiter à Scientia, completè, & adæquatè erit potius, quàm est, aut fuit, provt distinctum realiter à Scientia, est formaliter adæquatè, & completè futurum: ergo id, quod, provt distinctum realiter à Scientia, est aliquid in se formaliter correspondens durationi non præsenti, & quæ non extitit, est formaliter adæquatè, & completè futurum. Vrgetur: id, quod, provt realiter distinctum à Scientia, est in se adæquatè formaliter existens, & non præsens, nec præteritum, est, provt sic distinctum formaliter futurum; sed id quod per Scientiam futurorum repræsentatur, est id quod, provt realiter distinctum à Scientia, est ex se formaliter existens, & non præsens, nec præteritum: ergo est in se formaliter futurum, provt taliter distinctum realiter à Scientia.

90 Probatur quartò. Præsentia non habent formaliter à Scientia divina esse præsentia: ergo futura non habent formaliter à Scientia divina esse futura. Antecedens est certum: probatur con-

se-

sequentia: sicut Scientia divina connectitur cum futuris,& repræsentat futura, sic connectitur cum præsentibus, & repræsentat præsentia: deinde sicut præsens est aliquid, quod non est Scientia præcisè sic futurum est aliquid, quod non est præcisè Scientia: ergo si præsentia non habent formaliter à Scientia divina esse præsentia, nec futura habent formaliter à Scientia divina esse futura. Confirmatur. Magis proportionatum est esse præsens, vt sit forma præsentis; quàm esse præsens, vt sit forma illius, quod physicè non est præsens, sed erit; sed Scientia Dei secundùm suum esse præsens, non est proportionata, vt sit forma præsentis: ergo neque eadem Scientia, secundum suum esse præsens, est proportionata, vt sit forma illius, quod non est physicè præsens; sed erit. Iterum confirmatur. Modus vniformis tendendi, qui est in Scientia divina circa suum obiectum non patitur diversitatem denominationis formæ futuri, & non formæ præsentis, nisi ex improportione obiecti, vt accipiat à Scientia vnam denominationem; & proportionem illius, vt accipiat aliam: at hæc improportio, & proportio ex parte obiecti non aliter constituitur, quã per diversitatem statuum ipsius obiecti existentis: quorum vnus est status præsentis; alter verò non est status præsentis: ergo independenter constitutivè à forma divinæ Scientiæ, & ex parte capacitatis subiecti datur hæc diversitas statuum: iam sic: status non præsentis ex parte obiecti, qui non est status præteriti, neque possibilis, est status futuri; sed status futuri, independeter à Scientia divina constitutivè, est status futuri, non involvens Scientiam divinam, vt futuritionem, & formam: ergo Scientia divina non est futuritio, nec forma constitutiva futuri in esse talis.

91 Probatur quintò. Sicut de præsenti est verum obiectum esse futurum, sic etiam de præsenti est verum obiectum in ratione subiecti denominationis futuri esse capax prædictæ denominationis: deinde sicut futuritio est forma denominationis futuri: sic capacitas subiecti est forma, aut quasi forma denominationis subiecti, in esse proportionati ad formam futuritionis; sed denominatio subiecti proportionati, & capacis ad formam futuritionis, nec requirit formam, aut quasi formam de præsenti; nec munus talis formæ, aut quasi formæ coaptantis subiectum, ad denominationem tribuitur Scientiæ divinæ, existenti de præsenti: ergo nec denominatio futuri requirit formam de præsenti, nec munus talis formæ denominantis futurum debet tribui Scientiæ divinę existenti de præsenti.

92 Muniunt se adversarij paritate denominationis *cogniti*, qua censent nostrum argumentum instari: in ea enim forma debet dari de prę̨senti, quin obiectum, quod subiacet tali denominationi, debeat dari de præsenti, vt patet in his, quæ cognoscuntur, vt non existentia, possibilia, præterita, & futura: igitur in denominationibus de præsenti est disparitas ab omnibus tradenda inter formam, & subiectum illius taliter, vt præsentia requisita formæ non arguat requisitam prę̨sentiam subiecti. Sed contra primò. Quia sicut ipsi arguunt ex vna denominatione de præsenti, requirente formam de præsenti physicè ad omnem denominationem de præsenti; sic ego arguam ex pluribus denominationibus de præsenti, quæ apud ipsos, & apud omnes requirunt, tàm formam, quam subiectum physicè de præsenti, vt omnes denominationes de præsenti idem requirant: vnde pro denominatione futuri quærendum erit aliquid de præsenti, quod non modo induat rationem formæ; verùm rationem subiecti. Contra secundò. Quia in tantum instantia illa denominationis *cogniti* nos cogere posset, in quantum nos diceremus talem denominationem exigere formam de præsenti, physicè existentem, titulo denominationis, quæ de præsenti tribuitur, & verificatur de subiecto; at nos id non dicimus; sed ad conditionem denominationis, & formæ denominantis recurrimus: cum impossibile sit aliquid esse cognitum, quin sit intellectus cognoscens, neque intellectus defacto & actualiter cognoscens, quin detur defacto cognitio, & repræsentatio in intellectu cognoscentis: aliter verò est in contraria sententia in qua præcisè arguitur ex titulo denominationis de præsenti, cui satisfieri non potest nisi per aliquid de præsenti, & ideò semper vrget: cur denominationi de præsenti in ratione *futuri*, vt fiat satis, requiratur forma de præsenti; & denominationi *subie ti*, & *capacis* ad effectum formalem participatum à forma, vt fiat satis, non requira-

tur

tur aliquid de præsenti præcipuè quando, si ratio ipsorum aliquid probet, sicut pro denominatione de præsenti vera requiritur semper aliquid de præsenti: sic pro diversa denominatione de præsenti vera, requiratur diversum quid de præsenti, physicè existens.

93 Inde vires accrescunt argumento, & fundamentum contrariæ sententiæ, vt leve satis redarguitur. Nam per vos; aut denominatio de præsenti, titulo præcisè talis, requirit aliquid de præsenti physicè existens, vel attendenda simul est conditio formæ, & denominationis? Si primum: sicut arguunt ex præsentia denominationis ad præsentiam formæ: sic ego arguam ex denominatione adæquata verificata de præsenti, ad præsentiam subiecti: vel si stat adæquatum denominationis de præsenti, sine adæquato de præsenti, deficit ratio pro inadæquato de præsenti. Si secundum: idem, quod dicant de conditione formæ, & denominationis, vt non sit necessarium de præsenti subiectum, dicam ego de præsentia formæ, attenta conditione ipsius, & denominationis: vnde in limine hærebunt adversarij, ponderationesque illæ de veritate præsenti, realitate, & non fictione denominationum de futuro valdè frigescent, manente tantùm nobis admiratione, cum videmus, quidquid dicat Aranda, placere aliquibus Recentibus, quæ à principio nostræ Scholæ, præcipuis Societatis Authoribus displicuerunt.

94 Probatur sextò, ad hominem contra adversarios, qui nobis conveniunt in eo, quod existentia rei, quę erit, est connexa metaphysicè cum Scientia divina, à qua pro nunc denominatur futura. Insuper veritatem illam obiectivam, quæ erit à libertate creata in duratione posteriori, provt correspondentem tali durationi, dicere aliquam prioritatem ad Scientiam in genere determinativo, ita taliter, vt potius verificetur: *Scientia est: quia consensus, vel absolutè, vel conditionatè erit, sumpto consensu, qui erit, specificativè secundùm existentiam, quam dicit, à sua causa, non reduplicativè, provt erit, & est futurus*; quàm *consensus erit specificativè, sivè absolutè, sivè conditionatè, quia existit Scientia.* Iam sic: existentiam rei, quæ erit, vel absolutè, vel conditionate, specificativè sumptam, esse connexam cum Scientia, quæ modo datur, & esse determinativum obiectivum illius, sunt denominationes, quæ de præsenti conveniunt rei futuræ; v. g. *Consensui*: etenim sicut de ipsa Scientia verificatur de præsenti esse terminum connexionis illius, quod erit; sic verificatur de præsenti illud, quod erit esse fundamentum connexionis cum tali Scientia: & sicut de præsenti verificatur: *Scientia existit determinata obiectivè à futuro specificativè sumpto*: sic etiam de præsenti verificatur: *futurum specificativè acceptum esse determinativum obiectivum Scientiæ*; sed pro his denominationibus de præsenti nihil de præsenti datur, quod se habeat, vt forma earum: ergo pro denominatione *futuri*, quæ de præsenti datur, frustra requiritur aliquid de præsenti, quod se habeat, vt forma. Prob. min. Nihil aliud est de præsenti præter Scientiam divinam; sed Scientia divina neque est forma sui obiecti, vt cum Scientia connexi: aliàs in connexione obiecti cum Scientia nihil aliud inveniretur, inseparabile à Scientia, præter ipsam Scientiam: neque est forma obiecti provt determinantis Scientiam: alias *totum existere Scientiam determinativè ab obiecto*; refunderetur in ipsam Scientiam à se determinatam: rueretque totum fundamentum doctrinæ Societatis, ad conciliandam præscientiam Dei cum nostra libertate: ergo pro his denominationibus de præsenti nihil de præsenti datur, quod se habeat, vt forma earum.

95 Explicatur: non modò est verum in obiecto futuro: *Id quod erit specificativè acceptum, erit fundamentum connexionis Scientiæ, quæ de præsenti datur*; sed: *est fundamentum cõnexionis scientiæ, quæ de præsenti datur*; aliàs nec de præsenti verificaretur, Scientiam esse terminũ connexionis illius, quod erit, specificativè acceptũ; sed tantùm de futuro, quod erit terminus connexionis illius, quod erit, specificativè acceptum: sicut a contrario non modo verificatur: quod obiectum futurum, specificativè acceptum, erit terminus connexionis Scientiæ, quæ de præsenti datur; sed quòd est terminus connexionis Scientiæ, quæ de præsenti datur: aliàs nec de præsenti Scientia esset affirmanda connexa cum obiecto futuro, specificativè accepto. Nec video quid plus sit necessarium, ad verificandum de præsenti, esse fundamentum connexionis, quàm esse terminum connexionis: vlterius, non modo est verum;

rum, obiectum futurum ſpecificativè acceptum, futurum determinativum Scientiæ, quæ de præſenti datur; ſed eſſe de præſenti determinativum: aliàs nec de præſenti verificaretur, Scientiam exiſtere determinatam; ſed futuram determinandam; & quod plus eſt pro ipſa futuritione in eſſe *determinativi*, & *connexi*, eſſet quærenda forma de præſenti, quo fieret, vt ab ipſa Scientia eſſet determinatio, & connexio, quod non concedunt adverſarij; ſed hæ denominationes de præſenti, convenientes obiecto futuro, ſpecificativè accepto, non habent formam de præſenti, propter rationem inſinuatam: ergo nec denominatio *futuri*, quæ de præſenti tribuitur obiecto, debet habere, etiam apud ipſos formam conſtitutivam de præſenti.

96 Probatur ſeptimò. Si futurum liberum, non modo ſpecificativè verum reduplicativè ſumptum, præcedit ad Scientiam, futurum liberum non eſt tale, cuius futuritio conſiſtat in Scientia; ſed futurum liberum non modo ſpecificativè; verùm reduplicativè ſumptum, præcedit ad Scientiam: ergo tale non eſt, cuius futuritio conſiſtat in Scientia Mai. eſt certa. Nam futurum reduplicativè, vt tale, dicit futuritionem ergo ſi reduplicativè, vt tale, præcedit ad Scientiam, propriori ad Scientiam, iam intelligitur cum futuritione: ac per conſequens tale eſt, cuius futuritio non conſiſtit in Scientia. Prob. min. Futurum liberum in ſigno priori, in quo intelligitur determinativum Scientiæ, intelligitur, vt liberum; ſed futurum, vt liberum, eſt futurum non modo ſpecificativè: verùm reduplicativè ſumptum: ergo futurum liberum non modo ſpecificativè; verùm reduplicativè acceptum præcedit ad Scientiam. Mai. eſt certa: nam ſi futurum liberum in ſigno priori, in quo intelligitur determinativum Scientiæ, non intelligeretur, vt liberum nihil prodeſſet præcedentia futuri ad Scientiã, ad ſalvandam libertatem ipſius ex conſequentia Scientiæ in exiſtendo, ad determinationem liberam voluntatis. Prob. min. Futurum, vt liberum, eſt futurum, provt correſpondens durationi alicui determinatæ: cum operatio libera, vt libera, non poſsit intelligi egrediens à voluntate, niſi in determinata aliqua duratione, cui omne, quod exiſtit, correſpondere debet; ſed futurum, provt correſpondens alicui determinatæ durationi, eſt futurum reduplicativè acceptum: quia eſt correſpondens durationi, quæ de præſenti non exiſtit, nec extitit, & id quod correſpondet durationi, quæ de præſenti non exiſtit, nec extitit, eſt futurum formaliter, non modo ſpecificativè; verùm reduplicativè, vt tale: ergo futurum, vt liberum eſt futurum, non modo ſpecificativè; verùm reduplicativè ſumptum. Hinc videant Aranda, & alij eiuſdem ſententiæ, quid ſibi proficiat diſtinctio illa *futuri ſpecificativè*, & *reduplicativè* accepti, vt benè componant determinationem Scientiæ divinæ per libertatem creatam cum futuritione, conſiſtente in eàdem Scientia, niſi velit, voluntatem operari liberè modo quodam præciſivo, & ſecundùm ſe, quod non eſt novum in hoc Authore, vt videre eſt in alijs, quæ pugnaciſsimè defendit, neſcio an conformiter principijs, quæ retinere debet. Videat etiam non eſſe in nobis magnam illam æquivocationem, quæ in Notabili 4. diſp. 19. ſect. 5. num. 115. proponit ex eo, quod malè confundamus obiectum, *quod erit* ſpecificativè ſumptum, cum obiecto, *quod erit* reduplicativè, vt tale; tribuentes huic præcedentiam, & vim determinativam Scientiæ, quæ ſola eſt concedenda obieto, quod erit ſecundùm ſe, & ſpecificativè ſumpto.

97 Id quod diximus de decreto, præparatione, & Scientia, intelligendum eſt de quovis alio nexu de præſenti, ſi quis ſecundum diverſos modos diſcurrendi, aſsignetur pro forma futurorum, ſeu pro illorum futuritione, cuius impugnationi non nullas, aut ferè omnes rationes traditas, facilè erit applicare: quare ſat ſit ſententias plauſibiliores retuliſſe, vt ipſis reiectis, reliquæ minoris momenti, & quæ ab ipſis ortum recognoſcunt, repulſæ etiam, ex eiſdem fundamentis cenſeantur.

98 Quarta concluſio: *Nullius rei futuritio conſiſtit in tranſitu quodam rei ab eſſe, quod habet in cauſa ad eſſe, quod in ſe ipſa aliquando habitura eſt: ſeu in tendentia quadam ab eſſe in potentia ad eſſe in actu, niſi tranſitus hic, & hæc tendentia, quidquid ſit de vocibus, reducatur à parte rei in exiſtentiam accipiendam à cauſis in duratione poſteriori ad durationem præſentem*: quomodo à ſententia communi, & noſtra de qua poſteà, non diſtinguitur. Ratio

prima concluſionis ſit : quia aut hic tranſitus, & tendentia iſta conſiſtit in aliquo de præſenti, aut in aliquo de futuro? Si de præſenti : non in decreto, non in præparatione, non in Scientia, quæ manent à nobis excluſa: non in aliquo alio diſtincto ab his, vel quia non aſsignatur, vel quia ſi aſsignetur, ſubiacet eiſdem inconvenientibus, ac alia de præſenti, a quibus diſtinguitur : & deinde, omne futurum, vt tale eſſet de præſenti exiſtens, aut ſaltem non componeretur cum carentia de præſenti rei, quæ futura eſt; patet: nam quomodo non exiſtet de præſenti id, quod de præſenti tranſit ab *eſſe*, quod habet in cauſa ad *eſſe*, quod habet in ſe? Si de futuro: ergo tranſitus ipſe, & tendentia, in qua conſiſtit futuritio, futurum quid eſt: iam rogo, in quonam conſiſtat futuritio huius futuritionis? An in alio tranſitu, & tendentia reflexis; an in ipſo tranſitu correſpondente durationi poſteriori? Si in tranſitu, & tendentia reflexis, reddit argumentum : cum debeant eſſe, aut aliquid de præſenti, aut aliquid de futuro : ſi in ipſo eſſe tranſitus correſpondenti durationi poſteriori? id quod dicis de tranſitu futuro, dicatur de quovis alio futuro: quomodo, ſine ambagibus, futuritio erit ipſa exiſtentia rei, correſpondens durationi poſteriori, provt ſic correſpondens.

99 Secunda. Quia ex parte rei nullus eſt tranſitus realis ab *eſſe*, quod res habet in cauſa ad *eſſe*, quod habet in ſe, niſi actio, quæ eſt via, & tranſitus, quo ſicut cauſa tranſit à *poſſe*, quod habet in ſe ad effectum, quem ponit extra ſe: ſic etiam effectus tranſit ab *eſſe*, quod habet in potentia, & virtute cauſæ ad *eſſe*, quod habet in ſe participatum à cauſa: ſi ergo in hoc tranſitu ita intellecto conſtituatur futuritio rei: hanc eſſe futuram formaliter, conſiſtet in actione futura : ſed quid de ipſa actione futura? Per quem tranſitum conſtituetur in eſſe futuræ formaliter, ſeu eius futuritio formalis? Quod ſi in ipſa actione : benè concipitur eſſe futuram abſque alio tranſitu, qui non ſit exiſtentia ipſa actionis, provt nunc non exiſtens, & exiſtens poſtea : cur id non ſufficiet, vt quodvis futurum ſimiliter conſtituatur, quin ſit neceſſarius recurſus ad aliud purè illativum rei, quæ exiſtet in tempore futuro, & quod ſit formalis futuritio ipſius?

100 Ob hæc forſan Eximius Doctor, qui prologomen 2. de gratia num. 7. rem eſſe futuram realiter, & extra Deum explicuit per relatum tranſitum, & tendentiam rei ab *eſſe*, quod habet in cauſa ad *eſſe*, quod aliquando habebit; poſt num. 25. clariùs ſuam mentem aperit, & quid ſit ille tranſitus, ſicut, & futuritio rerum contingentium, exponit per reductionem ad exiſtentiam rei, correſpondentem durationi, quæ modo non exiſtit: inquit enim: *Forma autem illa, à qua illud eſſe poſsibile in cauſa denominatur futurum, non eſt cauſa ipſa, vel determinatio eius : neque eſt aliqua res actu exiſtens; cum ſupponatur res futura in eſſe tantum poſsibili: eſt ergo habitudo quædam, quàm res, provt eſt in cauſa, habet ad ſe ipſam, vt erit præſens ſuo tempore, qui ordo licèt ſecundùm compoſitionem mentis noſtræ ſit aliquid rationis, in mente Dei eſt obiectiva præſentia, quam illud eſſe habet in æternitate, ratione cuius veritas illa per modum præſentis cognoſcitur, quamvis in ordine ad nos denominetur futura ſecundùm varias temporis differentias.* Et poſt pauca reſpondens difficultati, occurrenti circa futura conditionata, in quibus videtur, non eſſe locus huic habitudini, & tendentiæ, proſequitur : *Reſpondeo, actualem exiſtentiam, aliquando futuram eſſe fundamentum veritatis abſolutæ aſſertionis de futuro: eodemque modo, ſervata proportione, exiſtentiam actualem, quæ ex hypoteſi eſſet futura, eſſe fundamentum veritatis conditionatæ aſſertionis : & ideò vtramque veritatem poſſe cognoſci ad modum præſentis.*

101 Retuli verba, vt conſtet de ſententia Suarij, & vt videatur, quàm immeritò, & ex ſola adhæſione ad proprium iudicium proclamaverit Aranda ſect. 4. num. 70. diſp. citatæ, ſenſiſſe magnum hunc Magiſtrum : *Futuritionem rerum ſtare in Scientia divina*, non animadvertens, Scientiam divinam eſſe præſentiam ſubiectivam rei, quæ cognoſcitur futura; & Suarium non præſentiæ ſubiectivæ ex parte Dei; ſed obiectivæ ex parte futurorum tribuiſſe ratio-

rem formæ, qua constituuntur futura, & quam solùm dicit, esse ab æterno, non *physicè*; sed *verificativè*: modo, quo ipse docet de subiecto futuritionis, quam in Scientia collocat, esse ab æterno proportionatum, vt per totam æternitatem à parte antè denominetur futurum à Scientia, physicè ab æterno existente. Nec dicere actualem existentiam sivè absolutam, sivè conditionatam rei futuræ esse fundamentum veritatis absolutæ, sivè conditionatæ assertionis de futuro, nullo alio designato ad tale munus, quod non assereret, si iudicasset futuritionem consistere in ipsa Scientia, quæ, vt forma, & ratio futurorum in esse talium, esset etiam ratio, & fundamentum veritatum de futuro, sivè absoluto, sivè conditionato.

102 Dicendum ergo est. Rem esse futuram, seu futuritionem illius, in tantum consistere in transitu explicat; in quantum esse futurum, est medium quid inter esse, quod effectus habet in sua causa, & esse, quod de præsenti habet in se: cum nec sit purum habere esse in causa; nec purum existere actualiter, quodque apprehendimus ad modum eggressus cuiusdam, incipientis à causa, & per circuitum quendam ambire durationes præsentes, donec accedat duratio illa, in qua existit actualiter effectus, & quæ dici potest terminus talis eggressus: cum ibi finem habeat, & terminum. Nec amplius iam dicatur effectus futurus; verùm præsens, aut præteritus: quam loquutionem, vt vides, tantum retineri poterit pro contingentibus; non pro necessarijs. Vnde deficit etiam in vniversalitate explicandi rerum futuritionem, provt convenientem omni futuro.

CAPVT IV.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

103 QVINTA conclusio. *Rem esse futuram completè, & adæquatè: ac proinde, provt includit futuritionem, & formam futuri consistit in existentia rei futuræ, provt correspondente durationi posteriori, & quæ modo non existit, vel absolutè, vel conditionatè*, pro modo, & conditione futuri, vel absoluti, vel conditionati, quod si aliquando exigit aliquid de præsenti connexum, vel inconnexum cum re, vt existente in duratione posteriori, & quidem *constitutivè*, id non distinguitur ab ipso esse rei futuræ, provt correspondentis durationi præsenti. Duas partes continet propositio: principaliorem vnam, scilicet, quod omnis futuritio non distinguitur ab existentia rei provt correspondenti durationi posteriori, & quæ modo non existit: alteram minus principalem, id est, quod si aliquando rem esse futuram, requirit constitutivè aliquid de præsenti connexum, vel inconnexum cum re futura, id non distinguitur ab ipso esse rei futuræ, provt correspondentis durationi præsenti, quas claritatis gratia divisim probabimus.

104 Prima principalior pars probatur primò authoritate. Quia, vt constat ex Patribus, tota diversitas præsentis, præteriti, & futuri se tenet ex parte ipsarum rerum, quæ futuræ, præsentes, aut præteritę sunt: ita, vt ex parte Dei, sivè in intellectu, sivè in voluntate detur vniformitas ad præsentia, præterita, & futura; sed si tota diversitas præsentis, præteriti, & futuri se tenet ex parte rerum, quæ futuræ, præsentes, præteritæ, aut futuræ sunt: res esse futuras aliud esse non potest, quàm res, provt correspondentes durationi posteriori, sicut rem esse presentem rem provt correspondentem durationi presenti, & rem esse præteritam, rem provt correspondentem durationi transactæ: ergo rem esse futuram, in nullo alio consistit, quàm in ipsa existētia rei, provt correspondenti durationi posteriori, & quæ modo non existit. Consequentia est legitima, & min. videtur certa: siquidem tota differentia se tenens ex parte rerum, quæ subeunt diversos status præsentiæ, præteritionis, & futuritionis, alia non est, quàm correspondentia existentiæ ipsarum diversis durationibus præsentibus, præteritis, & futuris. Prob. mai. Quia si aliunde, quam ex rebus ipsis sumenda esset hæc differentia, maximè ex parte Dei, aut volentis, aut cognoscentis; sed ex parte Dei, neque vt volentis, neque vt cognoscentis sumitur hæc differētia, vt cōstat ex PP. ergo iuxta Patres

tota diversitas præsentis,præteriti, & futuri se tenet ex parte ipsarum rerum, quæ præsentes, præteritæ, aut futuræ sunt, ita vt ex parte Dei, sivè in intellectu,sivè in voluntate detur vniformitas ad præsentia,præterita,& futura.

105 Maior est certa: Probatur min. ex August.lib.10. de Civit. cap.12. ad finem: *Temporalia movens temporaliter non movetur: nec aliter novit facienda, quàm facta: nec aliter invocantes exaudit,quàm invocaturos videt.* Et lib. 15. de Trinit.cap. 13. in medio: *Nec aliter ea scivit creata, quàm creanda: non enim eius Sapientiæ aliquid accessit ex eis.* Et tract. 104. in Ioannem sub medium ad illud: *Pater venit hora: clarifica filium tuum*, inquit, *ostendit omne tempus, & quid, & quando fieret, vel fieri sineret, ab ipso esse dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora in Dei Sapientia causas efficientes habent.* Ex Gregorio lib. 20. Moraliũ, cap. 23. circa medium: *Quomodo est præscius dum nulla, nisi quæ futura sunt præsciantur, & scimus? quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos præterita nulla sunt: præsentia non transeunt: futura non veniunt: quippè, quia omne, quod nobis fuit, & erit, in eius prospectu præstò est: & omne, quod præsens est scire potest, potius, quam præscire.* Et post pauca: *Quia ea, quæ nobis futura sunt, videt, quæ tamen ipsi semper præstò sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt.*

106 Ex Ambrosio lib. 11. de Fide ad Gracianum cap. 7. *Deo, quæ futura, præsentia sunt, & ei, cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt: sicut scriptum est; qui fecit quæ ventura sunt.* Ex Gregorio Nyseno Oratione Cathechetica cap, 8. inter medium, & finem: *Sua providendi virtute æquè intuens id quod deinceps est futurum, atque id, quod est præteritum.* Ex Hilario lib. 12. de Trinit. propriùs ad medium, quàm ad finem: *Quæ futura sunt, licèt in eo, quod creanda sunt adhùc fient; Deo tamen, cui in creandis rebus, nihil novum, ac recens est, iam facta sunt, dum, & temporum dispensatio est, vt creentur, & iam in divinæ virtutis, & præscientiæ efficientia sunt creata.*

107 Vbi notetur ly: *Non aliter novit facienda, quàm facta: nec aliter ea scivit creata, quàm creanda. Deo futurum nihil est, ante cuius oculos futura non veniunt. Quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt: Deo, quæ futura, præsentia sunt: ventura pro factis sunt: æquè intuens id, quod deinceps est futurum, atque id quod est præteritum sua providendi virtute: quæ futura sunt, licèt in eo, quod creanda sunt, adhùc fient, Deo tamen iam facta sunt,* & alia huiusmodi, quæ frequentissima sunt apud Patres, & denotant, Deum vniformiter se habere ad omnes status rerum; sed quomodo vniformiter, si in se contineret formaliter futuritionem futurorum, & non præteritionem, aut saltem præsentiam præteritorum, & præsentium? Quomodo non aliter scit creata,quàm creanda, si Scientia ipsius cognoscendo creanda, ea format in esse creandorum, & cognoscendo quæ iam existunt,& creata sunt, ea non format in ratione existentium? Quomodo Deo ventura pro factis sunt, si Deus, aut per voluntatem,aut per intellectum aliter se habet erga ventura, quam erga facta? Quomodo Deo futura non veniunt: quia omne, quod nobis erit, in eius prospectu præstò est, si in ipso prospectu futuritio est? Quomodo denique Deo nihil futurum; sed præsens, si in se, aut per intellectum, aut per voluntatem continet futuritionem, & non continet præsentiam? Est ergo futuritio,ex mente Patrum,aliquid extra Deum, & quod se tenet ex parte rei futuræ: sicut, & apud adversarios præsentia rerum est aliquid, se tenens ex parte rei præsentis, & omnino extra Deum.

108 Confirmatur propositio iterum ex Div.August. qui lib.11. Confessionum cap.18. postquam possuisset difficultatem, quam profitetur maximam: *Si enim sunt futura, & præterita, volo scire vbi sint?* Respondet. *Quod si nondum valeo, scio tamen vbicumque sunt, non ibi ea futura esse, aut præterita; sed præsentia: nam si, & ibi futura sunt, non dum ibi sunt; si & ibi præterita sunt, iam non ibi sunt.* Et concludit: *Vbicumque ergo sunt, quæcumque sunt, non sunt nisi præsentia:* inferens, quod si rei, quæ non est, detur aliqua imago, vel causa præcontinens in illis, res, quæ non est non præterita, aut futura; sed præsens est: & ideò dicit: *Illud sanè scio nos plerumque præmeditari futuras actiones nostras, easque præmeditatione esse præsentes: actionem autem, quam præmeditamur, non dum esse, quia futura est.* Ex quo sic arguo. Iuxta Magnum Parentem August. Omne,

ne, quod de præsenti detur in ordine ad futurum, eo modo, quo de præsenti datur, facit futurum præsens, & non futurum; sed futuritio non facit futurum præsens; sed futurum: ergo iuxta Div. Augustin. futuritio non consistit in aliquo de præsenti, quod se habeat velut imago, aut præcontinentia futuri: at si futuritio non se habeat, vt aliquid de præsenti, quod sit imago, aut præcontinentia futuri, non est aliud, cui attribui possit, nisi sit existentia ipsa futuri, provt correspondens durationi posteriori: ergo sensit Augustin. futuritionem rerum aliam non esse ab existentia ipsarum rerum futurarum, provt correspondente durationi posteriori.

109 Sed immoremur adhùc aliquantulum, in investiganda mente Augustini, vt à tanto sole lumen aliquod in re satis obscura affulgeat. Audiamus ipsum cap. 20. eiusdem libri, vbi eandem difficultatem versans inquit: *Quod autem nunc liquet, nec futura sunt, nec præterita: nec propriè dicitur tempora sunt tria: præteritum, præsens, & futurum; sed fortasse propriè diceretur: tempora sunt tria: præsens de præteritis: præsens de præsentibus: præsens de futuris: sunt enim hæc in Anima tria quædam, & alibi ea non video. Præsens de præteritis memoria: præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris expectatio: si enim hæc permittimur dicere, tria tempora video, fateorque tria sunt. Dicatur etiam tempora sunt tria: præteritum, præsens, & futurum, sicut abutitur consuetudo, dicatur ecce non curo, nec resisto, nec reprehendo, dum tamen intelligatur quid dicitur, neque id, quod futurum est, esse iam, neque id, quod præteritum est. Pauca sunt enim quæ propriè loquimur: plura non propriè; sed cognoscitur quid velimus.*

110 In his vix est verbum, quod pro nobis, & pro communi nostrorum sententia non stet. Primò: absolutissimus ille modus concludendi erga præterita, & futura: *Quod autem nunc liquet nec futura sunt, nec præterita*, quem sine aliqua distinctione non protulisset, si in præteritis, aut futuris, quod principalius est in ipsis, vt futuritio, & præteritio de præsenti, vt quid verum existens agnoviisset. Nec dixisset etiam absolutissimè: *sunt enim hæc in Anima tria quædam, & alibi ea non video*: Secundò: futura esse in Anima tantum, id est, in actibus ipsius; sed nec Div. Augustin. nec vllus alius dixit, actus nostræ animæ esse rerum futuritionem: ergo quia nihil posuit de præsenti, vt forma futurorum. Tertiò, ex repetita improprietate loquutionis: *est præteritum, est futurum*, quam talem non diceret, si vim aliquam habuisset apud ipsum realitas illa *futuri*, quæ contrariæ sententiæ est fundamentum, ad quærendum aliquid de præsenti, in quo stet ratio futuritionis; sed potius insisteret per oppositum illa tria propriè dici, & dari ex proprietate formæ, cuivis de præsenti correspondentis. Quartò: quia enumerat intra multa, quæ impropriè loquimur *futura* de quibus dicimus *esse*, addens eam loquutionem non esse intelligendam prout sonat; sed prout volumus significare: ac si dicat: *esse præteritum*: *esse futurum* sonat aliquam præsentiam, & proprietatem; verum relicto verborum sono, attendendus est animus significandi, qui alius non est, quàm denotandi: *Rem non existere, & extituram: rem extitisse, & iam non existere.* Quæ omnia nostram sententiam sapiunt; non contrariam.

111 Nihilominus ex hoc loco resolutissimè inquit Aranda: probari sibi Patronum Augustinum, pro futuritione in Scientia divina. Sed quo iure videat, qui verba proximè relata consideraverit: colligitur nec Futuritionem consistere in Scientia divina, ex eo quod Scientiæ divinæ nullam mentionem fecerit? Aut ex eo, quod liquere dicat, nec præterita, nec futura habere aliquod esse? Aut ex eo, quod Augustin. futura non videat extra Animam: est ne Anima Scientia divina? Aut ex eo, quod videat de præsenti in Anima per expectationem illorum, vnde potius colligere deberet, in rigore loquendo, futuritionem pertinere ad voluntatem divinam, cuius est participatio nostra voluntas, ad quam attinet se exercere per spem, & expectationem futurorum? Faceret quidem si Thomista foret. Aut ex eo quod asserat, loquutiones istas: *Futurum, aut præteritum esse*, solum esse admittendas, vt improprias, & quia agnoscitur quid velimus per eas significare: nempè neque in præteritis, neque in futuris esse aliquid ex parte ipsorum, quod de præsenti sit, quando ea, *talia dicimus*. Vbi ergo fundamentum, vt tàm securè procedat inferens: *Hæc, & alia ibi Augustinus manifestè reducens veritatem futuritionis, ad aliquid intentionale de præsenti.* Quod si manifestum est, quid erit inevidens?

112 Melius Godoy §. 4. disp. citatæ num. 33. continetur intra limites non habendi contrarium Augustinum, exponens verba ipsius, & dicens loqui de re ipsa futura, quæ quoad suam entitatem nullibi est, nisi solùm in Anima, per expectationem; non autem negare, futuritionem talis rei esse præsentem futuritionis tempore; sed contra. Quia quid incredibilius, quoad Augustini iudicium, quàm tenere ex vna parte futuritionem esse aliquid de præsenti; & ex alia dum quærit, quid sint, & vbi sint futura? Illud de præsenti quod principalius dici potest in denominatione, & ratione futuri, immemoratum relinquere: in quo potius, quàm in anima dicere possit existere de præsenti esse futurum: sicut in quavis forma existit, suo modo, de præsenti effectus formalis illius. Deinde, quia negare non potest Godoy Div. Augustinum agnoviisse improprietatem in hac loquutione: *Est futurum: est præteritum*; sed sola proprietas harum denominationum est fundamentum, ad concedendam futuritionem de præsenti, vt ipse Sapientissimus Magister fatetur: ergo Div. Augustino deficit totum fundamentum, ad affirmandam futuritionem de præsenti: ac per consequens non fuit de mente illius futuritio consistens in aliquo de præsenti. Sed litem dirimat ipse S. Doctor, qui cap. 14. eiusdem libri, sicut nullum aliud constitutivum agnoscit rei, provt præsentis, nisi esse illius, provt de præsenti verè est: sic nec agnoscit pro constitutivo futuri, aut præteriti nisi esse adventurum, aut esse, provt præterijt: & ideò à defectu ipsorum, secundùm has considerationes, arguit ad defectum ipsorum in ratione præteriti, aut futuri: sicut à defectu esse, quod verè sit, arguitur ad defectum rei præsentis: verba sunt: *Quid autem familiarius, & notius in loquendo commemoramus, quam tempus? Et intelligimus vtique cum id loquimur, intelligimus etiam cum alio loquente id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio: si quærenti explicare velim nescio: fidenter tamen dico scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum tempus: & si nihil adveniret, non esset futurum tempus: & si nihil esset, non esset præsens tempus.* Vnde à contrario idem est ac dicere, quod sicut esse tempus præsens, nihil aliud est, quàm modo existere: sic esse præteritum, nihil aliud est, quàm extitisse, & modo non esse, & esse futurum modo non esse; & post extiturum.

113 Quoad mentem Div. Thomæ satis diximus conclusione secunda, expensis ibi pluribus, & clarissimis locis, ex quibus constat pro veritate futurorum contingentium, & liberorum nihil agnoscere de præsenti, imò non aliter esse cognoscibilia à Deo, quàm in se ipsis, & provt sunt præsentialiter in sua duratione posteriori, cui correspondent, quod non diceret, si aliud medium agnosceret de præsenti connexum, vt dicunt Thomistæ: propterea in nostram sententiam incidere necesse est, quæ de eius patrocinio semper gloriabitur, quidquid, vt assolet contra Societatis Doctores, clamet Gonet, adducens, & repetens, satis extra occasionem, illud Innocentij VI. iure dictum in laudem Angelici Doctoris: nempè: *Eum qui sequutus est, nunquam invenitur à veritatis tramite deviasse: qui autem eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.* Ita est; sed non declaravit Summus Pontifex: qui sunt illi, qui eum verè sequuntur; sicut nec quod Gonet sit regula discipulorum D. Thomę, & ipsius altera mens, quam si obtinuisset, abs dubio rationum pondere, & non verborum strepitu discipulatum firmaret, vt faciunt veri Divi Thomæ discipuli.

114 Probatur deinde ratione eadem prima pars propositionis. Primo. Ab exclusione reliquarum sententiarum, quibus reiectis, non restat, in quo stet esse futurum vniversalissimè, & provt comprehendit omnem rationem futuri, nisi in existentia ipsius rei futurę, provt correspondentis durationi posteriori: quomodo necessariò includit non existere de præsenti: aliàs non esset quid posterius duratione præsenti. Secundo. Positivè: quia quidquid difficultatis vinci debeat in futuritione, & forma futuri, vt probetur non esse aliquid de præsenti, vinci debet in re futura, & subiecto futuritionis, vt probetur non esse aliquid de præsenti: at non obstante quavis in contrarium difficultate, subiectum non ponitur in aliquo de præsenti; imò potiùs si poneretur de præsenti destrueretur futurum in esse talis: ergo non obstante quauis difficultate in contrarium, forma non debet poni in aliquo de præsenti. Tertio. Quia forma requiritur pro modo effectus formalis ipsius: at effectus formalis futuritionis

non

non est aliquid physicè de præsenti: aliàs de præsenti physicè existeret subiectum, inclusum in effectu formali formæ: ergo futuritio, seu forma, à qua subiectum ipsius denominatur futurum, non debet esse aliquid de præsenti. Quarto. Quia ex terminis nihil aptius pro constitutione formali futuri, quam, formaliter non esse nunc, & formaliter esse postea; sed nihil physicum, & positivum, quod modo sit, est formaliter non esse nunc: cum negatio non sit aliquid positivum; aut est formaliter esse postea: cum id formaliter correspondeat coexistentiæ ei, & durationis posterioris, quæ ex nullo capite formaliter est aliquid de præsenti: ergo pro cōstitutione futuri nihil physicum, & positivum de præsenti existens, est constitutivè necessarium. Hæc si eludere intendant contrarij, per realitatem denominationis, in qua nimis hærent, hæreant similiter in realitate subiecti, & videant, aut quantum fallat repetita realitas, aut plus quam velint probare.

115 Iam venio ad secundam propositionis partem, scilicèt quod si aliquando futurum exigit aliquid de præsenti connexum, vel inconnexum cum re, vt existente pro duratione posteriori, & quidem constitutivè, id non distinguitur ab ipso esse rei futuræ, provt correspondentis durationi præsenti: quod addidimus propter futurum essentialiter necessarium, aut propter futurum, quod & si simpliciter contingens sit, futurum sit non modo, vt indestructibile; verùm, vt quid simpliciter æternum, aut futurum sit, vt conservabile: exemplum primi sit *Deus*: qui cum sit necessariissimus in existendo, verificat non solum *quod fuit, & est*; *sed quod erit*: quomodo futurus dicitur, sed talis non diceretur, nisi de præsenti existeret: & quævis res possibilis, quæ vtpotè necessariissima in verificando, non modò verificat, quod *fuit*, & *est* possibilis; sed quod *erit* possibilis: qua ratione etiam futura dicitur, dependenter tamen ab eo, quod de præsenti verificet. Exemplum secundi sint *actus Dei contingentes*, qui semel ac existant, semper existunt: ac proinde quando affirmantur, *provt futuri* in aliqua duratione, quæ modò non existit, affirmantur vt futuri cum determinatione, vt omnem durationē successivè repleant, nullaque sit, cui non coexistant. Exemplum tertij: *Res, quæ futura sit, non tantùm vt primò existens; sed vt conservanda*, quæ quidem, vt sit futura, requirit in aliquo instanti, in quo est futura, aliquid de præsenti.

116 Quibus positis, facilè probatur assertio. In futuro necessariissimo sive in existendo, sive in verificando id, quod requiritur de præsenti, vt taliter futurum sit, est ipsa res, sive necessaria in existendo, sive in verificando, provt correspondens durationi præsenti, sive in existendo, sive in verificando: deinde in futuro absolutè contingenti; cæterùm ambiente omnem durationem: quia est contingens æternum, id, quod requiritur de præsenti, vt futurum tale sit, est ipsum contingens, provt correspondens durationi præsenti: denique in futuro non tantum, vt primò existenti; sed vt conservando: id quod requiritur de præsenti, saltem pro primo instanti existentiæ, pro quo adhùc durat futuritio ipsius, vt conservandi, est ipsa res conservanda, vt primò de præsenti existat; sed neque esse rei necessariæ in existendo, aut verificando correspondens durationi præsenti: sicut nec esse rei contingentis æternæ: aut rei conservandę, correspondens præsenti durationi, est quid distinctum ab esse rei, quæ futura dicitur, provt correspondente præsenti durationi, vt per se est constans: ergo verum est, quod si aliquando futurum exigit constitutivè aliquid de præsenti connexum, vel inconnexum cum re, vt existente in duratione posteriori, id non distinguitur ab ipso esse rei futuræ, provt correspondentis durationi præsenti.

117 Rogabis. Quid in hac constitutione futuri *ex non esse nunc*, & *existentia post*, seu *in duratione posteriori* se habeat vt forma? An scilicèt: *non existere nunc*: an verò *existentia post habenda*? Respondeo: *Non existere nunc* entitatis futuræ, non se habere vt formam in constitutione futuri. Probatur. Id non se habet vt forma constituti, quod provt existens, & applicatum subiecto indifferens est ad constitutum, & denominationem subiecti; sed *non existere nunc entitatis*, quæ futura est, ita se habet: quia adhuc dato *non existere nunc entitatem aliquam*, componi potest, quod non sit futura, vt accidit *in pu è possibilibus*: ergo *non existere nunc* entitatis fu-

futuræ non ſe habet, vt forma in conſtitutione futuri. Dico deinde: *Exiſtentiam rei, provt correſpondentē durationi poſteriori*, eſſe formam in conſtitutione futuri, propter oppoſitam rationem, quia illud ſe habet vt forma alicuius conſtituti, quod provt applicatū ſubiecto, non eſt indifferens ad conſtitutum, neque ad denominationem ſubiecti; ſed exiſtentia, provt correſpondens durationi poſteriori ita ſe habet, cum nequeat dari, *exiſtentiam rei correſpondere tali durationi*, quin in durationibus præcedentibus fuerit futura: ac per conſequens quin ſit futura: ergo *exiſtentia, provt correſpondens durationi poſteriori* eſt forma in conſtitutione futuri.

118 Inde colliges, quod ſi præciſivè, & omni rigore examinanda ſit conſtitutio futuri, conſtitutiva talis denominationis, & conſtituti; ita ſunt diſponenda, vt *entitas*, & *exiſtentia rei* cognominanda ſit ſubiectum futuritionis; cum ſit id, quod ſuſcipit denominationem *futuræ*: *Duratio poſterior* talis rei, & exiſtentiæ dicatur ſtrictiſsimè forma denominationis, & conſtituti: quia eſt id, quod ſimpliciter determinat ad eſſe futuri, & *non eſſe*, quod de præſenti datur reputabitur quaſi quædam applicatio formæ ad ſubiectum, & ſubiecti ad formam. Dixi: *quaſi quædam applicatio*; ne nimis hæreas in indifferentia, quæ in *non eſſe de præſenti* eſt ad futurum, ex qua videtur extrahi à ratione applicationis, & communicationis formæ ad ſubiectum.

CAPVT V.

Solvuntur Obiectiones.

119 COntra præcipuam aſſertionis partem, obijciunt primò ab authoritate, Div. Thomam pluribus in locis, ſed præcipuè, quæſt. 2. de verit. artic. 12. in corpore, & in ſolutione ad 7. vbi videtur clariſſimè dicere futuritionem conſiſtere in præparatione, & diſpoſitione cauſarum inquiens: *Cum dicitur hoc eſt futurum, vel fuit futurum, aſſignatur ordo, qui eſt in cauſis illius rei ad productionem eius.* Et quæſt. 14. art. 13. in corpore: *Alio modo poteſt conſiderari contingens, vt eſt in ſua cauſa, & ſic conſideratur, vt futurum.* Et quæſt. 16. artic. 7. ad 3. *Omne, quod eſt, ex eo futurum fuit antequam eſſet, quia in ſua cauſa erat, vt fieret: vnde ſublata cauſa, non eſſet futurum illud fieri*, quod teſtimoniū, vt deciſivum cauſæ, nullumque relinquens locum dubitationi, quoad mentem Divi Thomæ exagerat Gonet: addit Aranda, pro ſua ſententia eundem Angelicum Doctorem in eadem quæſt. 16. artic. 3. ad 3. *Ex hoc non ſequitur, quod ea, quæ ſunt ſemper, fuerit verum, ea eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, vt eſſent futura; quæ quidem cauſa ſolus eſt Deus* vtique: *vel cognoſcens, vel volens*, vt ex ipſo contextu colligitur, vt ipſe exponit: quia aliter textus allatus ipſi non expediebat.

120 Divum Auguſtinum de corrept. & grat. cap. 9. exponētem illa verba ad Rom. cap. 8. *Quos autem prædeſtinavit, illos, & vocavit*, ibi: *adhuc enim vſque in finem ſæculi multi vocandi, & iuſtificandi ſunt, & tamen verba præteriti temporis poſuit de rebus futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam, vt fierent ex æternitate diſpoſuit: ideò de illo dicit Propheta Iſaias: qui fecit, quæ futura ſunt.* Similia ſunt de Geneſ. ad litteram, cap. 17. & tract. 68. & in Ioannem, *Deus fecit futura ea prædeſtinando.*

121 Anſelmus, Dialogo de veritate, cap. 11. in illis verbis: *Verè præteritum dicitur eſſe aliquid, quia ita eſt in re: & ideò eſt aliquid præteritum: quia ſic eſt in veritate ſumma.* Et paulò ante: *Non eſt vera oratio, quæ dicit futurum eſſe aliquid, niſi re ipſa ſit aliquid futurum: neque aliquid eſt futurum, ſi non ſit in veritate ſumma*; vnde duo colligi contra nos poſſunt: vnum, futuritionem eſſe aliquid de præſenti; non vtcumque, ſed ad Deum pertinens; alterum in id iudicium induxiſſe Patres realitatem futuri, & veritatem, quam de præſenti habet, quod eſt ipſiſsimum fundamentum contrariæ ſententiæ.

122 Hæc ſi nobis adverſa ſint: neſcio, quomodo contrariæ ſententiæ favere poſsint: cum probent id, quod adverſarij intendere nullo modo poſſunt: videlicet, non modo futuritionem eſſe aliquid de præſenti; verùm ipſum, quod denominatur futurum, eſſe aliquid de præſenti. Ratio mihi vrgentiſsima eſt: quia Patres de ipſis futuris dicunt habere exiſtentiam, & realitatem in præſenti diſpoſitione cauſarum, aut in prædeſtinatione, & veritate primæ

mæ causæ; sed id, quod habet realitatem, & existentiam in aliquo de præsenti verè existit: ergo id ipsum, quod futurum est, & non modo futuritio ipsius, est aliquid de præsenti. Confirmatur. Patres dicunt: futurum in quantum de præsenti dicitur, existere in aliquo de præsenti; sed futurum in quantum de præsenti dicitur, non est sola futuritio; sed futuritio provt subiecto conveniens: ergo iuxta Patres futurum adæquatè acceptum, consistit in aliquo de præsenti. Vrgetur ex verbis Divi Thomæ, vltimo loco adductis. Nam de his, quæ sunt, verum fuit esse futura, quatenus in causa sempiterna fuit, vt essent futura: ergo eo modo, quo verum fuit esse futura, aliquando de præsenti fuerunt in causa sempiterna; sed eo modo, quo est verum fuisse futura, est verum fuisse habentia futuritionem: ergo eo modo, quo fuerunt habentia futuritionem, extiterunt in causa sempiterna: ac per consequens non sola futuritio; sed id, cui convenit futuritio, extitit de præsenti in causa sempiterna.

123 Quare: attentis omnibus, quæ Patres dicunt. Respondendum est, loqui in præsenti de futuritione tantùm arguitivè, aut determinativè, vel de futuritione rei, impropriè sumpta: & quidem non solum de futuritione; verùm de toto, *esse futurum* completè sumpto, vt constat ex eorum verbis: animus ergo tantum est, provt iudico, occurrere deceptioni, quæ oriri potest ex veritate de præsenti, quam habent futura, confundendo realitatem non fictionis cum realitate existētię alicuius, quod de præsenti sit, quā, vt eradicent, asserunt, quod si hæc propositio: *est futurum*, ratione verbi de præsenti intelligenda sit, de realitate aliqua existentiæ in re futura, provt tali, ea tantum inveniri potest, in aliquo esse extrinseco rei futuræ, quod tantum dicitur esse futurum impropriè, ea improprietate, qua dicitur cognitionem esse illud, quod repræsentat, & causam præcontentivam esse id, quod præcontinet; at minimè dicunt: talem præparationem, dispositionem, aut præcognitionem esse futuritionem formalem; sed ad summum, quando connexæ sint, esse futuritionem quādam arguitivam, & illativam rei futuræ, provt talis; secus, quando non sint connexæ. Id mihi clarissimè suadet ipse Div. Thom. supra citatus in notabilibus, quæst. 12. de verit. artic. 7. ad 2. distinguens inter vnam, & alteram futuritionem formalem, scilicet, & arguitivam, seu determinativam, quam dicit aliquando posse cōiungi cum defectu eventus futuri; secus aliquando: verum semper retinere veritatem aliquam, erga futurum: verba non renuam repetere, vtpotè maximè ad intentum: *Aliquid potest dici futurum, non solum ex hoc, quod ita erit; sed quia ita est ordinatum in causis suis, vt sic fit futurum*; quomodo prosequitur: *posse coniungi cum defectu illius, ad quod dicit determinationem.* Et ideò: *quamvis Medicus prædicat sanitatem futuram, & si postea non fit, non dixit falsum, quia sic erat in causis ordinatum.* Adducitque in comprobationem Aristotelem 2. de Generat. cap. 11. textu 64. dicentem: *Fieri posse, vt ille, qui futurus est incedens, non incedat*: Quid clarius?

124 Vide apud Divum Thom. *Aliquid posse dici futurum: quia ita est ordinatum in causis suis*, qui modus dicendi aliquid futurum, distinctus est ab altero, quo apud ipsum dici etiam potest futurum: *quia ita erit*; aliàs si pro eodem reputaretur, non dixisset: *Non solum posse dici futurum: quia ita erit; sed quia ita est ordinatum in causis suis, vt sit futurum*; verùm vnicè: *quia ita est ordinatum in causis suis.* Iam futurum in quantum dicitur futurum *ex eo, quod ita erit*, per quid constituitur? Non quidem per id, *quod sit ordinatum in causis suis*: cum sic vnus, & alter modus confunderetur: ergo per aliud distinctum ab ordinatione causarum: hoc autem, quid erit? nisi ipsa existentia rei futuræ, correspondens durationi posteriori? Vide etiam illud esse futurum: *Quia ita est ordinatum in causis suis*, posse ex genere suo coniungi cum defectu rei futuræ: vnde non potest esse futuritio simpliciter talis, quæ sine eventu futuro dari non potest: ergo futuritio tantum impropria, quæ si superaddat connexionem infallibilem cum effectu, erit futuritio tantum arguitiva, aut illativa; non verò formalis: quia id, quod ex genere suo non est forma simpliciter talis alicuius effectus per connexionem cum tali effectu, non induit rationem formæ; sed antecedentis inferentis formam, & media ipsa effectum formalem.

125 Vltimo vides, quanti æstiman-

manda sit evidentia illa Magistri Gonet, ducta ab illo loco, quæst. 16. artic. 7. ad 3. quæ nulla est ex eo, quod dicat: *Omne quod est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in sua causa erat, vt fieret*: quia cum Div. Thom. distinguat in futuro, vt vidimus, duplicem futuritionem: vnam propriſsimam, sumptam ex eo, *quod ita erit*: alteram impropriam, & purè arguitivam, consistentem in eo: *quod ita sit ordinatum in suis causis*; quod Div. Thom. dixerit: *Omne*, quod est futurum, fuisse ex illo capite, non impedit, quod etiam fuerit futurum ex alio, ex quo simpliciter fuit futurum: retulit autem illam, & non hanc, tum quia alibi satis explicatam: tum quia agebat de futuritione, quę in aliquo vero esse de præsenti existenti consisteret; iuxta rigorem significationis verbi *est*, aut *fuit*: tum ex eo, quod asserat: *vnde sublata causa, non esset futurum illud fieri*; quia, vt vnum deficiat, altero deficiente, non est necessarium, quod illud aliud sit forma, aut constitutivum ipsius; sed sufficit, vt sit requisitum essentiale illius, cuius defectus secum afferat defectum constitutivorum; quomodo deficiente actione, deficit terminus, verificaturque; quod si non fuisset actio pro priori, nec esset terminus pro posteriori; neque ideò licet inferre terminum constitui per actionem, aut *esse* actionis, pertinere formaliter ad *esse* termini; sic similiter quodvis futurum contingens, vt tale sit, exigit præexistentiam primæ causæ, quæ quia immutabilis in operando, semper habet præparationem ad operandum, quam semel habitura est; ac proinde futurum etiam exigit, vt fiat, præparationem illam primæ causæ, vt existentem ab æterno; ita vt à defectu illius, argueretur defectus futuri in esse talis; non quia deficeret, ipsa præparatione attenta, aliquid formaliter pertinens ad futurum; sed aliquid essentialiter exactum à formali futuri. Ecce evidentias Gonet.

126 Objicies secundò à ratione. Si futurum non consisteret in aliquo de præsenti, futurum in suo esse implicaret; sed futurum in suo esse non implicat: ergo consistit in aliquo de præsenti. Prob. mai. Si futurum non consisteret in aliquo de præsenti, ex vna parte non esset: quia id, quod non existit in aliquo de præsenti, non est; & ex alia parte esset; quia id de quo verificatur de præsenti *esse*, est; sed *esse futurum*, & *non esse futurum*, est implicare futurum in suo esse: ergo si futurum non consisteret in aliquo de præsenti, futurum in suo esse implicaret. Confirmatur: eo modo, quo verificatur de futuro: *modo futurum est*, verificatur de futuro: *modo futurum esse*. Deinde eo modo, quo verificatur de futuro, *non esse de præsenti*, verificatur de futuro *non esse* futurum; sed *esse futurum*, & *non esse futurum*, est implicare *in suo esse*: ergo futurum, aut est aliquid de præsenti, aut quid repugnans est. Iterum confirmatur: futurum, vt futurum, habet suam præsentiam; aliàs nunquam verificaretur: *modo est futurum*, aut *modo non est futurum*, *sed fuit*; sed hanc præsentiam non habet tempore, quo existit, nec tempore posteriori ad existentiam: ergo tempore anteriori ad existentiam illius, quod futurum est, verificatur: *modo est futurum*: ergo & *modo esse*; cum à restricto ad non restrictum benè valeat consequentia; scilicèt, *modò est futurum*: ergo *modò est*: ergo vel futurum modo aliquid est; vel futurum non est futurum.

127 Probat argumentum, vt semel, & iterum advertimus: non modo futuritionem; verùm *totum esse futurum* esse de præsenti, & consistere in aliquo, quod de præsenti existat. Ratio est, quia non modo est verum: *esse futuritionem*, quasi in abstracto; sed in concreto, & provt in actu secundo denominantem subiecto, qua ratione affirmatur: *Convenire subiecto*, & subiectum, cui convenit, esse ab illa denominatum futurum; iam in subiecto ipso denominato, fiat idem argumentum, & videant: an subiectum ipsum futuritionis implicet in suo esse; an etiam benè valeat: *est subiectum denominatum à forma*: ergo *est*? Instatur deinde in præteritione, quam multi ex contrarijs dicunt: non consistere in aliquo de præsenti, & generalius in denominatione *possibilis*, pro qua difficilius est invenire aliquid de præsenti, cui conveniat ratio formæ possibilis. Nam, & si dicat Godoy, hanc esse Omnipotentiam, id reditur maximè difficile: tum quia constituit Omnipotentiam Dei connexam cum possibilitate possibilium, & impossibilitate impossibilium: tum præcipuè, quia nunquam explicat: quod-

quodnam sit illud subiectum, quod Omnipotentia denominat possibile, aut cur Omnipotentia secundum se potius sit impossibilitas vnius; quam possibilitas alterius, vel è contra?

128 Solutio consistit in diversa acceptione *præsentiæ*; sicut & verbi *est*, per quod *præsentia* denominationis significatur; etenim, tàm *præsentia*, quàm verbum *est*, per quod significantur, accomodari debent conditioni denominationis, quæ aliquando pro sua veritate de præsenti requirit, omnia constitutiva denominationis de præsenti existere, aliquando nihil existere; aliquando partim existere, partim non existere. Exemplum primæ sit: *est album*; secundæ: *est non existens*; tertiæ: *est successive*. Hinc si præsentia denominationis non observetur in eodem sensu, nulla erit contradictio in re, provt denominata, quamvis vno modo verificetur præsens; & altero, præsens negetur: vnde ad argumentum, nego mai. Ad cuius probat. disting. mai. Si futurum non consisteret in aliquo de præsenti, ex vna parte non esset; quia id, quod non existit in aliquo de præsenti, non est: & ex alia parte esset; quia id, de quo verificatur de præsenti *est*, *retenta acceptione eiusdem esse*; nego mai. *non retenta acceptione eiusdem esse*; concedo mai. & disting. min. *esse futurum*, *& non esse futurum*: *retenta acceptione eiusdem esse*, est implicare futurum in suo esse, concedo min. *Non retenta acceptione eiusdem esse*; nego min. & consequentiam.

129 Ad primam confirmationem disting. mai. Eo modo, quo verificatur de futuro: *modo futurum est*, verificatur de futuro: *modo futurum esse*; deinde, eo modo, quo verificatur de futuro: *non esse de præsenti*, verificatur de futuro: *non esse futurum*, *retenta acceptione eiusdem esse*, *& præsentiæ futuri*; nego maiorem; *non retenta*, concedo maiorem, & distinguo minorem: esse futurum, & non esse futurum est implicare in suo esse: *retenta acceptione eiusdem esse*, *& præsentiæ*; concedo min. *non retenta* nego minorem & consequentiam. Ad secundam confirmationem: verum est, futurum habere suam præsentiam, & hanc non habere tempore, quo existit, aut tempore, quo extitit res futura; sed tempore anteriori ad existentiam rei futuræ; cæterum cum hæc præsentia sit præsentia rei in ratione futuræ, non requirit esse aliquid de præsenti; sed potius non esse nunc; & esse postea: cum sit præsentia proportionata denominationi de futuro: vnde ad probationem dicendum: in illa consequentia: *modo est futurum*: ergo *modo est*, non magis argui à restricto ad non restrictum; quam in istis: *modo est mortuum*: ergo *modo est*: *modo existit complexum successive*: ergo *modo existit complexum*. In quibus si ly *modo esse* accipitur simpliciter, & vt convenit rebus, quæ de præsenti existunt, non arguitur *à restricto ad non restrictum*; sed vel *ab improprio ad proprium*; vel *ab vno restricto* ad alterum restrictum, sub ratione communi *esse verificativi*, quod tam existentibus, quàm non existentibus; tam existentibus de præsenti, quàm de futuro, aut præterito convenit.

130 Objicies tertiò. Omne verè possibile potest aliquando existere de præsenti; sed futuritio est verè possibilis: ergo futuritio potest aliquando existere de præsenti. At si futuritio consistat in existentia ipsius rei futuræ, nunquam futuritio potest existere de præsenti: ergo futuritio consistit in aliquo de præsenti, distincto adæquatè ab existentia rei futuræ. Prob. min. Quia futuritio non potest existere de præsenti, quando de præsenti existit res modò futura: quia sicut tunc non est res futura; sed præsens, ita nec existit tunc futuritio; sed præsentia: nec potest existere tempore posteriori ad existentiam rei futuræ: quia sicut tunc verificabitur fuisse futuram, potius quam esse; sic potius datur præteritio futuritionis, quam existentia illius; nec tempore anteriori ad existentiam rei futuræ: quia tunc non est præsens; sed futura res, cum qua identificatur futuritio: ac per consequens tunc non existit de præsenti futuritio; cum impossibile sit aliquid existere de præsenti, & non existere id, in quo consistit, & cum quo realiter identificatur; sed nullum restat aliud tempus, in quo possit existere de præsenti: ergo si futuritio consistat in existentia ipsius rei futuræ, nunquam futuritio potest existere de præsenti.

131 Instantiæ statim occurrunt tam in præteritione, apud omnes illos, qui dicant, non consistere in aliquo de præsenti: cum tamen futuritio in aliquo de præsenti consistat, tum generaliter apud omnes in complexo quovis suc-

ſucceſsivo, cuius partes exiſtere ſimul nequeunt; v. g. *tempus*: & in futuritione, provt in concreto ſumpta, & provt conveniente ſubiecto, quod per ipſam denominatur futurum, in quibus omnibus, cum verè poſsibilia ſint; dicant nobis, quomodo exiſtunt aliquando de præſenti, & poſt agnoſcant; quid difficultatis reſtet contrà noſtram futuritionem. Pro ſolutione advertendum: futuritionem eſſe totum quoddam ſucceſsivum, reſultans ex *non eſſe rei* durationi præſenti correſpõdente, & ex *eſſe rei*, quæ futura dicitur, correſpondente durationi poſteriori: inde futuritio nunquam poteſt tota, & adæquatè de præſenti exiſtere; ſed ita taliter, vt quando vna pars, ſcilicèt: *non eſſe*, de præſenti eſt; altera ſit de futuro, ſcilicèt: *eſſe rei* correſpondens durationi poſteriori, & quando hæc, quæ de futuro erat, exiſtit; altera, ſcilicèt *non eſſe rei* ſit de præterito. Vndè ad formam argumenti, diſting. mai. primi ſyllogiſmi: omne verè poſsibile poteſt aliquando exiſtere de præſenti: *Vel permanenter, vel ſucceſsivè*, cõcedo mai. *determinatè permanenter*, nego mai. & conceſſa min. diſting. conſequens. Futuritio poteſt aliquando de præſenti exiſtere *ſucceſsivè*, concedo conſequentiam: *permanenter, ſeu ſimultaneè quoad omnes ſuas partes*, nego conſequentiam. Minor ſubſumpta etiam diſtinguitur. Si futuritio conſiſtat in exiſtentia ipſius rei futuræ, nunquam futuritio poteſt exiſtere de præſenti *ſucceſsivè*, quoad omnia ſua conſtitutiva, nego min. *ſimultaneè*, *aut permanenter*, concedo min. & nego conſequentiam. Ad min. probationem, dicatur: futuritionem exiſtere de præſenti *inadæquatè*, & ſecundum vnam partem ſui, quando exiſtit res futura: quia tunc exiſtit, & datur res, provt correſpondens durationi, à qua tempore anteriori denominatur futura; & etiam *inadæquatè*, quoad alteram partem ſui, tempore anteriori ad exiſtentiam rei futuræ, quia tunc datur de præſenti *non eſſe* rei, provt correſpondentis durationi poſteriori, per quod etiam conſtituitur, nec inconvenientia adducta aliud probant, quam non exiſtentiam futuritionis adæquatè ſumptæ, aut quando res eſt futura, aut quando eſt præſens.

132 Sed contra hanc ſolutionem inſiſtunt, variè inferentes. Primò. Ergo ſi futuritio nunquam adæquatè de præſenti exiſtit, nunquam de præſenti conſtituet adæquatè futurum: quia eo modo, quo eſt futuritio adæquatè, futurum conſtituitur adæquatè tale; ſed futuritio nunquam eſt de præſenti adæquatè: ergo nec futurum vnquam eſt de præſenti adæquatè tale, ac per conſequens nunquam de præſenti futurum denominabitur tale ſimpliciter, & adæquatè. Secundò. Ergo futuritio aliquando exiſtit de præſenti: ac proinde falſum eſt, futuritionem non conſiſtere in aliquo de præſenti, tempore futuritionis. Ratio eſt: quia omne tempus exiſtentiæ futuritionis eſt tempus futuritionis; ſed tempus aliquod de præſenti eſt tempus exiſtentiæ futuritionis: ergo eſt de præſenti tempus in quo verificatur, futuritionem exiſtere in aliquo de præſenti, tanquam correſpondenti tempori futuritionis. Tertio. Ergo futuritio non magis exiſtit, quando res eſt futura, ac quando futura non eſt. Patet conſequentia: id, quod ſecundum vnam partem tantum exiſtit, & ſecundùm alteram deficit, quando res eſt futura, & ſecundùm vnam tantùm partem exiſtit, & ſecundùm alteram deficit, quando res non eſt futura, non magis exiſtit, quando res eſt futura, ac quando futura non eſt; ſed futuritio ita ſe habet, cum quando res eſt futura exiſtat de præſenti, ſecundùm *non eſſe rei*, quod includit, vt vnam partem; & deficiat ſecundùm *eſſe* rei futuræ, per quod tanquam per alteram partem conſtituitur: & quando res futura exiſtit, quo tempore futura non eſt; exiſtat ſecundùm vnam partem ſui, ſcilicèt ſecundùm *eſſe rei*; & deficiat ſecundùm alteram, ſcilicèt *non eſſe* rei de præſenti: ergo futuritio non magis exiſtit, quando res eſt futura, ac quando futura non eſt: vnde ſubinferent: ergo futuritio non magis eſt, quando res eſt futura, ac quando futura non eſt; ſed id, quod non magis eſt, quando res eſt futura, ac quando futura non eſt, non magis futuritio eſt, quam non futuritio: ergo futuritio iuxta nos non magis eſt futuritio, quam non futuritio. Quarto. Ergo futuritio futura eſt; conſtat, quia quodvis eo modo quo non exiſtit, & exiſtet, futurum eſt: at futuritio per nos ſecundum aliquid ſui, ſcilicèt ſecundùm exiſtentiam rei futuræ non exiſtit de præſenti, & extitura eſt: ergo fu-

futuritio futura est. Ast id, cuius futuritio futura est, non de præsenti futurum; sed reflexè futurum est, in linea futuri: ergo si futuritio ita est, vt à nobis constituitur, nihil est de præsenti futurum.

133 Etiam illationes istæ fallaces comprehendunt præteritionem, & subiectum futuritionis, quod cum non existat de præsenti; sed potius de futuro, modò de præsenti suscipit denominationem, quam deperdit quando existit; nec quamvis futurum sit in existendo, ideò futurum est in suscipienda denominatione futuri; sed præsens, cum de præsenti eam suscipiat. Nego primam illationem. Ad cuius probationem, disting. mai. Eo modo, quo est futuritio adæquatè *successivè*, futurum constituitur adæquatè tale, concedo mai. *Eo modo*, quo est futuritio *permanenter, seu simultaneè*, quoad omnia sua cõstitutiva, neg. mai. & disting. min. Futuritio nunquam est de præsenti adæquatè *successivè*, nego min. adæquatè *permanenter*, concedo min. & consequentiam. Itaque sicut complexum quodcumque ex partibus successivis; v. g. *Tempus* compositum ex tribus durationibus successivis, & si nunquam existat totum de præsenti permanenter, & quoad simultaneam coniunctionẽ partium, ex quibus componitur; habet tamen suum modum existendi adæquatè de præsenti, per successivam existentiam partium de præsenti; sic futuritio, licèt nunquam existat adæquatè de præsenti *permanenter*; habet suum modum existendi adæquatè de præsenti, per successivam existentiam partium de præsenti, idque sufficit, vt ab ipsa constituatur futurum adæquatè in esse talis.

134 In secunda: vitanda est æquivocatio, quæ potest oriri ex constitutivis futuritionis, quorum vnum est negativum; positivum aliud, si de positivo sermo sit: cum id non distinguatur ab existentia rei futuræ, verificatur futuritionem, quoad ipsum existere de præsenti tempore, quo res non denominatur futura; sed præsens, quod quidem tempus, licèt sit tempus futuritionis in existendo, non est tempus futuritionis in denominando; modo, quo in sententia contraria, quamvis tempus, in quo res futura existit, sit tempus futuritionis in existendo, quia tunc existit decretum, & præparatio causarum; non ideò est tempus futuritionis in denominando: cum tota futuritio sit respectiva ad tempus, antecedens existentiam rei, pro quo solum eam denominat futuram. Si autem de negativo, quod à *non esse* rei futuræ in tempore præsenti non distinguitur, verificatur, futuritionem existere de præsenti suo modo quoad ipsum, & quidem tẽpore futuritionis, non modo quoad existentiam; verùm quoad denominationem. Ex quo nihil sequitur contrarium nostræ sententiæ in qua, cum dicimus, futuritionem non consistere in aliquo de præsenti, loquimur in primis de aliquo de præsenti, quod sit constitutivum adæquatum futuritionis, insuper quod sit quid positivum, distinctũ à duratione præsenti, & quod existat tempore futuritionis nõ modo in existendo; sed etiã in denominando: at non negamus cõsistere in aliquo de præsenti inadæquatè, quod sit negativum tempore futuritionis in denominando, & in aliquo de præsenti inadæquatè quod sit positivum tempore futuritionis in existendo; secus in denominando, quale est tempus existẽtiæ rei futuræ, quando hæc de præsenti existit. Vndè constat, quid dicendum pro forma illationis.

135 Ad tertiam. Permissa prima illatione, nego secundam. Quia non dependet denominatio futuri ab eo, quod futuritio magis, aut minus existat, quando res est futura, ac quando non est futura; sed ex eo, quod futuritio sit respectiva in denominando ad tempus anterius, & præcedens rei existentiam, quod commune est omni respectivo, vt videre est in ipso subiecto futuritionis, quod simpliciter existit, quando res futura existit, & tamen non est subiectum denominatum pro tunc à futuritione; sed pro tempore in quo non existit: similiter decretum Dei decernens efficaciter suum obiectum pro *A*, non magis existit pro *A*, quàm pro *B*. & tamen non denominat suum obiectum decretum pro *B*. sed pro *A*. Permissi, & non concessi primam illationem, vt modo non contendam: an res, quæ resultat ex negativo, & positivo plus existat, quando datur positivum, & deficit negativum, ac quando existit suo modo negativum, & deficit positivum? Quod impertinens, quid est ad argumentum, & solutionem illius.

136 Ad quartam, disting. consequens. Futuritio futura est *in existendo*,

concedo consequentiam: futura est *in denominando*, nego consequentiam; sic subiectum futuritionis futurum est in existendo; non verò futurum est in suscipienda denominatione *futuri*: aliàs non diceretur: *verè est futurum*; sed *erit futurum*: cum pro modo suscipientis denominationem, sit denominatio: sic etiam possibilitas est possibilis in existendo; non verò est possibilis in *denominando*, ne aliter tantum verum sit: *erit possibile*; secus; *est possibile*. Vndè constat quantum fallant reflexiones illæ, quæ deducuntur ex nostra sententia, quæ ad omnem sententiam, quoad apparentiam se extendunt, & in nulla, quoad rem probantur.

137 Obijcies quartò. Futuritio non est purè possibilis, vt per se patet: aliàs sicut purè possibile nunquam de præsenti verificatur: sic futuritio nunquam de præsenti verificaretur: nec futurum esse tale, de præsenti verè affirmaretur: deinde, neque est præterita, quia quando futuritio est præterita, futurum similiter de præterito, & non de præsenti est. Vlterius: nec est futura, quia si futuritio futura foret, futurum *in esse futuri* futurum foret: cum pro modo formæ sit constitutum ex illa: ergo futuritio est de præsenti, & quidem adæquatè: quia cum provt est futuritio adæquata denominet, de illo inadæquato, quod modò non existit, rediret argumentum: & si purè possibile, futurum, aut præteritum affirmetur, in futuritionem ipsam aliquis ex his statibus redundabit: dicenda ergo est futuritio adæquatè, & simpliciter de præsenti.

138 Insto argumentum in subiecto ipso denominationis, & probo: rem ipsam futurā consistere in aliquo de præsenti. Arguo sic: nihil est futurum, nisi provt suscipiens denominationē à forma proportionata denominationi: ergo res futura eo modo, quo futura est, est etiam suscipiens denominationem à forma; iam dico: res futura, provt suscipiens denominationem à forma, non est purè possibilis: aliàs & si posset suscipere denominationem à forma, nunquam eam susciperet: neque est præterita, quia id, quod in ratione suscipientis denominationem, est præteritum, nō modo suscipit; sed suscepit denominationem: ac per consequens nulla res futura esset; sed fuisset: neque in ratione suscipientis, est futura: quia id, quod in ratione suscipientis est futurum, non suscipit; sed suscipiet, nō denominatur; sed denominabitur: ergo in ratione suscipiētis denominationem futuræ, est aliquid de præsenti, & quidem adæquatè: nam cum suscipiens denominationem, in ratione suscipientis adæquatè denominationem, denominetur: si aliquid inadæquatum capacitatis, aptitudinis, & subiecti ipsius deficeret, de illō rediret argumentum: & si purè possibile, futurum, aut præteritum affirmatur, in rem futuram, vt suscipientem denominationem, aliquis ex his statibus redundabit: dicenda ergo est res futura in ratione suscipientis denominationem talis adæquatè, & simpliciter de præsenti.

139 Dicendum est: futuritionem esse præsentem, secundum inadæquatum negativum, quod dicit, & esse futuram secundum alterum constitutivum, quod includit: esse tamen adæquatè præsentem in denominādo: quia vt de præsenti denominet, sufficit rem non esse de præsenti, & esse extituram; sicut subiectum ipsum denominationis est de futuro in existendo, & est præsens in suscipiendo denominationem futuri. Et ratio est: quia denominatio futuri, tàm ex parte formæ, quàm ex parte subiecti sapit conditionem denominationum moralium, quæ sine præsentia physica formæ, aut subiecti sunt denominationes de præsenti per præsentiam moralem, aut formæ, aut subiecti, aut vtriusque: vnde sunt æquivalenter, & virtualiter tantùm quid physicum de præsenti, in quantum per id, quod non est; sed erit, æquivalent rebus præsentibus, & se habent, sicut ea, quæ reale quid de præsenti sunt in denominando. Id vide in denominatione *moventium*, quam possunt habere preces meæ in futurum, quando modo de præsenti aliquid eflagito ab amico, in futurum exequendum: nam accedente tempore designato, preces, quæ fuerunt, tunc movent, & quia fuerunt de præterito, tunc de præsenti movent: & ideo sunt præsentes tunc, in movendo, quamvis non sint præsentes in existendo, & faciunt per existentiam, quæ fuit, id ipsum, quod faciunt aliæ preces, quæ de præsenti existunt.

140 Obijcies quintò. Per illud

constituitur res in esse futuræ, per quod distinguitur à merè possibili, præsenti, & præterita; sed res futura distinguitur adæquatè ab his, per aliquid existens de præsenti: ergo id per quod constituitur adæquatè res futura in esse talis, est aliquid de præsenti. Maior est certa: nam constitutivum cuiusvis rei est distinctivum illius: cum quævis res distinguatur ab omni nō ipsa per suum esse, & suum esse non sit aliud, quàm illud, per quod constituitur. Probatur minor: res futura distinguitur adæquatè ab his per id, per quod sit determinata in causa ad habendam existentiam post; sed esse determinatam in causa ad habendam existentiam post, est aliquid de præsenti: ergo res futura distinguitur adæquatè ab his, per aliquid existens de præsenti. Probatur mai. Quia res merè possibilis illa est, quæ continetur in causa indeterminata, & indifferente ad dandum illi esse: res præsens, quæ extra causas existit: res præterita, quæ extra causas extitit; sed his seclusis nihil aliud restat pro re futura, nisi existere in causa determinata ad habendam existentiam post: ergo res futura distinguitur adæquatè ab his per id, quod sit in causa determinata ad habendam existentiam post.

141 Insto argumentum in subiecto futuritionis, quod quidem, in ratione apti ad suscipiendam denominationem *futuri*, distinguitur à pure possibili, præterito, & futuro: ergo in ratione talis constituitur per aliquid de præsenti: cum præsens non nisi per aliquid de præsenti constituatur: quare non modo futuritio; verum subiectum futuritionis erit aliquid de præsenti. Quod si esse suscipiens de præsenti componunt sine aliquo de præsenti: componant etiam esse futurum de præsenti absque aliquo de præsenti.

142 Respondetur: nec purè possibile esse id, quod continetur in causa indifferente, vt supponit arguens: quia ea, quæ præsentia, & futura sunt, sæpè continentur in causa indifferente, vt accidit in effectibus liberis, quæ sive sint de præsenti, sive de futuro semper continentur in causa indifferente: cum à causa determinata nequeant provenire: nec futurum constitui formaliter per præsentem præparationem causarum, vt postea habeant existentiam: tum quia hæc præparatio, si detur, solum est futuritio illativa illius, quod est *post habere* existentiam, in quo formaliter consistit esse futurum: tum quia futurum formaliter, vt tale, non exigit præparationem de præsenti: cum æquè futurum sit, si causæ sint præparandæ tempore, quo de præsenti existit: ac si causæ anterius sint præparatæ, vt iam supra notavimus: constituitur ergo futurum per existentiam postea habendam, in quo includitur, provt tale de præsenti non existere, & per id, sicut sufficienter constituitur in statu futuri; sic etiam sufficienter distinguitur ab omni eo, quod futurum non est: distinguitur enim à purè possibili, quia purè possibile nunquam habiturum est existentiam, quam habiturum est futurum; distinguitur à præsenti: quia præsens de præsenti excludit suam carentiam, quam res, provt futura de præsenti non excludit; distinguitur à præterito: quia præteritum in duratione anteriori habuit existentiam; at futurum, sicut modo de præsenti non existit, sic nec extitit: ergo, vt futurum distinguatur ab omni non futuro, non requiritur de præsenti præparatio causarum, aut aliquid aliud, quod sit adæquata forma futuri.

143 Replicant primò. Nam futurum non distinguitur à merè possibili, nec per *non esse* rei futuræ, quod de præsenti datur: nec per *existentiam* rei futuræ, postea dandam: ergo per aliud, quod de præsenti detur, cum non possit esse, aut præteritum, aut futurum. Probatur antecedens, quoad vtramque partem: quoad primam. Quia futurum non distinguitur à merè possibili per id, in quo convenit cum merè possibili; sed per *non esse de præsenti* convenit cum merè possibili, vt per se patet: siquidem id, quod nunquam existit, de præsenti non est: ergo futurum per *non esse* de præsenti rei futuræ, non distinguitur à merè possibili. Quoad secundam. Existentia rei futuræ post habenda, modo non convenit rei futuræ; sed post conveniet; sed esse futuram, & distingui à merè possibili, rei futuræ de præsenti convenit: ergo futurum non distinguitur à merè possibili, per existentiam postea dandam.

144 Concesso antecedenti, quoad primam partem, quæ vera est, & benè probatur; negatur quoad secundam,

cuius probatio redarguitur in subiecto futuritionis, quod simili forma probabitur distinctum ab existentia ipsa futura, & consistens in aliquo de præsenti; sicut enim *esse futurum* convenit de præsenti: sic *recipere futuritionem* convenit de præsenti: nam eo modo, quo res futura recipit futuritionem, futura est: ergo vel futurum non recipit denominationem futuri, vel *recipere* consistit in aliquo de præsenti. Ideo maior syllogismi probativi distinguenda est: existentia rei futuræ post habenda modo non convenit rei futuræ, *convenientia faciente rem præsentem*; sed post conveniet, concedo mai. *convenientia faciente rem futuram*, neg. mai. & disting. min. esse futuram, & distingui à merè possibili rei futuræ de præsenti convenit, *convenientia propria rei futuræ*, concedo min. *convenientia propria rei præsentis*, neg. min. & consequentiam, Itaque sicut *non existere de præsenti* convenit rei, non existenti, convenientia propria rei non existentis, pro quo non est necessarium dari aliquid positivum de præsenti; sed potius tota convenientia consistit in eo, quod non detur aliquid de præsenti; sic, vt rei futuræ conveniat de præsenti, & esse futuram, & distingui à merè possibili, convenientia propria rei futuræ, non est necessarium, quod existentia sit de præsenti; sed potius, quod existentia sit de futuro.

145 Replicant 2. Ergo futuritio saltem non constituitur per *non esse rei* de præsenti. Prob. consequentia. Futuritio, sicut, & futurum non constituitur per id quod est indifferens, vt sit, & non sit futuritio, vt sit, & non sit futurum; sed *non esse de præsenti* est indifferens, vt res sit, & non sit futura, ac proinde vt sit, & non sit futuritio illius: ergo futuritio non constituitur per non esse rei de præsenti. Prob. mai. Futuritio solum constituitur per id, quod illam distinguit à non futuritione; sed per id, quod est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem, non distinguitur futuritio à non futuritione: ergo futuritio, sicut, & futurum, non constituitur per id, quod est indifferens, vt sit, & non sit futuritio, vt sit, & non sit futurum. Probat argumentum, nec futurum constitui per id ipsum, quod est futurum: quia id ipsum, quod est futurum, indifferens est, vt sit, & non sit futurum: quia potest esse præsens, & præteritum. Probat insuper: nec nigrum constitui per subiectum, quod est indifferens, vt sit album: nec hominem per materiam primam indifferentem, vt hominem non constituat: nec obiectum, vt à me visum, constitui per id, quod a me videtur, & potuit à me nō videri: inde negata prima consequentia, negandæ etiam sunt maiores probationum: quia in constitutis divisibilibus, sæpè accidit constitui per indifferens, vt sit tale complexum: nec est necesse distingui ab omni non ipso distributivè per omne constitutivum, ex quo resultat.

146 Replicant 3. Ergo futuritio non distinguitur à præteritione. Prob. consequentia. Id quod includit eadem constitutiva, ac aliud, non distinguitur ab illo; sed futuritio includit eadem constitutiva, ac præteritio: ergo non distinguitur ab illa. Prob. min. Constitutiva futuritionis sunt: *non esse rei de præsenti; & existentia rei* in altera duratione; sed constitutiva præteritionis alia non sunt, quàm *non esse rei de præsenti; & existentia rei in altera duratione*: ergo futuritio includit eadem constitutiva, ac præteritio.

147 Non est tam specialis hæc replica in nostra sententia, vt non comprehendat omnes illos, qui &si dicant, tàm futuritionem, quàm prēteritionem consistere in aliquo de præsenti, simul affirmant, idem quod est forma futuritionis, scilicèt, aut sciētia, aut decretum pro tēpore anteriori ad existentiam rei extituræ, esse formam præteritionis pro tempore, subsequuto ad existentiam rei præsentis; imò strictiùs illos vrget, cum formam omninò eandem pro vno, & altero statu rerum designent. Solutio sit distinguere primum consequens: futuritio non distinguitur à præteritione *adæquatè*, concedo consequentiam; *inadæquatè*, neg. consequentiam. Ad probationem, disting. mai. Id, quod includit eadem, & *præcisè* cōstitutiva, ac aliud, non distinguitur ab illo, concedo mai. id, quod includit eadem, & *non præcisè* constitutiva, ac aliud, non distinguitur ab illo, subdisting. non distinguitur *adæquatè*, concedo mai. non distinguitur *inadæquatè*, neg. mai. & disting. min. Futuritio includit eadem, & *non præcisè* constitutiva, ac præteritio, concedo min. Eadē, & *præcisè*, neg. min. & disting. consequēs: ergo non distinguitur ab illa *adæquatè*, concedo consequentiā; *inadæquatè*, nego con-

consequentiam. Vnde ad min. probationem. Disting. mai. constitutiva futuritionis sunt *non esse rei de præsenti*; & *existentia rei* in altera duratione *posteriori*, concedo mai. & *existentia rei* in altera *quacumque* duratione, nego mai, & distinguo min. Constitutiva præteritionis alia non sunt, quam *non esse rei* de præsenti; & *existentia rei* in altera duratione *anteriori*, concedo min. in altera duratione, *vtcumque*, nego min. & distinguo consequens. Futuritio includit eadem, & *non præcisè* constitutiva, ac præteritio, concedo consequentiam: eadem, & *præcisè*, nego consequentiam.

148 Ratio solutionis considerandа est in exemplo ternarij, comparati cum binario: etenim sicut ternarium includit eadem constitutiva, ac binarium, scilicèt: duas vnitates; at non præcisè duas vnitates; sed alteram tertiam, ratione cuius distinguitur inadæquatè a binario, quod quidem includit etiam duas vnitates contentas in ternario; & in hoc sensu eadem constitutiva, ac ternarium; verùm non præcisè; quia includit carentiam tertiæ vnitatis, quam includit ternarium: sic similiter futuritio includit eadem constitutiva, ac præteritio; scilicèt, *non esse*, & *esse*; verùm non præcisè: quia futuritio dicit existentiam in duratione subsequuta ad durationem præsentem, cuius carentiam dicit præteritio: cum non includat existentiam in duratione posteriori; sed in duratione anteriori ad præsentem durationem.

149 Replicant primò. Ergo id, quod determinat futurum ad esse futuri, non existit tempore futuritionis. Probatur consequentia: id, quod determinat futurum ad esse futuri, est illud, quod in futuro non est indifferens, vt non sit futurum; sed id, quod in futuro non est indifferens, vt non sit futurum, non existit tempore futuritionis: quia est existentia, post habenda, quæ non existit tempore præsenti, quod est tempus futuritionis: ergo id, quod determinat futurum ad esse futuri, non existit tempore futuritionis; iam sic: eo tempore, quo solùm est indifferens quid, vt futurum sit, aut non sit futurum, non est tempus determinationis ad esse futuri: quia tempus solius indifferentiæ ad esse futuri, non est tempus determinationis ad esse futuri; sed si id, quod determinat futurum ad esse futuri, non existat tempore præsenti tempus præsens erit solùm tempus indifferentiæ ad esse futuri: ac per consequens non erit tempus determinationis ad esse futuri, nec futuritionis, quæ in determinatione ad hoc, quod futurum tale sit, consistit: ergo si id quod determinat futurum ad esse futuri, non sit aliquid existens de præsenti tempus præsens non erit tempus futuritionis, nec tale, in quo verificetur, futurum potius esse futurum, quàm non futurum.

150 Redargutio toties insinuata in subiecto denominationis, non est omittenda, ex qua contra adversarios deduces, observata eàdem forma: ergo determinatum ad esse futuri non existit tempore futuritionis. Prob. consequentia: id quod in futuro est determinatum ad esse futurum, est id quod est futurum; sed id quod est futurum, non existit in tempore præsenti, quod est tempus futuritionis: ergo determinatum ad esse futuri non existit tempore futuritionis: iam sic: eo tempore, quo solùm est forma; secus subiectum, cui forma communicetur, non est aliquod determinatum ad effectum formalem proprium ipsius: quia quando non est aliquid, quod forma determinet, non est aliquod determinatum à forma, ad suscipiendum effectum formalem ipsius; sed si id quod per formam debet in tempore præsenti, quod est futuritionis tempus, determinare ad esse futuri, non est in tali tempore determinatum, id quod est futurum, est indifferens, & non determinatum ad esse futuri: ac per consequens est futurum, quin sit futurum: ergo si id quod est futurum, non est præsens tempore futuritionis, id quod supponitur futurum, erit, vt tale, indifferens, vt non sit futurum.

151 Respondetur, distinguendo consequens: id quod determinat futurum ad esse futuri, non existit tempore futuritionis, *existentia propria futuri*, nego consequentiam: *existentia propria præsentis*, concedo consequentiam. Ad probationem, concesso mai. distin. min. id quod in futuro non est indifferens, vt non sit futurum, non existit tempore futuritionis, *existentia propria futuri*, nego min. *existentia propria præsentis*, conced. min. sub quibus terminis concedo, & nego consequentiam. Vnde ad absurdum in-

tentum, per vlteriorem probationem diſting. mai. Eo tempore, quo ſolùm eſt indifferens quid, vt futurum ſit, aut non ſit futurum *per excluſionem exiſtentiæ propriæ futuri*, non eſt tempus determinationis ad eſſe futuri, concedo mai. quo ſolùm eſt indifferens, quid, vt futurum ſit, aut non ſit futurum per *excluſionem exiſtentiæ propriæ præſentis*, non eſt tempus determinationis ad eſſe futuri, nego mai. & diſt. min. Si id quod determinat futurum ad eſſe futuri, non exiſtit tempore præſenti, *exiſtentia propria futuri*, tempus præſens erit ſolùm tempus indifferentiæ ad eſſe futuri, concedo min. *exiſtentia propria præſentis*, nego min. & nego conſequentiam.

152 Itaque ſicut res, quæ deficit, non eſſet determinata in ratione deficientis, niſi de præſenti haberet exiſtentiam propriam deficientis; non tamen ſi de præſenti non haberet exiſtentiam propriam exiſtentis: & ſicut purè poſsibile non eſſet modo determinatum, vt tale eſſet, niſi haberet ſuum modum præſentiæ, & exiſtentiæ in eſſe talis; neque ideo ſi de præſenti non haberet exiſtentiam, & præſentiam rei propriè exiſtentis, deſineret eſſe tale; imò potius ſi eam taliter haberet, amitteret rationem purè poſsibilis, quod etiã cernere licèt, in ipſa re futura, quæ in ratione ſubiecti futuritionis, habet ſuam præſentiam, & exiſtentiam, accommodatam quidem ſubiecto futuritionis; non verò propriam ſubiecti præſentiæ; ſic id quod erit phyſicè, & modo phyſicè non eſt, habet ſuam exiſtentiam, & præſentiam, determinativam futuri ad eſſe talis accommodatam, & proportionatam rei futuræ; non verò rei præſentis: quia id quod ſignificatur per talem præſentiam, nihil aliud eſt, quàm eſſe verum: rem non exiſtere, & extituram eſſe, qua ratione futura ſimpliciter eſt, & non indifferens, vt non ſit futura.

153 Vel aliter, ſi placet, & fortè expeditius, tàm pro his, quàm pro alijs argumentis, quæ ex præſentia denominationis *futuri* oriri poſſunt. Diſting. conſequens: id quod determinat futurum ad eſſe futuri, non exiſtit *formaliter* tempore futuritionis, concedo conſequentiam: non exiſtit *virtualiter*, nego conſequentiam: ſub qua diſtinctione reliquæ propoſitiones ſunt concedendæ, vel negandæ. Eſt dicere: exiſtentiam poſt habendam, à qua determinatur futurum, vt tale ſit, modo, & de præſenti quando futurum ſic dicitur, & denominatur, verum eſt non exiſtere formaliter; at, & ſi formaliter non exiſtat, exiſtit virtualiter, in quantum in ordine ad denominandum de præſenti, tantum poteſt, ac valet, ſicut poſſunt, & valent alia, quæ de præſenti exiſtunt: quod explicari poteſt exemplo *peccati habitualis* phyſicè tranſacti, & virtualiter permanentis, in quantum tantum valet, ad denominandum ſubiectum odio habitum, & dignum pœna, ac peccatum phyſicè exiſtens.

154 Obijcies ſextò. Tempore antecedenti exiſtentiam rei futuræ; v.g. *Petri exiſtentis cras*, verificantur hæ propoſitiones: *nunc Petrus eſt futurus*: *nunc eſt tempus futuritionis Petri*, & aliæ huius generis: ergo in tempore antecedenti ad exiſtentiam rei futuræ, debet dari tota eius futuritio. Prob. conſequentia: quia nequit verificari de præſenti *hodie eſt futurus Petrus*: *hodie datur eius futuritio*: quin in præſenti tempore detur eſſe futurum, & eius futuritio: ſiquidem à correſpondentia huius, quod eſt *eſſe futurum*, aut futuritionis ad durationem præſentem, dicitur potius eſſe futurum, aut dari futuritionem, quàm erit, aut fuit futurum; erit, aut fuit futuritio illius: ergo ſi in tempore antecedente ad exiſtentiam rei futuræ, verificantur de illa dictæ propoſitiones, in tempore antecedenti ad exiſtentiam rei futuræ, debet dari tota eius futuritio. Confirmatur. Non minus requiritur futuritio, vt hodie ſit verum de re futura: *eſt futura*, quam cognitio, vt hodie ſit verum: *nunc obiectum cognoſcitur*, *aut eſt cognitum*; ſed hæ propoſitiones nequeunt eſſe de præſenti veræ, niſi de præſenti detur tota repræſentatio, & cognitio obiecti cogniti: ergo neque illæ poſſunt eſſe de præſenti veræ, niſi de præſenti detur tota, & adæquata futuritio rei futuræ.

155 Cui non ſit moleſtum eandem difficultatem, iam his, iam illis terminis iterare, nec moleſtum debet eſſe eandem inſtantiam, & ſolutionem audire. Rogo: an rem eſſe futuram dicat, ſolùm *eſſe futuritionem ſecundum ſe*; an provt convenientem ſubiecto? Si futuritionem ſecundum ſe: non erit verum de præſenti: *rem eſſe futuram*; ſed tantùm: *nunc dari futuritionem*; *non dum verò rem eſſe futuram*; ſicut ſi daretur for-

forma dealbans secundùm se, & provt præscindens à convenientia, & communicatione ad subiectum; esset verum: *Nunc esse, & dari albedinem*; secus, *nunc esse, & dari album*: si futuritionem provt convenientem subiecto denominationis: vbi est nunc subiectum huius convenientiæ, vt in præsenti tempore forma denominans illi conveniat? Aut, quomodo est verùm: formam futuritionis de præsenti convenire subiecto, si de præsenti non est subiectum? Deinde sicut de præsenti est verùm: *Petrus*; v. g. *est nunc futurus. Futuritio Petri nunc est, quia nunc est tempus futuritionis*; sic etiam verùm est: *res futura potius*, nunc est apta, vt sit de præsenti futura, quàm erit tempore, quo existat; sed per te *esse nunc futuram* dicit de præsenti futuritionem: ergo *esse nunc aptam*, dicit de præsenti aptitudinem plenam, & adæquatam ex parte rei futuræ. Confirmatur. Non minùs requiritur aptitudo in re futura, vt sit futura; quàm cognitio rei cognitæ, vt cognita sit; sed cognitio ita requiritur, ad denominationem rei de præsenti cognitæ, vt de præsenti debeat existere: ergo aptitudo ita requiritur ad denominationem rei aptæ, vt sit futura, quod de præsenti debeat existere. Quarè videtur, argumentum nihil probare, quia nimis probat.

156 Ad argumentum disting. anteced. tempore antecedenti existentiam rei futuræ; v.g. *Petri existentis crás*, verificantur hæ propositiones: *Nunc Petrus est futurus*: *nunc est tempus futuritionis Petri*, & aliæ huius modi, in quibus ly *est*, & *nunc* denotant *esse*, & *præsentiam propriam rei futuræ*, concedo antecedens: in quibus ly *est*, & *nunc* denotant *esse*, & *præsentiam propriam rei præsentis*, nego antecedens, & disting. consequens; tempore antecedenti ad existentiam rei futuræ, debet dari tota eius futuritio *præsentia propria futuritionis*, concedo consequentiam: *præsentia propria præsentiæ, seu formæ facientis præsens*, nego consequentiam. Ad cuius probationem disting. similiter antecedens. Nequit verificari de præsenti: *hodie est futurus Petrus: hodie datur eius futuritio*, quin de præsenti detur *esse futurum*, & eius futuritio: *esse, & præsentia propria rei futuræ, & futuritionis*, concedo antecedens; quin de præsenti detur esse futurum, & eius futuritio: *esse, & præsentia propria rei præsentis, aut præsentiæ illius*, nego antecedens, & sub datis terminis distincto consequenti: nego, aut concedo consequentiam.

157 Est dicere: *Nunc*, & *est*, in propositionibus de præsenti significant existentiam denominationis, & subiecti denominati pro modo, & conditione denominationis, & subiecti, quod intendunt manifestare: inde aliquando ly *est*, & *nunc* correspondet ex parte obiecti aliquid positivum, vt quando dicitur: *Petrus est*; aliquando aliquid negativum, vt quando dicitur: *Petrus nunc deficit*; aliquando aliquid posibile, vt quando dicitur: *Hoc, aut illud est posibile*: aliquando aliquid physicè existens, tàm ex parte formæ, quàm ex parte subiecti, vt quando dicitur: *Est album, aut est calidum*: aliquando aliquid physicè existens ex parte formæ; secus ex parte subiecti, vt quando dicitur: *est cognitum*: aliquando aliquid physicè existens ex parte subiecti; non sic ex parte formæ, vt quando dicitur: *est senex*: *est religiosus*, quibus omnibus, pro modo denominationis, correspondet sua præsentia, vi cuius possunt de præsenti affirmari: inde in alijs præsentia est simpliciter positiva; in alijs simpliciter negativa; in alijs partim positiva, & partim negativa; in alijs præsentia physica formæ, & moralis, seu virtualis subiecti, & in alijs è contra: præsentia physica subiecti, & moralis, seu virtualis formæ, quin ex vnis valeat deduci consequentia ad alias; sed præcisè attendendum: qualis sit denominatio, & quid per talem denominationem de præsenti velimus significare.

158 Ex quibus facilè potest cognosci, qualis sit præsentia futuri, quæ per propositiones illas: *hodie est futurum*: *hodie est futuritio* significatur, quæ alia non est à proportione, quàm habet res futura ad tempus præsens, vt dicatur *nunc* non existere & esse extituram potius, quàm ad tempus, in quo existet: si de hac proportione rursus interroges: in quonam consistat *nunc*, cum de præsenti affirmetur? Respondeo: consistere formaliter in *non esse rei*, correspondenti formaliter durationi præsenti; & in existentia post habenda, correspondenti virtualiter durationi præsenti, quæ, & si formaliter non sit modo; tamen in ordine ad denominandum, & constituendum futurum de præsenti se habet nunc, sicut illa, quæ in vi existentiæ præsentis verificant alias denominationes, quæ de præsenti dantur: quia tantum valet, ac ipsa,

ipſa, in ordine ad denominandum de præſenti: ſicut contrarij dicent de ſubiecto denominationis de futuro, quod & ſi phyſicè, & formaliter non *ſit*; ſed *erit*, tantum valet per illud *erit*, ad ſuſcipiendam modo denominationem, quantum valent alia ſubiecta per ſuum eſſe ſimpliciter, & formale in ordine ad ſuſcipiendas denominationes de præſenti, à formis ſibi proportionatis, & convenientibus.

159 Ad confirmationem dicatur: non minus requiri futuritionem, vt hodie ſit verùm de re futura: *eſt futura*, quàm cognitio, vt hodie ſit verùm de obiecto cognito: *eſſe cognitum*: cæterùm cum requiſitio hæc futuritionis attemperanda ſit conditioni denominationis, & formæ; non benè infertur: quod ſi cognitio requiratur, vt præſens præſentia formali, & ſimpliciter tali: futuritio etiam requiratur præſentia formali, & ſimpliciter tali: aliàs liceret arguere contra obijcientes: non minus requiritur id quod futurum eſt, vt aliquid ſit nunc futurum; quàm id quod album eſt, vt aliquid ſit nunc album; ſed id quod album eſt, vt aliquid ſit nunc album, requiritur de præſenti ſimpliciter formaliter, & abſolutè: ergo id quod futurum eſt, vt aliquid ſit nunc futurum, requiritur de præſenti ſimpliciter formaliter, & abſolutè. Diſparitatem ergo, quam libenter inter vnam, & alteram denominationem, deſumptam ex conditione cuiuſvis tribuunt, libenter accipiam pro denominationibus *cogniti*, & *futuri*.

160 Replicabunt: ergo eſſe futurum, aut futuritio rei futuræ non eſt de præſenti formaliter; ſed tantum virtualiter. Prob. conſequentia. Quodcumque conſtitutum exiſtit pro modo, quo exiſtunt eius conſtitutiva; ſed aliquod ſaltem conſtitutivum futuritionis exiſtit per nos tantùm virtualiter, & non formaliter: ergo nec futuritio, aut eſſe futurum, datur de præſenti formaliter; ſed tantum virtualiter. Infero ego: ergo res futura non eſt propriè res futura. Prob. conſequentia. Res dicitur futura propriè ſecundùm proprietatem, qua res futura recipit futuritionem; ſed res futura, vtpotè non exiſtens, cum proprietate non poteſt recipere futuritionem: ergo neque eſt proprie futura.

161 Reſpondetur. Aliud eſſe, quod futuritio fundetur in virtualitate; aliud, quod virtualitas ipſa, in qua fundatur, ſit tantū virtualiter in ordine ad futuritionem. Primum eſt verum; & ſecundum falſum: nam licèt res extitura ſit virtualiter præſens, in ordine ad determinandum futurum ad eſſe futuri; non tamen eſt virtualiter in ratione conſtitutiva futuri. Et ratio eſt: quia futuritio formaliter conſtituitur per ipſam æquivalentiam, & virtualitatem præſentiæ, non per æquivalentiam, aut virtualitatem ſui: id ſuaderi, & clarum fieri in multis exēplis poteſt: nam licèt *eſſe mortuum* fundetur in improprietate exiſtendi, ſeu in negatione exiſtendi, quam, vt conſtitutivum requirit; non ideò improprietas illa, aut defectus exiſtentiæ ſimpliciter talis tranſcendit denominationem ipſam *mortui*, itavt homo mortuus ſit impropriè, aut non ſit mortuus: idem accidit in denominatione *picti*, & *repræſentati*, quæ licèt non dicat realitatem illius, quod pingitur, aut repræſentatur, dicit tamen realitatem ſui, in eſſe denominationis picti, aut repræſentati: ad cuius normam conſiderari poſſunt aliæ denominationes.

162 Etenim æquivalentia, aut ſubſtitutio alterius non eſt æquivalentia, aut ſubſtitutio ſui; cognitio fundata in negatione ſui obiecti, non ideò eſt negatio ſui: item disiunctio aliquorum extremorum, non ideò eſt disiunctio, aut indeterminatio ſui in ratione disiunctionis, aut indeterminationis: iuxta quem modum conſideranda eſt denominatio *futuri*, quæ etſi fundetur in æquivalentia rei præſentis, quæ taliter non ſit formaliter; ſecus virtualiter: non propterea fundatur in æquivalentia ſui: quia illa virtualitas alterius eſt eſſe formale; & non tantum virtuale ſui. Vnde diſting. conſequens: eſſe futurum, aut futuritio rei futuræ non eſt de præſenti formaliter; ſed tantùm virtualiter in ratione *futuræ*, aut *futuritionis*, nego conſequentiam; in ratione *præſentis*, aut *præſentiæ*; concedo conſequentiam. Ex quo facilè ad probationem dicendum: quodcumque conſtitutum exiſtere pro modo, quo exiſtunt conſtitutiva ipſius in ordine ad illud; non quomodo exiſtunt in ordine ad aliud: ideò quamvis vnum ſit eſſe virtuale alius, ſcilicèt *præſentiæ*, & *exiſtentiæ ſimpliciter talis*; non eſt eſſe virtuale; ſed formale *futuritionis* pro nunc, & de præſenti.

164 Obij-

163 Obijcies ſeptimò. Futuritio non eſt intrinſeca; ſed extrinſeca rei futuræ; ſed id quod eſt extrinſecum rei futuræ, diſtinguitur ab illa: ergo futuritio nullo modo includit rem futuram. Prob. mai. Id quod realiter datur ante rem futuram, & potius deficit, quàm exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid extrinſecum rei futuræ; ſed futuritio datur realiter ante rem futuram, & potius deficit; quàm exiſtit, quando datur res futura: ergo futuritio non eſt intrinſeca; ſed extrinſeca rei futuræ. Mai. videtur certa. Nam id quod exiſtit, & eſt realiter, ante quam fit aliud, ſeparatur in ſuo eſſe ab eſſe alterius: ſicut, & illud, quod deficit, quando exiſtit aliud: ſed eſſe ſeparatum ab eſſe alterius, eſt eſſe extrinſecum eſſe alterius: ergo id quod realiter datur ante rem futuram, & potius deficit; quam exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid extrinſecum rei futuræ. Prob. min. Quia eo modo quo futurum verè, & realiter eſt tale, eſt antequam exiſtat res futura, datur verè, & realiter futuritio, antequam exiſtat res futura: & eo modo quo quando exiſtit, res iam verè & realiter non eſt futura, exiſtente re, deficit verè, & realiter futuritio, potius quam exiſtit: ergo futuritio datur realiter ante rem futuram, & potius deficit, quàm exiſtit, quando datur res futura.

164 Infero pari forma: ergo id quod eſt futurum, eſt quid extrinſecum rei futuræ. Prob. conſequentia. Id quod verè eſt id, quod eſt futurum, antequam exiſtat res futura, & potius deficit, quàm exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid extrinſecum rei futuræ; ſed id quod eſt futurum, verè eſt id quod eſt futurum, antequam exiſtat res futura, & potius deficit; quàm exiſtit, quando exiſtit res futura: ergo id, quod eſt futurum, eſt quid extrinſecum rei futuræ. Mai. videtur certa; ſiquidem id quod verè eſt id, quod eſt futurum, antequam exiſtat res futura, & potius deficit, quàm exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid in ſuo eſſe ſeparatum ab eſſe rei futuræ; ſed ſeparatum in ſuo eſſe ab eſſe alterius, eſt quid extrinſecum eſſe alteriùs: ergo id quod verè eſt id, quod eſt futurum, antequam exiſtat res futura, & potius deficit; quàm exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid extrinſecum rei futuræ. Prob. min. Quia eo modo, quo aliquid verè, & realiter eſt futurum, verè, & realiter eſt id quod eſt futurum: ergo ſi futurum verè, & realiter eſt, vt tale, antequam exiſtat res futura, & verè, & realiter deficit in ratione talis, quando exiſtit res futura, id quod eſt futurum verè, & realiter eſt, antequam exiſtat res futura, & verè, & realiter deficit, quando exiſtit res futura.

165 Ad argumentum diſt. mai. primi ſillogiſmi: futuritio nō eſt intrinſeca; ſed extrinſeca rei futuræ, *ſumpta futuritione adæquatè, & provt includit non eſſe de præſenti*, conc. mai. ſumpta futuritione *inadæquatè*, neg. mai. Et ſub eiſdem terminis diſtincta min. neg. conſequentiam. Ad probat. mai. per quam intenditur, adhùc inadæquatè futuritionem non eſſe intrinſecam rei futuræ. Diſting. mai. id quod realiter datur ante rem futuram, *realitate propria futuritionis*, & potius deficit *in denominando*; quàm exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid extrinſecū rei futuræ, neg. mai. id quod realiter datur ante rem futuram, *realitate præſentiæ*, & potius deficit *in eſſendo ſimpliciter*; quàm exiſtit, quando exiſtit res futura, eſt quid extrinſecum rei futuræ, concedo mai. & diſting min. Futuritio datur realiter ante rem futuram *realitate futuritionis*; & potius deficit *in denominando* quam exiſtit, quando exiſtit res futura, concedo min. Futuritio datur realiter ante rem futuram, *realitate præſentiæ*, & potius deficit *in eſſendo ſimpliciter*; quàm exiſtit quando exiſtit res futura, nego min. & conſequentiam. Ad illud, quod additur de certitudine maioris dicendum eſt: ſolùm tenere ſub diſtinctione data, ex qua colligitur, quando arguat ſeparationem in eſſe, & diſtinctionem eſſe vnius ab eſſe alterius.

166 Ad min. probationem. Diſting. antecedens: eo modo, quo futurum verè, & realiter tale eſt, *veritate, & realitate propria futuri*, eſt futuritio antequam exiſtat res futura, concedo antecedens quoad primam partem: *realitate, & veritate præſentis*, eſt futuritio, antequam exiſtat res futura, nego antecedens quoad primam partem, & diſting. ſecundam: eo modo, quo quando exiſtit res, iam verè, & realiter non eſt futura *in eſſendo ſimpliciter*, exiſtente re deficit potius verè, & realiter futuritio, quàm exiſtit, conced. antecedens quoad ſecundam partem: eo modo, quo quando exiſtit res, iam verè, & realiter non eſt futura *in denominādo*, exiſtente re deficit

cit potius, quàm exiſtit verè, & realiter futuritio, nego antecedens quoad ſecundam partem: & diſting. conſequens. Futuritio datur realiter ante rem futuram, *realitate propria futuritionis*, & potius deficit, quàm exiſtit *in denominando*, quando exiſtit res futura, concedo conſequentiam: *realitate propria præſentiæ*, & potius deficit, quàm exiſtit *in eſſendo*, quando exiſtit res futura, nego conſequentiam.

167 Solutionis doctrina familiariſsima eſt in noſtra Schola: pro cuius intelligentia habenda præ oculis eſt poſſibilitas rerum contingentium, comparata cum exiſtentia ipſarum: itaque ſicut quod poſsibilitas rerum contingentium verè, & realiter poſsibilitas ſit, antequam res exiſtant, & quod exiſtentia potius deficiat quàm exiſtat, quãdo res non dum pervenit ad exiſtentiam; nec probat, quod poſsibilitas ante exiſtentiam rerum ſit aliquid de præſenti ſimpliciter exiſtens; ſed tantum exiſtens, exiſtentia proportionata rei poſsibili, in quantum verum eſt eſſe poſsibilem: nec probat ſeparationem vllam inter eſſe poſsibilitatis, & eſſe exiſtentiæ: quia ea ipſiſsima ratione, qua poſsibilitas eſt ſuo modo, exiſtentia etiam eſt ad modum poſsibilitatis, & eo ipſiſsimo modo, quo deficit exiſtentia, deficit poſsibilitas ad modum exiſtentiæ: Sic ſimiliter dicimus de futuritione, comparata cum exiſtentia rei futuræ, cum qua iuxta noſtram ſententiam, identificatur. Quare cum exiſtit futuritio iuxta ſuum modum, qui eſt exiſtere formaliter de præſenti quoad vnum conſtitutivum, & exiſtere virtualiter tantum quoad aliud de præſenti, & formaliter de futuro; exiſtit etiam res futura ſuo modo in ratione futuræ; & quando deficit exiſtentia in ratione præſentis, deficit etiam futuritio pro modo exiſtentiæ, quia deficit ab hoc, quod ſit exiſtentia præſens, quamvis non deficiat ab hoc, quod ſit exiſtentia futura. Inſuper, quando res futura exiſtit, deficit futuritio in denominando: quia iam amplius non denominat rem futuram, & eodem ſenſu, & modo deficit res futura; eſt tamen ipſa futuritio ſimpliciter: quia eodem modo eſt exiſtentia, ex qua conſtituitur.

168 Inſiſtes: ſi futuritio non deficeret in eſſendo ſimpliciter, nec deficeret in denominando; ſed per nos exiſtente re, quæ modo futura dicitur, non deficit futuritio illius in eſſendo ſimpliciter: ergo nec deficit in denominando: ac per conſequens res erit ſtrictiſsimè futura, quando eſt præſens, & eo modo, quo eſt præſens. Prob. mai. Futuritio non deficit in denominando, quando eſt futuritio ſimpliciter; ſed quando non deficit in eſſendo ſimpliciter, eſt futuritio ſimpliciter: quia vnumquodque eo modo, quo habet eſſe ſimpliciter in propria linea, verè eſt in tali linea: ergo ſi futuritio, dum res futura exiſtit, non deficeret in eſſendo ſimpliciter, nec deficeret in denominando.

169 Reſpondeo primò. Quod etſi in formis abſolutis benè valeat, ab eſſe ſimpliciter ad denominationem, ſitque propterea verum: *Non deficit in eſſendo ſimpliciter: ergo nec deficit in denominando*; aliter tamen contingit in formis reſpectivis, ſivè quoad tempus, ſivè quoad ſubiecta: quare ſi vnio extremorum *A.* & *B.* per vnionem ſuperadditam communicaretur alijs extremis, quorum non eſt modus vnitivus, non deficeret ab illis in eſſendo; deficeret tamen ab illis in denominando: ſimiliter in ſententia, admittente durationem indiviſibilem, correſpondentem tempori diviſibili *A. B. C. D.* exiſtens in *A.* duratio illa, non deficeret in eſſendo à primo inſtanti duratio *D.* deficeret tamen in denominando: quia res, provt durans in *A.* non durat in *B.* Inſuper odium divinum, quod Deus habuit erga *D.* Petrum tempore negationum, correſpondet in eſſendo durationibus præſentibus, quibus *D.* Petrus eſt in gratia, & fungitur gloria; nec ideò correſpondet eiſdem durationibus in denominando: cum pro ipſis non ſit *D.* Petrus odio habitus; ſed amore proſequutus: cur ergo erit impoſſibile, futuritionem correſpondere in eſſendo ſimpliciter tempori, in quo exiſtit res futura; aſt ab illo deficere in denominando? Vnde ad formam inſtantiæ neganda eſt maior primi ſyllogiſmi. Ad cuius probationem conceſſa maiori, nego min. quia per futuritionem ſimpliciter talem, non ſolùm intelligimus eſſe ſimpliciter futuritionis; ſed aptitudinem denominandi pro tali tempore, quæ non datur pro tempore illo, in quo res futura exiſtit.

170 Reſpondeo ſecundò. Nos per illam propoſitionem: *Futuritio non deficit in eſſendo; deficit tamen in denominando*

do, non velle significare, futuritionem habere esse simpliciter in ratione talis tempore, quo existit res futura; sed duntaxat, quod illud ipsum, quod relatè ad tempus præcedens erat futuritio, adveniente tempore existentiæ rei futuræ, permanere in ratione præsentiæ quamvis deficiat in ratione futuritionis: modo quo existentia identificata cum possibilitate, quæ toto tempore, quo res existit, simpliciter habet esse, deficiente re, deficit in ratione existentiæ; & permanet in ratione possibilitatis, iuxta quam doctrinam, distinguenda est mai. primi syllogismi: si futuritio non deficeret in essendo, *quatenus præsentia est*, non deficeret in denominando, scilicèt denominatione futuri, nego mai. si non deficeret in essendo, *vt futuritio est*, non deficeret in denominando, dicta denominatione permitto mai. Et disting. min. Per nos, existente re, quæ modo est futura, non deficit futuritio illius in essendo simpliciter, *vt præsentia est*, concedo min. in essendo simpliciter, *vt futuritio est*, nego min. & consequent. Ad mai. probationem, distinguenda etiam mai. Futuritio non deficit in denominando quandoest futuritio simpliciter *in ratione talis*, concedo mai: quando est simpliciter *in ratione præsentiæ*, nego mai. & disting. min. Quando non deficit in essendo simpliciter *per esse simpliciter præsentiæ*, est futuritio simpliciter, nego min. *Per esse simpliciter futuritionis*, concedo min. & sub eisdem terminis, concedo, aut nego consequentiam. Nec prætermittenda est paritas ipsius rei futuræ, quæ cum eadem sit, quæ est futura, & quæ est præsens, dum existit, permanet in ratione subiecti *præsentiæ*, & deficit in ratione subiecti *futuritionis*.

171 Obiicies octavò. Per nos antequam res futura existat, datur esse futurum, & futuritio realiter, & verè veritate, & realitate propria futuritionis; sed id, cuius realitas propria datur, antequam existat aliud, non constituitur per illud: ergo futuritio, *aut futurum esse* non constituitur per existentiam rei futuræ; sed per aliquid aliud distinctum, & de præsenti existens. Mai. continet doctrinam, & solutionem nostram. Min. probatur. Id cuius realitas propria datur, antequam detur realitas propria alterius, est id, cuius realitas propria existit sine realitate alterius; sed id, cuius, propria realitas existit, sine realitate alterius, non constituitur per realitatem alterius: ergo id, cuius realitas propria datur, antequam existat aliud, non costituitur per illud.

172 Reddit instantia, nunquam omittenda. Per vos, antequam res futura existat, datur non modo futuritio; verùm res ipsa futura, in ratione habentis futuritionem: aliàs non modo esset futura: ergo res futura antequam existat, habet realitatem & veritatem propriam, habentis futuritionem; sed id, cuius realitas propria datur, antequam existat aliud, non constituitur per illud: ergo habens futuritionem, vt tale, non constituitur per existentiam rei futuræ. Mai. est doctrina ipsorum, & min. prob. eadem probatione, qua ipsi contra nos minorem probant, & quam repetere, est superfluum.

173 Ad argumentum concess. mai. disting. min. Id, cuius realitas propria datur, antequam existat aliud, *tàm in ratione præsentis, quàm in ratione extituri*, non constituitur per illud, permitto min. Id, cuius realitas propria datur, antequam existat aliud, determinate *in ratione præsentis*, nego min. & consequentiam. Ad min. probationem, disting. mai. Id, cuius realitas propria datur, antequam detur realitas propria alterius *in omni specie realitatis propriæ alterius*, est id, cuius propria realitas existit sine realitate alterius, concedo mai. id, cuius realitas propria datur, antequam detur realitas propria alterius, *in determinata specie, correspondentis* præsenti durationi, neg. mai. & disting min. id, cuius realitas propria existit sine realitate alterius, *in omni specie realitatis alterius*, non constituitur per realitatem alterius, concedo min. *in determinata specie realitatis alterius*, nego min. & consequentiam.

174 Solutio est: Futuritionem habere realitatem propriam futuritionis, antequam existat realitas rei futuræ in ratione præsentis; at non antequam existat realitas rei futuræ in ratione extituræ: nam in ratione extituræ non existet de futuro; sed iam suo modo verè est in ratione talis: quo modo constituit futuritionem, & rem futuram pro nunc: non aliter ac subiectum futuritionis habet suam realitatem pro nunc, in ratione habentis faturitionem, quamvis non habeat realitatem pro nunc, in ratione subiecti præsentiæ, ita tamen, vt hæc realitas,

tas, quæ modo datur, nullo modo esset, si tempore existentiæ, & præsentiæ rei futuræ pro nunc, id ipsum non foret subiectum præsentiæ, à quo non distinguitur, & cum quo realiter identificatur. Quare quidquid molestum, aut difficile nobis sit in nostra sententia, molestum, aut difficile remanet in contraria sententia, superadditis tamen difficultatibus, ex præsentia adæquatæ futuritionis, quæ, ni fallor, non sunt contemnendæ.

175 Objcies nonò. Tempore, quo res est futura, datur connexio metaphysica cum eo, quod res posteà existat; sed connexio metaphysica cum eo, quod res postea existat, distinguitur ab hoc, quod est postea existere: ergo futuritio, in qua fundatur connexio cum re, vt existēte postea, distinguitur ab ipsa re, quæ postea existit. Mai. est certa. Nam eo modo, quo res est futura, est inseparabilis ab eo, quod res postea existat: & eo modo, quo est inseparabilis, est connexa. Min. probatur. Quia nihil connectitur se cum ipso: cōnexio enim vnius cum alio est argumentum distinctionis vnius ab alio: ergo si futuritio connectitur cum existentia rei pro posteriori, distinguitur ab existentia illius pro posteriori.

176 Redarguo: eo modo, quo tempore, in quo res est futura, datur connexio metaphysica cum eo, quod res post existat, res post existens, est terminus connexionis; sed eo modo, quo est terminus connexionis, aliquid est: ergo tempore, quo res est futura, non modo connexio cum eo, quod res post existat, aliquid est; verùm ipsa res, vt post existens, aliquid est.

177 Respondeo: non omnem inseparabilitatem, aut necessitatem metaphysicam esse connexionem metaphysicam strictam; quamvis omnis connexio metaphysica stricta, sit necessitas, & inseparabilitas metaphysica. Ratio est: quia necessitas, & inseparabilitas provenit etiam ab identitate, vt constat in formalitatibus metaphysicis eiusdem entis, quarum quævis est necessitas, & inseparabilitas alterius, quin vna cum altera strictè connectatur; sic evenit loquendo strictè; at loquendo latè, quævis inseparabilitas, & necessitas solet vocari connexio, quo modo connexio non arguit distinctionem; cum in tali sensu de quavis re dicatur, habere connexionem cum ipsa. Vnde ad argumentum disting. mai. tempore, quo res est futura, datur connexio metaphysica *stricta* cum eo quod res post existat, nego mai. connexio metaphysica lata, seu logica, concedo mai. & disting. min. *connexio metaphysica stricta* cum eo, quod res post existat, distinguitur ab hoc, quod est, post existere, concedo min. connexio *metaphysica lata, seu logica*, distinguitur ab hoc, quod est post existere, neg. min. & consequentiam. Inde constat, quid dicendum ad certitudinem maioris, & ad minoris probationem.

178 Insistes: saltem eo tempore, quo res est futura, datur necessitas, vt res sit futura; cum non minus sit necessarium, rem futuram esse futuram, quando verificatur esse futuram, ac esse existentem, aut præsentem, quando verificatur existere: at necessitas hæc, quæ datur, non datur de præsenti in eo, quod est indifferens ad esse, & non esse rei futuræ, vt est *non esse rei*, quod de præsenti datur: ergo in aliquo alio determinato ad esse futuri, quod non potest esse ipsa res futura, quæ modo non datur; sed aliquid aliud verè existens, & connexum, vt est Scientia Dei, aut decretum divinæ voluntatis.

179 Redargutio clara est in necessitate, quæ datur, tempore, quo res est futura, de eo, quod sit subiectum denominationis futuræ, eo modo, quo futura est: componant ergo ad modum huius necessitatis, quam concedunt, alteram necessitatem, quam sine aliquo de præsenti non benè percipiunt. Respondeo. Necessitatem rei futuræ in ratione talis, semel quod res futura est, dari eo modo, quo diximus, dari *rem esse futuram*, à qua in ratione talis non distinguitur, *datione*, scilicèt, *propria rei futuræ*; non verò *datione propria rei præsentis*: quod *dari* consistit in eo, quod detur aliquid formaliter de præsenti, & aliquid formaliter de futuro, & virtualiter de præsenti, in quantum ad tribuendam de præsenti denominationem *necessarij* in ratione futuri, semel quod futurum sit, tantam vim habet, ac reliqua, quæ, vt existentia formaliter, & simpliciter, tribuunt denominationes de præsenti, quod vltra dicta, maiore non indiget explicatione.

180 Objcies decimò. Si futuritio absoluta consisteret in non esse nunc, & esse postea, futuritio conditionata consisteret in non esse nunc; & esse

postea,

postea, scilicet, si daretur hæc vel illa hypothesis, aut conditio; sed futuritio conditionata in hoc non consistit: ergo nec futuritio absoluta consistit in *non esse nunc*, & esse postea. Mai. videtur certa, vel assignat constitutivum futuritionis conditionatæ. Prob. min. Futuritio conditionata solùm potest consistere in eo, quod si purificetur conditio, erit futuritio absoluta; sed non esse nunc, & esset sub tali, vel tali conditione, si purificetur conditio, non potest existere absolutè: ergo futuritio conditionata in illo non consistit. Mai. videtur certa: siquidem omne conditionatum, purificata conditione transit in absolutum, aliàs verè conditionatum non esset. Prob. min. Quia de multis verificatur esse futura conditionata, dependenter à conditione, quæ existeret in tempore præsenti, coniuncta cum conditionato, vt: *Si daretur Petro auxilium A. in hoc instanti consentiret*; de alijs verò verificatur, esse futura conditionata, quæ si purificaretur conditio, semper extitissent, vt sunt *decreta Dei*, de quibus verificatur: *Non existere de præsenti*; *attamen, quod si existeret hæc vel illa conditio, existerent*; sed in his: *non esse nunc*; *& esset sub tali, vel tali conditione, si purificetur conditio*, non posset existere absolutè: quia illud: *non esse nunc*, purificata conditione nunquam extitisset: ergo *non esse nunc*, *& esset sub tali, vel tali conditione*, si purificetur conditio, non posset existere absolutè.

181 Confirmatur. Quando *non esse nunc* non coniungitur verificativè cum *esse postea*, non datur futuritio absoluta: ergo quando futuritio conditionata non sit talis, cuius *non esse nunc* non possit verificativè coniungi cum *esse postea*, futuritio conditiona est talis, quæ non posit transire in absolutam. At futuritio conditionata impotens transire in absolutam, purificata conditione, est futuritio conditionata chymærica: ergo ne talis dicenda sit, aliter, quam per *non esse nunc*, *& esset sub tali, vel tali conditione*, est constituenda: ac proinde nec futuritio absoluta per *non esse nunc*; & *esse postea* debet constitui,

182 Respondeo: Sæpè confundi veritatem conditionalem cum futuritione stricta, inter quas non valet ad convertentiam: nàm etsi omnis futuritio stricta, sit veritas conditionalis; secus omnis veritas conditionalis est futuritio stricta: futuritio enim stricta illa dicitur, cuius *non esse* de præsenti potest verificativè coniungi cum *esse*, purificata conditione: futuritio verò latè, & tantùm reductivè futuritio, ea est, cuius *non esse de præsenti* coniungi nequit verificativè cum *esse*, purificata conditione. Inde veritates illæ conditionales obiectæ dicendæ sunt tantùm futuritiones conditionatæ impropriè, & reductivè; & tantùm propriè veritates conditionales: quare, & si, vt veritates conditionales, purificata conditione, debeant transire in absolutas; in ratione futuritionis conditionatæ, non est necessarium, purificata conditione transire in absolutam nisi quoad rectum: nempè, quoad id, de quo dicitur impropriè esse futurum.

183 Ad formam, concessa mai. quæ futuritionem, tàm propriam; quàm impropriam comprehendit, neg. min. Ad cuius probationem. Disting. mai. Futuritio conditionata *stricta* solùm potest consistere in eo, quod si purificetur conditio, erit futuritio absoluta, concedo mai. *impropria*, *& reductivè talis*, nego mai. & disting. min. *non esse nunc*, & *esse sub tali, vel tali conditione*, si purificetur conditio, non potest existere absolutè *in futuritione stricta*, nego min. *in futuritione impropria*, *& reductivè tali*, concedo min. & nego consequentiam. Ad vltimam min. probat. disting. mai. De multis verificatur esse futura conditionata *impropriè*, *& reductivè*, dependenter à conditione, quæ si existeret, existeret in tempore præsenti, coniuncta cum conditionato, & de alijs, quæ si purificaretur conditio, semper extitissent, concedo mai. esse futura conditionata *propriè*, *& strictè*, nego maiorem, & distinguo min. In his *non propriè*, *& strictè futuris*, *non esse nunc*, & *esset* sub tali, vel tali conditione, si purificetur conditio, non posset existere absolutè, concedo min; in his *propriè*, *& strictè futuris*, nego min. & consequentiam.

184 Replicabis: Dicta futura in aliquo statu sunt propriè collocanda; sed in nullo alio, quam in statu futurorum conditionatorum: ergo pro-

priè, & ſtrictè ſunt futura conditionata. Mai. eſt certa. Nam ſi ad aliquem ſtatum ex poſsibilibus propriè non pertineant, erunt impropriè tantùm inter poſsibilia: ac proinde non ſpectabunt propriè ad poſsibilia. Probatur min. Quia veritates illæ obiectivæ conditionatæ non ſunt purè poſsibiles: quia, per nos, ea, quæ aliquomodò ſunt futura, non ſunt purè poſsibilia: deinde non ſunt præſentia, præterita, aut futura abſoluta, vt per ſe patet: ergo ſunt futura conditionata, & quidem propriè.

185 Reſpondeo: Aliud eſſe non habere ſtatum proprium *futuri conditionati*; aliud non habere ſtatum proprium inter veritates obiectivas poſsibiles. Primum eſt verum, propter rationem traditam: quia non eſt ſtricta futuritio conditionata, quæ ſecundùm rectum, & obliquum non poteſt tranſire in abſolutam, non modò diviſivè; verùm coniunctim verificativè: ſecundum falſum; quia, vt ſæpè diximus, & ab omnibus eſt concedendum, ſæpè improprietas alterius eſt ſtatus proprius, & poſsibilis illius, quod tantum impropriè eſt aliud, vt iudica picturam hominis, quæ impropriè eſt homo, quem repræſentat; & in hac improprietate hominis fundat proprietatem ſui; & imaginem intentionalem, quæ impropriè tantùm eſt obiectum, quod repræſentat, & propriſsimè habet ſtatum proprium: pariter ergo veritates illæ conditionales habent ſtatum proprium veritatis conditionalis poſsibilis, & ſtatum improprium, & purè reductivum in ratione futuri conditionati.

186 Dixi: veritatem illam conditionalem: *Si detur Petro auxilium* A, in hoc inſtanti *conſentiet*, eſſe veritatem futuri conditionati non ſtrictè, & propriè talis, quod intelligendum eſt non vniverſaliter, & facta comparatione cum quovis tempore, & inſtanti præcedenti illud, quod reſpicit purificatio conditionis; ſed reſtrictè tantùm ad illud, quod reſpicit purificatio conditionis, quæ defacto non exiſtit. Ratio eſt: quia in reliquis inſtantibus præcedentibus illud, quod reſpicit purificatio conditionis, *non eſſe conſenſus*, qui de facto datur, poſſet coniungi verificativè cum exiſtentia conditionati, ſub purificatione conditionis, ita vt eſſet verum: *conſenſus, qui defacto exiſtit ſub purificatione conditionis, antè non fuit*: ac per conſequens relatè ad illud tempus, præcedens purificationem conditionis habet illa veritas conditionalis quidquid eſt neceſſarium, vt ſit, & conſideretur ſtrictè futura: non ſic relatè ad tempus purificationis conditionis, in quo, & ſi defacto non exiſtant purificatio conditionis, & conditionatum; ſi tamen exiſterent, non poſſet verificari: *conditionem, & conditionatum exiſtere*, & ſimul verificari: *non exiſtere in illa duratione*, qua in ſenſu diviſo exiſtendi, verificatur non exiſtere: cum ex ſuppoſitione, quod exiſtant, nunquam fuiſſet illa veritas de non eſſe conditionis, & conditionati pro illo inſtanti.

187 Admiſsi etiam, decreta illa Dei, quæ de facto non exiſtunt, exiſterent tamen ſi poneretur aliqua conditio, non eſſe futura conditionata ſtricta: quia ſi ſemel exiſterent, ſemper extitiſſent: vnde nunquam eſſet locus, vt *non eſſe de præſenti* coniungeretur verificativè cum *eſſe* eorum aliquando; aſt diſtinctione indiget. Nam futuritio ſtrictè conditionata eſt conſideranda, ſicut futuritio ſtricta abſoluta, quæ, vt ſuprà declaravimus, poteſt eſſe *pura*, & *non pura*. *Pura*: quando id ipſum, quod exiſtet poſt, non exiſtit de præſenti: *non pura*, cum id ipſum, quod exiſtet poſt, exiſtit etiam de præſenti: ad cuius modum futuritio conditionata *non pura* illa dicetur, *ex qua res exiſteret, ſi poneretur conditio, ita vt antè etiam extitiſſet. Pura*: *ex qua res exiſteret, ſi poneretur conditio, ita, vt antè non extitiſſet*. Ex quo: decreta illa, quæ defacto non exiſtunt; exiſterent verò ſi poneretur conditio, excluduntur propter exiſtentiam æternam, quam haberent, ſi exiſterent, à futuritione conditionata ſtricta *purè tali*; ſecus à futuritione conditionata ſtricta *non purè tali*, niſi conſiderentur, vt extitura, ſi foret conditio relatè ad durationem præſentem: modo, quo diximus de illa veritate conditionali: *Si exiſteret auxilium* A, *in hoc inſtanti exiſteret conſenſus*; non, ſi ſic conſiderentur relatè ad aliam durationem ſuc-

ſucceſsivam poſteriorem durationi præſenti: quia taliter poſſunt habere futuritionem conditionatam ſtrictam, quamvis non pura m.

CAPVT VI.

De futuritione ſecundumquid, aliàs ſigni, aut per rationem.

188 FVTVRITIONI ſimpliciter tali, cuius enodatio præceſsit, & quæ ſine vera ſucceſsione inter *non eſſe*, & *eſſe* ſtare nequit, adiungunt graves Theologi futuritionem aliam, quam iam futuritionem impropriam, & ſecundumquid, iamvirtualem, iam ſigni, iam per rationem nuncupant: hanc dicunt intercedere inter ea, quæ cum ſimul tempore ſint, ſucceſsionem tamen aliquam, ſeu prioritatem, & poſteriorìtatem inter ſe habent, vel ſaltem præciſionem non mutuam. Propterea dicunt: talem futuritionem competere omni effectui reſpectu ſigni ſuæ cauſæ, omni termino reſpectu ſigni ſuæ cauſæ: omni termino reſpectu ſigni ſui principij realis, vel virtualis, & omni contingenti reſpectivè ad ſignum neceſſariorum. Fundamentum ipſis eſt: quia eo modo, quo verificatur de aliquo *non eſſe in nunc rationis*, & *eſſe poſt*, eſt aliquomodo futurum, & ſi impropriè, & ſecundumquid; ſed de effectu comparativè ad ſignum ſuæ cauſæ: de termino comparativè ad ſignum ſui principij, ſivè realis, ſivè virtualis: & de contingenti comparativè ad ſignum neceſſariorum, verificatur: *non eſſe in ſigno cauſæ: principij, aut neceſſarij*, quod eſt *nunc* quoddam rationis; & *eſſe* in ſigno *poſteriori*, quod eſt alterum quaſi inſtans rationis cum primo ſucceſsionem conſtituens: ergo dicta futura ſunt, & talia dici poſſunt, futuritione quadam impropria, & ſecundumquid, ob defectum temporalis ſucceſsionis, per quam futuritio ſimpliciter talis conſtituitur. Nec limitant iudicium ad ſolas res creatas: verùm divina etiam comprehendunt, & dicunt: hanc futuritionem ſe extendere ad divina decreta, provt procedunt à divina libertate, vel comparantur ad perfectiones neceſſarias, & generatim convenire omni illi, quod ex influxu, ſivè reali, ſivè virtuali alterius provenit.

189 Ita ſentiunt Aldrete diſp. 33. de Scientia ſectione 4. Izquierdo, tract at. 9. de Deo diſputat. 27. propoſitione 1. quæſt. 9. Ribadeneyra diſp. 11. de Scientia, cap. 1. quibus conſentit Aranda, de Deo, diſput. 20. ſect. 1. conveniens in principali intento futuritionis ſigni, & ſecundumquid; differens verò quoad ea, quibus talis futuritio conveniat. Per oppoſitum talem futuritionem ſecundumquid, & ſigni negant multi alij, quos citat, & ſequitur Borrull. de voluntate Dei diſp. 10. ſect. 2.

190 Vtraque ſententia de re conſentit in eo, quod, tàm in creatis, quàm in divinis datur principium reale: item, quod ratio cauſæ non extenditur ad divina inter ſe; ſed tantùm ad Deum comparativè ad creata; vel ad creata comparativè inter ſe: inſuper, quod neceſſarium in exiſtendo præſcindit à contingente, licèt contingens non præſcindat à neceſſario: vlterius, quod ſivè cauſa, ſivè principium reale, aut virtuale dicitur quid prius ad effectum, vel terminum, & in eodem ſenſu cauſa; & principium dicitur quid antecedens effectum, aut terminum: ſicut, & effectus, aut principiatum dicitur quid poſterius cauſa, aut principio, quæ antecedentia etiam conceditur ad ea, inter quæ non valet mutuò conſequentia; ſed duntaxat ex vno ad aliud, in quibus id, quod cum altero non connectitur, prius alio in ſubſiſtendi conſequentia dicitur, & illud, quod ab altero connexivè dependet, dicitur poſterius illo in eadem conſideratione. Demum eſſe loquutionem omnium: inter ea, quæ ſimul temporaliter exiſtunt, propter præcedentiam explicatam vnius ad aliud, ſivè cauſæ, ſivè principij realis, aut virtualis, ſivè in ſubſiſtendi conſequentia dari duplex ſignum in eodem inſtanti reali: vnum, quod dicitur ſignum cauſæ, aut principij; alterum, quod dicitur ſignum effectus, ſeu principiati, quæque eandem antecedentiam, aut ſubſequentiam obſer-

vant inter se ; quam entitates illæ, in quibus fundantur. Quibus suppositis, controversia est : an dicta sufficiant ; vt concedenda sit aliqua futuritio secundumquid, & signi? Propterea quod in eodem instanti effectus, aut principiatum non sit in signo causæ, aut principij : sed in signo posteriori ad illud, quod idem dicendum venit de contingentibus, comparatis cum necessarijs,

191 In qua stò pro sententia, negante possibilitatem talis futuritionis, *secundùmquid signi, aut rationis.* Pro qua mihi videtur stare realitas, cum pro altera tantùm sit sonitus vocum, relicta earum propria significatione. Eam sic probo : non stat futuritio secundùmquid, signi, aut rationis inter ea, quæ simul temporaliter existunt, quando non esse vnius, quod intelligitur, non est exclusivum illius, quod datur sub ratione, qua datur : clarius, quando id ipsum, quod aliquomodo dabitur, ea ipsissima ratione de præsenti non deficit; sed inter ea, quæ simul temporaliter existunt, omne *non esse* alicuius, quod de præsenti datur, non est exclusivum illius, ea ipsissima ratione, qua potest esse, aut id quod aliquomodo dabitur, ea ipsissima ratione, qua dabitur, de præsenti non deficit : ergo inter ea, quæ simul temporaliter existunt, commentitia, & impossibilis omninò est futuritio illa impropria secundumquid, signi, aut rationis. Discursus est legitimus, si præmissæ constent. Probo igitur maiorem prius, probaturus post minorem.

192 Quia, secluſa succesione temporali, quæ ad futuritionem simpliciter requiritur, & inter ea, quæ simul temporaliter existunt, non potest dari, debet remanere in futuritione impropria aliqua similitudo ad propriam, ex qua componat relatè ad idem instans, id quod aliquomodo est, ea ipsissima ratione, qua aliquomodo est, aliquomodo etiam non esse, aliàs, cur talis conceptus induet rationem futuritionis, quam alterius status, etiam cum additamento *improprietatis*, & secundumquid ; sed si *non esse*, quod invenitur in tali futuritione non sit exclusivum *esse*, ea ipsissima ratione, qua datur, aut id ipsum, quod aliquomodo dabitur, ea ipsissima ratione, qua dabitur, de præsenti non datur, nulla est similitudo futuritionis impropriæ secundumquid, aut signi ad futuritionem propriam, & simpliciter talem : ergo non stat futuritio secundumquid, signi, aut rationis inter ea, quæ simul temporaliter existunt, quando *non esse* vnius, quod intelligitur, non est exclusivum illius, quod datur sub ratione, qua datur, aut quando id ipsum, quod aliquomodo dabitur, ea ipsissima ratione de præsenti non dari, falsum est.

193 Probo iam min. Scilicèt, quod inter ea, quæ simul temporaliter existunt, omne *non esse* alicuius, quod de præsenti datur, non est exclusivum illius, ea ipsissima ratione, qua potest esse, aut id quod aliquomodo dabitur, ea ipsissima ratione, qua dabitur, de præsenti non datur. Probo sic. Inter ea, quæ simul temporaliter existunt, omne *non esse*, quod datur illius, quod dicunt adversarij, esse aliquomodo futurum, est, aut non esse causam, vel principium, à quo accipit esse, aut non esse præscindens à se ipso: sed hoc *non esse* non est exclusivum alicuius, quod ea ipsissima ratione possit dari, aut in vi illius, id quod aliquomodo dabitur ea ipsissima ratione, qua dabitur, de præsenti non excluditur : cum neque in tempore, neque in signo vllo eiusdem instantis id quod non est causa, aut principium sui eo modo, quo non est causa, aut principium sui, sit causa, aut principium sui, aut id quod non est præscindens à se ipso, sit à se ipso præscindens: vnde etiam id, quod aliquomodo datur scilicèt : esse effectum, aut principiatum, aut non præscindens à se ipso, non intelligitur, vt aliquomodo de præsenti excluſum : ergo inter ea, quæ simul temporaliter existunt omne *non esse* alicuius, quod de præsenti datur, non est exclusivum illius ea ipsissima ratione, qua potest esse, aut id quod aliquomodo dabitur, ea ipsissima ratione, qua dabitur, de præsenti non dari falsum est.

194 Explicatur, & simul detegitur æquivocatio, quæ ex signis naturæ, seu intelligentiæ potest oriri, vt inde apprehendatur aliqua futuritio inter ea, quæ simul temporaliter existunt : siquidem omne, quod per distinctionem

hanc

hanc signorum secundùm prius, & posterius, respectu eiusdem instantis volumus significare, inspecta obiectiva realitate, aliud non est, quàm vnum influere in aliud, & hoc ab illo procedere: vnum præscindere in existendo ab alio, & hoc ab illo non præscindere propter connexionem non mutuam, quam inter se habent: insuperque nos ea, quæ sic se habent, cognoscere per species illorum, quæ inter se aliquam successionem temporalem constituunt; sed hæc realitas nullum *non esse* includit, cui aliquomodo post correspondeat *esse*; aut aliquod *esse*, quod eo modo, quo dabitur, de præsenti aliquomodo non detur: siquidem non esse causam, aut principium, aut præscindens à se ipso, quod est *non esse* de præsenti, nullo modo excluditur; & esse effectum, principiatum, & connexum non mutuo cum alio, quod aliquomodo datur, nunquàm aliquomodo de præsenti deficit: ergo tota hæc distinctio signorum respectu eiusdem instantis, sicut, & prioritas, & posterioritas, vel realis, vel virtualis, vel in subsistendi consequentia ad nihil deservit, vt futuritionem aliquam, etsi impropriam, & vt vocant, signi, ex eis resultet.

195 Confirmatur, & omnino exprimitur vis nostræ rationis, qualis ea fuerit. Realitas significata ex parte rerum per distinctionem signorum, correspondentium eidem instanti, & rebus, quæ simul temporaliter existunt, eo modo, quo simul existunt, est *A.* v. g. esse causam, aut principium, aut independens in existendo ab alio. *B.* non esse causam, aut principium sui, aut independens in existendo, tum à se ipso, tum ab *A.* Vlterius: *A*, non esse effectum, aut principiatum, aut id, quod connectitur non mutuo cum alio: ast *B.* esse effectū, aut principiatum, aut id quod connectitur non mutuo cum alio; sed omne *non esse*, quod in his datur, nullo modo per aliquod *esse* excluditur; nec *esse* quod in his aliquomodo datur, per aliquod *non esse* excluditur: quia esse causam: principium: aut independens eodem modo permanet: non esse causam, principium, aut independens, eodem modo persistit esse effectum principiatum, aut dependens nullum habet *non esse*; sicut *non esse* in tali ratione nullum habet *esse* correspondens: vbi ergo futuritio ista signi invenitur?

196 Respondebunt. In realitate ista signorum inveniri apud omnes, effectum, aut principiatum, aut dependens non esse in signo causæ, principij, aut independentis; sed in alio signo, quod dicitur posterius, & est signum, in quo intelligitur effectus, aut principiatum, aut dependens: ergo secundum realitatem istam signorum, est signum aliquod prius, in quo non intelligitur effectus, principiatum, aut dependens; cum post intelligatur effectus, principiatum, aut dependens in ratione talis; sed hoc est dari futuritionem signi: cum pro ea aliud necessarium non sit, nisi quod pro vno signo priori non sit *esse*, ea ipsissima ratione, qua post in alio signo intelligitur: patet autem pro signo causæ: principij, aut independentis intelligi *non esse* effectus, principiati, aut dependentis, quæ post intelliguntur, & sunt in signo sequenti: ergo realitas ista signorum, correspondentium eidem instanti, includit *non esse* aliquomodo de præsenti *esse*, quod post aliquomodo intelligitur: ac proinde quidquid necessarium est pro futuritione impropria, & signi.

197 Sed contra. Quia illud quod per terminos: *Non esse effectus, principiati*, aut *dependentis* pro signo *causæ*: *principij*, aut *independentis* explicatur, aliud non est secundum realitatem; quàm effectum, principiatum, aut dependens non habere rationem causæ: principij: aut independentis; sed hoc *non esse* in nullo signo excluditur: cum in nullo verificetur: effectum, principiatum, aut dependens habere rationem causæ, principij, aut independentis: ergo seclusis vocibus, & attenta realitate, quæ per voces significari intenditur, illud *non esse*, quod conceditur, in nullo signo excluditur; & illud *esse*, quod affirmatur, in nullo signo excluditur, detectaque realitate, quæ per terminos vocales implicatur, aliud non invenimus, quàm vnū *non esse*, quod nullum succedit *esse*, & vnū *esse* quod nullum præcesit *non esse*. Id clarè cernitur ex doctrina ipsa adversariorū, qua vtuntur, tum in hac, tum in alijs materijs, vt se liberent ex diversitate signorum, à concedendo duplici contradictorio in eodem instanti, pro diversis signis: arguitur enim sic: si propriori ad effectum, & pro signo causæ non intelligitur effectus, pro priori ad effectum, & in signo causæ intelligitur carentia effectus: sed carentia effectus, & effectus opponuntur

contradictoriè: ergo in eodem instanti pro diversitate signorum datur duplex contradictorium. Cui argumento non aliter respondent, quàm dicendo: pro signo priori,& in signo causæ non intelligi carentiam effectus *positivè*; sed tantùm *præcisivè*, in quantum non intelligitur effectus in signo causæ: quomodo carentia non opponitur contradictoriè cum effectu. Si vero iterum vrgeantur: quare carentia ista, *præcisivè* sumpta non dicat oppositionem cum effectu pro eodem instanti? respondent iterum: id provenire ex eo, quod illa carentia signi non opponitur cum esse absoluto effectus, qui datur in illo instanti; sed cum esse respectivo illius in ratione causæ,& influentis: quomodo ex terminis ipsis nullam dicit oppositionem cum effectu pro illo instanti: cum evidentissimum sit, nullam esse repugnantiam in eo, quod aliquid sit in vno instanti, & pro eo non habere rationem influentis in se ipsum, quæ alij convenit pro eodem instanti.

198 Ecce post circuitus carentiæ effectus in signo causæ: item carentiæ ipsius non *positivè*; sed *præcisivè* sumptæ tandem devenimus ad hanc realitatem: *in hoc instanti est effectus, & non est illud, quod in se influit quoad primum esse*: iam nobis dicant: an istud, *non esse id, quod in se influit quoad primum esse*, in aliquo signo deperdatur? Et an in aliquo signo verificetur: *Effectus iam est id, quod in se influit quoad primum esse*? Quod si ita non est; vbinam datur secundùm realitatem illud *non esse*, requisitum in vno signo, post quod adveniat *esse* sub eadem ratione in alio signo posteriori, vt erat necessarium pro tuenda ista futuritione impropria, & quam vocant *signi*: quod si propterea improprietatem huius futuritionis tantùm extendant, vt dicant, solum esse futuritionem quoad materiale harum vocum: *In hoc signo non est effectus: post* erit *signum effectus*, non contendam; verùm quid hoc, vt seriò, & per otium disputetur?

199 Probatur secundo, vt magis patefiat fundamentum præcedens. Omnis carentia, aut defectus rei, quæ sit in instanti, secundum realitatem replet totum instans, cum ex parte rei in instanti, non sit vna,& altera pars: ergo carentia rei, quæ datur in instanti, non permittit, in instanti eodem, rem eo modo, quo est carentia, & defectus illius: ergo carentia quævis, quæ cum re in instanti componitur, si aliquomodo est carentia illius, est tantùm carentia, & defectus illius, eo modo, quo res in toto instanti non est. Iam sic: omnis defectus rei in instanti, qui non permittit secũ in instanti rem, eo modo, quo per ipsam excluditur, est defectus rei in instanti, qui non permittit successionem sui, & illius esse rei, quod per ipsam excluditur in instanti; sed omnis defectus rei, non permittens successionem sui, & illius esse rei, quod per ipsam excluditur, in instanti non permittit futuritionem vllam rei in instanti: cum omnis futuritio eo modo, quo talis est, includat transitum, & successionem de *non esse* ad *esse*: ergo omnis defectus rei, quæ datur in instanti est incapax componere futuritionem rei in instanti: ac proinde non est sufficiens, vt penes tale *non esse*, quod est in vno signo, & *esse*, quod est in alio, possit dici res futura futuritione signi, aut rationis. Idem argumentum conficitur in *esse* rei, quod intelligitur in vno signo, vt non sit locus *non esse* ipsius in signo priori ea ipsissima ratione, qua est in signo posteriori.

200 Dices: hæc benè probare: nullam posse esse futuritionem propriam,& secundùm realitatem inter ea, quæ simul existunt; secus futuritionem quandam impropriam,& quæ ideò dicitur futuritio rationis: pro qua sufficit duplex instans rationis cum eo ordine prioris,& posterioris, in quorum vno non intelligatur *esse*, aut perfectio, quod pro altero intelligitur: nam sicut ad realem futuritionem sufficit, & requiritur duplex instans reale cum ordine prioris, & posterioris; sic ad futuritionem secundumquid,& rationis sufficit duplex instans rationis cum ordine prioris, & posterioris secundum rationem.

201 Sed contra: quia transmissa hac constitutione instantium rationis, in qua, si ad fictiones non recurratur, aliud non erit, quam cognoscere per species distantium temporaliter ea ipsa, quæ indistantia temporaliter iudicantur; non secus ac cognoscitur Angelus per species iuvenis pulcherrimi: quando non esse iuvenem, nec corporeum iuxta veritatem existimatur: vnde posset deduci, non magis conducere instantia rationis ad futuritionem secundum quid, & rationis; quam iuvenis rationis, vt ita dicam, ad hoc, vt detur

An-

Angelus secundum quid, & rationis; adhuc restat difficultas ex nostra ratione, quam videntur non expedire, scilicèt, quod, vt detur futuritio illa impropria signi, & instantium rationis, vt dicunt, sit in signo, seu instanti rationis priori *non esse*, cuius oppositum in altero signo, seu instanti rationis affirmetur: at id non datur quia, illud non esse effectum in signo, seu instanti rationis causæ, aliud non est, quam non esse causam, cuius oppositum in nullo signo, seu instanti rationis verificatur. nec datur: cum effectus non modo in instanti reali, verùm nec in vllo signo, aut instanti rationis causa, vel principium sui sit: ergo per constitutionem illam instantium rationis in eodem instanti reali nihil proficitur, vt ex illo nõ esse effectum in signo priori causæ, & esse in signo posteriori, & proprio, constituatur futuritio secundum quid, & impropria.

202 Ex his manet solutum fundamentum sententiæ oppositæ, quod totum sistit in eo, quod pro signo causæ, dicto priori, non sit effectus, & pro signo effectus dicto posteriori, intelligatur effectus: cæterum ostensum est; hanc futuritionem esse purè vocalem, cui ex parte significati non correspondet aliquid, cui adhuc similitudinariè, & impropriè conveniat futuritionis ratio: cum non esse effectus, quod significatur illis vocibus: *effectus non est in signo causæ*, non sit non esse interruptum per esse effectus, quod intelligitur in signo posteriori: neque exclusivum illius, quod intelligitur pro posteriori, vt erat necessarium ad aliqualem futuritionem signi; sed *non esse* permanens, & absque interruptione excludens effectum in ratione causæ, aut principij sui, quin neque in instanti reali, neque in instanti aliquo, vt dicunt, rationis, verificetur vnquam, effectum esse causam, aut principium sui: quomodo erat necessarium ad susceptionem futuritionis: ideò pro forma, semper exponendæ sunt propositiones illæ: *in signo causæ non est effectus: erit in signo posteriori*, secundùm realitatem explicatam, & significatum, quod illis vocibus est proprium.

203 Si rursus obijciant: concessam fuisse à nobis cap. præcedenti futuritionem aliquam impropriam, quoad futura aliqua conditionata, & quidem sine successione aliqua inter *non esse*, & *esse*; videlicèt, in illo futuro conditionato: *Si modo existeret libertas A, Petrus consentiret*, & in alijs pertinentibus ad Deum, vt sunt decreta, quæ Deus modo haberet, si poneretur talis, vel talis conditio: in quibus si poneretur *esse*, quod de facto est exclusum, nunquam fuisset *non esse*, quod defacto datur: ergo vel neganda est omnis futuritio impropria, & lata, vel concedenda etiam est futuritio ista rationis, & signi, quin tantum curemus de realitatibus, & de successione inter *non esse*, & *esse*.

204 Respondeo, satis consequenter ad intentum presens: concessam fuisse à nobis futuritionem illam conditionatam impropriam, relatè ad instans præsens, in quo si daretur purificatio conditionis, conditionatum existeret: nam in tantum illam dicimus futuritionem impropriam, in quantum invenimus in illa *non esse* de præsenti exclusivum illius, quod pro casu conditionis esset, ea ipsissima ratione, qua sub tali hypothesi esset, verificaturque strictissimè non fore id ipsum, quod si existeret foret; quidquid sit: an dato, quod foret, hoc *non esse*, quod de præsenti datur, nunquam fuisset; quare deficit à futuritione simpliciter tali: in qua *non esse*, & *esse* debent verificativè coniungi. Inde prædicta futuritio retinet quandam successionem similitudinarie, & impropriè pro modo futuritionis, quatenus *non esse*, quod de præsenti datur, excludit illud, quod esset ea ratione, qua esset: & illud, quod esset, si daretur, excluderet hoc ipsum *non esse*, quod nunc de præsenti datur. Ponant, aut quærant similem successionem, & exclusionem in sua futuritione signi, & rationis, & donec appareat, argumentum ab inconsequentia, differant.

205 Duo ad extremum observo; vnum est: nimia consequentia, qua ducitur Aranda, sect. 2. disp. citatæ: qui cum defendat, futuritionem realem, & propriam consistere in aliqua determinatione de præsenti, eandem doctrinam traducit ad futuritionem signi, aut rationis: & ideò dicit, nihil subire posse denominationem futuri in hac consideratione, quando in signo priori, in quo aliud non intelligitur, non datur determinatio aliqua, vt illud signo po-

ste-

ſteriori correſpondeat, & in illo exiſtat: vnde infert, divina decreta non ſuſcipere denominationem futurorum reſpectivè ad ſignum, in quo ſunt perfectiones neceſſariæ: quia, & ſi neceſſaria præſcindant a contingentibus, & ideò ſint priora his in ſubſiſtendi conſequẽtia; ſunt tamen ex ſe indifferentia ad contingentia propter independentiam, quam omne neceſſarium dicit à contingenti, qua indifferentia data, cum deficiat determinatio in illo ſigno, vt poſt intelligatur contingentia, deficit forma conſtitutiva futuri, ſeu futuritio ſigni, aut rationis. Eandem doctrinam extendit ad exercitia libera divinæ voluntatis, vt hæc non dicantur futura, comparativè ad ſignum libertatis, non admittens determinationem vllam ad determinatum exercitium; ne lædatur indifferentia libertatis conſtitutiva: ac per conſequens expellens formam, à qua exercitium libertatis poſſet denominari futurum.

206 Conſequentiam laudo, tanto Magiſtro dignam; verùm nifallor, non abſque gravi onere, ſuſtinendam. Vellem ſcire: an quia in ſigno libertatis (idem ſua proportione intelligendum de ſigno neceſſariorum) deficiat determinatio aliqua, vt ſit exercitium liberum in ſigno poſteriori; deficiat etiam prioritas libertatis ad ſuum exercitium, & poſterioritas huius ad illam: deficiat influxus, quem præſtat libertas in ſuum exercitium, potius, quàm exercitium in ſuam libertatem; deficiat, quod exercitium liberum non intelligatur pro ſigno libertatis, & quod intelligatur pro ſigno ſubſequuto? Quæ ſi dicantur, deficere: deficere etiam dicetur ipſam, & eſſentiam libertatis, ſicut exercitij liberi, à quibus omnia illa ſunt inſeparabilia; propterea quod exercitium liberum aliter nequeat exiſtere, quàm ex influxu libertatis, nec libertas aliter, quàm vt præſcindens pro ſuo ſigno, & exercitio libero: ac per conſequens, vt quid prius ad exercitium exiſtens, vt quid poſterius.

207 Si verò, ſecluſa determinatione pro libertatis ſigno, hæc omnia non deficiunt, vt non deficere videtur neceſſe: ergo non deficiente determinatione vlla pro ſigno priori ad id, quod intelligitur in ſigno poſteriori, & datur aliquid nõ exiſtens in ſigno priori, & exiſtens in ſigno poſteriori; ſed id eſt formaliſsimè poſterius eſſe futurum comparativè ad prius, futuritione ſigni, aut rationis: ergo independenter à determinatione vlla ſigni prioris ad ſignum poſterius, datur futuritio ſigni, aut rationis. Prob. min. in qua eſt difficultas. Aliquid non exiſtere in *nunc* rationis, & exiſtere poſt in alio inſtanti rationis, eſt aliquis ſtatus rationis, qui non eſt purè poſsibilitatis, nec præſentiæ, nec præteritionis rationis: ergo eſt ſtatus futuritionis rationis, ſeu ſigni: cum nullus alius reſtet rationis ſtatus; ſed non intelligi pro ſigno priori, & exiſtere, ſeu intelligi pro ſigno poſteriori, eſt id formaliſsimè: ergo non exiſtere in ſigno priori, & exiſtere in ſigno poſteriori, eſt formaliſsimè poſterius eſſe futurum, comparatione ad prius futuritione ſigni, aut rationis. Propterea in tanta vi conſequentiæ, conſequentiùs adhùc appareret, aut negare futuritionem ſigni, & rationis, vt impoſsibilem ex conceptu ſuo, aut ſemel admiſſa poſsibili, deferere illud antecedens de futuritione in aliquo de præſenti, ne ex illo inducatur ad negandam futuritionem ſigni, vbi ſemel, quod poſsibilis ex conceptu ſuo admittatur, videtur innegabilis.

208 Vltra doctrinæ conſequentiam, aliud fundamentũ proponit idem Author, ad excludendam futuritionem ſigni comparativè ad ea, quæ indifferentia ſunt ad ſignum ſubſequens: inquit enim, quod ſi comparativè ad ſignum libertatis eſſet futurum futuritione ſigni, & rationis exercitium illius, daretur futuritio incognoſcibilis à ſummo intelligente pro ſigno, quo aliquod futurum eſſet; ſed futuritio, quæ dum fit, cognoſci nequeat à ſummo intelligente, eſt futuritio repugnans, vtpotè connexa cum ignorantia ſui in divino intellectu: ergo futuritio illius, quod eſt poſterius ſigno indifferenti ad ipſum, eſt futuritio repugnans. Probat mai. ſiquidem in ſigno neceſſariorum indifferenti ad ſignum poſterius contingentium, & in ſigno libertatis indifferenti etiam ad ſignum poſterius ſui exercitij, non poſſet dari cognitio repræſentans, vt futurum id, quod erit in ſigno poſteriori: alias in ſigno neceſſariorum intelligeretur cognitio contingens, aut in ſigno libertatis cognitio con-

connexa cum exercitio illius: ergo si in signo necessariorum essent futura contingentia, & in signo libertatis esset futurum exercitium illius, daretur esse futurum aliquid in aliquo signo: ac proinde futuritio illius incognoscibilis à summo intelligente pro eo signo, in quo est futuritio, & constituit aliquid futurum.

209 In hac ratione, quam sibi obiecit Izquierdo, & per quandam conditionalem impossibilem potius implicat, quam solvit, vt excludat per doctus iste Magister futuritionem signi comparativè ad signum indifferens, constituit ingentem quandam fallentiam signi, qua se ipsum non decipere difficile est: ita suadeo. Non minus repugnat: esse prioritatem in actu secundo alicuius ad aliud, seu esse aliquid prius alio in actu secundo in signo aliquo, & esse incognoscibile à Deo in tali signo: ac esse futuritionem alicuius, aut aliquid futurum in aliquo signo, & esse incognoscibile à Deo in tali signo: at si necessaria essent priora in actu secundo contingentibus: aut libertas prior esset in actu secundo suo exercitio, daretur prioritas in actu secundo alicuius ad aliud, seu esse aliquid prius alio in actu secundo in signo aliquo, & esse incognoscibile à Deo in tali signo: ergo si repugnat futuritio contingentium comparativè ad signum necessariorum, aut exercitij liberi comparativè ad signum libertatis, repugnat etiam prioritas in actu secundo necessariorum ad contingentia, aut libertatis ad suum exercitium. Maior est certa, probatur min. Non minus est contingens cognitio prioritatis in actu secundo, quam habent necessaria ad contingentia, quando hæc dantur, aut non minus connexa cum exercitio, libertatis cognitio repræsentans libertatem, vt priorem in actu secundo suo exercitio; quam cognitio futuritionis contingentium, aut futuritionis exercitij liberi: ergo si necessaria essent priora in actu secundo contingentibus, aut libertas prior esset in actu secundo suo exercitio, daretur prioritas in actu secundo alicuius ad aliud, seu esse aliquid prius alio in actu secundo in signo aliquo, & esse in cognoscibile à Deo in tali signo; sed per te signum necessariorum, vt dicitur num. 186. est prius in actu secundo ad decreta contingentia, quæ dantur: ergo vel illa ratio fallit pro exclusione futuritionis, aut probat pro exclusione prioritatis in actu secundo, quam admittis.

210 Deceptio autem discursus provenit ex quibusdam ignorantijs signi, quas video intrusas apud graves Authores, & provt se offert occasio, non parum formidatas, illas in superioribus satis reiecimus, ostendendo, diversum quid esse: *Non cognoscere aliquod obiectum* ab eo: *quod detur cognitio, & non sit pro aliquo signo.* Primum namque constituitur per defectum notitiæ, & ignorantiam constituit; secundum verò per defectum influxus cognitionis, remanente notitia: quid ergo cum ignorantia: cognoscere, & cognoscere per cognitionem, & notitiam, non influentem in veritatem, quam cognoscit? Inde videas propositiones illas, ex quibus intenditur deduci ignorantia aliqua in intellectu divino: sicut, & incognoscibilitas obiecti comparativè ad Deum; videlicèt: *In aliquo signo intelligitur veritas aliqua obiectiva, quin pro illo signo sit cognoscibilis passivè ab intellectu divino: Pro aliquo signo est obiectum sub aliqua ratione; quin pro illo signo sit notitia repræsentans illud sub tali ratione;* & aliæ huius generis facillimè eludi in ordine ad intentum ignorantiæ, eas exponendo de exclusione cognitionis, aut cognoscibilitatis passivæ in ratione influentis; secus in ratione existentis: quomodo nihil pro ignorantia, quæ duntaxat oritur ex defectu cognitionis; secus ex defectu influxus illius: aliàs in sententia Societatis, & huius Authoris, cum quo modo agimus, in qua veritates obiectivæ habent præcedentiam aliquam ad scientiam, quam determinant, diceretur Deus ignorans, ignorantia aliqua signi: quia pro signo, quo intelligitur obiectiva veritas, non intelligitur scientia illi correspondens.

211 Alterum observandum est: quantum voces realitates conceptuum, nisi attendantur secundum id, quod significari intenditur: vt cernere est in casu præsenti, in quo voces *duplicis signi in eodem instanti: prioris, & posterioris: antecedentiæ, & consequentiæ;*

tiæ: non intelligentia vnius in altero: exclusio vnius à signo alterius, & multi alij vocales termini, qui inde oriuntur, & communiter vsurpantur, pepererunt fallacias plurimas, & locum non paucis quæstionibus, quæ veluti, si de re essent, tempus insumunt, adhibuere, debilitent: habeatur ergo in promptu realitas significata, & iterum, atque iterum insinuetur, & fortè sub hac solicitudine omnia illa, alioquin difficilia, & satis implexa, præcidentur. Vltimò scias, id ipsum, quod diximus de futuritione signi, aut rationis, intelligendum esse de præteritione, quam in eodem sensu, & consideratione admittitur à contraria sententia: venitque eisdem fundamentis impugnanda, quibus exclusa est futuritio.

JHS.

DISPUTATIO XIV.

PRÆVIA AD SCIENTIAM LIBERAM : de veritate propositionum singularium absolutarum de futuro contingenti.

CAPVT I.

An Propositiones singulares absolutæ de futuro contingenti habeant determinatam veritatem?

1 LImitatur præsens controversia ad propositiones absolutas de futuro contingenti, vt modo præscindamus à propositionibus conditionatis, de quibus post erit nobis sermo: deinde ad propositiones singulares; secus ad vniversales: quia, vt benè obseruavit Ruiz, in singularibus est radix contingentiæ, & in illis cernitur, & exercetur indifferentia ad vtramque contradictionis partem, quomodo non reperitur in propositionibus vniversalibus. Id quod exemplis explicat, & reddit manifestum: nam si vniversaliter dicatur, *omnis homo pugnabit in bello*, propositio determinatæ falsitatis erit, nemoque de illa dubitabit; si verò indefinitè dicatur, *homo pugnabit in bello*, propositio determinatæ veritatis erit, de qua etiam nullus dubitabit: est enim moraliter infallibile, *aliquem hominem aliquando pugnaturum*. Si demum proferatur, *hic homo tali die post decem annos pugnabit in bello*, ibi est vbi cernitur, & exercetur contingentia ad vtrumvis, vt scilicèt: eo die *Petrus pugnet, aut non pugnet*. Propterea, & si negari non possit, aliquando ex contingentia singularium resultare eandem contingentiam in vniversali, vt in hac propositione *omnis Agricola tali die seret triticum*; tamen clarius, & principalius cernitur contingentia in singularibus, ob quod Philosophus, libr. 1. Perihermen. cap. 8. specialiter egit, & difficultatem excitavit de propositionibus singularibus de futuro, vt notarunt apud eundem Ruiz Boetius, & D. Thom. ad prædictum locum Philosophi.

2 Propositiones absolutas, & singulares de futuro, nec esse veras determinatè, nec determinatè falsas, sententia fuit, seu potius error Epicureorum, vt refert Cicero, libr. de fato inter medium, & finem, num. 28. Nec inter Catholicos, qui secundum fidem fatentur futurorum præscientiam, defuerunt aliqui, qui negaverint propositionibus absolutis contingentibus determinatam veritatem, aut falsitatem; nā vt refert citat. Ruiz, aliqui Parisienses absolutè asserebant, prędictis propositionibus non convenire actu determinatam veritatem, aut determinatam falsitatem; sed vtramque solum in potentia, ex eo, quod possint habere determinatam veritatem, si contingat id, quod enuntiant, aut determinatam falsitatem, si oppositum accidat, quod refert ex sententia Stephani Bruleferi super D. Bonaventuram in 1. distinct. 38. art. 2. quæst. 1. ad 2. & 3.

3 Addit: non multū distare ab hac sententia, nisi in modo loquendi omnes illos, qui & si concedant: propositionibus singularibus, & absolutis de futuro actu convenire veritatem, vel falsitatem; addunt tamen, non esse vnam determinatè, & distinctè veram, nec alteram determinatè, & distinctè falsam; verùm contradicentium alteram esse indeterminatè veram, & alteram

ram indeterminatè falsam, in quantum verum est, alteram ex illis hanc, vel illam debere esse veram, & alteram hanc, vel illam debere esse falsam. In his, sunt Aureolus 1. distinct. 39. part. 1. artic. 1. conclusione 1. Bassolis distinct. 38. quæst. 1. artic. 3. ad 1. Catherinus libello de veritate enuntiationum Ægidius 1. distinct. 38. quæst. 3. Argentina 1. distinct. 40. quæst. vnica de prædestinatione, artic. 3. ad 1. & 2. argumentum, Bargius 1. distinct. 39. quæst. 1. §. *Ad argumenta principalia.* Pro eadem sententia in modo loquendi refert Izquierdo, disputat. 27. de Deo, quæst. 3. Molinam 1. part. quæst. 14. disput. 17. Fonsecam libr. 4. Metaphisicæ, cap. 7. Henriquez in Summa, libr. vltimo de fine hominis, cap. 4. Eminentissimum Bellarminum libr. 4. de gratia, & libero arbitrio, cap. 15. Eminentissimum Toletum in Logica, lib. 1. Periherm. cap. 8. Petavium tomo 1. Theologicorum dogmatum, cap. 7. num. 11. monet tamen, & iure, hos Authores, vt ex eorum contextu licèt colligere, non esse censendos deviare à communi, & vera sententia Theologorum; iudico enim per illam loquutionem non aliud intendisse; quam id, quod verissimum est: nempè, quod quamvis prædictæ propositiones in se habeant determinatam veritatem, aut falsitatem, quoad nos, non est discernibilis determinata veritas; potius quàm determinata falsitas, ex defectu scientiæ futurorum.

4 Opposita sententia, concedens propositionibus singularibus absolutis de futuro contingenti determinatam veritatem, aut falsitatem, est reliquorum omnium Theologorum cum D. Thoma, libr. 1. Periherm. cap. 8. lect. 13. 14. & 15. quamque evidentissimè supponit in hac quæst. 14. artic. 13. & quæst. 16. artic. 7. ad 3. & artic. 8. ad 3. & 4. & de veritate quæst. 6. artic. 3. & est ita certa, certitudine proxima fidei, vt oppositum non careat erroris periculo, vt inquit Ruiz. Vndè oppositam sententiam fuisse Romæ damnatam, testatur relatus Stephanus Brulefer vbi supra, articulo 2. in solutionibus argumentorum. Propterea, iam ab omnibus recipitur, vt certa. Pro quo videri possunt Eximus Suarez opusculo de præscientia futurorum, cap. 2. Vazquez 1. parte, disputatione 66. & Conimbricenses libro 1. Periherm. cap. 8. quæst. vnica, artic. 4.

5 Communis, & vera hæc affirmativa sententia authoritate Patrum fulcitur; eam enim evidentissimè tradiderunt D. Augustinus libr. 26. contra Faustum, cap. 5. comparans inter se perpetuitatem, quam dicit veritas de futuro à parte ante, cum perpetuitate, quam habet veritas de præterito à parte post ibi: *Hæc vera sententia prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus, & dicimus; sed si, & de animo nostro ablata fuerit, cum id, quod scimus obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate: semper enim verum erit fuisse illud, quod erat; & non est, & ibi verum erit, iam fuisse, quod erat, vbi verum erat,* (attende) *antequam fieret, futurum esse.* Idem tradiderat cap. 4. dicens: *Vndè, tàm non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita, quoniam non est in Dei voluntate, vt eo sit aliquid falsum, quo verum est:* ergo ex suppositione futuritionis, tã fuit verum: antequam existeret, esse futurum id, quod aliquando existit; ac est verum: post existentiam esse præteritum id, quod aliquando extitit. Consonat in libr. 2. de libero arbitrio, cap. 12. & in libro de vera religione, cap. 20. vbi, vt notat Ruiz, licèt apponat exempla in necessarijs, doctrina, quam tradit de immutabilitate veritatis est generalis, neque excludit futura contingentia.

6 Anselmus in monologio cap. 17. post medium: *Cogitet, qui potest* (ait) *quando incipit, aut quando non fuit hoc verum, scilicèt: quia futurum erat aliquid; aut quando desinet, & non erit hoc verum; scilicèt, quia præteritum erit aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest, & vtrumque hoc verum, sine veritate esse non potest, impossibile est cogitare, quod veritas principium, aut finem habeat. Denique si veritas habuit principium, vel habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat tunc: quia non erat veritas, & postquam finita erit, verum erit: quia non erit veritas. At quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas, quod inconvenientissimum est:* eandem sententiam firmat dialogo de veritate, cap. 11. se ipsum exponens, & declarans per illa verba: *Cum dixi, quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid; non ita dixi, ac si absque principio ista oratio*

fuis-

fuisset, quæ assereret : futurum aliquid esse, aut ista veritas esset Deus; sed quoniam non potest intelligi quãdo ista oratio esset, veritas illi deesset. Vt per hoc: quia nõ intelligitur, quãdo ista veritas esse non potuit, si esset oratio, in qua esse posset, intelligatur illa veritas fuisse sine principio, quæ prima causa est huius veritatis, & statim propositionẽ de futuro cõparat cum propositione de præterito, quoad perpetuitatem vtriusque veritatis.

7 Athanasius, Sermone de Passione, & Cruce Domini proprius ad principium, quam ad medium : *Sicut oculis contuentes in contuendo non fallimur, nec aliter videmus, & aliter res agitur; sed vt agitur videmus, & vt videmus agitur. Ita quoque Prophetæ futura, vt præsentia cernebant; verùm quæ cernebant oportebat fieri, & ea quæ fiebant non poterant non videre. Rursum, vt ea, quæ nostris oculis conspicimus, necesse est omnino esse, cum ea, quæ fiut sub conspectum veniant, neque fieri potest, vt aliter sint, quam à nobis videntur : ita quoque, quæ à Prophetis prospiciebantur, necessarium erat, ea esse; neque fieri poterat, vt aliter essent, quam ipsi præviderant.* Id autem non diceret, si censeret futurum singulare contingens; sicut & prædictionem illius non habere determinatam veritatem, etenim in indifferenti, tam antecedenter, quàm consequenter, vt esset, & non esset, quomodo poterat esse determinatio, vt sic, potius quam aliter eveniret.

8 Idem sentit Hugo Victorin. de Sacramentis, libro 1. parte 2. capit. 22. circa medium : *Omne quod fit, ab æterno prævisum est futurum esse : quia ab æterno futurum est, quod ipsum tamen ab æterno non est.* Boetius dicens: futurorum notitiam non esse opinionem; sed certam, & definitam prænotionem: ita prosa 5. lib. 5. de cõsolatione loquens, & dicens, in summæ intelligentiæ accumine videri : *Quonam modo etiam, quæ certos exitus non habent, certa tamen videat, ac definita prænotio, neque id sit opinio; sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas.* Vnde prosa 6. *Quo fit vt hæc non sit opinio; sed veritate potius nixa cognitio, cum extiturum quiã esse cognoscit, quod existendi necessitate carere non nesciat*: quomodo igitur *necessitas, quomodo non opinio, quomodo certa, & definita prænotio? Vbi sola indifferentia, tam id, quod cernitur, quam ad eius oppositum absque determinata veritate futuri in singulari contingeret?* In idem intentum adducũtur à Ruiz, & ex ipso ab Izquierdo omnes illi Patres, qui non vtcumque asserunt, Deum habere scientiam infallibilem futurorum; sed taliter, vt sciat futura esse, quia futura sunt, non è converso futura esse, quia sciuntur à Deo, quorum testimonia habes supra, disput. 7.

9 Ratione solet probari Conclusio, fundamento theologico, desumpto ex scientia Dei futurorum contingentium : quæ quidem determinata debet esse, & eo modo, quo futura contingentia sunt, secus eo modo quo sunt necessaria, vt sunt, si sub disiunctione versante inter ipsa, & suum contradictorium tantum accipiantur, vt voluit Aureolus, quomodo scientiam divinam futurorum maximè deprimit, & cum nostra coæquat. Siquidem nos etiam firmissimè iudicamus ex duobus contradictorijs contingentibus, in quacumque materia vnum, vel alterum esse dandum, quod non est habere scientiam contingentiũ; sed necessariorum, & Deum relinquere tam ignarum futurorum contingentium, sicut nos sumus, in quibus scientia futurorum contingentium manet ambigua, & absque determinatione vlla in iudicando potius vnam, quam alteram contradictionis partem. Hanc rationem sumpserunt Theologi, ex Anselmo libro de concordia præscientiæ cum libertate, cap. 1. in illis verbis : *Non enim, nisi quod futurum est præscitur : quia præscientia non est, nisi veritatis.* Et paulò inferius : *Pariter autem verum est, quia fuit, & est, & erit aliquid non ex necessitate, & quia necesse est fuisse omne, quod fuit, & esse omne quod est, & futurum esse, quod erit.* Inde subsumit : Deum habere præscientiã futurorum, & quidem evidentissimam, & determinatissimam, vt divinæ menti congruit, vt post concludat determinatam veritatem singularium contingentium, quæ futura sunt.

10 Cæterùm licèt hæc ratio vrgentissima sit, & benè probet, quasi à posteriori, veritatem determinatam singularium futurorum contingentium; rectius tamen videtur procedendum ex probatione assertionis positæ, si ex veritate determinata singularium futurorum contingentium, inferamus scientiam divinam, à qua modo prescindimus, & cui inferendæ præsentem controversiam præmittimus, quam si è converso veritatem futurorum ex sciẽ-

tia divina, quam nondum ſtabilimus, firmemus. Ideo rationibus alijs eſt nobis in præſenti agendum, quæ per oſtenſionem veritatum ſingularium de futuro, nos ducant ad inferendam ſcientiam liberam Dei futurorum.

11 Prima ex principio non minus recepto, quam evidenti, *quodlibet eſt, vel non eſt*, & quidem determinatè, cum non ſolum per terminos affirmetur, *quodvis extremum eſt, vel non eſt*; verùm per propoſitiones, *vel hoc extremum eſt, vel hoc extremum non eſt*; ſive *vel hoc extremum eſt, vel eius defectus ſuo modo eſt*. Vnde inter duo contradictoria non datur medium, ſed vnum ex illis debet determinatè ſumptum verificari: Aſt *erit, non erit* ſunt duo contradictoria: ergo vnum ex illis debet determinatè dari; iam ſic: ſi loquendo de peccato, vel curſu Petri pro craſtino verificetur excluſio duplicis contradictorij, potius per *erit*: quam per *non erit*, determinatè ſumptum; propoſitio affirmans, quod *erit peccatum, aut curſus Petri*, erit determinatè vera, ſicut oppoſita negans erit determinatè falſa, & è converſo; ſed Propoſitiones affirmantes, aut negantes curſum, aut peccatum Petri in tempore poſteriori, ſunt propoſitiones ſingulares de futuro cōtingenti: ergo propoſitiones ſingulares de futuro contingenti habent determinatam veritatē, aut falſitatem.

12 Confirmatur primò. Non minus ſunt contradictoria *peccatum Petri erit*; *peccatum Petri non erit*, quam *peccatum Petri eſt*; *peccatum Petri non eſt*; ſed quia hæc ſunt contradictoria, inter quæ non datur medium; propoſitiones ipſis correſpondentes, non poſſunt non habere, circa ipſa, determinatam veritatem, aut falſitatem: ergo quia illa ſunt contradictoria, inter quæ non datur medium, propoſitiones ipſis correſpondentes, non poſſunt non habere circa ipſa determinatam veritatem, aut falſitatem. Confirmatur ſecundò. Inter correſpondere obiectum in ſe modo, quo affirmatur per propoſitionem, aut non correſpondere, non datur medium: ergo vel obiectum determinatè in ſe correſpondet modo, quo affirmatur per propoſitionem, vel determinatè non correſpondet: ergo data quavis propoſitione, affirmante, aut negante ſuum obiectum de futuro, aut futurū obiectum; determinatè correſpondet in ſe modo, quo affirmatur per propoſitionem, aut determinatè non correſpondet. At propoſitio quęvis ſingularis de futuro contingenti, cui determinatè correſpondet obiectum in ſe modo, quo affirmatur per propoſitionem, eſt determinatè vera; ſicut propoſitio, cui determinatè non correſpondet obiectum in ſe modo, quo affirmatur per propoſitionem, eſt determinatè falſa: ergo omnis propoſitio ſingularis de futuro contingenti eſt determinatè vera, vel falſa. Confirmatur tertiò. Diſiunctio hæc neceſſaria *Petrus eſt, vel non eſt*, non poteſt eſſe ſine aliquo determinato, vel poſitivo, vel negativo, quod de præſenti ſit: ergo hæc diſiunctio neceſſaria *Petrus erit, vel non erit*, non poteſt eſſe ſine aliquo determinato, ſive poſitivo, ſive negativo, quod de futuro erit, cum non minus comparetur, vt neceſſaria diſiunctio ad futurum, quam ad præſens.

13 Secunda: omnis diſiunctio neceſſaria intra contingētia oppoſita, non eſt cōponibilis, cum defectu omnis cōtingentis, inter quæ verſatur, vt contingentia ſunt: ergo omnis diſiunctio neceſſaria inter *peccatum Petri craſtinum*, & eius defectū, quæ ſunt contingentia oppoſita, non eſt componibilis cum defectu, tàm peccati craſtini, quàm eius carentiæ, quę ſunt omnia contingentia, inter quæ verſatur eo modo, quo contingentia ſunt; at omne contingens, prout tale, eſt in ſuo eſſe determinato exiſtentiali; nam præter hoc eſſe neceſſariū eſt omne aliud ſcilicèt eſſe quidditativum, & poſsibile: ergo diſiūctio verſans inter peccatum craſtinū Petri, & eius carentiā eſt incomponibilis cum defectu peccati craſtini Petri, & eius carentię ſecundum ſuum eſſe determinatum, & contingens: ac proinde vnum, aut alterum eſſe contingens, & determinatum debet dari, quod ſi affirmet de futuro, propoſitio erit determinatè vera, ſicut eius oppoſita negans erit determinatè falſa.

14 Confirmatur, & explicatur: diſiunctio neceſſaria, inter contingentia oppoſita de futuro, reddit impoſsibilem defectum omnis contingentis de futuro: ergo reddit neceſſariam exiſtentiam alicuius contingentis de futuro; at exiſtentia alicuius contingentis de futuro debet eſſe in aliquo contingenti determinatè exiſtenti; qua ratione duntaxat contingens eſt: ergo diſiunctio neceſſaria inter contingentia oppoſita

de

de futuro stare nequit sine aliquo contingenti in suo esse determinato, à quo propositio affirmans habeat determinatam veritatem, & propositio negans determinatam falsitatem. Vrgetur: eo modo disiunctio illa requirit aliquod contingens existere, quo potest tale contingens existere; sed quodvis contingens non aliter potest existere, quam secundum suum esse determinatum: ergo disiunctio illa requirit aliquod contingens, vt existens secundum suum esse determinatum.

15 Tertio: non repugnat propositio determinatè affirmans, & non tantum sub disiunctione aliquid esse futurum; v. g. *Cursum Petri*; vel ergo cursus Petri ita se habet in se, sicut dicitur per propositionem, vel non? Si primum: ergo propositio illa de futuro determinatam habet veritatem, circa suum obiectum singulare; cum ab eo quod res sit in se, sicut repræsentatur per propositionem, hæc habeat determinatam veritatem. Si secundum: ergo propositio dicta habet, circa suum obiectum, determinatam falsitatem, per non correspondētiam futuri in se, sicuti affirmatur per propositionem: quia ab eo, quod obiectum in se non sit sicuti affirmatur per propositionem, hæc dicitur determinatè falsa. Si dicas: propositionem illam habere determinatā falsitatem, quoad determinatam futuritionem obiecti, quam affirmat, & quæ impossibilis est; ast circa obiectum futurum, neque habere determinatam veritatem, nec determinatā falsitatem: quia obiectum in se, neque est determinatè futurum, nec determinatè non futurum; sed vel futurum, vel non futurum: vnde hæ propositiones veræ sunt *cursus Petri non est determinatè futurus*: *cursus Petri non est determinatè non futurus*; falsæ autem istæ *cursus Petri est determinatè futurus*: *cursus Petri est determinatè non futurus*.

16 Contra est: quia vt benè Izquierdo, idem significatur per illam propositionem *cursus Petri est determinatè futurus*; ac per istas *Petrus curret*: *cursus Petri erit*, de quibus si affirmes, quod enuntiant, concedes determinatam futuritionem obiecti: quia illud est determinatè futurum, quod absolutè est futurum præ non futuro; si verò neges, concedes determinatam non futuritionem, cum id, de quo falsum sit, quod absolutè erit, est id de quo verum est, quod absolutè nō erit: ac proinde quod determinatè non habebit futuritionem. Neque enim dari potest ex parte rei pura præcisio à duplici contradictorio, verificando: obiectum, neque esse, neque non esse, sicut affirmatur. Inde subsumo, & redargno. Per te non datur medium inter esse determinatè futurum, & determinatè non esse determinatè futurum: ergo neque datur inter esse futurum, & determinatè non esse futurum, cum tam contradictoria sint *esse futurum*, & *non esse futurum*, ac esse *determinatè futurum*, & *non esse determinatè futurum*.

17 Quarta: nam si propositiones singulares de futuro contingenti non haberent determinatam veritatem, aut falsitatem, nec propositiones singulares de presenti haberent determinatam veritatem, aut falsitatem; sed propositiones singulares de præsenti; v. g. *Petrus currit*, aut *Petrus peccat*, habent determinatam veritatem, aut falsitatem, vt ipsi Adversarij fatentur; ergo, & propositiones singulares de futuro. Probatur maior: siquidem in bona consequentia ab oppositō consequentis benè valet ad oppositum antecedentis. Sed propositiones singulares de futuro contingenti non habere determinatam veritatem, aut falsitatem, est oppositum cōsequentis determinatæ veritatis, aut falsitatis propositionum singularium de præsenti: ergo si propositiones singulares de futuro non haberent determinatam veritatem, aut falsitatem, nec propositiones singulares de præsenti haberent determinatam veritatem, aut falsitatem. Probatur minor. Propositiones singulares de præsenti determinatè veræ, vel falsæ cōnectuntur metaphisicè cum eo, quod in instantibus antecedentibus verum fuerit, extiturum id, quod modo de præsenti existit: aut nō extiturum id, quod modò de præsenti non existit, propterea protulit Aristoteles, vt inconcussum lib. 1. Periherm. cap. 8. *Si est album nunc, verum erat dicere prius, quoniam erit album; quare semper verum fuit dicere quodlibet eorum, quæ facta sunt, quoniam est, vel erit*; sed propositiones singulares de futuro non habere determinatam veritatem, aut falsitatem, est oppositum huius, quod est fuisse verū, *extiturum id*, quod de præsenti existit, & falsum eius oppositum, nempè *non extiturum*: ergo propositiones singulares de futuro contingenti nō habere determinatam veritatem,

aut falſitatem, eſt oppoſitum cõſequentis determinatæ veritatis, aut falſitatis propoſitionum ſingularium de præſenti.

18 Explicatur hæc ratio, & confirmatur primò. Omne, quod de præſenti exiſtit, in durationibus antecedentibus non fuit pure poſsibile: quia id, quod aliquando exiſtit, non eſt pure poſsibile, neque fuit præſens, cum nulli ex præcedentibus durationibus correſponderit, neque fuit præteritum propter eandem rationem, alias in aliqua ex præcedentibus durationibus fuiſſet: ergo fuit futurum, cum inter poſsibilia non detur medium; ſed id, quod in duratione præcedente ſuam exiſtentiam, fuit determinatè futurum, reddit veram propoſitionem enuntiantem: eſſe determinatè futurũ: ergo de omni, quod de præſenti exiſtit, fuit ante determinatè vera propoſitio enuntians *fore extiturum*. Confirmatur ſecundò. Omne, quod de præſenti exiſtit, ſemel, quod exiſtat, non permiſsit tempore antecedenti aliquod incomponibile cum eo, quod modo exiſtat; aliàs poſſet eſſe verum; dari in rerum natura aliquid incomponibile cum exiſtentia de præſenti illius, quod de præſenti exiſtit, & dari de præſenti id, quod illud incomponibile excludit: ergo tempore antecedenti fuit determinatè futurum. Probatur conſequentia. Omne indifferens, vt ſit, vel non ſit pro poſteriori, permittit aliquid incomponibile cum eo, quod ſit pro poſteriori, ſicut omne indifferens vt ſit, vel non ſit de præſenti, permittit aliquid incomponibile cum eo, quod ſit de præſenti: ergo id, quod de præſenti exiſtit, tempore antecedenti non fuit indifferens, vt ſit, & non ſit futurum, ac per conſequens fuit determinatè futurum.

19 Quinta. Contingentia, quam habent veritates obiectivæ, & ſubiectivæ de præſenti, non impedit veritatem determinatam ipſarum: ergo contingentia, quam habent veritates obiectivæ, & ſubiectivæ de futuro non impedit veritatem determinatam ipſarum. Antecedens eſt certum, aliàs nec propoſitiones ſingulares de præſenti eſſent determinatè veræ. Conſequentia eſt legitima: quia totum fundamentum adverſariorum, ad negandam veritatem determinatam propoſitionibus ſingularibus de futuro, eſt indifferentia antecedens, quæ datur ad vtrumvis, propterea que non negant: futurum neceſſarium habere determinatam veritatem. Confirmatur: *eſſe* nunc cum indifferentia, vt non ſit, ipſiſsimum eſt, quod affirmatur extiturum per propoſitionem de futuro: ergo vel indifferentia, quæ de præſenti datur, debet impedire determinatam veritatem extremi nunc contingentis, vel non impediet determinatam veritatem extremi eiuſdem, in ratione extituri, toto tempore antecedenti.

20 Sexta. Non modo non repugnat, contingens determinatum exiſtere in duratione præſenti; verùm nec exiſtere in duratione poſteriori; ne aliter falſum eſſet poſſe exiſtere in duratione poſteriori: ergo in ratione exiſtentis pro poſteriori eſt poſsibile; ſed in ratione exiſtentis pro poſteriori non eſt præſens; ſed futurum: ergo in ratione futuri eſt poſsibile. Tunc ſic: omne, eo modo quo non repugnat, poteſt exiſtere; ſed contingens determinatum in ratione futuri non repugnat: ergo in ratione futuri determinati poteſt exiſtere, ac proinde propoſitio illud taliter affirmans poteſt habere determinatam veritatem, & pervenire ad ſtatum in quo ſine repugnantia habeat determinatam veritatem: ſemel autem dato caſum veritatis determinatæ propoſitionis ſingularis de futuro, non repugnare, nulla poteſt eſſe ratio, vt numquam propoſitiones ſingulares de futuro contingenti habeant determinatam veritatem, aut falſitatem.

21 Septima ex multiplici paritate. Prima ex determinata veritate, aut falſitate propoſitionum vniverſalium de futuro contingenti, quibus apud omnes tribuitur determinata veritas, vel falſitas; ſed veritas determinata propoſitionis vniverſalis nõ poteſt eſſe ſine determinata veritate ſingularium, ſicut nec determinata falſitas, ſine determinata falſitate alicuius ſingularis ſub illa contenti, vt patet in his propoſitionibus, *omnis homo pugnabit cras*: *aliquis homo pugnabit cras*, quarum prima non eſſet falſa, ſi de nullo homine determinato verificaretur, non eſſe pugnaturum; nec ſecunda vera: ſi de aliquo determinato non eſſet verum initurum pugnam: ergo vel propoſitiones vniverſales non habent determinatam veritatem, aut falſitatem, vt dicunt, vel propoſitiones ſingulares eam debent habere.

Se-

22 Secunda: ex determinata veritate, aut falsitate propositionum contingentium de præterito, quam indubitanter admittunt; vndè sic: non minus est indifferens id, quod de præsenti datur, vt contingens determinatum fuerit, vel non fuerit in instantibus præcedentibus; quam id, quod de præsenti datur, vt contingens determinatum extiturum, aut non extiturum sit in instantibus subsequentibus; sed non obstante prædicta indifferentia, propositiones singulares de præterito contingenti sunt determinatè veræ: ergo similiter non obstante prædicta contingentia, propositiones singulares de futuro contingenti sunt determinatè veræ.

23 Tertia. Futurum necessarium, ac proinde propositio in illud tendens, habet determinatam veritatem: ergo & futurum contingens; patet consequentia: æquè repugnat, aut non repugnat, id, quod non existit de præsenti esse nunc determinatum, vt postea sit; quam id, quod non existit, esse pro nunc determinans indifferentiam, vt postea sit: quia tam requirit, aut non requirit existentiam de præsenti, esse nunc de præsenti determinatum, quam esse nunc determinans; sed futurum necessarium, quod modo non existit, est pro nunc determinatum, vt postea sit: ergo & futurum contingens, quod modo non existit, potest etiam pro nunc determinare, vt postea sit. Et ratio est: quia omne quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse: vnde quodvis determinatè existens, semel quod sit, est determinatum, vt eius esse in tali duratione non deficiat: si ergo determinatio extrinseca causæ sufficit adversarijs, ad determinandam veritatem futuri necessarij; quantò magis determinatio intrinseca ipsius rei, vt sit, sufficiet ad determinandam veritatem sui ipsius in esse futuræ.

24 Quarta. Quodvis singulare contingens de præsenti existens, provt tale, habet determinationem; vt post se verificet statum suum de præsenti, qui non sit præcisæ possibilitatis: ergo quodvis singulare contingens de præsenti existens, provt tale, habet determinationem, vt ante se verificet statum suum de præsenti, qui non sit præcisæ possibilitatis. Antecedens est certum, cum quodvis singulare contingens de præsenti existens, provt tale, post se verificet de præsenti statum suæ præteritionis, qui non est status præcisæ possibilitatis. Consequentia probatur: singulare contingens de præsenti existens, tàm non existit in instanti immediatè subsequuto ad sui existentiam de præsenti, quàm in instanti immediatè antecedenti suam existentiam de præsenti; deinde non esse, quod subsequitur existentiam de præsenti est, tàm indifferens, vt præcesserit existentia rei singularis; quàm non esse præcedens, vt subsequatur existentia rei singularis: demum, non magis requirit existentiam de præsenti in aliqua duratione *extitisse*, quam *extiturum*: ergo si quodvis singulare contingens de præsenti existens, provt tale, habet determinationem, vt post se verificet statum suum de præsenti, qui non sit præcisæ possibilitatis, quodvis singulare contingens de præsenti existens, provt tale, habet determinationem, vt ante se verificet statum suum de præsenti, qui non sit præcisæ possibilitatis. At status de præsenti præcedens existentiam rei singularis contingentis, qui non sit præcisæ possibilitatis, est status futuritionis, vt per se patet: ergo quodvis singulare contingens de præsenti existens, tempore præcedenti suam existentiam habet statum futuritionis, à quo sit determinatè vera propositio, illud, vt futurum affirmans, sicut determinatè falsa, illud, vt futurum, negans.

CAPVT II.

Fit satis fundamentis contrariæ sententiæ.

25 ETsi conclusio nostra certa sit, sunt tamen aliqua, quæ objici possunt, & quæ solutione digna sunt, horum primum est. Si id, quod significatur per propositionem eo modo, quo per propositionem significatur, non fiat, propositio non erit vera: ergo si id, quod significatur per propositionem, eo modo, quo per propositionem significatur, possit non fieri, propositio poterit non esse vera; sed res contingens, & præcipuè libera, quandiu non fit, potest non fieri: ergo propositio significans, rem illam esse

futuram, quandiu res non exiſtit, poteſt non eſſe vera; ideoque illa propoſitio non erit determinatè vera: quia quod eſt determinatè verum, non poteſt non eſſe determinatè verum. Idem ſuo modo proponi poteſt ad excludendam determinatam falſitatem. Confirmatur. Nam ex eo, quod res eſt, vel nō eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ergo ſicut res ſignificata per propoſitionē, ſe habet ad *eſſe*, vel non *eſſe*; ſic etiam propoſitio ſe habet ad veritatem, vel falſitatem; ſed res ſignificata per propoſitionem de futuro contingenti, non eſt determinata ad eſſe, antequam exiſtat: ergo neque propoſitio eſt determinata ad veritatem.

26 Implicat ſe in terminis argumentum: nam cum ex vna parte intendat, non eſſe poſsibilem caſum determinatæ veritatis propoſitionum ſingularium de futuro; ex altera oſtendit rem ſignificatam per propoſitionem ſingularem de futuro, vt taliter ſignificatam, habere contingentiam in eſſendo, quod idem eſt, ac dicere: obiectum ſignificatum per propoſitionem ſingularem de futuro, habere cōtingentiam in ſe conformando modo tendendi propoſitionis, ac per conſequens eſſe poſsibilem caſum, in quo propoſitio ſingularis de futuro contingenti habeat determinatam veritatem, quod, ſi ita eſt, qualis erit iſte caſus, niſi ille, in quo obiectum contingens de facto correſpondet tempori præſenti. Probat vlterius contra ſe: nec propoſitiones ſingulares de præſenti habere determinatam veritatem, quando obiectum earum contingens eſt; clarum id eſt, ſi obſervetur eadem forma arguentis ſub his terminis. Si id, quod per propoſitionem ſignificatur, eo modo, quo per ipſam ſignificatur, non fiat, propoſitio non erit vera: ergo ſi id, quod per propoſitionem ſignificatur eo modo, quo per propoſitionem ſignificatur, poſsit non fieri, propoſitio poterit non eſſe vera; ſed res contingens, & præcipuè libera, etiam quando fit, & exiſtit, poteſt non fieri, & exiſtere: ergo propoſitio ſignificans, rem illam exiſtere, & eſſe præſentem adhùc quando res exiſtit, poteſt non eſſe vera; ideòque non erit determinate vera: quia quod eſt determinatè verum, non poteſt non eſſe determinatè verum.

27 Non difficilius confirmatio redarguitur in propoſitionibus de præſenti contingentis veritatis. Vide: ex eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ergo ſicut res ſignificata per propoſitionem, ſe habet ad eſſe, & non eſſe; ſic etiam propoſitio ſe habet ad veritatem, & falſitatem; ſed res ſignificata per propoſitionem de præſenti contingenti, adhuc quando exiſtit, non eſt determinata ad eſſe: quia quando exiſtit poteſt non exiſtere, & eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe: ergo neque propoſitio eſt determinata ad veritatem.

28 Reſpondetur: indifferentiam obiecti, vt ſit, aut non ſit, ſicut per propoſitionem ſignificatur, non opponi determinatæ veritati propoſitionis; ſed neceſſariæ veritati illius; non ſecus, ac contingentia obiecti in exiſtendo de præſenti, non opponitur determinato *eſſe* illius, quod habet, quando exiſtit; ſed neceſsitati eius in exiſtendo: quapropter licèt propoſitio quævis ſingularis de futuro poſsit eſſe falſa, ob contingentem ſuam veritatem, quam per ordinem ad obiectum contingens dicit; non ideo deſinet eſſe vera determinatè, quando obiectum ſuum determinatè ita contingenter eſt; ſicut per ipſam repræſentatur: cavenda igitur eſt æquivocatio, quæ latet in illo termino *determinata*, applicato veritati, qui non accipitur, provt opponitur *contingentiæ*, & denotat *neceſsitatem*; ſed provt opponitur *excluſivo veritatis*, ſeu *præciſioni* illius. Ad confirmationem dicendum: quod quamvis res cōtingens antequam exiſtat, non ſit determinata ad eſſe de præſenti, poteſt tamen eſſe determinata ad eſſe de futuro, non quidem determinatione, quæ opponatur contingentiæ ipſius antecedenti, vt non ſit futura; ſed excluſioni ipſius in ratione futuræ, aut præciſioni ab eo, quòd ſit, vel non ſit futura. Vndè, licèt propoſitio commenſuretur ad veritatem, & falſitatem cum eſſe, & non eſſe rei ſignificatæ per propoſitionem, nihil convincitur pro excludenda veritate, aut falſitate determinata propoſitionis de futuro, ſicut nec convincitur pro excludenda veritate, aut falſitate determinata propoſitionis de præſenti.

29 Inſiſtunt: omnis propoſitio de futuro, vel non habet veritatem, vel ſi habet, ea eſt veritas neceſſaria: ergo propoſitio ſingularis de futuro, vel non ha-

habet veritatem, vel si habet, ea est veritas necessaria; ac per consequens veritas determinata, si daretur in propositione singulari de futuro, esset determinata, non modo, provt opponitur determinatio exclusivo veritatis, aut præcisioni ab illa; verùm provt opponitur contingentiæ. Probatur antecedens: omnis propositio de futuro, vel non habet veritatem, vel si habet veritatem, ea est veritas inimpedibilis aliunde, quàm per non existentiam propositionis; sed propositio de futuro, vel non habens veritatem, vel si habet veritatem, ea est veritas inimpedibilis aliunde, quàm per non existentiam propositionis, est propositio, vel non habens veritatem, vel si eam habet, ea est veritas necessaria: ergo omnis propositio de futuro, vel non habet veritatem, vel si eam habet, ea est veritas necessaria. Minor est certa: nam propositio, cuius veritas aliunde, quam per non existentiam ipsius non est impedibilis, est propositio tendens in obiectum, quod aliter, quam per propositionem affirmatur, non potest se habere; quare erit propositio veritatis obiectivæ necessariæ. Probatur maior: Omnis propositio de futuro si habeat veritatem, ea est veritas, quæ per nullam potentiam potest impediri: quia non per potentiam, quæ modo sit ad futurum, cum exercitium præsens non possit agere in distans temporaliter, nec per potentiã, quæ modo non sit, & erit: quia exercitium, quod erit, non potest esse impeditivum illius, quod est modo, qualiter se habet veritas, quam de præsenti habet propositio nunc vera, aliter ad præteritum daretur potentia; neque est alia potentia, aut alius modus, quo impediri possit veritas de futuro: ergo omnis propositio de futuro, vel non habet veritatem, vel si habet veritatem, ea est veritas inimpedibilis aliunde, quam per non existentiam propositionis.

30 Instatur in propositionibus singularibus de præterito contingenti, quibus apud contrarios non deest determinata veritas, aut determinata falsitas, quin vna, aut altera sit necessaria ex defectu potentiæ impeditivæ veritatis, aut falsitatis, quæ si sit præsens, quando est vera propositio de præterito, erit ad præteritum, cum nequeat impediri veritas præteritionis, nisi per impeditionem præteriti in esse talis, & si fuerit de præterito, non poterit pro tunc se exercere in veritatem præteritionis, quæ modo præsens, & tunc futura erat.

31 Respondetur, neg. primum antecedens, ad cuius probationem neganda est maior, sicut, & probatio illius, & ad vltimum fundamentum, in quo stat robur instantiæ, potest responderi primò, negando absolutè illam partem, nempè: quòd veritas de futuro non posset impediri per potentiam, quæ sit de præsenti, tempore futuritionis, & per exercitium, quod sit de præsenti, tempore futuritionis: nam præsentia præteritionis mei actus charitatis potest impediri nunc, quando præteritio eiusdem actus futura est, per potentiam, quam de præsenti habeo, vt me exerceam per defectum actus charitatis. Item: actum Petri esse posteriorem cràs ad meum actum, ellicitum hodie, potest à me impediri de præsenti, per non ellicientiam actus in die hodierna; quare non est inconveniens, agere nunc in distans temporaliter secundum illud, quod distans temporaliter dicit de præsenti, vel constitutivè, vel connexivè; sed tantùm immediatè, & physicè secundùm illud, quod modò non est; sed erit. Vel secundò: permittendo veritatem futuri non posse impediri per potentiam, & exercitium, quæ modo sint de præsenti; at posse impediri per potentiam, & exercitium, quæ modo sit de futuro; quin inde inferatur inconveniens adductum: siquidem proloquium illud *ad præteritum non datur potentia* solum tenet consequenter, & ex suppositione, & sensu composito præteritionis; secus antecedenter, & in sensu diviso à suppositione præteritionis: nam quando præteritum, aut secundum denominationem, aut secundum existentiam dependet ab eo, quod fit pro posteriori; qui possit facere, ne existat illud posterius, poterit facere, ne fuerit illud dependens, aut quoad denominationem, aut quoad existentiam, provt fuerit dependentia: modo quo etiam accidit in distantia locali, in qua id quod est posterius localiter mea visione, potest per substractionem sui ab illo loco posteriori, impedire meam visionem in loco anteriori.

32 Secundùm: propositio contingens de futuro singulari est indifferens ad veritatem: ergo non habet determinatam veritatem. Antecedens con-

constat ex contingentia ipsa veritatis, quæ supponitur in ipsa propositione. Consequentia probatur : habere determinatam veritatem, est propositionem esse determinatam ad veritatem præ falsitate ; sed propositio contingentis veritatis non est determinata ad veritatem præ falsitate, aliàs in eàdem entitate indifferentia, quam includit contingentia veritatis, & determinatio ad veritatem præ falsitate coniungerentur, quod repugnat : ergo propositio contingens de futuro singulari non habet determinatam veritatem.

33 Implicat se, sicut præcedens, discursus iste: cum supponat propositionem esse contingentis veritatis: ac proinde posse illi contingere veritatem determinatam, & aliunde ostendat repugnantiam inter convenientiam veritatis determinatæ, & indifferentiam, quam includit in ratione contingentiæ : probatque similiter contra veritatem determinatam propositionum singularium de præsenti, & præterito. Respondeo : in prædictis propositionibus benè, & absque repugnantia vlla coniungi esse indifferentes ad veritatem, & esse determinatas ad illam, ratione contingentis veritatis, quæ illis conveniat. Ratio est : quia etsi determinatum ad vnum simpliciter, & independenter ab aliquo contingenti non possit esse indifferens ad illud; non sic, quod est determinatum per aliquid contingens; quia eo modo, quo potest deficere determinatio, quæ existit, potest etiam non esse determinata eo modo, quo est determinata, quare coniungibilis est indifferentia cum determinatione, sicut coniungibile est in eàdem entitate *habere aliquid, cum posse ad illud non habendum*, vt constat in omni denominatione, proveniente à forma accidentali subiecto.

34 Tertium: quia si propositio hæc de futuro: *Petrus disputabit cràs*, haberet determinatam veritatem, posset dari in bona consequentia antecedens verum, & consequens falsum, quod quidem implicatorium est: ergo dicta propositio non potest habere determinatam veritatem. Probatur antecedens: nã si propositio illa habeat determinatã veritatem, talis determinata veritas est antecedens: vnde legitimè infertur *Petrum disputaturum esse cràs*; sed stante veritate dictæ propositionis, adhùc Petrus potest non disputare cràs; alias accedente crastina die, non contingenter, & pro libertate Petrus esset disputaturus: ergo stante veritate antecedentis in bona consequentia, stare posset falsitas consequentis, si propositio illa haberet determinatam veritatem.

35 Respondetur : neg. antecedens, ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem. Stante veritate dictæ propositionis, adhùc potest Petrus non disputare cràs, *in sensu composito veritatis determinatæ talis propositionis*, nego minorem, *impedita veritate illius*, concedo minorem, & distinguo consequens : stante veritate antecedentis, in bona consequentia, stare posset falsitas consequentis, *pro sensu composito veritatis antecedentis*, nego consequentiam ; *pro sensu diviso veritatis antecedentis*, concedo consequentiam. Itaque, cum eadem sit contingentia disputationis crastinæ Petri, ac veritatis determinatæ illius propositionis *Petrus cràs disputabit*, vtpote, quæ per existentiam disputationis crastinæ constituitur, implicat consequens illud disputationis crastinæ habere falsitatẽ, quin antecedens veritatis determinatæ disputationis crastinæ deficiat : inde potentia illa, quæ sit ad impediendum consequens, erit etiam potentia ad impediendum antecedens : nec ideo, quamvis potentia ad falsitatem consequentis possit coniungi cum veritate antecedentis, licet inferre, falsitatem consequentis posse componi cum veritate antecedentis ; nam sicut simultas potestatis ad opposita non arguit componibilitatem oppositorum, sic simultas potestatis cum aliquo exercitio, non arguit componibilitatem exercitij potestatis, cum altero exercitio : vt videre licet in ipsa veritate de præsenti scilicèt: *Petrus disputat*, in qua simul cum tali veritate est Petrus, potens non disputare, & impedire veritatem consequentis, legitimè illati ex veritate determinata illius propositionis; quin tamen valeat coniungere falsitatem consequentis cum veritate antecedentis; sed tantùm impedire, per falsitatem consequentis, veritatem antecedentis.

36 Quartum: si propositio singularis de futuro contingenti sit determinatè vera, erit ab æterno vera, cum non detur ratio, ob quam potius in vno instanti; quam in altero ex præcedentibus per totam æternitatem à parte ante sit vera: æque enim in vno, ac in altero instan-

stanti ex præcedentibus existentiam rei, verificatur eius futuritio, si semel determinatè futura sit; sed propositio ab æterno vera, non contingenter; sed necessario vera est: ergo si propositio singularis de futuro contingenti vera determinatè sit, se implicabit in sua veritate ex eo, quod sit vera contingenter, & necessario. Maior est certa, probo minorem. Propositio ab æterno vera, est propositio æternæ veritatis; sed propositio eterne veritatis est, apud omnes, necessario vera: neque aliter explicatur ab omnibus Philosophis propositio necessariæ veritatis; quàm per terminos *æternæ veritatis*: ergo propositio ab æterno vera non contingenter; sed necessario vera est.

37 Respondendum primò: pessimè argui, ex non alligatione propositionis ad aliquod instans determinatum, in quo incipiat esse vera, ad capacitatem existendi ab æterno, cum possit esse illa indeterminatio coniuncta cum determinatione ad non existendum ab æterno; alias argumentum esset irrefragabile, ad probandam possibilitatem creaturæ, aut mundi ab æterno, ostendere, nec creaturam permanentem, nec mundum habere ex se maiorem determinationem, vt inceperit quando incepit; quam vt incepisset multo ante, & sic de quovis termino inceptionis determinato: quod si fallit, adhùc ad probandam possibilitatem existendi ab æterno, quanto plus pro facto existendi, vt intendit argumentum, inferens propositionem quamvis de futuro singulari esse veram ab æterno. Vnde negatur maior. Verùm hoc transmisso, datoque propositionem creatam posse existere ab æterno, quo casu vera etiam ab æterno esset, negatur ideo futuram veram necessariò, aut esse propositionem æternæ veritatis; etenim propositio æternæ veritatis non dicitur illa, quæ ab æterno habet veritatem; sed quæ habet veritatem indefectibilem taliter, vt obiectum non possit aliter se habere, ac per ipsam affirmatur, cumque etsi propositio sit vera ab æterno; imò essentialiter vera, obiectum, vt per propositionem affirmatur, possit non dari, quo casu, si propositio, ex se non esset determinata ad veritatem, esset ab æterno falsa; aut si essentialiter vera ab æterno, non existeret, ideo ex æterna veritate propositionis non infertur, aut necessitas antecedens veritatis, aut esse propositionem æternæ veritatis, eo sensu, quo à Philosophis accipitur *æterna veritas*.

38 Solutionis doctrinam claram reddit Scientia divina contingens; verb. grat. de mea existentia, quæ quidem ab æterno, & in æternum est vera; nec non essentialiter vera, sicuti falsitati essentialiter repugnans; tamen non propterea desinit esse scientia contingens, aut dicitur scientia æternæ veritatis communi sensu Philosophorum, non ob aliam rationem, nisi quia etsi existat ab æterno, & in æternum vera; imò ob suam perfectionem repugnans disconformitati obiecti eo modo, quo per ipsam repræsentatur, est nihilominus Scientia veritatis obiectivæ defectibilis, & quæ per sui defectum potest impedire existentiam talis Scientiæ ab æterno, taliter vt licèt Scientia illa non possit esse falsa, possibilis sit casus, in quo non sit vera: constet igitur, quàm malè inferatur necessitas veritatis ex sola æternitate propositionis veræ, quando adiuncta etiam repugnantia cognitionis, vt sit falsa, seu determinatione essentiali, vt sit vera; ad hùc non alia veritatis necessitas; quàm consequens, & ex suppositione inferatur.

39 Quintum. Non repugnat aliqua esse vera sub disiunctione, quorum nullum sit determinatè verum: ergo neque repugnabit esse verũ sub disiunctione futuram, vel non futuram disputationem Petri, quin sit determinatè verum, aut disputaturum, aut non disputaturum; ac per consequens deficit totum fundamentum concedendi veritatem determinatam propositionibus singularibus de futuro contingenti. Consequentia apparet recta: probatur antecedens: Quoniam verum est sub disiunctione: *dextrum, vel sinistrum oculum requiri à videndum: vnam, vel alteram electionem esse necessariam ad satisfaciendum intentioni efficaci finis: vnum, vel alterum contradictorium ex contingentibus non posse deficere*; quin ideo verum sit determinate, *aut dextrum, aut sinistrum oculum requiri ad videndum: vnam, vel alteram electionem esse necessariam ad satisfaciendum efficaciæ intentionis: vnum; vel alterum ex contradictoriis contingentibus non posse deficere*, & sic in alijs pluribus: ergo non repugnat aliqua esse vera sub disiunctione, quorum nullum sit determinatè verum.

40 Dis-

40 Diſcurſus huius apparentis oſtenditur fallacia ex eo, quod nimis, & contra ſe probet: probat enim, nullam propoſitionem de obiecto contingenti, ſivè de futuro, ſivè de præſenti, ſivè de præterito habere determinatam veritatem, cum idem confici poſsit argumentum ad oſtendendum, ſolùm eſſe veram ſub disiunctione; ſecus determinatè. Probat deinde: nullam disiunctionem debere reduci ad aliquid determinatum: ideoque poſſe eſſe verum; *aliquem hominem eſſe album, aut doctum*; quin alicui determinatè conveniat aut albedo, aut doctrina, quod neque ipſi adverſarij aſſerere audebunt: tenentur ergo difficultatem ſuam expedire, & deceptionem fundamenti oſtendere.

41 Quod, vt faciat, Izquierdo nonnulla ſtatuit. Negat in primis antecedens: quia impoſsibile putat, quod aliqua duo ſub disiunctione vera ſint, quorum neutrum determinatè ſit verum: nam ex hoc fieret, dari à parte rei aliquod ens indeterminatum, quod planè repugnat: inquit ſecundò: exempla adducta in probationem antecedentis nihil probare; nam ex illis, vt ſummum conficitur dari verum, determinatumque reſpectum, ſeu neceſsitatis, ſeu connexionis, expoſcentem, vt proprium terminum vnum, vel alterum ex duobus extremis ſub disiunctione: & neutrum determinatè, non tamen quod huiuſmodi extrema ſint in ſe vera entia tantummodo ſub disiunctione: *Inde inquit eſſe dextrum, & ſiniſtrum oculum requiſitum ad videndum, cum neuter ſit determinatè ad id requiſitus*, nihil aliud eſt, quàm viſionem, vt ſic, cum alterutro eſſe connexam vagè, & determinatè cum nullo. Similiter: *dandam eſſe in vi intentionis efficacis vnam, vel alteram electionem, quin aliqua ſit determinatè requiſita*, aliud non eſt; quàm intentionem neceſsariò connecti cum vna ex electionibus, quarum neutram determinatè requirit, & demum: *eſſe vnum ex contradictorijs contingentibus vagè neceſſarium, cum neutrum determinatè ſit tale*, idem eſt, ac repugnare, vt vtrumque ſimul deficiat, quamvis eorum quodvis benè poſſe deficere; quod eſt neceſsitatem eſſendi ad alterutrum vagè; ad neutrum autem determinatè terminari.

42 Addit tertiò: ſe dixiſſe prædictis, & ſimilibus exemplis, vt ſummum probari, dari verum reſpectum terminatum ad duo extrema tantùm ſimul ſub disiunctione: nam, & hoc ipſum reputat impoſsibile, cum ſibi æquè videatur repugnare, quod reſpectus verus, & determinatus in eſſendo re ipſa ad ens indeterminatum ſe habeat, ſeu ad illud tanquam ad terminum terminetur; quam quod à parte rei detur ens indeterminatum. Propterea vltimò ſiſtendum in eo quod quoties aliquid cum vno, vel altero ex duobus extremis, ſub disiunctione connecti dicitur, & cum neutro determinatè, vt in adductis exemplis, & alijs quæ adduci poſſunt, talem connexionem non abſolutam, & disiunctivam ex parte termini; ſed conditionatam eſſe, & determinatam. Vnde connecti intentionem efficacem finis cum hac, vel illa electione medij ſub disiunctione; re vera nihil aliud eſt; quam connecti determinatè cum vna ſub conditione, quod deſit altera, & è converſo, quomodo etiam intelligendum eſt de contradictorijs, & de requiſitione oculorum ad videndum, & ſic in cæteris, quæ ſub ſimili disiunctione explicari poſſunt: hæc ferè ad verbum Doctiſsimus Magiſter.

43 Cuius doctrinam aliqua mihi reddunt difficilem, ſuadentque: difficultatem obiectam in ſua vi manere. Primò: quia aliud eſt vaguitatem non poſſe ſtare ſine aliquo eſſe determinato in aliqua ratione: aliud quod debeat eſſe determinatum in ea ratione, qua vagè reſpicit, aut vagè reſpicitur: ſicut aliud eſt: omnem moralitatem debere reduci ad aliquid phiſicum, & omnem virtualitatem ad aliquam realitatem; & aliud, quod moralitas ſit phyſica in ratione moralis, aut virtualitas ſit realis in ratione virtualis: ergo licèt bene probetur, vaguitatem, & disiunctionem omnem reducendam eſſe ad aliquam determinationem in diverſa linea; non tamen probatur vaguitatem, & disiunctionem debere afferre determinationem in eadem linea: vnde perſiſtit argumentum in ſua vi intendens, quod etſi neceſsitas illa vaga veritatis vnius ex contradictorijs debeat reduci ad aliquid determinatum, habens veritatem determinatam in alia ratione; non verò ad aliquid determinatum, tribuens veritatem determinatam alicui ex contradictorijs.

44 Secundo: quia in his, quæ permittit exempla appoſita probare, potius robur,

robur, quàm debilitatem argumenti ostendit. Inquit enim ex illis, vt summum confici, dari verum, determinatumque respectum, seu necessitatis, seu connexionis exposcentem, vt proprium terminum, vnum, vel alterum ex duobus extremis, sub disiunctione, & neutrum determinatè; secus quod eiusmodi extrema sint in se vera entia, tantummodo sub disiunctione. Quod si ita sit: ecce confirmationem oppositæ rationis: suadetur sub hac forma. Per te ex illis paritatibus probatur verus, determinatusque respectus, sivè connexionis, sivè necessitatis respiciens vagè vnum, vel alterum ex duobus extremis, sub disiunctione, & neutrum determinatè, secus quod eiusmodi extrema sint in se vera entia indeterminata: ergo non repugnabit verus, determinatusque respectus veritatis, respiciens vagè vnum, vel alterum extremum verum sub disiunctione, & neutrum determinatè; secus quod huiusmodi extrema sint in se vera entia indeterminata. Probo consequentiam: non minus respectus necessitatis, seu connexionis exigit necessarium, aut requisitum, quàm respectus veritatis exigit verum: deinde non minus indeterminatio in ratione necessarij, aut requisiti opponitur cum ratione entis determinati; quàm indeterminatio in ratione veri sub aliqua consideratione, cum ratione entis veri, & determinati; sed dato illo primo, respectus necessitatis, aut connexionis respicit vagè necessarium, & requisitum, quin sit aliquid necessarium aut requisitum determinatè, & quin inde inferatur aliquid in ratione entis indeterminati: ergo dato illo primo non repugnat secundum.

45 Confirmatur: sicut ratio *entis requisiti* est aliqua ratio entis: sic ratio *veri in ratione futuri*, est aliqua ratio veri; sed quamvis ratio *entis requisiti*, sit aliqua ratio entis, potest convenire indeterminatè aliquibus, composita cum ratione entis, determinata in alia consideratione: ergo quamvis ratio *veri in ratione futuri*, sit aliqua ratio veri, poterit convenire aliquibus vagè, composita cum ratione veri, determinata in alia consideratione: dicentque propterea adversarij, rationem indeterminatam *veri de futuro*, convenire veris determinatis, in ratione possibilium: sicut dicitur, rationem indeterminatam *entis requisiti*, convenire entibus determinatis, in alia consideratione, & per respectum illum, terminativè vagum inspectis: quæ omnia licèt intentum Adversariorum non evincant; ostendunt saltem aliunde esse petendam solutionem.

46 Tertiò: nam difficilior adhùc est in vltimo; quod ex propria sententia tradit, vt penitus difficultatem obiectam avertat, asserens omnem disiunctionem reducendam esse ad aliquid determinatum, tàm subiectivè ex parte respectus, quàm terminativè ex parte termini respecti; & ideò nullam connexionem esse absolutam, & disiunctivam ex parte termini; sed determinatam, & conditionatam, quoties aliquid cum vno vel altero ex aliquibus extremis, sub disiunctione connecti dicitur, & cum neutro determinatè, quod quidem falsum ita apparet, vt velit nolit, debeat concedere respectum aliquem connexionis terminativè vagum. Vtor eisdem exemplis, quibus hìc Author proprium iudicium firmare connatur, & assumptum probo. Intentionem efficacem finis connecti cum hac, vel illa electione medij necessarij ad finis assequutionem: sicut, & necessitatem vnius, vel alterius contradictorij ex contingentibus esse inseparabilem ab existentia alicuius, est respectus connexionis, & inseparabilitatis absolutæ, & terminativè vagæ: ergo non omnis connexio vagè tendens in vnum vel alterum extremum sub disiunctione, & in neutrum determinatè est connexio purè conditionata, & terminativè determinata. Probatur antecedens. Intentionem efficacem finis connecti cum hac, vel illa electione medij efficacis, ad finis assequutionem: sicut, & necessitatem vnius, vel alterius contradictorij ex contingentibus esse inseparabilem ab existentia alicuius est respectus absolutæ oppositionis cum defectu omnis electionis, aut cum defectu vtriusque contradictorij: ergo est respectus absolutæ determinationis, & connexionis cum exclusivo defectus omnis electionis, & defectus vtriusque contradictorij: Patens est antecedens: cum electio efficax finis absolutè repugnet defectui omnis electionis, & necessitas vnius, vel alterius contradictorij absolutè repugnet defectui vtriusque, independenter omninò ab omni conditione. Patet etiam consequentia: siquidem eo modo, quo est repugnantia ad aliquid, est determinatio

ad

ad exclusionem illius: ergo si respectus est absolutæ oppositionis cum defectu omnis electionis, aut cum defectu vtriusque contradictorij, est etiam respectus absolutæ determinationis, & connexionis cũ exclusivo talis defectus.

47 Iam sic: determinatio ista absoluta non est cum exclusivo determinatè determinato talis defectus, aliàs; vel intentio efficax finis concideretur absolutè cum aliqua electione medij determinatè sumpta, vel necessitas vnius ex contradictorijs esset absoluta determinatio, vt existeret vnum determinatè sumptum: ergo est determinatio absoluta cum exclusivo defectus hoc, vel illo vagè, & indeterminatè sumpto: at talis connexio, neque est purè conditionata, neque est determinata; sed absoluta, & respectivè vaga: ergo in his, quæ connectuntur vagè cum aliquo ex duobus, vel pluribus extremis, vt contingit in exemplis appositis, non est sola connexio conditionata cum vno ex suppositione defectus alterius, & determinata in respiciendo; sed absoluta, & vaga: ac per consequens inevitabile apparet concedere respectum, & connexionem aliquam terminativè vagam contra id quod sentit Author citatus.

48 Quartò: quia ex hac doctrina videtur omninò auferri suppositionem confusam, ab omnibus concessam, & ob argumentum immediatè propositum, innegabilem, quam etsi intendat in Phar. disput. 19. ex modo vulgari protegere, fateor ingenuè, me non percipere quid sit in ipsa realitatis, aut quomodo cum alijs suppositionibus non confundatur: quarè aliter investiganda est solutio obiectionis, supra propositæ.

49 Et respondendum per distinctionem illius antecedentis. Non repugnat aliqua esse vera sub disiunctione, *pertinente ad suppositionem confusam*, quorum nullum sit determinatè verum: concedo antecedens. Sub disiunctione *pertinente ad suppositionem determinatam*: nego antecedens, & consequentiam. Cum disiunctio versans inter veritatem vnius, vel alterius contradictorij, non sit disiunctio pertinens ad suppositionem confusam; sed ad determinatam. Inde fit immediatè non tenere consequentiam, quæ in argumento supponitur recta, propterea quod id, quod est proprium conceptus veritatis disiunctivæ contracti, velit facere commune, omni participanti talem conceptum; non secus ac si ex eo, quòd aliquod animal sit Leo, vellent inferre, omni Animali id competere.

50 Si rogent: cur disiunctio veritatis inter vnum, & alterum contradictorium de futuro pertineat potius ad suppositionem determinatam, quàm ad confusam? Rogabo etiam illos: cur disiunctio veritatis inter vnum, & alterum contradictorium de præsenti, pertineat potius ad suppositionem determinatam; quàm disiunctio veritatis inter vnum, & alterum contradictorium de futuro; aut cur potius disiunctio hæc *aliquis homo currit* pertineat ad suppositionem determinatam; quàm hæc *Equus requiritur ad æquitandum*; aut hæc: *dexter*, vel *sinister oculus requiritur ad videndum*? Dicendum igitur est pro omnibus: id provenire ex conditione prædicatorum, & denominationum, ex qua regula, & non alia, pensanda est veritas correspondens suppositionibus terminorum, sivè vocalium, sivè intentionalium; idque præcipuè locum tenere inter contradictoria inter quæ, sicut non datur medium inter esse aliquod determinatè, sic non potest dari medium, inter veritatem correspondentem esse illius determinato.

51 Nec implicandi sumus modo difficultatibus suppositionis confusæ, quas graves, & ferè intolerabiles esse non nego, sicut, & multis expositas fallacijs, quæ ex illa passim emergunt; verum istæ alibi discussæ tanquam in propria sede supponuntur. Interim tamen, si alicui occurrat, ex illa deduci posse individuum vagum, omninò repugnans; sciat per individuum vagum, quod iure adstruitur repugnans, illud intelligi, quod in nulla consideratione habet esse determinatum; sed purè esse hoc, vel illud; non sic illud, quod etsi in aliqua ratione sit indeterminatum, in pluribus alijs habet esse determinatum, vtque difficultatem propriam temperet, vel alienam redarguat, non obliviscatur assertionum Philosophorum, & Theologorum proferentium: *hoc album* dicere determinatè hoc subiectum; & indeterminatè *hanc, vel illam albedinem*, & *hoc suppositum* dicere determinatè *hanc subsistentiam*; & vagè, & indeterminatè, *hanc, vel illam naturam*, quibus addi possent multæ aliæ, in quibus, vel nulla erit veritas, vel aliqua vaguitas est concedenda.

52 Sep-

52 Septimum, & vltimum. Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; sed futurum singulare contingens non est, quando existit propositio; ergo nec vera est: inferre pari iure possent, nec propositionem de præterito, nec propositionem de futuro necessario, nec propositiones vniversales de futuro habere posse determinatam veritatem, cum numquam futurum, aut præteritum, vt talia, habeant esse de præsenti, quando existit propositio, vel de præterito, vel de futuro: contemnenda igitur est obiectio, & breviter respondendum: propositionem esse veram, vel falsam ab eo, quod res est vel non est, vti affirmatur per propositionem; non ab eo quod res est, vel non est, tempore propositionis: inde quando affirmatur obiectum, vt futurum, non requirit illud in tempore præsenti; sed in futuro, vt vera sit, & quando affirmatur de præterito non requirit, vt id quod sit; verùm, vt id quod extitit tempore antecedenti, quomodo erit vera, & per oppositum, si sic non fuerit erit falsa.

53 Demum, quid sentiendum sit de Aristotele desiderabis. An nè pro nostra, & vera sententia steterit; an potius in oppositum errorem declinaverit? Variè, quoad hoc sentiunt Authores, quorum alij apud Ruiz disput. 23. sect. 5. eum talis erroris damnant, vt sunt Gregorius. D. Bonaventura Conimbricenses, Eximius Suarius, Vazquez, & alij; alij verò per oppositum eum ab errore liberant inter quos meritò numerandi sunt Div. Thomas, & Boetius, qui exponentes textum Aristotelis, nihil notarunt reprehensione dignum, quod non fecissent, si tam apertæ falsitatis esset reus, vtrumque sequitur communior sententia Principem Philosophorum in bono sensu intelligens: videatur Ruiz locis iam citatis, & ex fundamentis ab ipso copiosse collectis.

54 Affirmandum: Aristotelem non negasse veritatem determinatam propositionum singularium de futuro contingenti, quod non leviter colligitur ex ipso Aristotele multis in locis, vt lib. de divinatione per somnium, in quo docet: aliqua futura verè divinari ab hominibus, probatque eiusmodi præsagia, seu divinationes non esse contemnendas: quoniam experientia, & hominum consensus eis authoritatem conciliat. Supponit ergò tales propositiones, quas somniantes mente concipiunt erga obiectum futurum, esse determinatè veras. Item lib. 3. de historia Animalium refert oraculum quoddam verum de futuro contingenti singulari contigisse Lemnio cuidam, Deum consulenti, & lib. 1. Rethoricorum ad Theodectem inquit: *de futuris esse testes Oraculorum interpretes.* Insuper lib. de mundo exponens Parcarum significationes, *Lachesim*, ait *præesse rebus futuris.* Præterea lib. de mirabili auscultatione §. *In cuma*, concedit fuisse fatidicam Sibyllam. Accedit Cicero lib. 1. de divinatione num. 49. referens, vt sententiam propriam Aristotelis, sensisse Oracula de futuris esse vera.

55 Propterea intentum clarissimè evincere videtur ipse Aristoteles, repetito cap. 8 periherm. vbi loquens de futuro contingenti, ita se explicat: *Neque dicere quisquam potest neutrum esse verum veluti neque fore, neque non fore*, & deinde, *si autem, neque erit, neque non erit; crás non erit vtrumlibet, vt navale bellum. Oportebit enim, neque fieri, neque non fieri navale bellum.* At si tenuisset, propositiones de futuro contingenti non habere determinatam veritatem: neque intulisset, vt absurdum, nec vnam, nec alteram esse veram, neque, vt impossibile dictu ab aliquo, id statuisset: ergo quia longe fuit à sententia negante veritatem determinatam prædictis propositionibus. Quod recognoscens Boetius in explanatione textus compulsus fuit proferre, *qui Aristotelem arbitrati sunt vtrasque propositiones falsas arbitrari, si hæc, quæ nunc dicit diligentissimè perlegissent, numquam tantis laberentur erroribus.* Clara sunt hæc: verùm adhùc restat clarius, & mihi irrefragabile fundamentum ex argumento, quo vtitur in eodem cap. 8. Et à nobis supra relato, inquit enim: *Si est album nunc, verum erat dicere prius, quoniam erit album, quare semper verum fuit dicere quodlibet eorum, quæ facta sunt quoniam est, vel erit.* Quid amplius desiderari potest in addictissimo veræ sententiæ.

56 Suadent ista, ne sibi fuerit Aristoteles ignorantissimè contrarius, quod si in dicto capite insinuat, propositiones de futuro non habere determinatam veritatem, eam non negat absolutè; verum restrictè, & in determinato genere, vt omnes deben

facere, qui verè sentiant. Itaque sensus Aristotelis est: propositiones de futuro contingenti, & si habeant determinatam; veritatem non tamen habere determinatam veritatem antecedenter necessariam; sed contingentem, & accidentalem, taliter, vt necessitas antecedens, quæ convenit disiuncto contradictoriorum, & propositionum ipsis correspondentium quoad veritatem alicuius, non conveniat determinatæ veritati cuiusvis: est enim necessarium: vnam vel alteram propositionem esse veram determinatè; at non est necessarium vnam, vel alteram esse determinatè veram necessario.

57 Sensus iste planissimus, & à nullo reijciendus colligitur ex verbis ipsius, fine cap. 8. ibi: *Esse quidam, vel non esse omne, necesse est, & futurum esse, vel non esse non tamen contingit dividentem dicere alterum necessarium. Dico autem, vt necesse est quidem esse futurum bellum navale cràs, vel non futurum esse; sed non est necesse futurum esse cràs bellum navale; neque rursus est necesse non futurum esse cràs bellum navale,* ad quæ Boetius: *Planissimè, quæ sententia haberetur de contingentibus propositionibus, & futuris, expossuit Aristoteles, dicens: in his quidem totam contradictionem dictam vnam partem veram habere, alteram falsam; sed non vt aliquis dividat, atque respondeat; hanc quidem ex necessitate veram esse; illam verò ex necessitate falsam.* Pariter Div. Thomas lect. 15. ad eundem locum Commentario 2. Philosophum interpretatur, his verbis: *Necesse est de vnoquoque, quod sit, vel non sit, & quod futurum sit, aut non sit, & hoc sub disiunctione. Hæc necessitas fundatur super hoc principium, quod impossibile est contradictoria simul esse vera, vel falsa. Vnde impossibile est nec esse, nec non esse: ergo necesse, vel esse, vel non esse. Non tamen si dividim alterum accipiatur, necesse est illud esse absolutè.* Hucusque communis intelligentia.

58 Dicerem ego tamen: intentum Aristotelis aliud non fuisse, quàm ostendere propositiones de futuro, etsi quoad nos, in vi illius evidentissimi principij, habeant determinatam veritatem, vel falsitatem; non tamen quoad nos habent veritatem determinatam, aut falsitatem designabilem in determinato extremo; alias tàm evidens esset, in nobis dari Scientiam futurorum contingentium, ac est evidens illud principium, cum potius falsissimum sit nobis ex meritis ipsius obiecti, aut aliunde; quàm ex divina illustratione nobis competere Scientiam futurorum. Qui sensus etiam verissimus est, & non alienus à mente Philosophi, quomodo innuere videntur citata verba ipsius, quæ repetere non renuam: *Esse quidem, vel non esse omne, necesse est, & futurum esse, vel non esse, non tamen contingit* (attende) *dividentem dicere alterum necessarium*, & quidem non tantum, *necessitate antecedenti*; verùm, nec *necessitate consequenti*, & quæ convenit contingentibus ex defectu quidem fundamenti, vt asseratur per quam determinatam veritatem fiat satis illi necessitati disiunctivæ determinatæ veritatis, aut per quam determinatam falsitatem disiunctivæ necessitati alicuius determinatæ falsitatis. Et hæc sufficiant pro vindicando Aristotele, cui, vt communi Magistro, debita est hæc solicitudo avertendi errorem in his, quibus non constet inconcussè errasse.

CAPVT III.

An propositiones de futuro absoluto contingenti habeant determinatam veritatem, independenter ab aliquo de præsenti absolutè existenti, & connexo cum eventu futuro?

59 CERTVM debet esse primò: quod sicut omne contingens, sivè positivum, sivè negativum absolutè existens in aliqua differentia temporis, dependet à divina libertate: sic etiam non potest existere sine aliquo exercitio divinæ voluntatis immediato, quod ob suam immutabilitatem, & æternitatem, quemadmodum semel quod sit, non potest aliquando deficere, aut non semper existere, ita necesse est de præsenti dari. Inde certum est secundò: omnem propositionem

nem absolutam de futuro contingenti vltra coexistentiam sui, requirere ad sui veritatem formalem aliquid divinum de præsenti existens. Ratio est clara; nam sicut ad sui veritatem formalem requirit, obiectum se habere sicut per ipsam affirmatur; sic requirere omne illud, quod, vt obiectum ita se habeat, est necessarium: ergo si, vt obiectum ita se habeat, vt per propositionem absolutam de futuro repræsentatur, est necessarium aliquid divinum de præsenti: per consequens ad sui veritatem formalem indiget aliquo divino, de præsenti existenti. Inde certum est tertiò. Quod cum contingens, sivè positivum, sivè negativum existens in aliqua diffrentia temporis, aliud sit vnicè dependens à divina libertate; aliud dependens etiam à libertate creata, illud divinum requisitum de præsenti ad existentiam contingentis erit connexum, vel inconnexum cum existentia illius, provt patiatur conditio contingentis, aut vnicè, aut non vnicè dependentis à divina libertate.

60 Certum est quartò. Supposita Scientia in Deo futurorum contingentium, à qua modo præscindimus, necessarium esse ad veritatem formalem futuri, provt existentis in mente divina, de præsenti, & quidem constitutivè saltem materialiter aliquid divinum, metaphisicè connexum cum eventu futuro: Patet; quia ad veritatem formalem divinam de futuris requiritur constitutivè ipsa divina Scientia, quæ, quia essentialiter vera, connectitur metaphysicè cum eo, quod suum obiectum se habeat, sicut per ipsam repræsentatur; sed Scientia divina constitutiva veritatis formalis futuri, provt existentis in mente divina connexa metaphysicè cum eo, quod suum obiectum se habeat, sicut per ipsam repræsentatur, est aliquid divinum de præsenti existens, connexum cum eventu futuro: ergo suppositа Scientia in Deo futurorum contingentium, necessarium, & quidem constitutivè saltem materialiter est, ad veritatem formalem ipsius, aliquid divinum de præsenti connexum cum eventu futuro. Dixi *saltem materialiter*: propterea quod dubitari adhùc potest: an connexio illa de præsenti, quæ identicè realiter est in Scientia divina cum obiecto, provt futuro, pertineat formaliter ad constitutionem veritatis formalis de futuro pertinentis ad divinum intellectum, quatenus Scientia futurorum est; vel tantum quatenus est Scientia infallibilis, & infalsicabilis.

61 Certum est quintò, vt iam supra etiam notavimus, loquentes de constitutivo futuri, aut forma futuritionis; esse aliquas veritates obiectivas de futuro contingenti absoluto, quæ per aliquid de præsenti, saltem aliquo futuritionis tempore, constituuntur, aut aliquid de præsenti connotant, vt sunt *conservatio rei: præteritio, & destructio*, in quibus iam id, quod de præsenti dicunt, aut connotativè, aut constitutivè, aliquando est connexum cum eventu futuro; aliquando non. Siquidem existentia rei successivæ, quando de præsenti datur, connexa est cum sua futura destructione: existentia Beatitudinis connexa metaphysicè est cum sua æterna permanentia, & conservatione; at existentia rei permanentis, & non æternæ non est connexa metaphysicè cum sua permanentia, neque cum sua destructione. Iam propositiones de futuro absoluto, quæ circa tales veritates versantur, & eas, vt futura repræsentent, si de determinato instanti procedant, & in determinato instanti futuritionis sui obiecti considerentur, scilicèt, in eo instanti, in quo veritates obiectivæ, vt sint futuræ, requirunt aliquid de præsenti, vel per illud constituuntur, requirunt etiam ad sui veritatem formalem, vel constituuntur in esse verarum formaliter per illud, pro modo, quo tale præsens, aut requiratur, aut constituat obiectum earum, prout per ipsas affirmatur. Ratio est: quia id, quod requiritur, aut constituit obiectum conforme propositioni de futuro, requiritur, aut constituit veritatem formalem de futuro: ergo si illud præsens requiratur, aut constituat futurum in esse talis, similiter, aut requiretur, aut constituet veritatem formalem propositionis de futuro.

62 His extra controversiam positis dubium, quod examinandum relinquitur est: an propositio quævis de futuro absoluto contingenti requirat pro sua determinata veritate, aut falsitate formali non vtcumque, sed constitutivè, & titulo tantum aliquid de præsenti connexum cum eventu futuro, ita vt præscindendo à tali connexo de præsenti existenti, præscindatur etiam ab eius determinata veritate, & falsita-

te? In quo affirmant omnes illi, qui futuritionem in aliquo de prẹsenti connexo cum eventu futuro conſtituunt, & quos ſupra retulimus, ea diverſitate inter ipſos etiam ibi notata, vt Thomiſtæ ſicut, & plures Scotiſtæ, tale de præſenti connexum affirment pertinere ad divinam voluntatem; alij vero ex noſtris, qui eandem ſententiam ſubſtinent, dicant: nexum illud de præſenti ad eventum futurum non eſſe quid ſpectans ad divinam voluntatem; verùm ad divinum intellectum. Negant reliqui, qui futuritionem pro formali cõſtituunt independenter ab aliquo de præſenti connexo cum eventu futuro, quos ſupra etiam dedimus. Vnus tamen debet excipi Ribadeneyra, qui, cum futurum conſtituat per non eſſe de præſenti, & exiſtentiam poſt; tamen diſp. 12. de Scientia requirit pro veritate formali propoſitionum de futuro aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro, à quo conſtitutivè accipiant eſſe veras.

63 Concluſio noſtra ſit ea, quam iudico conformiorem principijs noſtræ Scholæ, & ex eis legitimè derivata. Videlicèt: ad veritatem formalem propoſitionis abſolutæ de futuro contingenti titulo talis, non requiritur aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro, vt conſtitutivum eiuſdem veritatis. Solet probari hæc ſententia ſub hac forma. Præſcindendo à quovis modo, & de prẹſenti exiſtenti, connexo determinatè cum exiſtẽtia craſtina Petri, & conſenſus ipſius, vel connexo determinatè cum defectu Petri, vt cras conſentientis, eſt determinatè vera aliqua ex his propoſitionibus, *Petrus cràs conſentiet: Petrus cràs non conſentiet*: ergo veritas determinata propoſitionum de futuro abſoluto contingenti non ſumitur neceſſariò ab aliquo de præſenti exiſtenti, connexo cum eventu futuro. Conſequentia recta eſt, antecedens probatur. Præſcindendo à quovis modo, & de præſenti connexo determinatè cum exiſtentia craſtina conſenſus Petri, vel connexo determinatè cum defectu illius, eſt vera hæc propoſitio disiunctiva, *vel Petrus cràs conſentiet, vel non conſentiet*; ſed eſſe veram, hanc propoſitionem disiunctivam, involvit eſſe veram aliquam determinatam, & determinatè acceptam: ergo præſcindendo à quovis modo, & de prẹſenti connexo determinatè cum conſenſu Petri, aut cum eius defectu pro duratione craſtina, eſt determinatè vera aliqua ex illis propoſitionibus de futuro. Conſequentia eſt bona, & maior proponitur, vt certa apud Adverſarios. Probatur minor ex regulis dialecticis. Nam vt propoſitio disiunctiva ſit vera, debet fieri deſcenſus per propoſitiones, ita vt aliqua ſit vera determinatè: ideò vt verum ſit: *vel Petrum currere, vel Ioannem ambulare*, neceſſe eſt, quod determinatè, vel Petrus currat, vel Ioannes ambulet; non aliter, ac vt ſit vera hæc propoſitio disiunctiva *aliquis homo currit*, debet poſſe fieri deſcenſus per propoſitiones, hac ratione: *vel hic homo currit, vel hic homo currit*, perveniendo ad aliquem determinatum, cui conveniat curſus: aliter erit falſa propoſitio disiunctiva, prout diſtinguitur à diſiuncta, cuius deſcenſus ſit per terminos, non per propoſitiones, vt conſtat in hac: *Equs requiritur ad equitandum*: ergo, *vel hic Equs, vel hic equs, & ſic de cæteris, requiritur ad æquitandum.*

64 Sic Herrera quæſt. 10. de Scientia, ſect. 7. num. 102. addens hoc modo probandi, & arguendi vſos fuiſſe Eximium Suarium, & alios Doctores noſtros antiquiores, quem quidem aliqui non magni faciunt, aut inefficacem reputant forſan: quia eius vim, & efficaciam non ſatis penetrant.

65 Hæc cum vidiſſem apud meum ſapientiſsimum Magiſtrum, avidè quæſivi prædictam rationem probativam, vſurpatam apud Eximium Suarium, aut apud alium ex noſtris antiquioribus Doctoribus, & apud nullum, quem legerim, inveni: nam licèt ex veritate illa disiunctiva inferant determinatam veritatem, aut falſitatem propoſitionum ex eo quòd inter duo contradictoria, quæ disiungit, non detur medium: vnde neceſſe eſt, quod alterũ eorum determinatè exiſtat; ſicut, & quod alterum determinatè deficiat, à quo defectu determinato erit determinatè vera propoſitio, quæ illud obiectum deficere affirmat, & determinatè falſa, quæ eius exiſtentiam adſtruat, quod pariter de altero contradictionis extremo venit dicendum; at minimè vtuntur prædicto fundamento, vt probent, veritatem determinatam cuiuſvis ex propoſitionibus contradictorijs eſſe talem independenter à decreto, & à quovis alio de præſenti connexo cum eventu futuro.

66 Nec

66 Nec video : quomodo id aptè prædicto discursu probari possit, nisi similiter intendatur probari, esse determinatè veras propositiones de futuro contingenti, independenter ab omni contingenti, quod quam chymæricum, & à veritate alienum sit, per se patet. Assumptum sub eadem forma sic ostendo: hæc disiunctiva *Petrus cràs consentiet, vel non consentiet* est vera independenter ab omni contingenti; sed veritas talis propositionis stare nequit, sine veritate determinata alicuius, ex illis propositionibus, *Petrus consentiet cràs*, aut *non consentiet cràs*, determinatè acceptæ : ergo veritas determinata alicuius ex illis propositionibus, determinatè acceptæ, datur independenter, & præscindēdo ab omni contingenti. Discursus est legitimus, & minor per te certa: siquidem veritas disiunctivæ includit formaliter veritatem alicuius, ex illis propositionibus, determinatè acceptæ. Iam maior videtur innegabilis : quia veritas disiunctiva disiungens duo contradictoria, est veritas necessaria; sed veritas necessaria est independens ab omni contingenti; alias ex vna parte esset necessaria, vt supponi debet, & ex altera contingens, cum id, quod à contingenti, & defectibili dependet, contingens, & defectibile sit: ergo veritas illa disiunctiva est vera independenter ab omni contingenti.

67 Inde etiam probaret non modo de propositionibus contingentibus de futuro; verum de propositionibus contingentibus de præsenti, habere determinatam veritatē, aut falsitatem, independenter formaliter, & connotativè à quovis, sive decreto, sive alio contingenti. Ratio est: quia non minus necessaria est, quoad veritatem propositio disiungens contradictoria de præsenti, quàm de futuro; sed propositio necessariæ veritatis est independens ad suam veritatem, sive formaliter, sive connotativè ab omni contingenti : ergo veritas disiungens contradictoria de præsenti, est vera independenter à quovis decreto, & contingenti, sive formaliter, sive connotativè accepto : At veritas disiunctiva, per te, stare non potest sine veritate aliqua determinata, erga extrema disiuncta determinatè accepta: ergo stat veritas de præsenti, determinatè acceptà, independenter à decreto, & quovis alio contingenti, sive formaliter, sive connotativè accepto.

68 Confirmatur : verificativum obiectivum huius propositionis disiunctivæ: vel *Petrus consentiet*, vel *non consentiet* est verificativum necessarium : ergo est in signo, in quo præscindit ab omni contingenti determinatè accepto; patet consequentia : quia omne contingens determinatè acceptum potest deficere; sed omne, quod deficere non potest, seu necessarium est, provt tale præscindit ab omni, quod potest deficere; aliàs eo modo, quo necessarium est, non præscinderet à defectu sui : ergo omne, quod necessarium est, existit in signo, quo præscindit ab omni contingenti, determinatè accepto. Pergo; sed omne, quod, provt est verificativum alicuius propositionis, præscindit ab alio, sine illo, sive vt connotato, sive vt constitutivo verificat illam : ergo verificativum illius disiunctivæ, vel *Petrus consentiet*, vel *non consentiet* independenter ab omni contingenti, sive vt connotato, sive vt constitutivo, verificat illam: ac proinde independenter ab omni decreto, & ab omni veritate contingenti, determinatè accepta, vt determinatè requisita.

69 Propterea iudico non necessariam animadversionem illam, quam adnotat prædictus Herrera, dicens: argumentum tantum procedere contra illos, qui teneant prædictam disiunctivam, vel *Petrus crās consentiet*, vel *non consentiet*, esse veram, independenter à decreto. Nam quisnam hoc, si benè sentiat, non dicet, quàmvis veritatem propositionum de futuro contingenti, per decretum constituat, aut per aliud de præsenti connexum cum eventu futuro; sicut quis in oppositā sententia constituente veritates formales de futuro contingenti, per solum actum, & obiectum, quod contingenter se habet, sicut per propositionem affirmatur, non affirmabit, etiam omnem veritatem necessariam esse independentem omnino ab omni contingenti eo modo, quo contingens est: ac per consequens propositionem illam disiunctivam esse independentem in sui veritate ab omni contingenti eo modo, quo tale contingens potest non existere, aut deficere; aliter extrahenda foret à signo necessariorum, & collocanda in signo veritatum contingentium, quod à nemine dici potest.

70 Vrgetur. Omne, quod aut per contingens in suo esse constituitur,

aut à contingenti in ſuo eſſe dependet, contingenter verificat quidquid provt tale verificat: ergo nulla propoſitio neceſſariæ veritatis poteſt illud provt tale reſpicere, alias propoſitio neceſſariæ veritatis haberet verificativum cõtingens: at propoſitio illa disiunctiva, *vel Petrus peccabit cras, vel non peccabit* eſt propoſitio neceſſariæ veritatis: ergo non poteſt reſpicere ſuum obiectum, vt per contingens in ſuo eſſe conſtitutum, aut à contingenti in ſuo eſſe dependens; ac per conſequens tantum habet verificativum ex ſe omnino præſcindens, tàm formaliter, quàm arguitivè ab omni contingenti; dicendum eſt ab omnibus: propoſitionem illam disiunctivam intelligendam eſſe veram independenter ab omni contingenti, ſive illud ſit decretum, ſive quodvis aliud, quod pro diverſitate ſententiarum, deſignetur pro conſtitutivo veritatis formalis propoſitionum de futuro contingenti.

71 Iam difficultas illa, deſumpta ex diſtinctione propoſitionis *disiunctivæ à disiuncta*, pariter omnes comprehendere debet: nam licèt in disiunctiva, provt diſtincta à disiuncta, debeat fieri deſcenſus per propoſitiones, ſive per terminos, hoc non tollit: nullam ex propoſitionibus contentis in deſcenſu propoſitionis disiunctivæ, eſſe determinatè requiſitam pro veritate illius, vt facilè cerni poteſt in hac propoſitione disiunctiva: *aliquis homo currit*, cuius deſcenſus, & ſi ſit, *vel hic homo currit, vel hic homo currit, & ſic de reliquis*; nullus tamen vt determinatè currens, eſt determinatè requiſitus pro veritate illius, quovis enim determinatè deficiente in ratione currentis, eſſet vera propoſitio, dummodo alius curreret: vnde clarum fit: propoſitionem disiunctivam, provt diſtinctam à disiuncta, requirere prædicatum convenire ſubiecto determinatè; ſed non requirere determinatè ſubiectum aliquod determinatum, cui determinatè conveniat prædicatum; ſiquidem ipſas propoſitiones, per quas fit deſcenſus, disiungit in ratione requiſitarum ad ſui veritatem, ita vt ſenſus ſit: *requirere curſum convenire alicui determinatè, aſt non requirere determinatè convenientiam curſus alicui determinato*. Quod autem propoſitio disiunctiva aliquando non intelligatur vera, niſi intellecta aliqua propoſitione determinata, id non provenit ipſi ex conceptu disiunctivæ; verùm ex conceptu contingentis veritatis, quomodo ſine contingentia obiectiva ſtare nequit.

72 Propterea benè dixit Ribadeneyra, quem ſequuti ſunt Gonet, & alij, ad veritatem disiunctivæ, etiam in vi talis, & provt diſtinctæ à disiuncta non requiri, quod aliqua ex cathegoricis, quas includit, ſit determinatè vera, determinatè ſumpta, cum ad veritatem disiunctivæ, provt diſtinctæ à disiuncta, ſufficiat neceſsitas veritatis determinatæ alicuius, & incompoſsibilitas falſitatis vtriuſque, determinatè acceptæ, per quod ſufficienter à disiuncta diſcernitur, quæ patitur ſecum falſitatem vtriuſque extremi determinatè, & per propoſitionem accepti, vt conſtat ex eo, quod benè componatur cum requiſitione Equi ad equitandum: nullum eſſe determinatè requiſitum. Vndè transferens doctrinam ad caſum præſentem, inquit, quod cum verum ſit ante omne contingens, provt tale, *Petrum eſſe peccaturum, vel non peccaturum cras* taliter, vt detur neceſsitas de veritate alicuius ex his propoſitionibus determinatè acceptæ, & incomponibilitas cum falſitate vtriuſque determinatè acceptæ, datur per conſequens ſufficiens diſtinctio huius disiunctivæ ab omni diſiuncta, quin neceſſarius ſit recurſus pro veritate illius, in eſſe talis, ad aliquid cõtingens. Quod ſi clarius, & compendioſius velis accipere: ſcias propoſitionem *disiunctivam* in eo diſtingui à *disiuncta*, quod *disiunctiva* pro ſui veritate disiungat propoſitiones; at *disiuncta* tantum disiungat terminos.

73 Diſcrimen datum inter vnam, & alteram propoſitionem, nempè diſiunctivam, & disiunctam impugnat Herrera à num. 112. Primò per puram repetitionem ſui aſſerti dicens; veritatem propoſitionis disiunctivæ, provt a disiũcta diſtinguitur, fundari in veritate determinata alicuius ex propoſitionibus ſub illa contentis: nam eſſe verum, *aliquem hominem currere*, fundatur in aliquo, qui determinatè currat: ergo ſimiliter in caſu præſenti veritas illa disiunctiva, *vel Petrus peccabit, vel non peccabit cras* fundari debet in aliquo determinato ex contradictorijs, quod determinatè ſit extiturum. Secundò: vnum è duobus nõ diſtinguitur adæquatè ab illis duobus; aliàs non eſſet vnum è duobus: ergo extiturum eſſe determinatè vnum è duobus, non diſtinguitur adæquatè *ab eſſe extiturum vtrumque*: ergo extiturum eſſe,

vel

vel Petrum, vel carentiam Petri non distinguitur adæquatè ab *extituros esse Petrum, & eius defectum.* Tunc sic: quod non distinguitur à duobus adæquatè, nec est vtrumque adæquatè, est aliquod eorum determinatè acceptum; sed *extiturum esse Petrum, vel eius defectum,* non est *existere vtrumque*; neque distinguitur adæquatè ab *extiturum esse vtrumque*: ergo est aliquod eorum *extiturum esse* determinatè acceptum: ergo pro signo quo datur *extiturum esse Petrum*, vel *eius defectum*, datur *extiturum esse aliquod ex illis, determinatè acceptum*: ac per consequens, si præcisivè à quovis connexo determinatè, vt absolutè existenti, datur *extiturum esse Petrum, vel eius defectum*, etiam cum eàdem præcisione dabitur *extiturum esse aliquod ex his extremis, determinatè acceptum.*

74 Tertiò: pro signo talis præcisionis est vera hæc propositio, *vel Petrus existet determinatè acceptus, vel eius defectus existet determinatè acceptus*: ergo pro signo præcisionis à quovis, de præsenti connexo datur, *vel extiturum esse Petrum determinatè acceptum, vel extiturum esse eius defectum determinatè acceptum.* Iam sic: ea ratione qua est vnum è duobus, non potest deficere vtrumque: *sed extiturum esse Petrum determinatè acceptum, vel extiturum esse eius defectum, determinatè acceptum*, datur pro signo præcisionis ab omni de præsenti connexo: ergo non deficit ab eo signo, *extiturum esse Petrum determinatè acceptum; & extiturum esse eius defectum determinatè acceptum*: quare pro eo signo dabitur: vel *Petrum extiturum esse; vel extiturum esse eius defectum*: eritque verum *quod Petrus existet*, aut *quod Petrus non existet.*

75 Quartò: ea ratione qua dabitur aliquid, verum est quod dabitur, cum ea ratione, qua aliquid detur, sivè hoc, sivè illo modo, verum sit: dari sub illo modo; sed *vel Petrus existet determinatè acceptus; vel Petrus determinatè acceptus non existet*: ergo vel verum est, quod *Petrus determinatè acceptus existet*, vel verum est, *quod Petrus determinatè acceptus non existet.* Minor debet esse certa apud nos, cum esse veram propositionem disiunctivam in vi, & ratione disiunctivæ, sit dari vnum determinatè, vel alterum determinatè: sed hæc propositio disiunctiva, *Petrus existet, vel non existet* est vera in vi disiunctivæ: ergo vel *Petrus existet determinatè acceptus, vel eius defectus determinatè acceptus existet*: ac per consequens, vel verum est *determinatè Petrum extiturum*, vel verum *determinatè Petrum non extiturum*, & quidem in eodem signo, in quo est vera propositio disiunctiva in vi disiunctivæ. Concludit: hoc stando regulis dialecticis ipsi innegabile videri: cum esse veram propositionem disiunctivam sit esse verum aliquod extremum, ex quibus componitur, determinatè acceptum, vtpotè in quo consistit esse veram propositionem disiunctivam: ergo pro signo pro quo est vera propositio disiunctiva datur aliquod ex extremis determinatè acceptum: ergo & est verum dari determinatè acceptum, & hæc veritas datur in ipso signo.

76 Cæterùm impugnatio ista proposita ad verbum; ne, vel in minimo eius efficacia, qualiscumque sit, deficiat, non minus authorem suum; quàm nos ferire debet neque proclamatis regulis dialecticis ostenditur conformis; sed potius adversa, quod vt declarem, repeto id quod semel statui, & à nemine negari potest, nempè: propositionem illam disiunctivam versantem inter duplex contradictorium esse tam necessariæ veritatis, ac principium illud notissimum, *quodlibet est; vel non est. Impossibile est eandem rem neque esse, neque non esse*, quo posito liquet inde clarissimè, veritatem prædictæ propositionis non posse pendere ab aliquo contingenti, vt contingens est: nam cum contingentia termini refundatur in contingentiam fundamenti, propterea quod à defectu termini connexionis valeat ad defectum fundamenti, cum illo connexi; implicat in terminis fundamentum connexionis esse necessarium, & terminum connexionis esse contingentem. Iam: si veritas illa, vtpotè necessaria, non potest dependere ab aliquo contingenti, tam non dependebit ab aliquo contingenti, quod de præsenti existat; quàm ab aliquo contingenti de futuro: propterea quidquid probet illam propositionem disiunctivam non posse intelligi veram, quousque intelligatur vera determinatè aliqua ex propositionibus, sub illa contentis, probabit similiter: quamcumque ex propositionibus sub illa contentis constitui in ratione veræ determinatè, independenter ab aliquo contingenti: videat ergo, qui tale medium assumit, an ipsi benè sit concedere veram determinatè quamcumque ex his propositionibus:

Pe-

Petrus peccabit cràs : *Petrus non peccabit cràs*, independenter ab omni contingenti?

77 Inde deficit primum, propter distinctionem iam asignatam, inter disiunctivam, & disiunctam; quin obstet veritatem disiunctivam requirere veritatem determinatam alicuius ex propositionibus, sub illa contentis, cum aliud sit requirere veritatem determinatam, & aliud requirere determinatè veritatem determinatam, vt negari non potest in ipsa propositione disiunctiva adducta in exemplum: *Aliquis homo currit*, quæ licèt pro sui veritate exposcat esse veram determinatè aliquam propositionem, in qua affirmetur cursus de subiecto; nullam tamen determinatè requirit, cum neque requisitum sit pro sui veritate, quod cursus vere affirmetur de Petro determinatè, nec quod verè affirmetur de Paulo determinatè, & sic de reliquis; sed quod duntaxat verè affirmetur de aliquo determinatè, disiungendo ipsas propositiones; licèt non disiungat terminos, quomodo disiungit propositio purè disiuncta, & à disiunctiva distincta; aliter dicat nobis arguens: an non verificata propositione determinata de cursu Petri, esset falsa illa propositio, *aliquis homo currit*, & pariter per currendo singulas propositiones sub illa contentas, donec remaneret vna vera? quod si falsa non esset: quid pro veritate disiunctivæ, veritas determinata alicuius propositionis, sub illa contentæ, determinatè acceptæ? Si autem in exemplo posito semper deveniendum esset ad aliquam propositionem determinatè veram, & determinatè acceptam, vt cognosceretur vera disiunctiva; id non provenit, vt iam diximus, ex conceptu *disiunctivæ veræ*; sed ex conceptu *disiunctivæ veræ contingenter.*

78 Deficit secundum: nam licèt vnum è duobus non distinguatur adæquatè ab illis duobus vagè acceptis; distingui tamen potest ab illis determinatè acceptis; in quantum verificetur nullum ex illis determinatè acceptum; neque coniunctum esse necessarium ad verificandam disiunctivam: qua ratione omnes dicere debent, tàm in propositione disiunctiva, quàm in disiuncta, in hac, provt disiungit terminos; in illa verò, provt disiungit propositiones: etenim vnus terminus requisitus non distinguitur adæquatè, vel à duobus, vel à pluribus, provt fuerit coniunctum terminorum, inter quos datur vaguitas, vagè acceptis; non sic determinatè acceptis, provt videre est in his disiunctionibus: *Equs requiritur ad equitandum dexter, vel sinister oculus requiritur ad videndum*: neque vna propositio, aut veritas affirmabilis per propositionem distinguitur adæquatè, vel à duobus, vel à pluribus, provt fuerit coniunctum propositionum, aut veritatum, inter quas datur vaguitas, vagè acceptis; secus determinatè acceptis, provt videre etiam est in hac propositione disiunctiva: *aliquis homo currit*, disiungente propositiones, & veritates obiectivas, ipsis correspondentes. Vnde constat quàm falsa est illa subsumpta; *quod non distinguitur adæquatè à duobus, nec est vtrumque adæquatè, est aliquod eorum determinatè acceptum*, cuius falsitatem probant exempla apposita *disiunctionis terminorum, & disiunctionis propositionum.*

79 Deficit tertium ex eo, quod, sicut pro signo præcisionis ab omni contingenti, vt tali, esse veram illam propositionem, *vel Petrus existet determinatè acceptus, vel eius defectus existet determinatè acceptus*, non probat esse verum determinatè, aut *extiturum esse Petrum*, aut *extiturum esse eius defectum*, præscindēdo ab omni cōtingenti, ita pro signo præcisionis ab omni contingenti de præsenti connexo cum evētu futuro, esse verā illam propositionem, *vel Petrus existet determinatè acceptus, vel eius defectus existet determinatè acceptus* non probabit esse verum determinatè, aut *extiturum esse Petrum*, aut *extiturum esse eius defectum*; præscindendo ab omni de præsenti connexo cum aliquo ex his eventibus determinatè accepto; ex quo refellitur, & simul redarguitur modus ille arguendi: *Ea ratione, qua est vnum è duobus non potest deficere vtrumque*; sed *extiturum esse Petrum determinatè acceptum*, vel *extiturum esse eius defectum determinatè acceptum* datur pro signo præcisionis ab omni de præsenti connexo: ergo non deficit ab eo signo, *extiturum esse Petrum determinatè acceptum*, & *extiturum esse eius defectum determinatè acceptum*, sub hac forma: *Ea ratione qua est vnum è duobus non potest deficere vtrumque*; sed (*extiturum esse Petrum determinatè acceptum*) vel *extiturum esse eius defectum determinatè acceptum*, datur pro signo præcisionis ab omni contingenti: ergo non deficit ab eo signo *extiturum*

esse

esse Petrum determinatè acceptum, & extiturum esse eius defectum determinatè acceptum.

80 Iam, sicut dicet, vt contingentia cum necessarijs non confundat, pro signo illo præcisionis ab omni contingenti esse verum, vel *Petrum extiturum determinatè acceptum, vel eius defectum extiturum determinatè acceptum*, vagè quidem vaguitate disiungente propositiones; quamvis non terminos, quomodo veritates illæ necessariæ sunt, non contingentes. Sic qui tueatur: veritates propositionum de futuro constitui per aliquid contingens, existens de præsenti, vt connexum cum eventu futuro, respondebit: pro signo illo præcisionis ab omni contingenti de præsenti cõnexo, esse verum, vel *Petrum extiturum determinatè*, vel *eius defectum extiturum determinatè acceptum*, vagè quidem vaguitate disiungente propositiones; quamvis non terminos, quomodo veritates illæ necessariæ sunt, non contingentes, & vnum, vel alterum decretum requisitum pro forma futuritionis, & veritatis de futuro, etiam necessarium est, & non contingens.

81 Deficit quartum, ex prava intelligentia, toties repetita suppositionis disiunctivæ, provt discernitur à disiuncta; siquidem, & si verum sit in vi disiunctivæ vnum, vel alterum ex extremis determinatè extiturum; attamen, vt non determinatè requisitum in ratione determinati pro veritate disiunctivæ; sed vagè, & indeterminatè, vaguitate vagante inter propositiones, & non inter terminos, vt suadet exemplum cuiusvis veritatis disiunctivæ; quare pro repetita difficultate, iterari etiam debet data, & explicata solutio in propositione illa disiunctiva, *aliquis homo currit*, in qua nimis fidit Author citatus, & quæ licèt pro sui veritate requirat, *aliquem determinatè currere*; nullum tamen determinatè currentem, requirit determinatè in ratione talis, vt vera sit, cum quovis determinatè non currente, esset vera in ratione disiunctivæ, si alius determinatè curreret, & sic de reliquis: ideo propositio illa: *in vi disiunctivæ, vel verum est Petrum determinatè extiturum, vel verum est Petrum determinatè non extiturum.* Semper distinguenda est sub his terminis, *in vi disiunctivæ, vel verum est, Petrum determinatè extiturum, vel verum est: Petrum determinatè non extiturum, veritate disiungente propositiones ipsas, & veritates obiectivas illis correspondentes in suppositione confusa*, concedo propositionem: *in suppositione determinata*, nego propositionem. Quomodo detegitur æquivocatio, ad quam toties offendit arguens.

82 Insistet alius primò: propositio illa disiunctiva: *Petrus peccabit, vel non peccabit cras*, disiungit contingentia, vt contingentia sunt; sed eo modo, quo disiungit contingentia, vt contingentia sunt, requirit pro sui veritate, vel formaliter, vel connotativè vnum ex illis, provt contingens est: ergo propositio illa disiunctiva requirit pro sui veritate, vel formaliter, vel connotativè contingens, provt contingens est: Ast id, quod pro sui veritate formali requirit, vel formaliter, vel connotativè aliquid contingens, provt contingens est, non potest intelligi verum independẽter à contingenti, vt tali: ergo propositio illa disiunctiva non potest intelligi vera independenter à contingenti, vt tali: ac proinde, si propositio illa intelligatur, vera independenter à quovis de præsenti connexo cum eventu futuro contingenti; etiam quodcumque contingens requisitum ad talem veritatem, intelligetur verum, vt tale, independenter à quovis de præsenti connexo cum eventu futuro.

83 Sed contra: quia, aut negari debet, illam disiunctivam esse necessariæ veritatis, quod negari nequit, aut falsum ostenditur respicere contingentia, provt contingentia sunt, ne aliter veritas defectibilis, dicenda foret veritas necessaria, aut veritas necessaria contingens. Vlterius, ratione etiam constat: etenim veritas illa disiũctiva, eo modo respicit contingentia disiunctivè, quo non potest vnum ex illis deficere; sed contingentia eo modo, quo non potest vnum ex illis deficere, sunt necessaria, cum impossibilitati in deficiendo respondeat necessitas in existendo, & necessitati in existendo, exclusio contingentiæ in eadem linea: ergo clarè constat, disiunctivam illam disiunctivè respicere contingentia, non provt contingentia sunt; sed provt habent aliquid necessitatis in existendo. Neque vim facere debet, disiunctivam illam respicere extrema secundum entitatem contingentia; vt inde inferatur respicere illa, vt contingentia, siquidem optimè componitur: id, quod secundum suam entitatem est contingens, esse secundum aliquam considera-

rationem neceſſarium; ſic quævis entitas ex contingentibus, licèt quoad exiſtentiam ſit defectibilis, & contingens; tamen quoad poſsibilitatem habet ſuam indefectibilitatem, & neceſsitatem. Vnde ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt neceſſaria, & ſcientia viſionis contingens, quamvis vtraque, vt diximus, reſpiciat idem obiectum, quod abſolutè eſt contingens.

84 Inſiſtet ſecundò. Si veritas propoſitionis disiunctivæ verſantis inter duo contradictoria, tam independens eſt ab omni contingenti, vt tali, non poterit deſumi argumentum ex veritate diſiunctivæ, ad probandam determinatam veritatem propoſitionum de futuro cõtingenti; ſed duntaxat ad inferendum in confuſo vnam, vel alteram ex contradictorijs eſſe determinatè veram; quin de vlla in particulari, & determinatè poſsit affirmari, vt fuit mens aliquorum ex antiquis, quos ſupra retulimus, & impugnavimus. Ratio eſt: quia quævis propoſitio ex contradictorijs contingentibus, determinatè accepta in ratione veræ, eſt contingens provt contingens: ergo ſi per nos propoſitio illa disiunctiva, vtpotè neceſſariæ veritatis, eſt ita independens à contingenti, vt tali, vt nec formaliter, nec arguitivè ab illo dependeat, per conſequens, neque contingens vllum, vt contingens, valet inferre, deficitque argumentum efficacius ad probandam determinatam veritatem propoſitionum de futuro contingenti.

85 Sed contra: nam hoc argumentũ ab omnibus eſt ſolvendum dummodo non dicant, vt dicere non poſſunt: propoſitionem disiunctivam inter duo cõtradictoria nõ eſſe neceſſarię veritatis; aliter hęc duo cõponant *eſſe neceſſarium, & ſuo modo indefectibile, & eſſe dependens à defectibili, & contingenti, vt tali*: duo ergo, pro ſolutione difficultatis communis omnibus, in promptu eſſe debent: vnum, non eſſe contra rationem neceſſarij dependere non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione aliqua contingenti, & determinatè non exacta ab aliquo contingenti, vt tali; ſic Deus neceſſariſſimus in exiſtendo dependet, non abſolute; verùm ex ſuppoſitione, ſibi libera, & contingenti decernendi mundum, ab ipſo mundo, provt contingenti, & defectibili. Alterum, neceſsitati disiunctim vaganti, vel inter propoſitiones, vel inter terminos, ſemper fieri ſatis per id, quod determinatè non requirit, ſic neceſsitati ad equitandum vaganti, disiunctim inter equos fit ſatis per determinatum equm, determinatè non requiſitum ad ipſam; & neceſsitati ad currendum vaganti disiunctim inter has propoſitiones: *vel hic homo currit, vel hic homo currit*, fit ſatis per determinatum hominem currentem; ſed non determinatè requiſitum; aſt cum tali independentia componitur determinatio ad hanc reflexam: *aliquod non determinatè requiſitum eſt neceſſarium.*

86 Hinc pariter inferuntur duo pro præſenti difficultate: vnum, neceſsitati illius disiunctivæ verſantis inter duo contradictoria contingentia, *vel Petrus peccabit, vel non peccabit cras*, non opponi dependentiam ab aliquo contingenti, vt tali, ex ſuppoſitione altera contingenti, & ſibi non neceſſaria; ideoque petere ex ſuppoſitione defectus vnius contradictorij contingentis exiſtere aliud, ſcilicèt, quod ſi non ſit verum: *Petrum non peccaturum cras*; ſit verum *peccaturum cras*, & è contra: alterum; quod, &ſi; *Petrum non peccaturum cras*, aut *Petrum peccaturum cras*, determinatè non requirat; tamen *aliquod ex illis, vt non determinatè requiſitum, requirere*; nec poſſe præſcindere ab aliquo ex illis, vt non determinatè requiſito.

87 Ex his, efficacia veritatis illius disiunctivæ neceſſariæ verſantis erga contradictoria, ad probandam veritatem determinatam propoſitionum de futuro contingenti, oſtenditur, atque in ſua vi perſiſtere, non obſtante doctrina, iam ſuppoſita, ſuaderi poteſt facile. Nam in primis: disiunctiva illa neceſſariæ veritatis, *Petrus peccabit, vel non peccabit cras*, infert vt neceſſarium, *vnum ex illis extremis non defecturum*; patet, *nam quod infert defectum vtriuſque vt impoſsibilem*, infert etiam *exiſtentiam alicuius, vt neceſſariam*; deinde veritas illa neceſſaria *vnum ex illis extremis non defecturũ*, infert etiam vt neceſſarium, has vetitates conditionales, *ſi deficiat extremum B, exiſtat A. Si deficiat extremum A, exiſtat B*: conſtat id ex eo, quod *oppoſitum neceſſario, & eſſentialiter defectui vtriuſque extremi* connectatur, & exigat eſſentialiter *exiſtentiam vnius ſub defectu alterius, & è converſo.* At neceſsitas exiſtentiæ vnius ex contingentibus; ſicut, & neceſsitas cuiuſvis ex illis, ſi deficiat alterum, cum etiam neceſſarium ſit, vnum ex illis deficere, reddit

vc-

veram propositionem, sibi correspondentem, & quidem contingenter, cum veritas formalis talis propositionis; sicut, & obiectiva valeat deficere: ergo veritas illa disiunctiva necessaria, erga contradictoria contingentia, efficax est ad probandam determinatam veritatem propositionum de futuro contingenti.

88 Confirmatur, & explicatur. Veritas illa disiunctiva necessaria facit debitam veritatem determinatam alicuius ex propositionibus, quas disiungit, vt determinatè non debitam: patet, nam facit debitum *Petrum peccaturum*, aut *non peccaturum cras* esse verum; quin esse verum determinatè *Petrum peccaturum*, aut *non peccaturum cras* sit determinatè requisitum pro veritate illius, siquidem quovis ex illis extremis existenti, vt vero, contenta est; quin neutrum determinatè requirat; sed veritas determinata alicuius ex propositionibus, quas disiungit, vt determinatè non debita, est veritas determinata alicuius ex propositionibus contradictorijs, quas disiungit, prout contingentis: ac proindè, prout non accipitur disiunctivè necessario: ergo veritas illa disiunctiva necessaria infert veritatem determinatam alicuius ex propositionibus contradictorijs de futuro contingenti.

89 Confirmatur secundò. Disiungere terminos determinatos in suppositione confusa, non stat sine aliquo termino determinato; quam is non determinatè requisito ad veritatem disiunctionis: ergo disiungere propositiones determinatæ veritatis, vt facit illa disiunctiva versans, erga propositiones contradictorias de futuro, stare nequit sine aliqua propositione determinatæ veritatis; quamvis non determinatè requisita ad veritatem disiunctionis. Antecedens est certum, vt constat in omni suppositione strictè confusa, & consequentia tenet: Si quidem omnis propositio disiunctiva supponit confusè circa propositiones, vt negari nequit in exemplo semel, & iterùm adducto illius propositionis inconcussè disiunctivæ: *Aliquis homo currit*; quæ, cum requirat veram aliquam propositionem, affirmantem cursum de determinato subiecto, scilicèt, vel *Petrus currit*, vel *Ioannes currit*; nullam tamen determinatè veram, affirmantem cursum de determinato subiecto, determinatè pro sui veritate requirit; quavis enim pro sua veritate, contenta est, non minus, ac quovis equo, aut dextro, vel siniſtro oculo propositiones illæ *equs requiritur ad equitandum: Dexter, vel siniſter oculus requiritur ad videndum.*

90 Roboratur vlterius idem intentum: quia non minus est necessaria divina libertas; quàm disiunctiva illa veritas versans inter duo contradictoria: deindè non minus vagè connectitur cum aliquo contingenti libertatis extremo; quam illa disiunctiva cum vno contradictorio ex contingentibus. Vltimò: non minus independens est ab omni contingenti, vt tali: ac proindè non minus intelligitur in signo præscindenti ab omni contingenti, vt tali; quàm illa propositio est independens ab omni contingenti, vt tali, intelligiturque in signo necessariorum, præscindenti ab omni contingenti vt tali; sed his non obstantibus, divina libertas est optimum argumentum ex conceptu suo ad inferendum, existere aliquod exercitium contingens eiusdem libertatis, determinatè acceptum, licèt non determinatè requisitum, vt consistat libertas, quæ æquè persisteret cum altero, aut oppositio exercitio etiam contingenti, & non determinatè requisito: ergo & illa disiunctiva veritas necessaria, similibus prædicatis non impedientibus, optimè componet esse argumentum ex conceptu suo ad inferendum existere aliquod contradictorium contingens determinatè acceptum, & si non determinatè requisitum, vt consistat veritas talis disiunctivæ: ac per consequens, vt propositio, quæ tale contradictorium affirmet, sit determinatè vera, sicut & altera, quæ ipsum excludat, per affirmationem oppositi sit determinatè falsa.

91 Accedit, quod quævis difficultas occurrens in disiunctiva hac necessaria de futuro, quoad illationem veritatis determinatæ propositionis de futuro contingenti, vinci debet in disiunctiva necessaria, quoad extrema de præsenti inferente, existere vnum ex contradictorijs determinatè de præsenti. Neque enim disiunctio duplicis contradictorij de præsenti est minus necessaria; quàm disiunctio erga contradictoria de futuro; neque minus independens à contingenti, vt tali, quomodo debet esse necessarium in sua linea, aut verificativa, aut existentiali: quarè, si id

non

non impedit rectam illationem ad veritatem determinatam contingentem de præsenti; nec impediet similem illationem ex antecedenti *disiunctivæ* ad veritatem determinatam contingentem de futuro.

92 Insistet tertiò, fundamento desumpto ex verificativo illius propositionis disiunctivæ, *vel Petrus peccabit, vel non peccabit cras.* Etenim videtur, prædictam propositionem non aliunde esse verificandā, quàm ab aliquo extremo ex eis, quæ disiunctivè attingit; sed quodcumque ex illis extremis, quæ disiunctivè attingit, est contingens, provt contingens: ergo propositio illa non potest intelligi vera, quousque intelligatur veritas determinata alicuius extremi contingentis, ex disiunctivè attactis: Iam reddit intentum, & ostenditur efficax probatio, hucusque impugnata sub hac forma. Propositio illa disiunctiva intelligitur vera, præcisivè à decreto, & à quovis alio de præsenti connexo cum eventu futuro; sed illa propositio non intelligitur vera, nisi per suum verificativum: ergo verificativum illius intelligi debet, etiam præcisivè à decreto, & à quocumque alio connexo cum eventu futuro: At verificativum est aliquod extremum correspondens propositioni de futuro contingenti: ergo veritas propositionis singularis de futuro contingenti intelligitur præcisivè à decreto, & à quovis alio de præsenti connexo cum eventu futuro.

93 Sed contra: Quia verificativum propositionis necessariæ veritatis, vt est illa disiunctiva, debet esse necessarium, & indefectibile; alias veritas illa posset deficere; sed quodque ex illis extremis attactis per disiunctionem determinatè acceptum, est defectibile: ergo neutrum ex illis est verificativum eiusdem si determinatè, & contingenter accipitur. Quærendum igitur est verificativum necessarium, & assignandum id, quod sit: *Vnum, vel alterum non posse deficere: vnum, vel alterum debere existere:* quomodo tantum illa extrema necessaria sunt. Si autem roges: quidnam hoc sit? Statim dicam: esse possibilitatem vtriusque extremi ex contingentibus immediatè oppositis, à qua habent formaliter non posse coexistere, nec posse simul deficere. Ratio est: quia, cum quodvis contradictorium contingens à sua possibilitate formaliter habeat, quod si existat, excludat suum contradictorium, ex possibilitate vtriusque coalescit necessitas, & determinatio, vt nequeant existere simul, aut deficere simul; sed talis necessitas est formaliter disiunctio obiectiva necessaria correspondens propositioni disiunctivæ, vt veræ: ergo possibilitas vtriusque extremi, est verificativum necessarium illius propositionis disiunctivæ necessariæ, & æternæ veritatis, & in hoc tantum sensu verum est, verificativum prædictæ propositionis consistere in illis extremis, quæ disiungit, scilicèt, in ipsis, provt necessarijs, quomodo sunt, si vt possibilia considerentur, non in ipsis, provt contingentibus, quomodo sunt, si considerentur, secundùm determinatam existentiam, determinatè acceptam.

94 Si inferas, non quiescens: ergo pro signo, quo intelligitur vera illa disiunctiva, nulla ex contradictorijs contingentibus intelligitur vera, aut falsa. Concedam sequellam, si loquaris de veritate, aut falsitate formali; secus de veritate, aut falsitate determinativa: quia, & si pro illo signo, quod est necessariorum, non intelligatur determinata veritas, aut falsitas alicuius ex contradictorijs, cum hæc sit contingens; ac propterea aliena ab illo signo; intelligitur tamen pro illo signo determinatio necessaria, vt aliqua ex propositionibus contradictorijs hæc, vel illa sit vera, & aliqua ex eisdem hæc, vel illa sit falsa. Si rursus inferas: ergo signum veritatis illius disiunctivæ præscindit à duplici contradictorio. Respondebo: præscindere à duplici contradictorio, provt contingenti, quod aliud non est, quàm contingens non esse necessarium, nec defectibile indefectibile; at non præscindere à duplici contradictorio, provt necessarium est: vnum, vel alterum existere. Si tertiò: ergo pro signo illo disiunctivæ, propositiones contradictoriæ divisivæ, nec veræ, nec falsæ sunt formaliter. Vndè non erit bonum argumentum: *Vna ex propositionibus contradictorijs non est vera: ergo est falsa: Vna ex propositionibus contradictorijs non est vera: ergo est vera altera: Vna ex propositionibus contradictorijs non est falsa: ergo altera est falsa.* Et alia huiusmodi, quæ ex eo, quod inter contradictoria non detur medium, videntur oriri. Dicendum: ea omnia rectè deduci, & quidem absque inconvenienti, cum per dicta aliud non con-

convincatur ; quàm quod contingens non est necessarium, quod verissimum est: inde argumentum illud, quod intenditur bonum, tantùm habet locum in signo, quo intelligi potest aliqua ex propositionibus contingentibus ; secus in signo necessariorum, in quo ab omni contingenti præscinditur ; modo, quo apud omnes debet esse pessimum argumentum sic procedere: *in signo necessariorum non est contingens*: ergo *in signo necessariorum est defectus contingentis*: *in signo necessariorum non est verum esse contingens*: ergo *est verum dari defectum contingentis*, & similia, quæ ex non medio inter contradictoria apparent inferri.

95 Placuit hæc fusius tractare, quæ alij leviùs attingunt ; tamen me compulit rei difficultas, quæ in suppositione confusa, provt distincta à disiunctiva, tam gravis est, vt ex ipsa sophismata plura, & innumerabiles propositiones difficiles emanent, taliter, vt quidquid alij acutioris mentis sentiant, ego pro mea tenuitate, & hebetudine intelligendi, parùm dixisse putarem, si dum passim in multiplici materia Philosophica, & Theologica implicor suppositione confusa, & disiuncta, eam crucem ingeniorum non nominassem, in cuius iudicij confirmationem testes advoco graviores Magistros antiquos, & modernos, qui, si ex proposito eam investigare cupiunt, nescio an morem sequentes confusionis, potius quam explicent, in obscuro relinquunt.

CAPVT IV.

Efficatiores nostræ sententiæ probationes.

96 PRobatur primò ab authoritate omnibus illis testimonijs, quibus supra probavimus futuritionem formalem ex conceptu suo non consistere formaliter in aliquo de præsenti, connexo cum eventu futuro, sive pertinente ad divinam voluntatem, sive ad divinum intellectum: vnde clarè deducitur: propositiones singulares absolutas de futuro cõtingenti habere determinatam veritatem formalem independenter constitutivè ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro. Fundamẽtum vrgentissimum mihi est: quia propositio affirmãs aliquid de futuro, ab eo vltra se constituitur formaliter determinatè verâ, à quo obiectum affirmatum formaliter habet esse futurum in ea ratione, in qua tale asseritur; sed obiectum futurum ex conceptu formali futuri non constituitur formaliter per aliquid de præsenti, connexum cum eventu futuro: ergo nec propositio constituitur in esse veræ formaliter per aliquid de præsenti, connexũ cum eventu futuro. Minor cõstat ex prædictis fundamentis, & maior tam certa apparet, ac illud verissimũ, & receptissimũ principium *ab eo quod res est, vel non est, sicut per propositionem enuntiatur, propositio dicitur vera, vel falsa*: ergo ab eo, quod res est, vel non est formaliter, sicut per propositionem enuntiatur, propositio debet dici vera, vel falsa formaliter.

97 Indè apparet difficillimus, nè dicam inconsequens doctissimus Ribadeneyra, qui, cum ex vna parte teneat cum cõmuni nostrorum, futuritionem formalem, nihil dicere de præsenti præter *non esse rei* futuræ; ex alia requirit pro formali veritate propositionũ de futuro aliquid de præsenti connexum, scilicèt scientiam divinam, concedens dari propositionem enuntiantem, *Petrum peccaturum cras*, & *Petrum sic cras determinatè peccaturum* non esse sufficiens, vt ea propositio intelligatur vera; si præscindatur ab aliquo de præsenti inferenti *cras Petrum determinatè peccaturum*. Quem benè impugnant Izquierdo, & alij proferentes prædictam doctrinam, & à veritate ipsa, & à recepta, communique Philosophorum doctrina alienam omnino esse, cum omnes indubitanter censuerint: omnem propositionem non aliter dici determinatè verã, vel falsam formaliter, & constitutivè ; quàm à formali conformitate, aut discõformitate cum obiecto eo modo, quo per ipsam esse, aut non esse exprimitur: quod confirmant propositiones de præsenti, quarum formalis, & determinata veritas aliud constitutivè non exposcit, nisi quod obiectum sit de præsenti: quia sic per ipsam esse enuntiatur: ergo nec aliud propositiones de futuro pro sua formali, & determinata veritate constitutivè desiderant, præter quod obiectum formaliter sit de futuro: quia ita esse per propositionem de futuro enuntiatur.

98 Recursus autem, quem sibi parat prædictus Author in sententia prædeterminantium, aut aliorum antiquorum exposcentium pro veritate determinata propositionum de futuro, aut decretum,

aut quodcùmque aliud de prẹsenti, connexum cum tali futuro, vanus ipsi redditur dummodo à consequentia doctrinæ, quam ipsi tenent, deflectat, vt recedit constituens futuritionẽ independentem formaliter ab omni cõnexo, quod si alij facerẽt, minimè pro tuenda veritate determinata propositionum de futuro ad connexum de præsenti confugerent: deficeret enim ipsis principale fundamentum, & ratio probativa sui asserti, quod aliud non est à constitutione formali futuri per aliquid de præsenti, à qua propositio enũtians futurum, redditur vera ex generali principio dictãte, ab eo propositionem reddi veram formaliter, à quo obiectum habet esse in se, sicut per propositionem repræsentatur.

99 Sit ergo prima, & fundamentalis conclusionis ratio: id, quo formaliter præciso, intelligitur vera determinatè, & formaliter propositio de futuro ex conceptu suo; non est constitutivum veritatis determinatæ, & formalis propositionis de futuro ex cõceptu suo; sed formaliter præciso quovis de præsenti existenti, & connexo cum eventu futuro intelligitur vera determinatè, & formaliter propositio de futuro ex conceptu suo: ergo nihil de præsenti existens, & connexum cum eventu futuro est constitutivum veritatis determinatæ, & formalis propositionis de futuro. Discursus est legitimus, & maior certa. Propterea quod nihil, formaliter consideratum in suo esse, possit intelligi præcisum à formali constitutivo sui. Prob.min. sola intellecta propositione enuntiante obiectum de futuro, & obiecto, vt futuro, sicut per propositionem enuntiatur, intelligitur vera determinate, & formaliter propositio de futuro ex cõceptu suo; sed sola intellecta propositione de futuro, seu enuntiãte obiectum de futuro, & obiecto, vt futuro, sicut per propositionem enũtiatur, prẹscinditur formaliter quodvis de præsenti connexum cum eventu futuro: ergo formaliter præciso quovis de præsenti existenti, & connexo cum eventu futuro, intelligitur vera determinatè, & formaliter propositio de futuro ex conceptu suo. Prob.min. nihil de prẹsenti connexum cũ eventu futuro, cõstituit formaliter esse propositionis de futuro, cum multę dẽtur propositiones de futuro non cõnexæ cum suo obiecto, vt futuro; quomodo sunt omnes nostræ, quæ possiunt coniungi cum defectu sui obiecti: ac per consequens non constitutæ per connexionem cum suo obiecto, quomodo per ipsas affirmatur: deinde nihil de præsenti connexum cum eventu futuro constituit formaliter, aut *non esse* nunc obiectum, aut *extiturum esse* postea, cum neque existentia obiecti in duratione posteriori, aut non esse correspondens durationi præsenti constituantur in suo esse ex conceptu suo, per aliquid de præsenti existens connexum cum eventu futuro: ergo sola intellecta propositione de futuro, seu enuntiante obiectum de futuro, & obiecto vt futuro, sicut per propositionem enuntiatur prẹscinditur formaliter, quodvis de prẹsenti connexum cum eventu futuro.

100 Confirmatur: Id quod, vel non datur, vel si datur est pure illativum veritatis formalis propositionis de futuro, ex conceptu veritatis formalis propositionis de futuro, non est id, à quo constitutivè dependet veritas formalis propositionis de futuro, ex conceptu veritatis formalis propositionis de futuro; sed existens de præsenti, & connexum cum eventu futuro, vel non datur, vel si datur, est purè illativum veritatis formalis propositionis de futuro, ex conceptu veritatis formalis propositionis de futuro: ergo omne de præsenti connexum cum eventu futuro, est id, à quo non dependet constitutivè veritas formalis propositionis de futuro ex conceptu veritatis formalis propositionis de futuro. Probatur minor, in qua est difficultas. Non minus datur, aut non datur existens de præsenti connexum cum eventu de præsenti, quando vera formaliter est propositio de præsenti ex conceptu suo; quam datur, aut non datur existens de præsenti, & connexum cum eventu futuro, quando vera formaliter est propositio, de futuro ex conceptu suo; sed existens de præsenti connexum cum eventu de præsenti, vel non datur, vel si datur, est purè illativum veritatis formalis propositionis de præsenti, ex cõceptu veritatis formalis propositionis de præsenti, vt constat ex ipsis Adversarijs, non requirentibus constitutivè pro formali veritate propositionis de præsenti, aliquid divinum, sive pertinens ad divinam voluntatem, sive ad divinum intellectum; existere de præsenti, & connexum cum eventu prẹsenti: ergo existens de præsenti, & connexum cum eventu futuro, vel non datur,

tur, vel si datur, est pùrè illativum veritatis formalis propositionis de futuro, ex conceptu veritatis formalis propositionis de futuro.

101 Probatur secundo. Quævis propositio de futuro ab eo verificatur formaliter constitutivè ex cõceptu suo, à quo status sui obiecti discernitur formaliter ab statu præsentis; sed status obiecti propositionis de futuro non discernitur ab statu præsentis per id, quod præsens est; sed per id, quod cum præsens non sit, post erit: ergo propositio de futuro ex conceptu suo non verificatur formaliter constitutivè ab eo, quod de præsenti est, & connectitur cum eventu futuro. Maior est certa: nam à quo verificari potest formaliter constitutivè propositio de futuro; quàm ab eo, quod suum obiectum potius sit futurũ; quàm præsens sicut per ipsam affirmatur. Probatur minor: status obiecti propositionis de futuro non discernitur ab statu præsentis per id, per quod convenit cum præsenti in ratione præsentis; sed per id, quod præsens sit, convenit cum præsenti in ratione præsentis: ergo status obiecti propositionis de futuro non discernitur ab statu præsentis per id, quod præsens est; sed per id, quod cum præsens non sit, post erit.

102 Respondebis: rationem istam, si efficax sit, probare etiam contra nos propositionem de futuro non reddi veram formaliter constitutivè à defectu rei existenti de præsenti: nam sic iã status obiecti futuri diceret aliquid de præsẽti, quo nõ discerneretur ab statu rei præsentis; sed potius conveniret: siquidẽ vtrumque explicaretur per aliquid, quod est. Sed contra: quia esse defectum rei futuræ de præsenti, est formalissimè rem futuram non esse præsentem, quid autem aptius ad distinguendum statum futuritionis ab statu præsentiæ; quàm id, per quod formaliter res cõstituitur non præsens; non sic quodvis aliud positivum, & de præsenti existens, quod neque requiri potest, vt formale *non esse* rei, neque vt formale *esse* rei in duratione posteriori: quare si vt formale constitutivum alicuius status requiratur, videtur non ad alium, quàm ad statum præsentiæ posse pertinere: quomodo res futura in ratione talis destruetur per conversionem ad statum præsentiæ.

103 Vrgetur contra eos, qui dicunt: propositionem de præterito esse determinatè veram formaliter independenter constitutivè ab aliquo de præsenti connexo cum eventu præterito. Quia non minus discernitur præteritum à non præterito per *non existere* nunc, & *fuisse* ante; quàm futurum à non futuro per *non esse nunc*, & *esse* post; sed præteritum ita discernitur à non præterito per *non esse* nunc, & *fuisse* ante, vt nihil, quod de præsenti detur connexum cum eo, quod fuerit ante, constitutivè se habeat ad veritatem formalem propositionis de præterito: ergo futurum ita discernitur à nõ futuro per *non esse* nunc, & *esse* post, vt nihil de præsenti connexum cum eo, quod post sit, constitutivè se habeat ad veritatem formalem propositionis de futuro.

104 Probatur tertio: omne de præsenti connexum cum alio, distinguitur ab illo eo modo, quo cum illo connectitur; nam eiusdem ad se non datur connexio; sed identitas: ergo omne de præsenti connexum cum eventu futuro distinguitur ab illo, nec ipsum constituit eo modo, quo cum ipso connectitur; sed omne de præsenti connexum cum eventu futuro connectitur cum illo, vt futuro: ergo nihil de præsenti connexum cum eventu futuro constituit illud in ratione futuri. Cætera patent præter minorem subsumptam, quam sic probo: omne de præsenti connexum cum eventu futuro connectitur cum illo, vt existenti in tali determinata duratione posteriori; sed eventus, provt existens in tali determinata duratione posteriori formaliter est futurus: ergo omne connexum de præsenti cum eventu futuro cõnectitur cum illo, vt futuro. Minor mihi certissima est: nam eventus, provt existens in determinata duratione posteriori, non est pure possibile, neque præsens, neque præteritus: ergo futurus; cum non sit alius status potens convenire rei possibili. Probatur igitur maior. Omne de præsenti connexum cum eventu futuro est inseparabile ab existentia eventus, quin sit formaliter constitutivè existentia eventus, & est insuper inseparabile à duratione posteriori illius; quin sit formaliter duratio posterior; sed inseparabile ab existẽtia, quin sit formaliter existentia, & inseparabile a duratione posteriore illius; quin sit formaliter duratio, connectitur cum eventu, vt existenti in determinata duratione posteriori: ergo omne de præsenti connexum cum eventu

tu futuro cõnectitur cum illo, vt existenti in determinata duratione posteriori illius.

105 Procedo: ab eo propositio ex conceptu suo est determinatè vera formaliter constitutivè, à quo eius obiectum est formaliter constitutivè futurum: sed ab eo, quod de præsenti est connexum cum eventu futuro, eius obiectum non est formaliter constitutivè futurum: ergo ab eo, quod de præsenti est connexum cum eventu futuro, propositio de futuro non est formaliter vera constitutivè: ac per consequens propositiones de futuro ex cõceptu talium sunt veræ formaliter constitutivè, independenter ab omni de præsenti connexo cũ eventu futuro. Discursus iste roborari etiam potest, paritate veritatis formalis de præterito apud illos, qui fatentur propositiones de præterito esse determinatè veras, independenter constitutivè à quocumque de præsenti existenti connexo cum eo, quod eventus fuerit in duratione anteriori. Quod si intendatur disparitas, renovanda sunt dicta supra ad idem intentum in constitutione futuri.

106 Probatur quartò. Propositio de futuro ex conceptu suo verificatur à futuritione in concreto, non in abstracto; sed futuritio in concreto non est aliquid præsens: ergo propositio de futuro ex conceptu suo verificatur ab eo, quod de præsenti non est: discursus rectus est, si præmissæ constent, quarum maior videtur certa: etenim propositio de futuro ex cõceptu suo verificatur ab hoc, quod est suum obiectum esse futurum; sed obiectum esse futurum non est sola futuritio in abstracto; verùm in concreto, & provt afficiens subiectum: ergo propositio de futuro ex conceptu suo verificatur à futuritione in concreto, non in abstracto. Deinde probatur prima minor: futuritio in concreto nihil aliud est, quã concretum futuritionis, & subiecti denominati futuri; sed concretum futuritionis, & subiecti denominati futuri non est aliquid præsens, cum non sit præsens concretum in ratione talis, cum pars aliqua illius de præsenti non est: ergo futuritio in concreto non est aliquid præsens. Iam sic: ergo propositio de futuro ex conceptu suo vera est ab eo, quod de præsenti non est; sed semel, quod propositio de futuro sit vera de præsenti ab eo, quod de præsenti non est, nihil de præsenti connexum cum eventu futuro est necessarium, vt ab ipsa constitutivè vera formaliter de præsẽti sit: ergo propositio de futuro ex conceptu suo vera formaliter est, independenter constitutivè ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro.

107 Explicatur hæc ratio: in tantum propositio de futuro ad sui veritatem de præsenti requireret aliquid de præsenti, connexum cum eventu futuro, in quantum veram esse propositionem de præsenti consistere non posset, quin id, à quo est vera de præsenti constitutivè, de præsenti existeret; sed semel quod sit de præsenti vera constitutivè non a futuritione in abstracto; sed à futuritione in concreto, id à quo est vera de præsenti cõstitutivè de præsenti nõ existit, vt nõ existit subiectũ futuritionis, seu obiectum denominatũ futurum: ergo propositio de futuro, ad sui veritatem de præsenti, non requirit cõstitutivè aliquid de præsenti, connexum cum eventu futuro. Confirmatur: titulus vnicus, vt propositiones de futuro ex conceptu talium sint veræ, dependenter cõstitutivè ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro est, ne intelligantur veræ de præsenti ab eo, quod de præsenti non est; sed propositiones de futuro ex cõceptu suo sẽper debent esse veræ de præsenti ab eo, quod de præsenti non est, vt manet probatum: ergo deficit titulus, ex quo propositiones de futuro debeant esse veræ, dependenter constitutivè ab aliquo, de præsenti connexo cum eventu futuro. Hùc advocandæ sunt omnes illæ denominationes, quæ cum appellent supra subiectum de præsenti, non requirunt omnia constitutiva de præsenti, de quibus supra agentes de constitutivo futuri; nec prætereunda paritas præteritionis toties refricata.

108 Vrgetur amplius prædictus discursus, ostendendo invtilitatem præsentis connexi cum eventu futuro, ad constituendam veritatem formalem propositionis de futuro. Magis proportionata est determinatio præsens ad esse præsens rei præsentis; quàm determinatio præsens ad esse futurum rei futuræ; sed data illa maiori propositione determinationis præsentis ad esse præsens rei præsentis, nulla determinatio præsens distincta ab esse rei præsentis, constituit veritatem formalem propositionis de præsenti, quidquid sit: an pro tali veritate requiratur: ergo nulla determinatio

præ-

præsens distincta ab esse rei futuræ, cõstituet veritatem formalem propositionis de futuro, quidquid sit: an pro tali veritate requiratur. Min. est sententia Adversariorũ. Prob. mai. magis proportionata est ad esse rei determinatio illa, quæ est pro modo conveniente esse rei, quã determinatio illa, quæ non est pro modo conveniente esse rei; sed determinatio presens est pro modo cõvenière esse rei, quæ de præsenti est; non sic pro modo conveniente esse rei, quæ de futuro est, cum vna sit præsentis ad præsens, altera præsentis ad futurum, vbi modi disconveniunt: ergo magis proportionata est determinatio præsens ad esse præsens rei præsentis; quàm determinatio præsens ad esse futurum rei futuræ. Confirmatur: non minus est determinatum esse formale contingens rei futuræ ex suppositione, quod durationi posteriori correspondeat, ad correspondendum tali durationi non præsenti; quàm esse formale contingens rei præsentis, ex suppositione, quod durationi præsenti correspondeat, ad correspondendum tali durationi præsenti: sed propter hanc determinationem formalem esse præsentis omnis alia determinatio, quæ de presenti detur, non est constitutiva veritatis formalis propositionis de præsenti: ergo propter similem determinationem formalem futuri ad correspondentiam temporalem sibi proportionatam, omnis alia determinatio quæ de præsenti detur, non erit constitutiva veritatis formalis propositionis de futuro.

109 Probatur quintò: Non minus distat esse formæ præsentis à non esse subiecti non existentis nunc, & extituri post; quàm non esse formæ non existentis nunc, & extituræ post, ab esse subiecti præsentis; sed esse formæ præsentis potest denominare nunc subiectum non existens nunc; extiturum tamen post: ergo forma non existens nunc; extitura tamen post, poterit denominare nunc subiectum præsens, & in præsenti duratione existens. Minor continet doctrinam Adversariorum, in qua futuritio nunc præsens denominat, nunc futurum id, quod modo non existit, & postea existet. Consequentia etiã constare videtur à paritate rationis. Probo igitur maiorem: si probatione indigeat. Tota distantia, quæ datur inter esse formæ, & non esse subiecti reducitur ad inæqualitatem, quæ datur inter esse, & non esse, & ad improportionem, quæ datur in non esse, vt aliquomodo positivè se habeat: sed id ipsum invenitur inter non esse formæ, & non esse subiecti, cum tàm includat esse vnius, & non esse alterius, & tàm improportionatum sit non esse subiecti ad recipiendum, nunc denominationem à forma, quæ nunc existit; quàm non esse formæ, ad dandam nunc denominationem, subiecto, quod de facto existit: ergo non minus distat esse formæ præsentis à non esse subiecti non existentis nunc, & extituri post; quàm non esse formæ non existentis nunc, & extituræ post ab esse subiecti præsentis.

110 Indè inferam: ergo non repugnat obiectum, quod modo non est, ei it tamen in duratione posteriori tribuere nunc propositioni enuntianti tale obiectum futurum, denominationem veræ, tantum connotata de presenti propositione quæ dicitur de præsenti vera, & est subiectum denominationis veritatis formalis: patet consequentia: Per te forma nunc existens potest tribuere denominationem futuri subiecto non existenti nunc, tantum non connotata non existentia subiecti nunc: ergo ab oppositio, obiectum non existens nunc poterit se habere, vt forma non existens nunc, tribuens nunc denominationem *veræ formaliter* propositioni nunc existenti, tantum connotata existentia subiecti prædictæ denominationis, vt est propositio affirmans extiturum aliquod obiectum. Fundamentum illationis ad id reducitur; non minus requiritur, aut non requiritur ad denominationem de præsenti existentia subiecti, quàm existentia formæ, cum denominatio ex vtroque coalescat: sed per te denominari de præsenti futurum id, quod futurum est, stat cum præsentia formæ, & non præsentia subiecti: ergo stabit similitèr denominari de præsenti veram propositionem enuntiantem futurum cum præsentia subiecti, seu propositionis, quæ denominatur formalitèr vera, cum non præsentia formæ à qua suscipit determinationem.

111 Probatur sextò: existens de præsenti connexum cum re futura, non verificat formalitèr constitutivè de præsenti propositionem de futuro: *quia præsens*; nec *quia præsens connexum*; sed non est alius titulus, vt ab eo verificetur de præsenti propositio de futuro: ergo

præsens connexum cum eventu futuro, non requiritur constitutivè ad veritatem formalem propositionis de futuro. Minor est certa. Probatur maior, quoad vtramque partem. Quoad primam: quia non minus datur de præsenti suo modo carentia requisita rei futuræ; quam quodcumque aliud, quod de præsenti existat; sed carentia præsens rei futuræ per te non verificat de præsenti propositionem de futuro: ergo præsens connexum cum eventu futuro, non verificat de præsenti propositionem de futuro: *quia præsens*. Quoad secundam: in tantum præsens connexum cum eventu futuro, constitueret veritatem illius de præsenti, in quantum auferret de præsenti indifferentiam, quam res habet, vt existat in duratione posteriori; sed præsens connexum, quia tale non ita aufert indifferentiam rei, vt existat in duratione posteriori, quomodo necessarium est ad ipsi tribuendum constitutivè veritatem propositionis de futuro: ergo nec *quia præsens connexum* cum eventu futuro est id, quod formaliter, & constitutivè verificat propositionem de futuro. Maior continet doctrinam Adversariorum, vt videre est apud Godoy, & alios in præsenti.

112 Probatur minor: Præsens connexum, quia tale non aufert indifferentiam antecedentem, quam res habet, vt sit futura: quia hæc coexistit cum ipso præsenti connexo cum eventu futuro, sicut simul cum eodem præsenti connexo verificatur ita rem esse futuram, vt potuerit esse non futura: deinde non aufert formaliter indifferentiam, seu non necessitatem consequentem: quia hæc formaliter tollitur per ipsam existentiam effectus in duratione posteriori: & ratio est; quia ab eo ipso, à quo quando existit in duratione præsenti, inducitur formaliter necessitas cõsequens existendi de præsenti, inducitur etiam in duratione anteriori necessitas consequens in ratione extituri: etenim eo modo, quo aliquid, quando existit, est consequenter necessarium, etiam antequam existat, est consequenter futurum, cum ab eadem existentia, provt correspondente determinatæ durationi, proveniat ratio formalis necessitatis consequentis: ergo præsens connexum cum eventu futuro, nec *quia præsens connexum* verificat de præsenti constitutivè, & formaliter propositionem de futuro.

113 Confirmatur: Non minus impossibile est *extiturum, non extiturum*, ex suppositione, quod extiturum sit, quàm *existens, non existens*, ex suppositione, quod existat; sed quia impossibile est *existens, non existens*, ex suppositione, quod existat, quodvis existens est necessitas consequens formalis sui, in ratione existentis, & præsentis; ita vt quidquid aliud connexum de præsenti detur, sit tantum determinatio illativa: ergo quia impossibile est *extiturum, non extiturum* ex suppositione, quod extiturum sit, quodvis extiturum est necessitas consequens formalis sui in ratione extituri, ita vt quidquid aliud connexum de præsenti detur, sit tantum determinatio illativa: ac proinde inepta, vt ipsi debeatur veritas formalis propositionis de futuro.

114 Probatur septimo. Hæc propositio, *Cursus Petri habet aptitudinem, vt denominetur futurus cras*, est propositio formaliter de futuro; sed hæc propositio est de præsenti vera, independenter constitutivè ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro: ergo propositio de futuro ex conceptu suo est determinatè de præsenti vera, independenter constitutivè ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro. Probo maiorem prius, probaturus post minorem. Res in tantum habet aptitudinem scilicèt proximam, vt denominetur futura, in quantum est existens in duratione posteriori; patet: nam, vt possibilis, non habet aptitudinem proximam, alias connexum de præsenti cum possibili, vt est Deus in sententia Adversariorum, constitueret possibilia futura; deinde neque vt existens de præsenti, aut in duratione anteriori, quomodo tantum habet capacitatem vt sit præsens, aut præterita; sed res formaliter provt existens in duratione posteriori est formaliter futura: ergo hæc propositio: *Cursus Petri habet aptitudinem proximam, vt denominetur futurus cras*, est propositio de futuro. Probatur minor: si hæc propositio non esset de præsenti vera independenter ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro, requireret aliquid de præsenti connexum, quod se haberet, vt forma aptitudinis rei, vt sit futura; sed nihil tale connexum requirere potest, vt forma aptitudinis rei, vt sit futura, tum quia in capacitate ad hanc formam sit idem argumentum, tum

quia

quia formæ non constituunt capacitatem subiecti; sed ad summum illam inferunt: ergo illa propositio est de præsenti vera, independenter constitutivè ab omni de præsenti connexo cum eventu futuro.

115 Promovetur hæc ratio: aut enim præsens connexum cum eventu futuro, verificat propositionem de futuro tanquam forma, & capacitas futuritionis, vel tantum tanquam forma? Si hoc secundum: ergo in re futura datur capacitas, vt denominetur futura à forma futuritionis: ac per consequens hæc propositio *res futura est capax futuritionis*, verificatur de præsenti, independenter constitutivè ab aliquo de præsenti, connexo cum re futura, à qua non distinguitur capacitas, vt futura denominetur. Si primum: ergo semel, quod detur futuritio rei applicata, vt denominet rem futuram, semper denominabit rem futuram etiam, quando res est præsens, aut præterita. Ratio est: quia forma applicata subiecto capaci semper vniformem ei præstat denominationem; sed forma illa futuritionis, quæ simul sit capacitas subiecti ad talem denominationem, semel quod applicetur subiecto, applicatur subiecto capaci: ergo semper ei præstabit eandem denominationem: eritque proinde res semel futura semper futura.

116 Si dicant: præsens connexum esse formam, & capacitatem respectivam, ideoque non denominare rem semper, & absolutè futuram; verùm respectivè. Rogabo: quidnam sit illud respectivum per ordinem ad quod limitatur forma futuritionis? Nam, vel est res, prout correspondens alicui durationi, & sic cum res, sivè existens, sivè præterita habeat correspondentiam ad aliquam durationem, erit etiam respectivum futuritionis, vel est res, prout correspondens durationi determinatæ posteriori, & modo non existenti; & ita duo inferam: vnum, quod res, prout correspondens durationi posteriori, & modo non existenti, formaliter est futura, cum nec sit tantum possibilis, nec existens, nec præterita: alterum, quod res prout correspondens durationi posteriori, & modo non existenti, est quid respectum à futuritionis forma, & prout tale verificans propositionem de præsenti, id ipsum de illa enuntians, quæ si verificatur per aliquid de præsenti connexum, reddibit argumentum in tali connexo; si vero absque tali præsenti, & connexo verificetur: ergo iam est aliqua propositio de præsenti vera per id, quod de præsenti non existit, ruitque totum fundamentum contrariæ sententiæ

117 Probatur octavò. Si veritas propositionum de futuro consisteret in aliquo de præsenti, connexo cum eventu futuro, hæ consequentiæ essent formales, & immediatæ, *Deus non cognoscit futura: ergo non probatur ignorans: Deus decernit in tempore: ergo nihil est futurum*; sed hæ consequentiæ non sunt formales, & immediatæ: ergo neque propositiones de futuro sunt veræ formaliter dependenter constitutivè ab aliquo de præsenti, connexo cum eventu futuro. Minor apparet certa: nam quis Patrum aut Theologorum posuit pro antecedenti ad immediatè inferendum, aut Deum non probari ignorantem, aut nihil esse futurum: *Deum nescire futura*, aut *in tempore decernere* quæ decernit, cum potius ex primo antecedenti tantum inferant ignorantiam Dei, & ex secundo, aut mutabilitatem suæ voluntatis, aut limitationem, & finitudinem suorum actuum. Probatur igitur maior, à qua cætera pendere videntur: nam vel illud præsens, & connexum à quo verificantur propositiones de futuro, est aliquid pertinens ad intellectum divinum, vt intendunt Recentiores nostri supra citati, & sic ablata Scientia Dei futurorum, in qua consistit veritas formalis propositionis de futuro benè, & immediatè inferretur: Deum non probari ignorantem, cum non probetur ignorans ex defectu notitiæ, qui ex ablatione notitiæ reddit obiectum inaffirmabile per notitiam veram de futuro: siquidem ablata Scientia, aufferretur verificativum propositionum de futuro. Aut est aliquid pertinens ad divinam voluntatem, vt dicunt Thomistæ, & sic immediatè, & formaliter ratio futuri auferretur, ablata forma, tum per æternitatem, tum tempore antecedenti ad rei existentiam: ergo si veritas formalis propositionum de futuro consisteret in aliquo de præsenti, connexo cum eventu futuro: hæ consequentiæ essent formales, & immediatæ: *Deus non cognoscit futura: ergo non probatur ignorans: Deus decernit in tempore: ergo nihil est futurum.*

119 Confirmatur, & explicatur præ-

Præcipuè contrà Thomistas, ponentes veritatem formalem propositionum de futuro in decreto divino : hæc consequentia non est immediata,& formalis: *Si Deus decerneret in tempore: decerneret ab æterno*; sed hæc consequentia esset immediata,& formalis, si veritas formalis propositionum de futuro consisteret in decreto præsenti;& connexo : ergo veritas formalis prædictarum propositionum sic non constituitur. Maior videtur certa : quia non est immediatior illa consequentia; quam ista : *Si Deus in tempore decerneret, non esset misericors*, quæ quidem vt per se patet, non est immediata, & formalis. Probatur minor : quia si Deus decerneret in tempore ab æterno esset decreturus, vt formaliter infertur ex illo antecedenti ; sed esse Deum decreturum ab æterno formaliter per Adversarios, est decretum Dei ab æterno existens connexum cum illo eventu futuro scilicèt, quod *Deus esset decreturus*: ergo consequentia illa esset immediata, & formalis, si veritas propositionum de futuro consisteret in decreto præsenti,& connexo cum eventu futuro.

120 Vltimò probatur contra Thomistas ex principijs eisdem generalibus nostræ Scholæ, quibus impugnavimus supra constitutionem futuri per divinum decretum. Vnde rueret penitus libertas nostra, si futuritio, sicut & veritas propositionum de futuro nobis libero, constitueretur per tale præsens connexum, pertinens ad divinam voluntatem. Etenim, cum tale præsens connexum, ponatur ab ipsis independens à priori ab exercitio nostræ libertatis, & in ipso sensu independens, esset quid connexum, & inimpedibile à nobis ; ac proinde lædens nostram libertatem, vt nobis firmum est, quod si id locum tenet adhùc in illativo nostri exercitij; multò plus vrgere debet in formali constitutivo status nostri exercitij, à quo deberet formaliter ita esse, & verificare propositionem, sibi correspondentem: in quo minus non est hærendum, cùm sit argumentum ex aliunde præsuppositis,& hic minimè discutiendis. Pariter veniunt reijciendi Recentiores nostri, qui ad veritatem propositionum de futuro requirunt aliquid præsens, spectans ad divinum intellectum, scilicèt, scientiam divinam, quo etiam infirmant generale aliud nostrum principium desumptum, & probatum ex Patribus semel, & iterùm in hoc tractatu; & sine quo meo tenui iudicio vix possumus gressum facere, videlicèt *res non esse quia à Deo sciuntur*, verùm è converso, *sciri à Deo quia sunt*, quod locum minimè teneret, si veritas formalis Scientiæ divinæ quoad contingentia, staret formaliter in ipsa Scientia, quæ, vtpote se non præcedens impediret omnem prioritatem status obiectivi rerum ad se ipsam, vtpote, quæ esset idem status pro formali. Videantur dicta,disputatione præcedente ; ex quibus præclusæ manent evasiones, quæ pro tali doctrina tuenda, absque læsione nostrorum principiorum adhiberi possunt.

CAPVT V.

Obiectionum solutio.

121 AB Authoritate nihil speciale occurrit obijciendum; quod supra in constitutione futuri à nobis non sit propositum , & solutum; vbi quidquid explanandum est, pro indaganda mente Div. Thomæ, de qua nimis gloriantur Adversarij, plaudentes sibi de tanto Patrono , vt in nobis fuit, declaravimus conantes semper Doctorem Angelicum non modo non adversum; verùm faventem assequi : quare ibi dicta,& exposita præsentibus sine repetitionis prolixitate veniunt accommodanda.

122 Ideo à ratione obijcies primò. Omnis propositio determinatè vera de præsenti, distinguitur de præsenti in ratione veræ à se ipsa,vt falsa;sed non distinguitur de præsenti in ratione veræ à se ipsa, vt falsa, nisi per aliquid de præsenti inseparabile à veritate , & constitutivè pertinens ad veritatem : ergo omnis propositio de futuro determinatè vera de præsenti non aliter sic vera constitutivè est ; quàm per aliquid de præsenti inseparabile ab eius veritate, & constitutivè pertinens ad eius veritatem. Consequentia legitima est. Maior autem certa. Siquidem omnis propositio determinatè vera de præsenti eo modo,quo de præsenti non est falsa, de præsenti distinguitur à se ipsa, vt falsa; sed omnis propositio de præsenti determinatè vera non est de præsenti falsa: ergo omnes propositio determinatè ve-

ra

ra de præsenti, distinguitur de præsenti in ratione veræ à se ipsa, vt falsa. Probatur minor illa prima: quia nihil distinguitur de præsenti per aliquam rationem, quam de præsenti participat à se ipso, vt non participante talem rationem de præsenti, nisi adsit de præsenti formale ipsius rationis inseparabile constitutivè ab ipsa ratione; sed ratio veræ de præsenti est id, per quod propositio vera de præsenti, vt talis distinguitur de præsenti à se ipsa, vt falsa de præsenti: ergo propositio vera de præsenti non distinguitur de præsenti in ratione veræ à se ipsa vt falsa nisi per aliquid de præsenti inseparabile à veritate, & constitutivè pertinens ad veritatem. Iam sic: in propositione de futuro contingenti; v.g. *Petrus existet cràs*, determinatè vera de præsenti, nihil aliud potest esse de præsenti inseparabile à veritate ipsius, & constitutivè pertinens ad illam, nisi aliquid connexum cum eo, quod *Petrus existat cràs*. Nam non ipse actus, qui vtpote indifferens ad veritatem, & falsitatem communis est veritati, & falsitati ipsius; non ipsum obiectum, quod quia futurum de præsenti non existit: ergo propositio omnis de futuro contingenti determinatè vera talis est, depēdenter formaliter constitutivè ab aliquo de præsenti, connexo cum eventu futuro.

122 Confirmatur: ab eo, vt existenti de præsenti verificatur de præsenti propositio quævis de futuro contingenti, cum quo, vt præsenti opponitur ipsa, vt falsa de præsenti; sed propositio quævis de futuro contingenti, vt falsa de præsenti opponitur cum connexo de præsenti cum eventu futuro: ergo quævis propositio de futuro contingenti verificatur à connexo de præsenti cū evētu futuro. Prob. mai. propositio determinatè vera, & determinatè falsa cōstituuntur in ratione talium per oppositа: ergo id, cui vt falsa repugnet, est id per quod eadem, vt vera, constituitur. Deinde probatur minor: propositio affirmans aliquid de futuro, vt falsa opponitur omni ei, quod, si existeret esset vera; sed connexum cum eo, quòd obiectum se habeat, sicut per ipsam affirmatur, est tale, quod si existat, erit propositio de præsenti vera: ergo propositio quævis de futuro contingenti, vt falsa de præsenti, opponitur cum connexo de præsenti cum eventu futuro. De hac specie, vt plausibili sibi gratulatur quidam Recentior Thomista; verùm cum acceperit ex nostro Ribadeneyra, quid gloriatur, quasi non acceperit.

123 Instatur communiter, & rectè obiectio in præsentia locali propositionis; v.g. *Petrus existit Romæ*, quæ, cum sit vera compluti, non ideo requirit aliquid existens Compluti, conexum cum existentia Petri Romæ: vnde sic: propositio vera in hoc loco, prout vera hìc distinguitur à se ipsa pro vt falsa hìc; quin sit necessarium aliquid hic connexum cum obiecto, sicut affirmatur per actum: ergo neque vt sit vera propositio in hoc instanti, distinctaque prout vera in hoc instanti à se ipsa prout falsa in hoc instanti, erit necessarium aliquid præsens in eodem instanti, & connexum cum obiecto eo modo quo enuntiatur per actum. Neque dicas: disparitatem inter præsentiam, & durationem à nobis esse tribuendam qui licèt pro veritate de præsenti requiramus aliquid, temporaliter coexistens durationi præsenti, & inseparabile à veritate propositionis ex suppositione, quòd hæc existat; non sic pro veritate de præsenti in hoc loco requirimus aliquid localiter coexistens, inseparabile à veritate propositionis ex suppositione, quod hæc in hoc loco existat: quia diversitas est clara: cum nos non requiramus aliquid temporaliter præsens propositioni, & inseparabile à veritate illius titulo *propositionis veræ de præsenti*; sed titulo, *propositionis de præsenti veræ*; id est: non quia denominatio *veræ* conveniat propositioni in hoc instanti, quomodo præscindit ab eo, quod sit propositio de præsenti, de præterito, aut de futuro; sed quia est propositio de præsenti quoad existentiam sui obiecti temporaliter: qnomodo, si esset propositio de præsenti quoad existentiam localem sui obiecti, sub hoc modo tendendi: *Petrus existit in hoc loco*, etiam requireret aliquid inseparabile à sua veritate existere in hoc loco.

124 Vrgeri etiam valet in ipsa denominatione *futuri*, propterea quod id, quod est futurum, de præsenti physicè non existat, & tamen eo modo, quo de ipso verificatur de præsenti esse *futurum*, distinguitur à se ipso *non futuro*. Iam rogo: quomodo id quod de præsenti non est, de præsenti aliquomodo distinguatur? Quare si id, quod de præsenti physicè non existit, distinguitur sufficienti modo de præsenti ex conditione de-

denominationis per id, quod cum ipſo non exiſtit; cur id quod exiſtit de præſenti, vt eſt propoſitio phyſicè nunc exiſtens, non diſtinguetur ſufficienti modo de præſenti ex conditione denominationis, per id quod cum ipſa non exiſtit, vt eſt obiectum verè affirmatum de futuro? Vlterius: hæc propoſitio *ſubiectum determinatum futuritionis*; v. g. *Petrus habet nunc aptitudinem, vt denominetur futurum*: potius quàm *præteritum*, eſt de præſenti vera, ſi Petrus ſit futurus; potius quàm præteritus: ac per conſequens de præſenti diſtinguitur à ſe ipſa, vt de præſenti falſa; ſed non per aliquid exiſtens phyſicè de præſenti; ſed per aptitudinem Petri, vt ſit futurus, quæ ſi de præſenti phyſicè exiſteret, non futurum; ſed præſentem ipſum conſtitueret: ergo vt propoſitio ſit vera de præſenti, & de præſenti diſtincta à ſe ipſa, vt falſa, non eſt neceſſarium dari aliquid phyſicè præſens, & inſeparabile a veritate ipſius.

125 Ad argumentum conceſſa maiori. Diſtinguo minorem: non diſtinguitur de præſenti in ratione veræ à ſe ipſa, vt falſa, niſi per aliquid de præſenti inſeparabile à veritate, & conſtitutivè pertinens ad veritatem *præſentia propria veritatis, vel de futuro, vel de præterito, vel de præſenti*, concedo minorem. Determinatè, *præſentia propria veritatis de præſenti*, nego minorem, & diſtinguo conſequens: omnis propoſitio de futuro vera determinatè de præſenti non aliter ſic vera eſt conſtitutivè; quàm per aliquid de præſenti inſeparabile, à veritate, & conſtitutivè pertinens ad eius veritatem *præſentia, & conſtitutione propria veritatis de futuro*, concedo conſequentiam. *Præſentia, & conſtitutione propria veritatis de præſenti*, nego conſequentiam. Ad minoris probationem: diſtinguo maiorem: Nihil diſtinguitur de præſenti per aliquam rationem, quam de præſenti participat à ſe ipſo, vt non participante talem rationem, niſi adſit de præſenti formale ipſius rationis, inſeparabile conſtitutivè ab ipſa ratione, *præſentia, & inſeparabilitate proportionatis* conditioni rationis, concedo maiorem. *Præſentia, & inſeparabilitate improportionatis* conditioni rationis, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Propoſitio de præſenti vera non diſtinguitur de præſenti in ratione veræ à ſe ipſa, vt falſa, niſi per aliquid de præſenti inſeparabile à veritate, & conſtitutivè pertinens ad veritatem, *præſentia, & conſtitutione accommodatis conditioni veritatis, vel de præſenti, vel de futuro, vel de præterito*. Concedo conſequentiam. *Præſentia, & conſtitutione improportionatis conditioni veritatis, aut tantum proportionatis vni ſpeciei veritatis, ſcilicet de præſenti*, nego conſequentiam. Vnde conſtat quid dicendum ad ſubillationem pro veritate propoſitionum de futuro.

126 Ratio, & expoſitio ſolutionis in rè clariſsimæ, licet alicui ex terminorum indiſpenſabili multiplicitate videatur obſcura, ſic ſe habet. Præſentia, quæ diverſis terminis, & conceptibus, & denominationibus neceſſe eſt applicari, intelligenda ſemper eſt pro modo, & conditione termini conceptus, aut denominationis, & ſic non vna regula metienda: videmus enim præſentiam rerum poſitivarum conſiſtere in aliquo poſitivo, nec ideo dicendum, præſentiam non entium, ſeu defectum rerum conſiſtere debere in aliquo poſitivo, imò potius in non eſſe de præſenti alicuius poſitivi: videmus etiam præſentiam intentionis actualis conſiſtere in aliquo actu formali voluntatis, exiſtenti de præſenti; nec ideò dicendum præſentiam intentionis habitualis, aut virtualis conſiſtere in aliquo actu formali voluntatis exiſtenti de præſenti; ſed vel in actu formali, qui fuit, & non eſt retractatus, vel in effectu emanato ab illo actu, qui fuit, & iam non eſt: videmus præſentiam phyſicam requirere aliquid phyſicum, & formale rei phyſicè præſentis; nec ideo præſentia moralis, aut virtualis requirit de præſenti aliquid phyſicum, & formale rei præſentis, verùm aliquid, vel morale, vel virtuale illius: videmus denominationes aliquas, vt convenientes de præſenti requirere, tàm formam, quàm ſubiectum exiſtere phyſicè de præſenti, nec propterea (vt, apud omnes eſt certum) denominatio futuri, vt de præſenti conveniat ſubiecto, requirit ſubiectum phyſicè exiſtere de præſenti; ſed de futuro taliter, vt ſi de præſenti phyſicè exiſteret, eſſet ineptum ad ſuſcipiendum de præſenti denominationem futuri.

127 Quæ cum ita indubiè appareant eſſe, conſtetque tot modis variari *præſentiam*, quot variantur termini, quibus applicatur, pro quorum diverſitate, & conditione, iam ſic, iam aliter intelligitur: quid firmum reſtat contra-

rijs,

rijs, vt ex præsentia veritatis propositionis de futuro, sicut ex distinctione, quam de præsenti dicit in ratione veræ à se ipsa, vt falsa, possint arguere aliquid physicè præsens, & connexum cum eventu futuro. Exploranda ergo est conditio, & natura veritatis, & pro modo illius applicanda præsentia, cumque veritas sit de futuro, & non de præsenti, vt sit præsens tanquam futura, seu in ratione futuræ, non aliam præsentiam exposcit; quàm accommodatam veritati formali de futuro, quæ, vt talis, tantum exigit de præsenti physicè actum enuntiantem obiecto de futuro, & obiectum se habere sicut per actum enuntiatur pro quo non est necessarium obiectum esse presens præsentia *præsentis*; sed præsentia *futuri*, quæ in non existentia nunc, & existentia post consistit: quemadmodum dicere debent de præsentia rei in ratione *præteritæ*, & veritatis formalis ipsi correspondentis, omnes illi, qui præteritionem in aliquo de præsenti connexo cum re præterita, non constituant.

128 Ast pro omnibus exemplum aptissimum doctrinæ datæ se se offert in imagine externa, ad cuius instar æstimanda est conformitas imaginis internæ, & intentionalis cum suo obiecto. Etenim, vt imago Cæsaris, aut Alexandri censeatur de præsenti conformis suo exemplari, nil aliud requiritur de præsenti, præter ipsam imaginem, & insuper, quod Cæsar, aut Alexander in se fuerint, sicut per dispositionem colorum exprimitur. Iam si inverso modo quoad existentiam processissent, priusque extitisset imago, quàm Cæsar, aut Alexander non propterea reliquisset suam conformitatem, à qua de præsenti denominaretur conformis extituris; quin aliud desideraretur pro conformitate, præter existentiam de præsenti imaginis, & quod Alexander, aut Cæsar futurus esset in se tempore propriæ durationis, & præsentiæ, sicut innuebat imago: idem tene pro conformitate imaginis internæ, & intentionalis, cuius denominatio, *convenientis de præsenti cum obiecto* similis omninò est convenientiæ imaginis externæ cum eo, quod repræsentat.

129 Insistunt: propositionẽ de futuro denominari veram de prẹsenti est prẹdicatum veritatis convenire propositioni de præsenti; sed prædicatũ veritatis convenire propositioni de præsenti, est veritatem dari de præsenti: ergo veritas propositionis de futuro datur, & consistit in aliquo de præsenti. Maior apparet certa propterea quòd eo modo, quo convenit veritas propositioni, dicitur vera; ergo si de præsenti dicitur vera, de præsenti convenit ei esse veram: ac per consequens prædicatum veritatis. Probatur minor. Prædicatum convenire subiecto de præsenti est prædicatum de præsenti existere cum subiecto; sed prædicatum de præsenti existere cum subiecto, est prædicatum de præsenti existere: ergo prædicatum veritatis convenire propositioni de præsenti, est veritatem dari de præsenti.

130 Rarum erit, si de ratione prædicati convenientis de præsenti subiecto, sit existere simpliciter de præsenti, & de ratione subiecti accipientis de prẹsenti convenientiam prædicati, non sit existere simpliciter de præsenti: quod, si teneant contrarij, inferam contra ipsos: futurum, vt futurum, tàm quoad formam futuritionis; quàm quoad subiectum illius existere simpliciter de præsenti; ideoque futurum, vt tale, esse simpliciter præsens, si verò, vt par est, non admittant, ex oppositio deducam id, quod iam supra notatum reliquimus; scilicèt, non minus requirit denominatio de præsenti existentiam prædicati; quàm subiecti; sed denominatio de prẹsenti conveniens rei futuræ in esse talis, stat per vos cum sola existentia simpliciter prædicati, & sine existentia simpliciter subiecti: ergo denominatio de præsenti conveniens propositioni de futuro, poterit stare cum sola existentia simpliciter subiecti, id est propositionis, & sinè existentia simpliciter prædicati ex parte veritatis, provt hæc includit veritatem obiectivam futuri.

131 Vnde ad formam instantiæ respondendum per distinctionem maioris. Propositionem de futuro denominari veram de præsenti est prædicatum veritatis convenire propositioni de præsenti, *præsentia propria veritatis de futuro*, concedo maiorem, *præsentia propria veritatis de præsenti*, nego maiorem, & distinguo minorem: prædicatum veritatis convenire propositioni de præsenti est veritatem dari de prẹsenti. *Præsentia propria veritatis de futuro*, concedo minorem, *præsentia propria veritatis de præsenti*, nego minorem, & distinguo consequens; veritas propositionis de futuro da-

datur, & consistit in aliquo de præsenti, *consistentia, & præsentia propria veritatis de futuro*, concedo consequentiam, *consistentia, & præsentia propria veritatis de præsenti*, nego consequentiam. Inde constat quid dicendum ad minoris probationem, & quomodo ex convenientia de præsenti prædicati ad subiectum intelligenda sit existentia prædicati cum subiecto, nimirum existentia proportionata conditioni prædicati, & simili ei, quam habet futurum, quando de præsenti denominatur tale, aut subiectum denominationis *præteriti*, sicut, & denominationis *cogniti*, quæ omnia non requirunt existentiam aliam, quam accōmodatam denominationi, & quæ dicitur tantum virtualis, ad existentiam simpliciter talem, in quantum sine existentia propria æquivalent quoad munus suscipiendi denominationem de præsenti his, quæ realiter simpliciter de præsenti existunt.

132 Non magis vrgens est confirmatio adiecta præcipuo argumento; nam sicut pessimum argumentum esset, arguere rem pro formali constitui in ratione existentis, per omne illud cum quo opponitur in ratione non existentis, sicque, cum res provt non existens, opponatur cum decreto de sua existentia, debere constitui formaliter, in esse existentis, per decretum de sua existentia. Ita ineptè satis arguitur ab eo, quod propositio de futuro, vt falsa de præsenti, opponatur cum quovis de præsenti inseparabili ab eventu futuro, ad constitutionem formalem ipsius in esse veræ de præsenti, per aliquod connexum de præsenti cum eventu futuro: quare modus ille arguendi duntaxat potest esse rectus, quando arguitur ab oppositione formali ad constitutionem formalem, vt non arguitur in propositione de futuro; secus quando arguitur ab oppositione purè arguitiva ad constitutionem formalem, vt evenit in casu confirmationis.

133 Objicies secundo. Si propositiones de futuro non essent determinatè veræ ab aliquo de præsenti, obiectum earum, provt per ipsas affirmatur, deficeret de præsenti; sed si obiectum propositionum de futuro, provt per ipsas affirmatur, deficeret de præsenti, omnis propositio de futuro esset determinatè, & necessario falsa: ergo propositiones de futuro veræ determinatè sunt, ab aliquo de præsenti connexō, cum eventu futuro. Maior est certa: siquidem obiectum eo modo, quo non est de præsenti, deficit de præsenti. Probatur minor: obiectum, provt affirmatur deficere de præsenti, est dari de præsenti contradictorium ipsius, provt affirmatur per propositionem; sed dari de præsenti contradictorium obiecti eo modo, quo affirmatur per propositionem, est propositionē esse determinatè falsam, & quidem necessariò, si res numquam aliter possint evenire, cum propositio falsa sit contingenter, aut necessario à defectu contingenti, vel necessario sui obiecti, sub ratione, & modo, quo affirmatur per actum: ergo si obiectum propositionum de futuro, provt per ipsas affirmatur, deficeret de præsenti, omnis propositio de futuro esset determinatè, & necessario falsa.

134 Instantia multiplex statim occurrit: iam in hac propositione, *Petrus est possibilis*; iam in hac propositione, *Petrus existit*; tum denique in quavis propositione de futuro, quæ etiam in opposita sententia verificari debet non à futuritione, quasi in abstracto sumpta; sed à futuritione, provt afficienti subiectum, & in concreto considerata: quomodo non existit simpliciter de præsenti, cum hoc quod est: obiectum esse futurum adæquatè sumptum, non existat simpliciter de præsenti, ex deficientia subiecti: vnde redarguitur obiectio proposita: nam non est vera propositio à forma, prout denominante subiectum, quando de præsenti existit contradictorium subiecti sub tali forma; sed quando datur propositio de futuro, datur contradictorium subiecti futuritionis sub tali forma, quia non existit de præsenti subiectum sub tali forma: ergo vel debent dicere: propositionem de futuro verificari de præsenti ab aliquo, quod de præsenti existat, non modo, vt forma denominationis futuri, seu futuritionis; verùm, vt subiectum denominationis, & vt quid futurum.

135 Ad argumentum, vel nego maiorem absolutè: quia obiectum propositionis de futuro, quamvis non includat aliquid, connexum de præsenti cum eventu futuro sensu, quo intenditur à sententia oppositā, non ideo deficit de præsenti eo modo, quo affirmatur per propositionem: quia sicut in ratione futuri habet præsentiam cor-

res-

respondentem tali statui, sic in eodem sensu habet præsentiam in ea ratione, qua affirmatur per actum. Vel distinguo maiorem: si propositiones de futuro non essent determinatè veræ ab aliquo de præsenti *præsentia propria rei præsentis* obiectum earum, provt per ipsas affirmatur, deficeret de præsenti, nego maiorem; *præsentia propria rei futuræ* obiectum earum, provt per ipsas affirmatur deficeret de præsenti, concedo maiorem, & distinguo minorem. Si obiectum propositionum de futuro, provt per ipsas affirmatur, deficeret de præsenti *defectu præsentiæ propriæ rei præsentis*, omnis propositio de futuro esset determinatè, & necessariò falsa, nego minorem; *defectu præsentiæ propriæ status, & modi, quo res est sicut per propositionem affirmatur*, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad minoris probationem distinguo etiam maiorem: obiectum, provt affirmatur, deficere de præsenti *defectu excludente præsentiam rei præsentis*; est dari de præsenti contradictorium ipsius, provt affirmatur per propositionem, nego maiorem; *defectu excludente præsentiam rei accommodatam modo, quo affirmatur per propositionem*, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Solutionis doctrina eadem est, ac data obiectioni præcedenti, & non semel repetita in disputationis progressu; scilicèt: rem futuram, in ratione talis habere præsentiam accommodatam suo statui, licèt non habeat præsentiam propriam rei præsentis, & in eodem sensu non habere defectum de præsenti, qui ipsam excludat à ratione futuræ quomodo affirmatur per propositionem, quamvis habeat defectum, ipsam excludentem in ratione præsentis quomodo non requiritur, vt sit vera propositio; imò si taliter daretur, noceret veritati propositionis.

136 Instabis: eo modo, quo non existit vnum contradictorium, existit aliud; sed per nos obiectum propositionis de futuro, provt per illam affirmatur, non existit de præsenti præsentia propria præsentis: ergo eius contradictorium existit de præsenti præsentia propria præsentis. Tunc sic: quando existit de præsenti præsentia propria præsentis contradictorium obiecti propositionis, provt per illam affirmatur; propositio falsa est, cum ab eo, quod res non est, sicuti affirmatur per propositionem propositio falsa sit: ergo ne propositio de futuro sit de præsenti falsa, necessarium est, quod obiectum esse, sicut per propositionem affimatur, consistat in aliquo de præsenti.

137 Redit instantia eàdem vi: quia cum propositio de futuro non sit de præsenti vera per solum illud de præsenti, quo tanquam forma redditur obiectum in esse conformis modo, quo repræsentatur per propositionem; sed etiam per subiectum tanquam affectum forma, à qua redditur conforme propositioni, necessum est totum, quod dicit obiectum se habere, sicut per propositionem affirmatur, non existere de præsenti: aliàs futurum, provt tale, esset præsens: iam, si obiectum provt complexivè se habens, sicut per propositionem enuntiatur, non datur de præsenti præsentia propria præsentis, dabitur de præsenti præsentia propria præsentis eius formale oppositum: vnde propositio erit de præsenti falsa; cum ab eo, quod res non est, sicut per propositionem affirmatur, propositio falsa sit: ergo ne propositio de futuro sit de præsenti falsa, necessarium est quod obiectum esse, sicut per ipsam affirmatur complexivè, & non præcisè, provt dicit formam in tali modo se habendi, consistat in aliquo de præsenti.

138 Respondeo: propositionem illam, *eo modo, quo non existit vnum contradictorium existit aliud*, falaciſsimam, sicut, & falsiſsimam esse. Et ratio est: quia, vt vnum contradictorium non existat sub vno modo, sufficit, vel quod non existat modus, manente contradictorio, vel quod deficiat modus, & contradictorium: si primo modo accidat, non existet alterum contradictorium sub illo modo; tum quia neque existit modus; neque deficit alterum contradictorium, vt erat necessarium pro existentia oppositi sub tali modo: si secundum, cum deficiat modus simul cum vno contradictorio, quomodo existet aliud sub tali modo, qui non est: propterea tantum verum est, *eo modo quo non existit vnum contradictorium, illud deficere*, vel quia non existunt contradictorium, & modus, vel quia defi-

cit contradictorium existente modo; secus quod eo modo, quo deficit vnum contradictorium debeat existere aliud. Inde ad præsentem casum, licèt deficiat in obiecto, provt repræsentatur per actum modus existendi de præsenti, præsentia propria præsentis, non infertur: contradictorium obiecti, provt affirmatur per propositionem debere existere sub tali modo præsentia propria præsentis: quia talis modus, tàm pro vno; quàm pro altero deficit.

139 Inferes pro vitandis æquivocationibus, quæ occurrere ex dictis possunt. Quod licèt inter contradictoria eo modo, quo contradictoria sunt non detur medium taliter, vt neque vtrumque simul, aut deficere, aut existere possit, & insuper, *obiectum se habere, sicut affirmatur per propositionem de futuro, & non se habere obiectum, sicut affirmatur per propositionem de futuro*, sint contradictoria formalia; non ideò ex defectu vnius tempore præsenti per defectum præsentiæ propriæ præsentis, & ex defectu simultaneo alterius tempore præsenti, per defectum propriæ præsentiæ præsentis, inferatur dari medium inter ipsa, vt contradictoria sunt, cum talia non sint relatè ad tempus præsens; sed ad futurum, & ideo vtraque propositio relatè ad tempus præsens possit esse falsa, scilicèt: *Obiectum se habere in se, sicut per propositionem de futuro affirmatur, existit nunc præsentia propria præsentis*, &: *non se habere obiectum sicut per propositionem de futuro affirmatur existit nunc præsentia propria præsentis*. Non aliter ac ex eo, quod simul falsum sit *ignis existens Romæ conducens est ad me calefaciendum Compluti*, & *carentia ignis existentis Romæ conducens est ad me calefaciendum Compluti*; non infertur dari medium inter ignem, & carentiam ignis, aut inter ignem existere Romæ, & non existere Romæ, eo modo, quo inter se formalia contradictoria sunt.

140 Obicies tertiò ex Alvarez, Navarrete, & alijs. Futura contingentia absoluta ante decretum Dei non habent determinatam entitatem, cum nihil creatum possit existere independenter à libera determinatione Dei: ergo neque ante decretum habent determinatam veritatem, quæ à determinata entitate dependet; sed propositiones de futuro determinatè veræ sunt à determinata entitate sui obiecti: ergo neque propositiones de futuro determinatè veræ sunt antecedenter ad decretum. Confirmant: quia ante decretum Dei hæc propositio: *Anti-Christus erit*, non est determinatè vera ex natura subiecti: siquidem actualis existentia, aut determinatio ad existendum, tantùm Deo competit ex natura rei: neque est determinatè vera ex aliqua causa efficiente creata, cum ante decretum Dei nulla sit possibilis causalitas causæ creatæ: ergo ante decretum Dei nulla propositio de futuro intelligi potest vera determinatè antecedenter ad omne decretum Dei: quomodo etiam probant, & confirmant; ante exercitium aliquod divinum non posse esse determinatè falsas, propterea quod sicut determinata veritas propositionis de futuro requirit determinatam causam ad futurum, sic determinata falsitas requirit determinatam causam ad oppositum.

141 Probat argumentum. Terminum constitui per actionem, & insuper propositiones contingentes de præsenti non minus; quàm de futuro esse veras constitutivè à decreto. Primum: quia terminus non potest intelligi in sua entitate priori ad actionem, sicut, neque contingens in suo esse pro priori ad decretum; sed per te non posse intelligi secundum suum esse, & entitatem pro priori ad decretum, probat constitui in sua entitate, & veritate illius per decretum: ergo terminum non posse intelligi in sua entitate, & esse, sicut in veritate ipsi correspondente pro priori ad actionem, probat terminum constitui formaliter per actionem. Secundum: quia non minus entitas, provt præsens in suo esse, quàm, vt in suo esse futura, non potest intelligi pro priori ad decretum; sed, per te, quia entitas futura non potest intelligi provt talis, pro priori ad decretum, constituitur formaliter per decretum in ratione correspondentis propositioni de futuro: ergo quia entitas præsens non potest intelligi, provt talis, pro priori ad decretum constituetur formaliter per decretum in ratione correspondentis propositioni de præsenti.

142 Respondetur: verum esse futura absoluta contingentia ante de-

cre-

cretum Dei, nec posse habere determinatam veritatem, neque entitatem propter dependentiam, quam habent in existendo à Deo, tum, vt physicè concurrente, tum vt liberè operante. Cæterùm id non probare, futura contingentia constitui formaliter, aut in sua entitate determinata, aut in sua determinata veritate per decretum divinum; sed tantum requirere essentialiter tale decretum tanquam id à quo dependent, vt sint in sua determinata entitate, & determinata veritate modo, quo accidit in quocumque termino respectu suæ actionis, & in quocumque existenti de præsenti respectu decreti Dei à quo, vt de præsenti sint, essentialiter dependent: quare non sunt confundenda requisita, aut prærequisita ad aliquid cum constitutivis illius, siquidem in omnium sententia diversissimum debet esse: *Hoc requiritur*, aut *prærequiritur essentialiter ad aliquid*; & *hoc est essentiale constitutivum illius*: Probat igitur argumentum, ad omnia futura contingentia absoluta prærequiri divinum decretum; ast per illud formaliter constitui in sua determinata entitate, aut veritate, vnde probat, aut probare potest magis quàm si intenderet, quod quia nihil creatum potest intelligi in sua determinata entitate, & veritate; quin præintelligatur ens, & verum necessarium, futura contingentia absoluta constitui formaliter in sua determinata entitate, & veritate contingenti per ens, & verum necessarium.

143 Diximus: decretum Dei probari requisitum essentialiter ad veritatem determinatam de futuro, in quo duo sunt observanda. Vnum: tale decretum in nostra sententia diversimodè quoad connexionem pro effectuum diversitate se habere; nam si effectus sit nobis liber non patitur decretum antecedens, & constituens præparationem causarum esse connexum cum effectu libero; sed indifferens ad vtrumque, alias libertatem effectus destrueret, vtpotè connexum, & inimpedibile per libertatem tanquam constitutivum illius; si vero effectus sit necessarius, seu proveniens à causa necessaria, permittit decretum se tenens ex parte actus primi, & præparationis causarum esse secum ipso connexum; cùm tunc non militet inconveniens libertatis, & insuper effectus necessarius, provt à libero distinctus, non aliter quàm à causa in actu primo determinata proveniat. Alterum: quod etsi tale decretum detur de præsenti, id non provenit ex indigentia futuri formaliter, quia talis. Ratio est: quia futurum, vt tale, sicut non existit simpliciter de præsenti; sic non requirit simpliciter de præsenti omnia ea, quæ necessaria sunt, vt existat de præsenti; sed sufficit, quod causæ, & præparatio ipsarum intelligantur etiam de futuro, vt dandæ quando accedat tempus existentiæ: provenit ergo præsentia decreti aliunde quàm ex exigentia futuri formaliter sumpti, scilicèt ex eo, quod decretum Dei divinum est; ac proinde æternum; ideoque, vel numquam datur, vel semper ab æterno existit; insuperque ex Dei immutabilitate, quæ non permittit decernere in tempore, seu inceptionem decernendi; proptereaque si semel decrevit, ab æterno, & in æternum decernit.

144 Ad confirmationem constat, quid dicendum: verum namque est, ante divinum decretum non esse determinatè veram propositionem illam de futuro absoluto, *Antichristus erit*, neque à natura ipsa subiecti, quasi ex se impotentis non existere in tali duratione, neque ex determinatione aliqua causæ, quæ independenter à decreto valeat se exercere in talem effectum; sed quid inde ad probandam veritatem formalem dictæ propositionis stare pro formali in decreto, quod non plusquam requisitum essentialiter ad eam veritatem ostenditur. Quod, vt videant arguentes, transferant suam confirmationem ad exempla apposita, tum actionis requisitæ ad terminum, tum decreti indispensabiliter requisiti ad veritatem de præsenti, & videant: an ex eo, quod antecedenter ad actionem non intelligatur terminus determinatus ad existendum, neque à natura sua, neque à determinatione vllius causæ formaliter: sicut ex eo, quod antecedenter ad decretum non intelligatur vera determinatè hæc propositio de præsenti, *Pe-*

trus existit, neque à natura subiecti, neque à determinatione alterius causæ existentis de præsenti inferatur, vel terminum constitui formaliter in suo esse per actionem, qua fluit à sua causa, vel propositiones absolutas de præsenti non esse veras formaliter constitutivè, independenter à decreto.

145 Quare sicut dicent terminum constitui formaliter à suo esse, quod accipit à causa per actionem: & veritatem formalem de præsenti constitui formaliter per esse rei, non vt existens à se; sed proveniens ab alio, tàm respectu Dei; quàm respectu causæ creatæ, qua Deus concurrit ad effectum medio suo decreto: sic nos similiter dicimus futurum, & veritatem formalem propositionis de futuro constitui formaliter per esse rei, non existentis nunc, & correspondentis durationi posteriori, non quidem extituræ ex determinatione propria; verùm ex determinatione causæ, præparatæ ad operandum per divinum decretum, vel indifferens, vel connexum sub distinctione data, quod se habet, vt illativum futuri, & veritatis determinatæ propositionis in illud tendentis; non vt formale constitutivum, aut futuri, aut veritatis formalis propositionis, ipsi correspondentis.

146 Obijcies quartò: esse nunc determinatè veram propositionem de futuro, est dari nunc eius veritatem, & certitudinem: sed dari nunc veritatem, & certitudinem nequit esse verum, nisi nunc detur id, in quo consistit veritas, & certitudo, cum tantum verum sit dari veritatem, & certitudinem eo modo, quo datur id quod est veritas, & certitudo: ergo vt propositio de futuro sit nunc determinatè vera, requiritur aliquid de præsenti, in quo consistat eius determinata veritas, cumque nihil indifferens ad veritatem sit id, in quo consistit veritas: per consequens tantum aliquid de præsenti existens, connexum cum eventu futuro, erit id, à quo propositio nunc redditur certa, & determinatè vera.

147 Tantam vim infert contrarijs ly *nunc*, & *hodie* propositionis determinatè *certæ*, & *veræ*, vt ad eundem lapidem offendere non desistant, & quidem immemores præteritionis, & veritatis formalis propositionis de præterito, in qua si quid sit dissonantiæ ex præsentia denominationis *certæ*, & *veræ*, devorandum est: cum non minus sit vera nunc hæc propositio, *Iudas extitit*; quàm hæc propositio: *Antichristus existet*; sicut, & nolentes advertere propositionem de futuro non esse nunc certam, & determinatè veram à sola futuritione in abstracto; verùm à futuritione in concreto, quomodo includit subiectum, & rem ipsam, quæ denominatur futura. Iam si percipiunt: rem, quæ modo non est; sed erit, denominari nunc de præsenti aliquo genere denominationis, scilicèt in ratione futuræ; cur non percipient aliquid de præsenti existens, denominari nunc ab eo, quod de præsenti simpliciter non est, aliquo genere denominationis, scilicèt in ratione *certæ*, & *veræ*? Cum non sit minus improportionatum ad denominandum *nunc id, quod est nunc*, illud quod nunc non est; quàm id, quod *nunc non est* illud, quod nunc existit: imò potius denominatio de præsenti plus videtur exigere esse nunc subiecti, quod nunc à forma denominatur; quàm existentiam solius formæ deficienti nunc subiecto. Hoc semel, & iterum notavi, & advertere non desinam, donec contraria sententia à declamato *nunc*, & *hodie* rigidè, & intemperatè ad conditionem denominationis, non desistat.

148 Respondetur breviter, & consequenter ad doctrinam traditam: esse nunc veram, & certam determinatè propositionem de futuro, esse dari nunc certitudinem, & veritatem ipsius, *existentia*, & *præsentia proportionata veritati*, & *certitudini de futuro*, & in eodem sensu verum etiam est dari id, in quo pro formali consistit talis certitudo, & veritas: modo quo accidit in præteritione, & in complexo futuritionis, & futuri; quin ly *nunc*, & *hodie* est *præteritus*, aut *futurus* denotet aliam præsentiam, aut existentiam præteriti, aut futuri; quàm accommodatam tali denominationi, & consistens in eo *quod nunc non sit*, &

fue-

fuerit, aut *nunc non fit*, & *erit*: quærere autem aliam præsentiam pro his, & similibus denominationibus, idem esset, ac velle constituere curvitatem lineæ per rectitudinem, aut inæqualitatem per æqualitatem. Et vt ingenue loquar, tàm dissonum mihi est *pro præsenti tantum in non existendo simpliciter de præsenti*, quærere aliquid existens simpliciter de præsenti; quàm si quis pro exclusione omnis contingentis, contingens aliquod desideraret.

149 Objicies quintò: esse nunc propositionem de futuro determinatè veram, est esse nunc determinatam ad veritatem præ falsitate; sed si non sit vera ab aliquo de præsenti determinatè connexo cum eventu futuro, non est nunc determinata ad veritatem præ falsitate: ergo si propositio de futuro non est vera formaliter ab aliquo de præsenti connexo cum eventu futuro, non est nunc, & de præsenti determinatè vera. Maior apparet certa: nam quomodo propositio poterit esse nunc determinatè vera, nisi habeat determinativum veritatis, incomponibile cum illius falsitate; aliàs nunc persisteret indifferens ad veritatem, & falsitatem; quin vna potius; quàm alia possit nunc de ipsa affirmari. Probatur minor ad quam videtur reduci difficultas: si propositio de futuro non sit vera ab aliquo de præsenti connexo determinatè cum eventu futuro, omnia, quæ de præsenti dantur, sunt indifferentia ad existentiam, & non existentiam futuri: patet, nam eo modo, quo ea, quæ de præsenti dantur, non sunt indifferentia ad existentiam, & non existentiam futuri, aliquod ex illis saltem habet determinationem, vel ad existentiam, vel ad non existentiam futuri; sed si omnia, quæ de præsenti dantur, sunt indifferentia ad existentiam, & non existentiam futuri, propositio de futuro non est nunc determinata ad veritatem præ falsitate: ergo si non sit vera ab aliquo de præsenti determinatè connexo cum eventu futuro, non est nunc determinata ad veritatem præ falsitate.

150 Qua ratione, si id vrgeat, non premat similiter in propositione nunc vera de præterito, videant omnes illi, qui cum veritatem formalem propositionum de futuro in aliquo de præsenti constituant, pro veritate formali propositionum de præterito iudicant non necessarium, tametsi omnia, quæ de præsenti dantur, sint ex se indifferentia ad præteritionis statum. Addendum: quod etsi de præsenti sit aliquid connexum cum eventu futuro, nondum vitatur difficultas, ex determinatione præsenti propositionis ad veritatem: quia cum non quævis determinatio ad veritatem formalem propositionis sit determinatio formalis veritatis illius; sed illativa illius, in quo veritas formalis propositionis consistit, restat adhùc adversarijs probandum: determinationem illam, quam de præsenti concedunt non esse purè illativam alterius, à quo veritas formalis propositionis desumatur, quod si non assequantur, vt non assequi supra probavimus, remanet contra ipsos integrum argumentum in illo formali; nam vel est aliquid aliud præsens, quomodo futurum ipsum erit præsens, cum non remaneat, vltra determinationem, quam de præsenti ponunt, aliud præter ipsam rem futuram, vel est aliquid purè futurum, & sic dicant nobis: quomodo id, quod futurum est, propositionem de præsenti formaliter determinet?

151 Ad argumentum. Concessa maiori propter insinuatam rationem, negatur minor, loquendo de præsenti connexo cum eventu futuro, eo sensu, quo accipitur ab arguente. Ad minoris probationem: distinguo maiorem. Si propositio de futuro non sit vera ab aliquo de præsenti determinatè connexo cum eventu futuro, omnia, quæ de præsenti dantur, *præsentia propria præsentis* sunt indifferentia ad existentiam, & non existentiam futuri, concedo, aut permitto maiorem. *Præsentia propria futuri*, aut *veritatis de futuro*, nego maiorem, & distinguo minorem. Si omnia, quæ de præsenti dantur, tàm *præsentia propria præsentis*; quàm *præsentia propria futuri*, aut *veritatis illius*, sunt indifferentia ad existentiam, & non existentiam futuri propositio de futuro non est nunc determinata ad veritatem præ falsitate concedo minorem. *Præsentia tantum*

propria præſentis, nego minorem, & conſequentiam.

152 Solutionis ratio conſtat ex repetita doctrina, cui ſemper ſtandum, ſcilicèt, de præſentia, quam habent ſuo modo omnes ſtatus rerum, dum enim res eſt poſsibilis habet ſuam præſentiam, vi cuius eſt nunc verè poſsibilis, & talis iure dicitur; ſed quænam eſt hæc præſentia: eſt ne præſentia exiſtentium? Minimè; ſed præſentia accommodata tali ſtatui, & purè non repugnantiæ ad exiſtendum: ſimiliter dum res eſt futura, habet ſuam præſentiam correſpondentem tali ſtatui, ex qua verè de illo dicitur, potius *eſſe futurum*; quàm *fuiſſe futurum*, aut *non eſſe futurum*; verùm qualis eſt hæc præſentia: eſt ne propria rerum, quę dicuntur *præſentes*? Neutiquam; verum proportionata, & non deſtructiva ſtatus futuritionis: ab hac ergo præſentia determinatur nunc propoſitio de futuro, vt ſit vera nunc; potius quàm falſa, cum ab ipſa habeat correſpondentiam inter modum, quo obiectum ſe habet in ſe, & modum, quo per ipſam affirmatur: modo quo, qui ſciret futurum hominem, ſicut per imaginem externam de præſenti depingitur, verè diceret: eam eſſe conformem tali obiecto, & determinata nunc potius ad conformitatem; quàm ad diſconformitatem, ni velis etiam conformitatem imàginum externarum ad ſua obiecta conſiſtere in decreto, & dexteritatem in pingendo revocandam eſſe pro formali ad decretum, vel ad aliquid aliud de præſenti connexum cum obiecto picturæ, provt per ipſam exprimitur.

153 Inſiſtent: de præſenti datur repugnantia ad non veritatem, ſeu falſitatem propoſitionis de futuro, ſemel, quod de præſenti habeat determinatam veritatem; ſed hæc repugnantia exiſtere de præſenti non poteſt in alio; quàm in connexo de præſenti cum eventu futuro: ergo vt propoſitio de futuro ſit de præſenti determinatè vera, aliquid de præſenti connexum cum eventu futuro debet exiſtere. Maior conſtat: quia eo modo, quo propoſitio eſt vera de præſenti, non poteſt coniungi de præſenti cum falſitate ſui, & eo modo, quo non poteſt coniungi de præſenti cum falſitate ſui, repugnat de præſenti falſitati ſui, ac per conſequens datur repugnantia ad falſitatem. Minor probatur: hæc repugnantia non poteſt ſtare de præſenti in actu, qui, ſi creatus ſit, & naturalis ex ſe habet indifferentiam ad veritatem, & falſitatem, quare ex ſe de præſenti non repugnat falſitati: neque poteſt conſiſtere in ipſo obiecto futuro, quod nondum eſt, & donec exiſtat, non habet repugnantiam cum non exiſtentia ſui, à qua falſificaretur nunc propoſitio de futuro; ſed præter actum, & obiectum non eſt aliud, in quo de præſenti ſit talis repugnantia, niſi aliquid quod de præſenti exiſtat connexum cum eventu futuro: ergo hæc repugnantia exiſtete de præſenti non poteſt in alio, quàm in connexo de præſenti cum eventu futuro.

154 Nihil continet inſtantia, quod non ſit commune alijs ſententijs, & non debeat explicari ad modum noſtræ. Ratio eſt: quia in quovis conceptu, ſemel quod intelligatur in aliquo ſtatu, & conſideratione, datur repugnantia non modo illativa; verùm formalis ad oppoſitum: ergo ſemel, quod intelligitur aliquid, vt futurum complexivè, & non tantùm provt dicit futuritionem ſolam, datur repugnantia non ſolum illativa; verùm formalis, vt non ſit futurum ex tali ſuppoſitione. Iam: quodnam erit illud, in quo de præſenti conſiſtat repugnantia illa formalis ad oppoſitum futuri, complexivè ſumpti? Quia non id, quod per te de præſenti datur, & connectitur cum eventu futuro: ſiquidem vna ſola pars complexi non eſt adæquata formalis repugnantia ad oppoſitum complexi; ſed ad ſummum illativa, in quantum affert ſecum aliam compartem, quam requirit, vt formaliter excludatur *non complexum*, ſeu *oppoſitum complexi*: etenim non excluditur formaliter defectus complexi, niſi per exiſtentiam omnium partium complexi oppoſitam, ſivè coniuncto, ſivè diſiuncto defectus illarum; neque id, quod de futuro tantum exiſtit, cum id de præſenti deficiat: igitur quærendum aliud, in quo

quo hæc formalis repugnantia de præsenti consistat, vltra illud de præsenti connexum cum eventu futuro, quod admittitur.

155 Idem vrgeri potest in aptitudine, quam habet obiectum futurum, vt sic denominetur à forma futuritionis, quod quidem ex suppositione habendi talem aptitudinem, repugnat ineptitudini, seu oppositio aptitudinis; qualis ergo erit repugnantia hæc de præsenti, ex qua verificatur: subiectum futuritionis potius esse aptum nunc; quam ineptum, vt denominetur futurum; imo ex tali suppositione repugnans quid esse, non habere aptitudinem? Quia hæc repugnantia non debet provenire formaliter ab ipsa futuritione, quæ sicut non dat formaliter aptitudinem subiecti, sic nec repugnantiam formalem ad aptitudinem, quæ in ipsa formali aptitudine fundatur; nec provenire potest ab ipso subiecto futuritionis, quod vtpotè non existens de præsenti, non potest fundare de præsenti repugnantiam ad ineptitudinem ex suppositione, quod aptum sit: ergo aliquid aliud de præsenti existens debet assignari, in quo stet de præsenti talis repugnantia: propterea componant nobis, quod sibi componi desiderant.

156 Dicendum est: repugnantiam de eo, quod propositio de futuro semel determinatè vera talis non sit, dari de præsenti eodem sensu, quo futurum in ratione futuri de præsenti datur, vt verificat, potius esse *nunc futurum*; quàm *non futurum*. Ratio est: quia tota repugnantia, quæ de præsenti datur ad non veritatem, seu falsitatem propositionis de futuro consistit in necessitate consequenti, quæ datur de eo, quod futurum ex suppositione, quod sit, non deficiat. Vndè non distinguitur ab existentia futuri in ratione talis: ac per consequens non aliter dici valet esse de præsenti repugnantiam ad falsitatem propositionis de futuro: ac dicitur de præsenti: futurum esse nunc futurum, & obiectum propositionis se habere nunc, sicut per propositionem enuntiatur: componenda igitur est præsentia repugnantiæ ad modum præsentiæ futuri: & sicut hoc præsens tantum dicitur, non quidem præsentia rei præsentis; sed præsentia propria rei futuræ: Ita repugnantia ad falsitatem propositionis de futuro tantum dici potest præsens præsentia, non quidem conveniente repugnantiæ ortæ ex re de præsenti, seu veritate orta ex illa; verùm præsentia proportionata repugnantiæ ortæ ex re futura; seu veritate ex illa procedente. Si autem velis prædictam repugnantiam aliud non esse; quàm possibilitatem veritatis de futuro per se oppositam cum eo, quod si veritas de futuro sit, simul non sit, vt accidit in possibilitate cuiusvis alterius possibilis afferente ex se exclusionem duplicis contradictorij: ac proinde repugnans coniunctioni vtriusque; de hoc non contendam, cum in mea sententia, possibilitas ab ipsa re possibili non distinguatur.

157 Obijcies sextò: veritas propositionis de futuro distinguitur à veritate propositionis de purè possibili, quod hæc dicat indifferentiam ad existendum, & non existendum; illa verò determinationem ad existendum in aliqua temporis mensura posteriori ad tempus presens; sed hæc determinatio aliunde, quam ex decreto Dei dari non potest: ergo neque veritas propositionis de futuro aliunde, quam per decretum Dei constitui potest: sic arguit Vives apud Izquierdo. Quod quidem eius venia, leve satis est, tum propter paritatem præteritionis, sub qua comprehenditur, tum quia decretum Dei, & si daretur connexum cum eventu futuro, vt volunt Thomistæ, non esset discretio formalis futuri à possibili; sed tantum illativa, sicut non est existentia formalis rei correspondentis durationi posteriori, verùm illativa: quomodo ad summum esset veritas illativa; non formalis propositionis de futuro.

158 Neque hærere cupio; vt possem, in distinctione illa insinuata *purè possibilis* à *futuro*; scilicèt, quod illud præscindat ab existendo, & non existendo; secus istud, quod falsum est; siquidem purè possibile tantum distat à præcisione in existendo, & non existendo, vt potius per non existentiam constituatur in ratione talis; id autem prætereo: quia, quidquid sit de hac acceptione *purè possibilis*, malè tradita, sufficit, quod præscindat ab exis-

exiſtentia, à qua non præſcindit *futurum*, vel quod inſtituatur argumentum in comparatione *futuri*, & *poſsibilis* præciſivè ſumpti. Cuius ſolutio eſt: futurum diſcriminari ſufficientiſsimè, ſive à *poſsibili purè*, ſive à *poſsibili præciſivè* per exiſtentiam, vt correſpondentem tempori poſteriori, ſicut præſens per exiſtentiam correſpondentem tempori præſenti, & præteritum per exiſtentiam correſpondentem tempori anteriori; quin opus ſit alia determinatione præter formalem ipſius exiſtentiæ, vt correſpondentis durationi poſteriori, quæ non minus facit neceſſariam conſequenter rem in ratione extituræ; quam exiſtentia præſentis, & præteriti in ratione talium. Cum autem poſsibile, ſi purum ſit, excludat exiſtentiam ab omni ſtatu, & ſi præciſivum ab exiſtentia in omni ſtatu præſcindat, quorum neutrum habeat futurum, vi formalis correſpondentiæ ad durationem poſteriorem, quid amplius erit neceſſarium pro diſtinctione?

159 Obijcies ſeptimò. Futurum certum non aliter diſtinguitur à futuro dubio, quam per determinationem præſentem; ſed veritas determinata, & certitudo propoſitionis de futuro nunc determinata, & certo vera ſumitur à futuro certo vt tali: ergo deſumitur etiam à determinatione præſenti conſtitutiva futuri in ratione certi, & diſtincti a futuro dubio: arguerem ego ab oppoſito: propoſitiones de futuro non conſtitui veras formaliter à determinatione de præſenti. Siquidem futurum eſſe dubium, aliud non eſt, quàm eſſe dubiam exiſtentiam conſtitutivorum futuri; ſed per te futurum dubium non dicit determinationem de præſenti, cum in hoc per te etiam diſtinguatur à futuro certo: ergo neque futurum certum dicit inter ſua conſtitutiva determinationem de præſenti. Videat citatus Vives, cuius eſt argumentum, qua conſequentia inferat: propoſitiones de futuro conſtitui determinatè veras per præſentem determinationem, conſiſtentem in decreto, ex diſtinctione futuri dubij à futuro certo.

160 Reſpondetur, vt recte Izquierdo in præſenti: quod ſi de futuro, veritate, & certitudine ipſius formaliter, & obiectivè ſumptis, ſermo ſit, nempè ſatis quæritur diſtinctio futuri certi, & futuri dubij: cum nullum ſit futurum, ſicut nulla veritas, quæ in ſe, & à parte rei non ſit certiſsima, ſi ſunt; ſicut falſiſsima, ſi non ſunt, certiſsimumque contradictorium ipſorum; ſi verò aliter accipiatur futurum, ſicut, & veritas ipſius, ſcilicèt ſubiectivè, & ex parte noſtri intellectus; tàm certitudo, quàm dubietas ſumitur ex fundamentis, quæ habemus, vel ad certò, vel ad formidoloſè iudicandum, quæ diverſitas iudicij ſtare poteſt circa eadem fundamenta, iam clarius, & firmius, iam minus clarè, & minus firmè propoſita, & quæ ſtare poſſunt abſque vlla determinatione de præſenti, circa eventum futurum, ſicut & abſque eius veritate formali: ſæpè enim, vt experientia ipſa compertum eſt, iudicamus, aut nimis adhæſivè, aut formidoloſè id, quod in re falſum eſt, nullumque habet fundamentum: malè ergo ex certitudine, aut formidine ſubiectiva ſumitur argumentum, ad probandum conſtitutivum infallibile futuri ab illius eſſe inſeparabile: neque quamvis ea, quæ nobis proponuntur; vt ſuadentia futurum in re, infallibiliter ex ſe id ſuaderent, deduci poſſet ex exiſtentia, vel defectu illorum, aliud quam exiſtentia, aut defectus futuritionis illativæ; ſecus futuritionis formalis: modo quo ſi mihi proponeretur ſufficienter credibilis per fidem revelatio divina alicuius futuri, eſſent in me fundamenta graviſsima, & certiſsima ad affirmandum futurum: neque ideo præſens revelatio, aut præſentia fundamenta credibilitatis revelationis eſſent futuritio formalis, aut conſtitutivum veritatis formalis propoſitionis de futuro.

161 Obicies octavò. Propoſitio de futuro non poteſt verificari ab eo, quod de præſenti non eſt; ſed futurum de præſenti non eſt: ergo neque verificatur ab ipſo futuro; ſed ab aliquo eſſe de præſenti determinato, vt poſt habeat eſſe futurum. Probatur maior. Propoſitio de futuro non poteſt verificari ab eo, quod quando eſt propoſitio, nullam habet veritatem; ſed id, quod de præſenti non eſt, quando propoſitio exiſtit, nullam habet veritatem, cum eo tantum modo, quo aliquid eſt, ſit verum, & cognoſcibile: ergo propoſitio de futuro non po-

potest verificari ab eo, quod de præsenti non est. Confirmatur: *esse* futuri est veritas, & cognoscibilitas futuri; sed *esse* futuri non datur, sed dabitur: ergo neque cognoscibilitas, & veritas futuri datur; sed dabitur: at à veritate, quæ non est; sed erit, propositio vera non est; sed erit: ergo propositio de futuro, si verà de præsenti est, ab aliquo de præsenti existenti vera est.

162 Non benè erit contrariæ sententiæ istud seriò obijcere, nisi etiam velit ex animo se ipsam deserere. Probat enim primò. Futurum in complexo, & provt non dicit præcisè futuritionem, nullam habere cognoscibilitatem, seu veritatem intrinsecam; qure tantum poterit cognosci, & esse verum dari futuritionem obiecti, secus obiectum esse futurum. Probat secundò: nullum statum, qui non sit præsentiæ, habere veritatem, seu cognoscibilitatem. Vndè nec obiectum esse posibile, aut præteritum poterit verè cognosci, aut affirmari. Probat tertiò: nullum obiectum impossibile esse cognoscibile, aut verè affirmabile in esse talis, vtpotè, quod non habet, nec potest habere vllum esse verum, & proprium. Probat quartò. Futurum tantum habere veritatem futuri, quando incapax est habendi talem veritatem; patet, quia per te obiectum in quovis statu eo tantùm modo habet veritatem, quo habet esse simpliciter; sed futurum non habet esse; sed habebit: ergo in ratione futuri non verificat, sed verificabit, quando habeat esse simpliciter: at futurum tantum habet esse simpliciter, quando existit, & desinit esse futurum: ergo tantum verificat esse futurum, quando incapax est habendi veritatem futuri.

163 Ad argumentum distinguo maiorem. Propositio de futuro tantum potest verificari ab eo, quod de præsenti non est *præsentia propria futuri*, concedo maiorem. *Præsentia propria præsentis*, nego maiorem, & distinguo minorem. Futurum de præsenti non est *præsentia propria præsentis*, concedo minorem. *Præsentia propria futuri*, nego minorem, & consequentiam. Ad maioris probationem, distinguo etiam maiorem. Propositio de futuro non potest verificari ab eo quod quando propositio est, nullam habet veritatem *habitione propria veritatis de præsenti*, nego maiorem: *habitione propria veritatis de futuro*, concedo maiorem, & distinguo minorem. Id quod de præsenti non est, quando propositio existit *per exclusionem præsentiæ propriæ præsentis* nullam habet veritatem, nego minorem. Id quod de præsenti non est *per exclusionem præsentiæ, propriæ status futuri*, concedo minorem, & nego consequentiam. Terminorum explicatio constat ex dictis, quæ iam tædet repetere.

164 Ad minoris adiunctam probationem, vel negandum absolutè *eo tantùm modo, quo aliquid est, esse verum, & cognoscibile* si de *esse* tantum simpliciter, aut transcendentaliter procedat, vt constat in impossibilibus, purè posibilibus, & rerum defectibus, quæ sine tali esse simpliciter, aut transcendentaliter, vera, & cognoscibilia sunt; vel distinguendum, eo tantum modo, quo aliquid est *formaliter, seu conformiter ad propositionem enuntiantem* est verum, & cognoscibile, concedo propositionem: eo tantum modo, quo aliquid est *transcendentaliter, seu existentialiter*, nego propositionem. Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: esse futuri *specificativè accepti* non datur; sed dabitur, concedo minorem. Esse futuri *reduplicativè accepti* non datur; sed dabitur, nego minorem, propter implicationem in terminis; aliàs futurum non esset modo futurum; sed reflexè futurum in ratione futuri; verificaretque *erit futurum*; secus autem *est futurum*: & distinguo consequens, neque cognoscibilitas, & veritas futuri *specificativè accepti* datur; sed dabitur, permitto, aut concedo consequentiam: *reduplicativè accepti*, nego consequentiam. Minor subsumpta sub disiunctione etiam accipienda: à veritate, quæ non est; sed erit: *modo requisito ad conformitatem cum actu* propositio vera non est;

sed

ſed erit ; concedo minorem : *modo improportionato ad conformitatem cum actu*, nego minorem, & conſequentiam.

165 Obijcies nonò : Veritas propoſitionis disiunctivæ de futuro contingenti debet conſiſtere in aliquo de præſenti vagè connexo cum eventu futuro : ergo veritas propoſitionis determinatæ de futuro contingenti debet conſiſtere in aliquo de præſenti, determinatè connexo cum eventu futuro: conſequentia apparet legitima à paritate rationis: etenim ſemel, quod veritas aliqua propoſitionis de futuro non aliter, quàm per aliquid præſens conſtituatur; non apparet motivum, vt omnis propoſitio de futuro idem pro ſua veritate non exigat. Probatur antecedens: veritas propoſitionis disiunctivæ de futuro contingenti ; v. g. *Petrus, vel Ioannes curret : Paulus, vel Antonius cras peccabit* non poteſt verificari ab aliquo obiectivo, quoad ſuum eſſe vagum, & disiunctivum, cum nullum tale detur, neque ab aliquo, quoad ſuum eſſe determinatum, & quod à propoſitione reſpiciatur, vt obiectum: quia omne, quod à propoſitione reſpicitur, vt obiectum, & eſt in ſuo eſſe determinatum ; v. g. coniunctum ex extremis disiunctivè attactis, aut quodcumque determinatum extremum disiunctionis eſt tale, quod ſi deficiat, permanebit vera propoſitio, deficiente enim coniuncto extremorum, disiunctivè attactorum per propoſitionem, permanet veritas ipſius, cum ſufficiat prædicatum affirmatum convenire vni; deinde deficiente quovis determinatè accepto, permanet etiam veritas propoſitionis, cum quodvis ex extremis disiunctivè attactis, ſufficiat pro veritate propoſitionis; neutrum tamen determinatè requiratur : ergo ab aliquo alio, quod ſi deficeret, vera non eſſet, debet propoſitio illa de præſenti verificari : id autem aliud videtur non poſſe eſſe, quàm decretum aliquod Dei, aut ſcientia divina de præſenti exiſtens, & disiunctivè tendens in ea extrema.

166 Cogit Adverſarios obiectio, vt ſemper pro veritate propoſitionis disiunctivæ, tàm de futuro, quàm de præſenti recurrant ad decreta disiunctiva, vel ſcientiam vage tendentem in extrema, quæ ſi aliquando admitti poſſint, pluries non niſi repugnanter poſſunt concedi ; ſi verò decreto determinatè tendenti in aliquod extremum contenti ſint, tale decretum invenient non determinatè requiſitum pro veritate propoſitionis, cum aliud decretum determinatè tendens in aliud disiunctionis extremum ſufficeret pro veritate ipſius: conſtet etiam ſub eadem difficultate, ſi quæ ſit, comprehendi propoſitiones disiunctivas de præſenti, pro quarum veritate formali non requirit adverſa ſententia aliam determinationem de præſenti, vltra eſſe formale obiecti, in quod tendit propoſitio.

167 Sed demus argumentum intentum convincere, & probare efficaciter futuritionem aliquam, ſicut, & veritatem propoſitionis ei correſpondentem conſiſtere in aliquo de præſenti ; quid contra nos? qui non negamus aliquas veritates de futuro includere aliquid de præſenti, vt ſupra notavimus, idque provenire ex peculiari conceptu talis veritatis ; ſecus ex conceptu futuri, & veritatis illius genericè, & vniverſaliter accepto, vt aſſumptum eſt contrariè ſentientium ; nec paritas eſt tam vrgens ex vno futuro ad alia, vt conſideratio ſola naturæ, & conditionis vnius, & aliorum diſparitatem clariſsimam non inſinuet. Pro quo videantur dicta, tum in quæſtionis initio, tum in præcedente vbi de conſtitutivo futuri.

168 Verùm neque id probat præſens difficultas, cui reſpondetur: propoſitionem illam disiunctivam de futuro verificari de præſenti ab eo extremo disiunctionis, quod in re erit futurum. Sicut propoſitio diſiunctiva de præſenti vera eſt ab eo extremo disiunctionis, cui de præſenti convenit prædicatum ſub diſiunctione affirmatum. Nec ratio probativa in contrarium adducta amplius probat ; quàm quod verificativum illud de facto verificans non ſit determinatè requiſitum ; quamvis ſit ſufficiens : vndè veritas illius pro-

propositionis vagè constituitur, vel per existentiam vnius extremi sub prædicato affirmato per propositionem, vel per existentiam alterius sub eodem prædicato, itavt quodvis sufficiat, & neutrum determinatè requiratur pro veritate propositionis in cuius constitutione nihil specialius se offert, quod non occurrat in *hoc albo*, *hoc homine*, *& hoc supposito* dicente primo *hoc subiectum* determinatè, *& hanc*, *vel illam albedinem*. Secundo *hanc naturam humanam* determinatè, & *hanc*, vel *illam subsistentiam*: & tertio *hanc determinatam subsistentiam*, *& hanc*, *vel illam naturam*; quin in omnibus his disiunctionibus obstet non requisitio cuiusvis extremi determinatè sumpti sufficientiæ cuiusvis pro constitutione complexi, cuius conditionem sequitur complexum veritatis propositionis obiectæ.

FINIS PRIMI TOMI.



INDEX
DISPUTATIONUM,
ET CAPITVM, QVÆ IN HOC Primo Tomo continentur, vbi loca Magiſtri, in quibus iuxta P. Ripalda excitantur, aut excitari poſſunt, vt illationes ex excitatis, inveniuntur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Eſſentia, & Exiſtentia Divinæ Scientiæ in communi.

CAPVT I. De Eſſentia Divinæ ſcientiæ, pagin. 2. Agit Magiſt. de Scientia Divina, iuxta Ripald. lib. 1. diſt. 35. 36. 38. 39.

Caput II. De Exiſtentia divinæ Scientiæ, pag. 6. pertinet ad eadem loca Mag.

Caput III. Proponitur ratio Divi Thomæ, qua probat, Deum eſſe ſummè cognoſcitivum, eiuſque efficacia expenditur, pag. 10.

Excitatur à Mag. iuxta Patrem Ripald. lib. 1. diſt. 35. quæſt. 1. & excitari poteſt eiſdem locis ſupra citatis.

Caput IV. Duæ illationes ex dictis proponuntur, pag. 19.

Excitari poteſt, libr. 1. diſtinctione 35. quæſt. 1.

DISPVTATIO SECVNDA.

De nonnullis prædicatis, & perfectionibus divinæ Scientiæ in communi.

CAPVT I. De veritate, certitudine, & evidentia divinæ ſcientiæ, pagin. 28.

Excitatur in Magiſt. iuxta Ripald. lib. 1. diſtinctione 35. quæſt. 12. & diſtinct. 39. quæſt. 2. & excitari poteſt, diſt. 36. & diſt. 38.

Caput 2. An cum his perfectionibus componatur ſimplex apprehenſio alicuius veritatis in divino intellectu, pag. 50.

Excitatio huius quæſtionis pertinet ad eadem loca Magiſtri, ac præcedens.

Caput III. De amplitudine, & vniverſalitate pag. 35.

Excitatio huius pertinet ad eadem loca.

Caput IV. De æternitate, & immutabilitate, pag. 37.

Excitatur, lib. 1. Magiſtri iuxta Ripald. diſtinct. 35. quæſt. 2. & diſt. 39. quæſtione 12.

Caput V. An pro immutabilitate ſcientiæ divinæ requiratur præſentia creaturarum in æternitate? Vbi an talis præſentia detur? pag. 47.

Excitatur à Magiſt. iuxta Ripald. libr. 1. diſt. 8. quæſt. 4. diſt. 35. quæſt. 11. & diſt. 36. quæſt. 1. diſt. 38. quæſt. 7.

Caput VI. Dubium per varias concluſiones deciditur, pag. 51.

Huius excitatio pertinet ad eadem loca Magiſt. ac præcedentis.

Caput VII. Solvuntur obiectiones Adverſariorum, pag. 59.

DISPVTATIO TERTIA.

De simplicitate divinæ scientiæ.

CAPVT I. Essentia divina est à substantia, & esse Dei indistincta realiter, pag. 68.

Excitatur à Magist. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 2. quæst. 7. distinct. 8. quæst. 5. & dist. 19. quæst. 9.

Caput II. Vtrùm simplicitati scientiæ divinæ obstet distingui, vel inter se, vel à Divina essentia distinctione ex natura rei formali: vbi generaliter de distinctione Scotica, tàm in divinis, quàm in creatis, tàm inter absoluta, quàm inter relativa, pagin. 71.

Excitatio huius pertinet ad eadem loca, ac præcedens, necnon, distinct. 33. quæst. 3.

Caput III. Solvitur præcipuum fundamentum Scotistarum pag. 79.

Caput IV. An scientia Dei, sive necessaria, sive contingens distinguatur, tàm inter se, quàm à natura divina virtualiter? Vbi generaliter distinctio virtualis intrinseca, tàm inter absoluta, quàm inter relativa, tàm in divinis, quàm in creatis excluditur, pagin. 88.

Excitatio huius quæstionis pertinet ad eadem loca Mag. ac præcedens.

Caput V. An scientia Divina, sive quoad suos actus, sive à Dei essentia distinguatur per rationem? Vbi obitur: quomodò divina attributa distinguãtur mutuò, & ab essentia per intellectus operationem? pag. 100.

Excitatur à Mag. iuxta Ripald. libr. 1. dist. 2. quæst. 6. dist. 8. quæst. 5. dist. 19. quæst. 9. dist. 33. quæst. 2.

DISPVTATIO QVARTA.

Appendix præcedentis, in qua solvuntur duo fundamenta prò distinctione virtuali admittenda in divinis. Vnum ex constitutione actuum Dei liberorum.

Alterum ex difficultate Mysterij Sanctissimæ Trinitatis.

CAPVT I. Solvitur prima difficultas designando constituti-ũ scientiæ contingentis, & cuiusvis alterius actus contingentis, & liberi Dei absque beneficio vllius distinctionis virtualis intrinsecæ, pag. 105.

Caput II. Vnica conclusione sententia exprimitur, pag. 108.

Caput III. Solvntur obiectiones, pagin. 114.

Excitatur hæc difficultas à Magist. iuxta Ripald. lib. 1. distinct. 45. quæst. 3. distinct. 47. quæst. 3. Potest vlterius hæc difficultas excitari omnibus locis citatis disput. antecedenti.

Caput IV. Solvitur secunda difficultas, ex Trinitatis Mysterio, pag. 125.

Caput V. Solvuntur obiectiones, pagin. 129.

Excitatur hæc difficultas à Magist. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 2. quæst. 5. distinct. 8. quæst. 5. & 6. dist. 9. quæst. 4. distinct. 19. quæst. 9. dist. 21. quæst. 2. & distinct. 33. quæst. 5. & dist. 34.

DISPVTATIO QVINTA.

De divina scientia comparata ad divinum intellectum, & ad essentiam divinam.

CAPVT I. Vtrùm in Deo detur actus primus intelligendi. Vbi quid cer-

certum, quid controversum sit de actu primo intelligendi in divinis? pag. 136.
Caput II. Quæstionis resolutio per varias conclusiones, pag. 138.
Caput III. Solvuntur argumenta contrà propositas conclusiones, pag. 144.
Excitatur à Mag. iuxta Ripald. lib. 1 dist. 35. quæst. 3. & quia idem est de voluntate, ac de intellectu, loco *intellectus* pone *voluntas*. & excitatam invenies, dist. 46 quæst. 8.
Caput IV. Vtrum intellectus divinus sit à parte rei principium virtuale intellectionis, sive necessariæ, sive contingentis necessitate intrinseca, & extrinseca? pag. 150.
Hæc difficultas excitari potest, lib. 1. Magist. dist. 4 & dist. 29. vbi de ratione principij in divinis agitur. Vlterius excitatio huius quæstionis pertinet ad eadem loca, ac præcedens.
Caput V. Vtrum intellectio sit de essentia metaphysica Dei? pag. 159.
Excitatur à Mag. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 8. quæst. 1. dist. 35. quæst. 2.
Caput VI. Fit satis contrarijs fundamentis, pag. 167.

DISPVTATIO SEXTA.

De obiecto materiali divinæ scientiæ in communi.

CAPVT I. Quid sit obiectum materiale Scientiæ divinæ, & cui ratio talis conveniat. pag. 174.
Excitatur à Magistr. iuxta Ripald. libr. 1. dist. 35. quæst. 6. dist. 36. à quæst. 1. dist. 39. quæst. 4.
Caput II. Quid de impossibilibus, pagin. 181.
Excitatur à Mag. libr. 1. dist. 36. quæst. 3. & excitari potest eisdem locis ac præcedens.
Caput III. Quid de ente rationis, & rerum carentijs, seu negationibus, pag. 194.
Excitatur à Magist. iuxta Ripald. libr. 1. distinctione 36. quæstione 2. dist. 38. quæst. 8.
Caput IV. An conceptus obiectivi distincti à Deo sint in se ipsis obiectum materiale divinæ cognitionis? pag. 203.
Excitatur à Magistr. libr. 1. distinctione 35. quæst. 7. distinct. 36. quæst. 5. distinct. 39. quæst. 4.
Caput V. Quodnam sit obiectum materiale primarium seu principale divinæ scientiæ, pag. 213.
Excitatio huius quæstionis pertinet ad eadem loca, ac præcedentes.
Caput VI. Solvuntur obiectiones, & ex occasione resolvitur, an complexum ex Deo, & alijs entibus sit bonum maius, aut quid melius Deo solo? pag 219.
Agit de hac quæstione Div. Bonaventura in 1. distinct. 2. artic. 1. quæstione 1. Durandus in 1. part. distinct 43. quæst. 3. Div. Thom. in 3. part. dist. 6. quæst. 2. articul. 3. & quæst. 5. de malo, artic. 1. Quare excitari potest hæc quæstio libro 1. Magist. distinct. 1. & 2. vbi de essentia, & perfectione divina; necnon distinctione 43 vbi de Deo, & de à se factis. Vltimò lib. 3. a distinct. 1 vsque ad 7. vbi de essentia Christi Domini complectentis naturam divinam, & humanam creatam fit sermo.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De obiecto formali Scientiæ divinæ.

CAput I. Quid sub obiecto formali veniat intelligendum? Quæstionis sensus, & Autorum sententiæ. p. 230.
Caput II Quæstionum præcedentium resolutio. pag. 235.
Caput III. Argumenta contra primam, & secundam conclusionem solvuntur. pag. 245.
Caput IV. Argumenta contra tertiam conclusionem proponuntur, pagin. 251.
Caput. V. Solvit argumenta contrà quartam, & vltimam conclusionem pag. 257.
Excitatio conclusionum, quæ in hac disputatione continentur, pertinet ad lib. 1. Mag. dist. 35. quæst. 5. quæ inquirit, an *essentia Dei sit adæquatum motivum Scientiæ Dei*: & dist. 36. quæst. 5. vbi inquiritur, *an creaturæ cognoscantur*

à Deo, quia continentur in eo? Vlterius excitari potest dist. 38. quæst 4. Vbi inquiritur, *an futura sint causa scientiæ?*

DISPVTATIO OCTAVA.

De Scientia vnius in alio, & ex alio.

CAput I. An Deus intra se considerans cognoscat vnum in alio, seu vnam formalitatem in alia. pagin. 265.

Excitatio huius quæstionis pertinet ad lib. 1. Mag dist. 35. Vbi quæst. 4. iuxta Ripald. inquiritur: an *Deus se comprehendat?* Quia ad comprehensionem Dei pertinet cognoscere se omni modo, quo cognosci potest.

Caput II. An Deus cognoscat se ipsum in creaturis? pag. 273.

Excitatio huius quæstionis pertinet ad eundem locum, ac præcedens propter eandem rationem.

Caput III. An Deus cognoscat creaturas in se ipso? pag. 283.

Excitatur in Mag. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 35. quæst. 7. & dist. 36. vbi agitur de modo, quo Deus cognoscit creaturas. & dist. 38. & 39 propter eandem rationem.

Caput IV. Solvit obiectiones contra has duas conclusiones. pag 285.

Caput V. Reliquas conclusiones proponit. pag. 289.

Excitatio conclusionum, quæ in hoc capite continentur, pertinet ad eadem loca ac præcedentes.

Caput VI. Solvuntur obiectiones contra quartam conclusionem. pag. 294.

Caput VII. An Deus cognoscat vnum ex alio, vbi de discursu virtuali, pag. 303.

Excitatur à Mag. iuxta Ripald. lib 1. dist 53. quæst. 8. dist. 38. quæst. 9. Vbi inquiritur: an Deus cognoscat futura componendo & dividendo? & dist. 39. quæst. 6. vbi idem inquiritur.

DISPVTATIO NONA.

Appendix præcedentis. De dependentia connexionis Dei in essendo cum alio à se realiter distincto; seu an Deus in suo esse sit metaphysicè connexus cum possibilitate extra se possibilium, & impossibilitate impossibilium?

CAput I. Post aliqua notatu digna referuntur sententiæ. pag. 309.

Caput II. Nostra sententia proponitur, & per aliquas conclusiones explicatur. pag. 313.

Caput III. Solvuntur argumenta contra præcipuam, & primam conclusionem. pag. 323.

Caput IV. solvuntur obiectiones alterius ordinis. pag. 338.

Excitatur in Mag. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 29. quæst. 8. dist. 30. quæst. 3. dist. 42. quæst. 7. dist. 43. quæst. 8.

DISPVTATIO DECIMA.

Quot modis Scientia Dei in communi dividatur?

CAput 1. Prima divisio in Scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. pag. 347.

Excitatur in Mag. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 35. q. 9. Vbi inquiritur: *an Scientia Dei possit dividi in plures?* Et excitari potest dist. 38. quæst. 4. 5. & 6. & dist. 39. quæst. 7 in quibus agitur de Scientia visionis, & simplicis intelligentiæ.

Caput II. Altera divisio Scientiæ in necessariam, seu naturalem, & contingentem liberam, & non liberam. pag. 353.

Excitatio huius quæstionis pertinet ad eadem loca, ac præcedens.

Caput III. Tertia divisio Scientiæ in approbationis, & simplicis notitiæ, practi-

ticam, & ſpeculativam. pag.356.
Excitatio huius pertinet ad eadem loca, ac præcedens
Caput IV. An Scientia ſimplicis intelligentiæ ſit practica, & cauſa rerũ. p.363
Excitatur in Mag. iuxta Ripald. lib. 1. diſt. 38. quæſt. 6. excitarique poteſt eiſdem locis, ac præcedens.

DISPVTATIO VNDECIMA

Appendix præcedentis. De alijs pertinentibus ad Scientiam Dei practicam.

CAput I. An, & quomodo ſcientia viſionis ſit practica, & cauſa rerum? pag.369.
Excitatur in Mag. iuxta Ripald. lib. 1. diſt. 38. quæſt 4.
Caput II. Solvuntur argumenta Adverſariorum. pag.385.
Hæc quæſtio excitari poteſt etiam eiſdem locis citatis diſputatione antecedenti
Caput III. de divinis Idæis. pag. 396.
Excitatur in Mag. iuxta Ripald. lib. 1. diſt. 36. quæſt. 7.
Caput IV. Reliqua quæ ſuperſunt de divinis Idæis. pag.405.
Excitatio huius pertinet ad eundem locum.

DISPVTAT. DVODECIMA.

De Scientia Dei neceſſaria, ſivè naturali.

CAput I. De Scientia Dei abſolutè, & reſpectivè neceſſaria. pag.414.
Caput II. De Scientia abſolutè tantùm neceſſaria Deo. pag.418.
Excitatio huius quæſtionis pertinet ad lib. 1. Magiſt. diſt. 35. 36. 38. & 39. in quibus agitur de Scientia Dei, qua ſe, & creaturas cognoſcit, & de modo, quo cognoſcit, & generatim pertinet ad omnia ea loca, in quibus agitur de ſcientia qua Deus ſe, creaturas poſsibiles, & eſſentias rerum cognoſcit.

DISPVT. DECIMATERTIA.

Prævia ad Scientiam liberam, in qua de phyſico conſtitutivo futuritionis rerum.

CAput I. Notabilia quæſtionis, ſenſus, & diverſus modus opinandi circa conſtitutionem futuri in eſſe talis proponuntur. pag 429.
Caput II. Concluſiones aliquæ negativæ in quibus continetur impugnatio ſententiarum noſtræ ad erſantium. pag.440.
Caput III. Progreditur ſententiarum impugnatio. pag.449.
Caput IV. Noſtra ſententia proponitur, & probatur. pag.461.
Caput V. Solvuntur obiectiones. pag. 466.
Caput VI. De futuritione *ſecundum-quid*, aliàs *ſigni*, aut *per rationem*, pag. 485.
Excitatio huius quæſtionis pertinet ad lib. 1. Magiſt. diſt. 8. Vbi quæſt. 4. inquiritur an Deus ſit præſens ſimul in æternitate omnibus futuris: quia cum dubium ſit, an formalis futuritio horum cum Deo identificetur, alijs concedentibus, negantibus alijs, & ex illis alij ponant talem identitatem ratione identitatis futuritionis cum Scientia Dei futuris correſpondente, alij ratione identitatis cum decretis; ideò talis identitas poteſt eſſe illis ratio ad affirmandum futura eſſe Deo præſentia in æternitate; aut ſaltem poteſt deſervire ad hoc ipſum inquirendum: quare propter eandem rationem excitari poſſunt concluſiones huius diſputationis diſt. 35. quæſt. 11. diſt. 36. quæſt. 4. diſt. 38. quæſt. 7. necnon in omnibus illis locis quibus agitur de Scientia, qua Deus cognoſcit futura ſivè abſoluta, ſivè conditionata; & de decretis quibus Deus illa decernit.

DIS-

INDEX

DISPVT. DECIMAQVART.

Pravia ad Scientiam liberam, de veritate propositionum singularium absolutarum de futuro contingenti.

CAput I. An propositiones singulares de futuro contingenti habeant determinatam veritatem? pag. 493.

Excitatur in Magist. iuxta Ripald. lib. 1. dist. 38. quæst. 1. & dist. 39. quæst. 1.

Caput II. Fit satis fundamentis contrariæ sententiæ. pag. 499.

Caput III. An propositiones de futuro absoluto contingenti habeant determinatam veritatem independenter ab aliquo de præsenti absolutè existenti, & connexo cum eventu futuro. pag. 508.

Excitatio huius quæstionis pertinet ad eadem loca ac præcedens, necnon ad loca citata disput. antecedenti propter rationem ibi attactam.

Caput IV. Efficaciores nostræ sententiæ probationes. pag. 519.

Caput V. Obiectionum solutio. p. 526.

FINIS.

Errata vtriuſque Tomi ad initium huius invenies;

Indicem vero rerum notabilium in vtroque contentarum, ad finem ſecundi.

Errata vtriusque Tomi ad initium huius
inuenies.

Iudicem vero rerum notabilium in vtroque
contentarum, ad finem lecundi.

Scientia

1995
4146